



BIBLIOTHECA HISTORICA REGNI SICILIÆ,

SIVE

HISTORICORUM,

QUI DE REBUS SICULIS

A Saracenorum invasione usque ad Aragonensium Principatum illustriora monumenta reliquerunt,

AMPLISSIMA COLLECTIO.

OPERA, ET STUDIO

BREVIBUSQUE ANNOTATIONIBUS

JOANNIS BAPTISTÆ CARUSII.

TOMUS SECUNDUS:







PANORMI, MDCCXXIII.

Typis Francisci Cichè Impress. SS. Cruciatæ.

SUPERIORUM PERMISSU.



INDEX
SCRIPTORUM,
Qui in hoc Secundo Tomo continentur.

RICHARDI DE S. GERMANO CHRONICON,

RERUM PER ORBEM GESTARUM AB EXCESSU WILLELMI SICILIÆ REGIS.

Anno scilicet Domini MCLXXXIX. ad annum usque MCCXLIII.


RICHARDI
DE S. GERMANO
BREVIS NOTITIA.



Ancti Germani Oppidum cis Lirim in ipso Campaniæ aditu situm (ubi Volsci, antiquissima gens, priscis temporibus habitabant) Casinum antea dicebatur; cujus nomen retinet adhuc Cœnobium P.P. Benedictinorum tota Italia celeberrimum, & super ipsum oppidum plenum dominium multis ab hinc seculis possidens. Tali in loco Richardus natus, & Notarii munus exercens, Chronicon scripsit de Regno Siciliæ; ea continens, que (ut ipse in principio Operis testatur) suismet oculis visa, vel fideli relatione percepta, suo in tempore gesta sunt. Nullam de Richardo nostro mentionem fecit Gerardus Joannes Vossius in libro de Historicis Græcis, & Latinis: Incompertum enim, saltem Ultramontanis, erat Siculi hujus Historiographi nomen & opus. At diligentissimus Ughellus, exemplar nactus, ex membranaceo Codice Bibliothecæ Casinensis transcriptum, primus illud publici Juris fecit anno 1647. & in calce tertii tomi Italiæ sacræ typis mandavit; quod nos, veluti Historiæ Normannico-Suevicæ principalissimum monumentum, iterum typographo damus.

SVEVIÆ
CA.

TABULA I
Pag. 544.





INCIPIUNT
CHRONICA

De his omnibus, quæ in Regno Siciliæ gesta sunt, vel ubique per orbem à tempore mortis Regis Guillelmi Secundi usque ad tempora Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti Hierusalem, & Siciliæ Regis, tractata per Notarium Richardum de Sancto Germano.



Olet ætas antiquior, ac provida priorum auctoritas digna memoriæ quæque per Orbem gesta describere, relinquenda posteris ad doctrinam; ac eorum instar adhuc prudens sequentium Natio idem agit nè omissa depereant, aùt neglecta notitiam effugiant futurorum. Horum siquidem æmulator ego Richardus de Sancto Germano Notarius, cui quæ servit historiographis musarum prima obsequitur, de quo metrice scriptum reperi, *explicat ingenio res gestas ordine Clio*, visus sum pro viribus ingenioli mei, quæ ubique terrarum, & præsertim in Regno Siciliæ gesta sunt, diebus meis visa, cognita, seù fideli relatione percepta, veritate servata literis tradere, & in hoc præsens compilare volumen: ut ex iis discat futura posteritas varios esse temporum cursus, memineritque prudenter bellum in pace timere, ac pacem iterum sperare post bellum. Quoniam ergò Regni filius ego sum, qui legerit, non me causetur detestando si Regni gesta scribo, diffusius autem de contingentibus, quid de cunctis dicendo: etsi non prosint singula, quæque juvant; & Dei potius est, quam hominis omnium habere memoriam. Sumens proindè à tempore quo Guillelmus Rex Siciliæ inclytus recolendæ memoriæ obiit, Pontificatus verò Clementis Papæ anno secundo, per Chronicam hæc inclusi; quibusdam præmissis in laudem Regis ipsius, & quæ Regni tangunt negotia, ac relatu digna sunt non omissis: in ejus nomine, qui os Zachariæ olim aperuit, os meum aperiat ad loquendum, & linguæ meæ vinculum solvat confidenter; singula quoque locum teneant sortita decenter. Explicit Prologus.

Tempore quo Rex ille Christianissimus (cui nullus in orbe secundus,) Regni hujus moderabatur habenas; qui inter omnes Principes Princeps sublimis, & abundans in omnibus opibus erat; stirpe clarus, fortuna elegans, virtute potens, sensu pollens, divitiis opulentus; erat flos Regum, corona Principum, Quiritum speculum, Nobilium decus, amicorum fiducia, hostium terror, populi vita, & virtus, miserorum inopum, peregrinantium salus, laborantium fortitudo. Legis, & justitiæ cultus tempore suo vigebat in Regno; sua erat quilibet sorte contentus, ubique pax, ubique securitas; nec latronum metuebat viator insidias, nec maris nauta offendicula piratarum. Sed licet tot, & tantis eum ditaverit, & dotaverit bonis per quem Reges regnant, & Principes dominantur; feceritque illum præcunctis terræ Regibus gloriosum, in hoc tamen ingloriosum illum reddidit, quod eum pro-

lis negotiatione multavit. Conclusit enim uterum consortis illius, ut non pareret vel conciperet filium, & ne relinqueret sui superstitem super terram. Quapropter considerans Rex ipse felicitatis suæ tempora à Domino accepisse, & quod eum absque liberis sors fecerat, infelicem, cogitavit, ut sapiens sapienter placaret Dominum, ut fœcundam redderet, quam sterilem fecerat, cogitavit de thesauris suis ædificare sibi domū in Monte Regali ad honorē gloriosę Virginis Mariæ ejus, quam ditavit, compsit, & auxit. Ditavit possessionibus, compsit auri ornatu, auxit & musivo opere, lapidumque pretiosorum colore diverso; & talem ad finem usque perduxit, qualem nullus Regum, aut Principum in toto Terrarum orbe construxit temporibus nostris.

Erant ipsi Regi duo familiares præcipui operæ apud ipsum, & sermone potentes, Gualterius Panormitanus Archiepiscopus, & Matthæus Cancellarius Regni sui, quorum prudentia, & consilio tota ipsius Curia dicebatur. His duobus quasi duabus columnis firmissimis, omnes Regni Magnates obsequendo adhæserant, cum per eos quidquid à Curia Regia peterent, facilius impetrarent. Hinc factum est ipso Cancellario suadente, ut Rex ipse in prædicta Ecclesia Beatæ Virginis in diœcesi Panormitana constructa, fieri à Romana Ecclesia Archiepiscopus impetraret; quod idem Archiepiscopus ad instinctum ipsius Cancellarii factum intelligens, (nam odio se habebant ad invicem, quamquam se in publico diligere viderentur, & per invidiam detrahentes, libenter unus alteri in occulto) hanc suam injuriam, & capitis diminutionem patienter portavit ad tempus. Quia tandem processu temporis cum non posset, quod factum fuerat per Ecclesiam, revocare; hoc fidei subdolę procuravit. Erat ipsi Regi amita quędam in Palatio Panormitano; quam idem Rex de consilio jam dicti Archiepiscopi, Henrico Alemannorum Regi, filio Friderici Romanorum Imperatoris in conjugem tradidit. Quo etiam procurante factum est, ut ad Regis ipsius mandatum, omnes Regni Comites Sacramentum pręstiterint, quod si Regem ipsum absque liberis mori contingeret, amodo de facto Regni, tamquam fideles ipsi suæ amitæ tenerentur, & dicto Regi Alemanniæ viro ejus.

Anno M.C.LXXXIX. Accidit autem processu temporis, ut Rex ipspe (cujus memoriale in sæculum) sicut Domino placuit, sine liberis mense Novembri decederet; cujus decessum à cunctis Regni filiis meritò deplorandum defleri hac Rhythmica lamentatione percensui.

Plange planctu nimio Sicilia
Calabriæ Regio, Apulia
Terraque Laboris, vox mæroris
Intonet & personet nostris oris
Suspendatur Organum omnis oris.
Rex noster amabilis virtute laudabilis,
Aevo memorabilis Guillelmus decessit;
Hunc oppressit mors crudelis, ò infelix
Regnum sine Rege, jam non es sub lege.
Præsules, & Comites, vos Barones plangite
Planctu lacrymali planctum quæso ducite de querela flebili.
Vos Matronæ Nobiles, Virgines laudabiles

Olim

Olim delectabiles, & voce cantabiles
Modulata estote nunc flebiles re turbata
Jacet Regnum desolatum, dissolutum, & turbatum
Sicque venientibus cunctis patet hostibus,
Est ob hoc dolendum, & plangendum omnibus
Omnes Regni filii tempus exterminii
Vobis datum flere, hoc verbum gaudere
Vobis est sublatum, tempus pacis gratum
Est absortum jam ad ortum, & occasum sonuit
Rex Guillelmus abjit, non objit.
Rex ille magnificus, pacificus,
Cujus vita placuit Deo, & hominibus,
Ejus semper spiritus Deo vivat celitus. Amen.

Post hujus Regis obitum, quanta inter Regni Comites sit orta dissentio, & turbatio subsecuta, sequens hujus libelli lectio declarabit: Nam nulli eorum fuit æqua voluntas. Omnes inter se ceperunt de majoritate contendere, & ad Regni solium aspirare, & obliti jurisjurandi, quod fecerant, eorum quilibet contra facere, anhelabat. Factum est autem, ut cum suis complicibus, ne pars Archiepiscopi prævaleret, Cancellarius obtinuerit in hac parte, & tunc vocatus Panormum Tancredus comes Licii Romana in hac Curia dante assensum, est per ipsum Cancellarium coronatus in Regem.

M.C.XC. Tancredus iste Ducis Rogerii filius fuerat naturalis, cujus Pater Rogerius primus in Regno Siciliæ Regis sortitus est nomen, & hac de re, quia hunc tenebat titulum, quod de Stirpe Regia descendisset, inter alios Comites est electus in Regem. Qui postquam assumptus est, laboravit pro viribus, qualiter Regni fines in pace disponeret, & sibi rebelles, ac adversarios subjugaret. Et primum quidem quinque Saracenorum Regulos, qui ob metum Christianorum ad montana confugerant, de montanis ipsis Panormum redire coegit invitos, atque ut cæteros Regni Comites, ac Barones ad suam fidelitatem converteret,& mandatum, Regales effudit opes, & diù servatas est ausus frangere gazas. Hic Richardo Acerrarum Comiti, cujus soror sua conjux erat, de qua geminam susceperat prolem, auri talenta plurima expendenda trasmittit, quibus omnes de Principatu, & terra Laboris eidem Regi contrarios, flexit ad mandatum ipsius. Tunc & Roffridus Casinensis Abbas ipsi Regi juravit.

Erat ea tempestate in Apuliæ finibus Rogerius quidam Andriæ Comes, qui se non reputabat dicto Rege inferiorem, cum tempore memorati Regis Guillelmi totius Regni Magister Justitiarius fuerit, & in Apulia plenum tunc dominium exerceret. Hic telo percussus invidiæ de Tancredi Comitis promotione in Regem sibique subesse dedignans contra ipsum seditione facta turbare ad eum conversas pro viribus cepit, misitque quam citò ad Henricum Alemanniæ Regem, quod veniret, vel mitteret Regnum Siciliæ sibi jure uxoris pertinens, quod Tancredus Comes Licii usurpaverat, recepturus. Qui absque moræ periculo quemdam Henricum Testam Imperii Marescalcum, cum multitudine gravi mittit in Regnum,& veniens in Apuliam nullo obstante ad ipsum Andriæ Comitem, primum Casale quoddam, quod Cornetum dicitur, ad Abbatem Venusii pertinens pro eo quod

Abbas loci ipſius in partem ceſſerat dicti Regis, hoſtiliter intrans cum predicto Comite, & ſuis dedit in direptionem, & prædam, & quæ potuit dicti Regis parti faventibus mala irrogans, tandemque cum mortificato exercitu in Alemanniam reverſus eſt.

Dictus verò Andriæ Comes in Apulia remanens firmata Roccha Sanctæ Agathæ, quam tunc ipſe tenebat de ſuis confiſſus viribus, ſe in Aſculo recepit contra Regem, quem dictus Acerrarum Comes intus circumpoſita obſidione coharctans, cum flectere illum precibus, & promiſſis non poſſet, vocatum ipſum ad colloquium, quadam die proditoriæ cæpit, & miſerabili morte damnavit.

Eo anno Fridericus Romanorum Imperator cum ingenti Crucesignatorum exercitu Hieroſolymam, petens ſiniſtrante fortuna, in quodam flumine moritur. Henricus filius ejus Italiam ingreditur.

Rex Franciæ, & Rex Angliæ Crucesignati Hieroſolymam petunt, qui venientes Meſſanam, orta inter eos diſcordia, partem Civitatis igne cremarunt, quos dictus Rex Tancredus magnis honorans xeniis, ne Civitatem Meſſanæ deſtruerent, cum multis precibus impetravit, qui tandem Hieroſolymam proficiſcentes, ac pro fide Chriſti certantes, civitatem Acconitanam, quam infideles tenebant, Chriſti faciente virtute in manu potenti recuperarunt.

M.C.XCI. Clemens Papa Romæ objit menſe Martii, ac Hyacinthus Diac. Card. in Cæleſtinum Papam conſecratur.

Rex dictus Tancredus de Sicilia in Apuliam veniens ſollemni Curia apud Thermulas habita in Aprutium vadit, Comitem Raynaldum obſidet, eumque ad ſuam redire fidelitatem coegit, & exinde Brunduſium ſe conferens de altero filiorum ſuorum Rogerio ſcilicet cum Iſachio Conſtantinopolitano Imperatore de Vrania filia ſua contraxit, & nuptiis apud Brunduſium magnifice celebratis, ibique dicto filio ſuo coronato in Regem Rex dictus cum triumpho, & gloria in Siciliam remeavit, & tunc Roccham Bantre; & Roccham Guillelmi Roffrido Caſinenſi Abbati aſſignari mandavit, quarum alteram ſcilicet Roccham Guillemi ipſe Abbas dedit cuidam nobili Roberto de Apolita, cum quo de ſorore ſua contraxit, quam Hervco filio ipſius nobilis in conjugem tradidit, & reliquam ſcilicet Roccham Bantre ad opus retinuit Monaſterii Caſinenſis ponens in ea cuſtodem quemdam militem Petrum de Aymon conſobrinum ſuum.

Henricus Rex cum Conſtantia conſorte ſua, ad quam Regnum Siciliæ jure ſucceſſorio pertinebat, Romam venit, quem dictus Cæleſtinus Papa apud S. Petrum in Imperatorem, & conſortem ſuam Imperatricem coronavit. Dato ab ipſo Imperatore Tuſculano Romanis, quam funditus deſtruxerunt.

Tunc Imperator ipſe Regnum intrat menſe Martio, Papa prohibente, & contradicente, per Campaniam venit in Roccham arcis, quam Matthæus Borrellus pro ipſo Rege tenebat à bellatoribus ſuis aggredi faciens, vi cepit eamdem. Quod tanti cauſa timoris fuit, ut qui ſe in Caſino receperant cum rebus ſuis homines Sancti Germani per Nuncios ſuos, quos ad eumdem Imperatorem mittunt fidelitatem jurent. Tunc enim dictus Roffridus Caſinenſis Abbas in Monaſterio Caſinenſi graviter infirmabatur, quem urgentibus ipſis hominibus Sancti Germani oportuit ipſi Imperatori jurare. Sorella quoque, Atinum, caſtrum Cæli, metus cauſa ipſi Imperatori ſe reddunt,

in

In quibus ipse suos posuit capellanos, tunc Comes Fundorum, & Comes Molisii fidelitatem præstant eidem, & procedens in terram Laboris, Theano Capua, & Aversa sibi dantibus manum, Guillelmum Casertæ Comitem recipit, & Aversam. Et exinde super Neapolim vadens, eam posita obsidione coarctat, coadsistentibus ei dictis Comitibus, & Baronibus Principatus, necnon & Abbate Casinen. prædicto cum viribus suis. In qua cum se contra eum recepisset dictus Acerrarum Comes, pro sæpe dicto Rege satis strenue defendit eandem: tunc Salerni civitas ipsi Imperatori se reddidit, ubi Imperatricem consortem suam moraturam transmittit, & ipse civitatem ipsam Neapolim crebro aggreditur, & impugnat. Cumque nec viris, nec viribus pugnando proficeret, superveniente ægritudine digressus est abinde, vel invitus, qui relicta Imperatrice consorte sua Salerni, & Muscancervello in castello Capuæ constituto, ad Sanctum Germanum veniens, cum debilitato exercitu suo dictum Casinensem Abbatem, toto tunc conventu sibi fidelitatem præstante, secum in Alemanniam ducit, Gregorio fratre ejus ad majorem securitatem obside relicto apud Ducem Spoleti, & quibusdam de melioribus terræ Sancti Germani captis obsidibus, quos Diopuldo cuidam Theutonico in Rocca arcis relicto, & Corrado de Marlei in Sorella constituto custodiendos commisit. Et tunc per terram Petri Celani Comitis sub illius fido ducatu de Regno exiens in Alemanniam remeavit mense Septembri. Tunc is, quem præfatus sum, Acerrarum Comes de Neapoli exiens cum Neapolitanis, & aliis undique collectis militibus, venit Capuam, castellum obsidet, in quo Muscancervellus se pro Imperatore receperat, qui cum non haberet victui necessaria, cum Comite ipso componens, tradito sibi, ac resignato castello ipso, abjit securus quo voluit. Tunc & Aversam recipit Theanum, & Sanctum Germanum ad Regis dicti revocavit fidelitatem, & Casinum conscendens, vallum Monasterii, nullo obstante intravit. Qui cum blande satis alloqueretur Adenulphum Casertanum Decanum Casinensem, ut illum ad dicti Regis fidelitatem converteret, & hoc ab eo precibus obtinere, & promissis non posset, de loco descendit, & abjit. Tunc Comitem Molisii recipit, & ponens in Sancto Germano, & in Sancto Angelo Theodicio Masnedam, quantum potest pro servitio dicti Regis sororii sui elaborat. Tunc Richardus Fundanus Comes pro eo, quod ab Imperatore ipso Suessam emerat, & Theanum, metus causa, comitatu relicto, in Campaniam secessit: Et Comitatus Fundanus cuidam fratri Aligerni Cottonis de Neapolis ab ipso Rege concreditur. Adenulphus Casertanus Decanus Casinensis pro eo, quod in partem non cessit ipsius Regis à Cælestino Papa excommunicatus est, & Monasterium suppositum interdicto. Salernitani ad captanda Tancredi Regis gratiam, detentam Imperatricem ipsi Regi in Siciliam mittunt. Quam Rex ipse debito cum honore recipiens, magnis ornatam muneribus in Alemanniam ad Imperatorem remittit. Eo anno quidam stultus Paganus Dominus Casalverii Theutonicum quemdam ab Imperatore in Atino relictum dolo interficit, & à dicto Rege apud Atinum, quidam Rogerius de Foresta dirigitur.

M. C. XCII. Dictus Adenulphus Casinensis Decanus facta compositione cum Diopuldo Roccæ Arcis Castellano, qui se pro Imperatore gerebat. Congregato militari, & pedestri exercitu in Campaniam

quos

quos prece, pretioque conduxerat, de Casino descendens mense Januario, vi cepit Castrum Sancti Petri Monasterii, & bonis propriis spoliavit: de Civitate Sancti Germani usque ad Ecclesiam omnium Sanctorum occupavit; non tamen absque strage plurima Campanorum. Et pace tandem hinc inde clamata tota terra ipsi Decano se reddidit. Et tunc de Sancto Germano nonnulli, qui dicti Regis patrem fovebant, in partem alteram secesserunt, quorum bona omnia a Theutonicis sunt direpta. Tunc idem Decanus cum præfato Diopuldo terram equitans cum insigniis Monasterii relictum Castrum Plumbareolæ occupavit, vi cepit Castrum Pignatarium, Castrum S. Angeli Pontem Curvum, Castellum novum, Fractæ, & quædam alia castra pro jam dicto Rege se tenentia.

Illis diebus Richardus Caleni Comes, qui erat pro parte Regis Tancredi venit supra S. Germanum cum Rogerio de Foresta Castellano Atini ad devastandum. Captus est eo anno Gottefridus Casertanus ab illis de Sancto Angelo, & in captionem ductus, postmodum à Malq. Sorellæ jam dicto Castellano Atini in custodiam traditus.

Dictus Diopuldus apud Aquinum cum quodam Regis Logotheta congreditur, quem campestri bello fugatum devicit multis ex suis captis, multisque in lacu summersis, & ex tunc vires crescunt ipsi Diopuldo, qui cum Conrado castellano Sorellæ societate contracta, equitant in terram Suessæ, oves, & boves, necnon & miseros homines capiunt, & eos ad se redimendum post multa tormenta compellunt. Tunc temporis vocatus ipse Diopuldus à Guilielmo Casertæ Comite, qui pro Imperatore erat, cum gente sua Vadofluvium Capuæ transiens ivit in terram Laboris, & equitans super Capuam, exeuntem contra se Richardum Caleni Comitem cepit, & ad Roccham Arcis duxit captivum.

M. C. XCIII. Roffridus dictus Casinensis Abbas de Alemannia rediens, relicto ibidem obside Gregorio germano suo, cum nonnullis, quos secum duxerat, electis militibus Cominum intrat, Atinum foras devastat, incolatum occupans Sanctæ Mariæ de Atino, & dirui faciens muros Cancelli, & portam ejus, vi cepit Gallinarium, & bonis propriis spoliavit, rediens verò ad terram Monasterii Castrum Sancti Angeli, Theodicii sibi contrarium, quia partes Regis Tancredi fovebat cum Conrado Castellano Sorellæ, & cum gente sua licet non profecerit, vehementer impugnat, faciens, quam potuit, in exterioribus vastitatem.

Eo anno Rex Angliæ ab Hierosolymis rediens à Duce Austriæ retentus, & captus est, & Imperatori traditus. Qui tandem non sine multæ pecuniæ interventu dimissus est.

Bertholdus Comes ex parte Imperatoris in Regnum legatus mittitur qui veniens, cum electis militibus, & bellatoribus de Florentia, iis ei faventibus, qui partem Imperatoris fovebant, & convenientibus ad eumdem, Venafrum in festo Beati Martini vi cepit, & suis dedit in direptionem, & prædam. Tunc Comes Rogerius de Molisio metus causa, quia se in partem Regis dederat, in Roccham Magenul se recipit. Bertholdus verò coadsistentibus ei Muscancervello, Diopuldo, & Conrado prædictis, necnon & Abbate Casinense Fundano, & Casertano Comitibus cum viribus suis Castrum Sexti, ubi Landus de Monte longo Comestabulus erat cum quibusdam Campanis militibus

tibus pro parte Regis Tancredi, vi cepit, ipsoque Castro bonis propriis spoliato, ipsum Landum cum sociis suis captivum duxit, quorum libertati post multa supplicia, pietatis causa non profuit, nisi redimi profuisset, Roccam etiam Ravenuse aggredi à suis bellatoribus faciens, per insultum cepit. Vairanum acriter impugnans, ubi quidam erat Rogerius de Theate pro Rege statutus, in nullo profecit. Demum succrescentibus ei viribus, & ad eum undique concurrentibus, qui Regis partem oderant, Regnum Imperiali nititur subjicere servituti. Rex verò Tancredus de Sicilia in Apuliam veniens exercitum congregat copiosum, volens Bertholdi vires oppositis viribus impedire. Cui dictus Bertholdus cum suis, ac aliis de Regno Imperialem partem foventibus, utpote vir magnanimus viriliter se opponit, & Rege ipso se cum suo exercitu apud Montem Fusculum conferente, ipse contra eum vadens, apud Batticanum posuit castra sua, cupiens cum ipso Rege habere congressum. Id ipsum pars Regis, ad quem vires, undique confluebant, optabat. Sed conspiciens Rex ipse, & in consilio habens, quod honor sibi non erat cum Bertholdo congredi, & Bertholdus cernens debiliorem partem suam, prælium sapienter declinavit, uterque, & discendente inde Bertholdo, qui Laquedorum hospitatus est. Rex ipse movet à Monte Fusculo castra sua. Tunc Bertholdus per Capitanlatam rediens in Comitatum Molisii, Castrum Montis Rodools, quod se pro Rege tenebat, circumposita obsidione coarctat, ibique die quodam cum illud aggredi faceret à pugnatoribus suis lapide manganelli contritus occubuit, eique Muscancervellus in Ducem successit exercitus, qui tandem castrum ipsum obsidione firmata per sitim capiens, non per vim, quos cepit Incolas, variis cruciatibus sine spe veniæ interemit.

Rex verò Tancredus tunc castrum Sabiniani vi cepit, & quemdam Sarolium capiens ipsius castri Dominum, qui de Rege ipso multum fuerat oblocutus, suspendi jussit; recepit etiam Roccham Sanctæ Agathæ, quam quidam Robertus de Calagio dicti Comitis Andriæ filius contra eum tenebat. Apud Sariciam cepit quemdam Robertum filium Rizardi, & tanquam sibi rebellem punivit. Exinde veniens in terram Laboris Comitem Casertæ recipit, & Aversam. Sanctagathensis quoque Civitas, ac Telesiæ, quæ tota postmodum combusta est, venerunt ad mandatum ipsius. Tunc accersito ad se Roberto de Apulita, abstulit ea Roccam Guillelmi, & quemdam in ea Andream de Theano posuit Castellanum, sicque relictis in pace Apuliæ finibus, & terra Laboris, Rex ipse in Siciliam remeavit, ubi ordine naturæ præpostero Rogerius filius ejus, qui coronatus in Regem fuerat, viam est universæ carnis ingressus, & frater ejus Guillemus in Regem successit eidem. Ipse quoque Rex doloris punctus aculeo, brevi post tractum temporis infirmitate correptus obiit.

M.C.XCIV. Dictus verò Henricus Imperator parato navali, & terrestri exercitu, Regnum intrat, illum Roffridus Casinensis Abbas magnificè excipit, necnon & Fundanus Comes ac alii omnes Theutonici, & Latini, suum præstolantes adventum, cum quibus terram Laboris ingrediens, Neapolim recipit Salernum sibi renitentem vi cepit, ac suis dedit in direptionem, & prædam. Tunc dictus Adenulphus Casidensis Decanus procurationem Abbatiæ Venusii ab Imperatore recepit. Imperator verò Apulię fines nullo obstante ingrediens, omnes

omnes Apuliæ recipit civitates, ad mandatum, & fidelitatem suam convertens, dicto Casinense Abbate præeunte, cujus fidei puritiam satis erat ipsi Imperatori experta, cui certam procuram, auctoritatem, & potestatem contulerat, ut venire ad suam fidelitatem volentes, per eum veniam mererentur.

Tunc ipsi Abbati Castrum Maluesi ad opus contulit Monasterii Casinensis, & Pharum præteriens navigio, Messanam recipit, totamque Siciliam, & Panormum properans, recipit civitatem ipsam, & cunctum palatii diripuit apparatum. Tunc uxor Regis soror dicti Comitis Acerrarum cum filio suo parvulo Guillelmo præfato propter metum Imperatoris, ad locum tutiorem se contulit, Panormum deserens, cum per vim locum, in quo erat, obtinere non posset, Imperator ipse securitate præstita recipit eam, & filium ad manus suas, quos Muscancervelli custodiæ tradidit, & ex eis fecit suæ beneplacitum voluntatis.

Tunc dictus Casinensis Abbas concessionem ab ipso Imperatore de Atino recipit, & de Roccha Guillelmi, & filium Rogerii de Foresta in Atino Castellanum ab ipso Imperatore recipiens, & mandatum per literas ad Andream de Theano Castellanum Rocchæ Guillelmi, ut sibi Roccham ipsam assignare deberet dictus Abbas in sua reversus est.

Imperator ipse in die Natalis Domini regens Panormi curiam generalem præfatam Reginam, & filium ejus, necnon & alio quam plures Præsules, & Comites Regni, quibus ipse perditionis notam imponebat judicio Petri Celani Comitis capi fecit, & ex ipsis quosdam orbavit, quosdam incendio, quosdam suspendio, & quosdam in Alemanniam exilio destinavit.

Tunc Imperator Exii civitas Marchiæ filium peperit nomine Frederic. mense Decembri in festo S. Stephani,

M. C. XCV. Roffridus Casinensis Abbas tractatu quorumdam de Atino nocturno tempore introductus, Atinum recipit, dictum Rogerium de Foresta Castellanum intus arctat, & obsidet, qui cum non haberet victui necessaria, recepta de persona, & rebus suis securitate ab Abbate prædicto, & compositione facta cum eo de castro Sancti Petri in fine, quod recepit ab ipso, & fidelitatem juravit eidem, castrum Atini in manus resignavit ejusdem; Roccham Guillelmi etiam ab Andrea de Theano recipiens, fidelitate quoque ab eo recepta, & castrum Cucurutii concessit. Illud tamen de Imperiali mandato cuidam Tancredo, de vero concessit, fidelitatis ab eo juramento recepto.

Hoc anno dictus Casinensis Abbas castrum Tirelli vi capiens igne cremavit.

M. C. XCVI. Imperator in Alemanniam redit, qui Muscancervello Molisii Comitatum concedit, & tunc Rogerium Molisii Comitem, qui se ob metum Imperatoris in Roccham Mugenui receperat, idem Muscancervellus arctat, & obsidet cum quo facta compositione, & & data sibi securitate, & suis, Roccham ipsam recipit, eumque extra Regnum abire promisit, ubi processu temporis mortuus est. Dictus Casinensis Abbas castrum Fractarum receperat, & Castellum novum, castrum verò Sancti Angeli Theodici, quorum habitatores mala innumera per se fecerant in terram Sancti Benedicti, & per servientes quos ad solidos retinuerant, castrum combusserant Pignatarii, per proditionem obtinuit, & recepit ad fidelitatem suam, & Monasterii

Ca-

Casinensis, quibus tamen dignas pro meritis pœnas rependit, & sub prætextu quorumdam versuum, quos ibidem invenit, quos hic annectere otiosum non censui, muros ipsius castri sterni ad solum fecit, & aggeres illius repleri. Versus enim tales sunt.

Pessimus Alboinus Landulphus servus Aquinus
Petrus Rogerius, Philippus valdè Severus
Simon, ac Andreas Adenulphus ut alter Egeas
Sunt hi Rectores per quos servantur honores
Hi dictant bella, cædes, immensa flagella,
Dantes edictum, venerentur ne Benedictum?

Eo tempore dictus Richardus Acerrarum Comes Regnum exire occulte volens, & à facie fugere Imperatoris, relictis Campania, & Burgentia munitionibus, quas tenebat proditus à quodam albo Monacho, cui se crediderat, captus à jam dicto Diopuldo est, & custodiæ traditus carcerali, Cæsari assignandus. Qui de Alemannia Vormaciensem Episcopum misit legatum in Regnum, qui Neapolim veniens cum jam dicto Casinense Abbate Larinis etiam aliis, & Theuthonicis Imperiale implens mandatum, Neapolis muros, & Capuæ funditus fecit everti.

M.C.XCVI. Imperator ipse de Alemannia rediens assignatum sibi à Diopuldo Roccæ Arcis Castellano dictum Acerrarum Comitem, cum apud Capuam Curiam regeret generalem, trahi ab equo primum per plateas Capuæ & demum verso deorsum capite suspendi vivum jubet. Quem viventem post biduum, quidam Imperatoris histrio Theutonicus cognomine Follis, ut ipsi Imperatori placeret, ligato ad guttur ejus non parvo lapidis pondere, ipsum turpiter exhalare coegit. Tunc Imperator ipse generalem toti Regno collectam imponit. Tunc ipse Diopuldus per Imperatorem Comes factus est Acerrarum. Tunc etiam Oddo frater ipsius ad expugnandum Roccham siccam, in qua se Raynaldus, & Landulphus de Aquino fratres contra Imperatorem receperant, ab ipso Imperatore dirigitur, & ipse se confert in Siciliam Imperator, ubi ad se duci Imperatricem jubet, qua in Panormi palatio constituta, quidam Guillelmus Monachus, qui Castellanus erat Castri Joannis, rebellavit Imperatori, ad quem obsidendum cum ipse personaliter accederet Imperator, superveniente ægritudine, abinde infirmus, discedens, sicut Domino placuit, diem clausit extremum. Et tunc fama discurrente per Regnum dictus Oddo frater Diopuldi Comitis, rupta obsidione Rocchæ Siccæ discedit, & se contulit ad Roccham Arcis.

Imperatrix Panormi remanens, in veste lugubri de nece Imperatoris viri sui, Regnique paci consulens, & quieti Marculdum Imperii Seneschalcum, cum Theutonicis omnibus de Regno exclusit, ipsumq; nè amodo Regnum ingredi, absque suo jussu præsumeret, neve remaneret in Regno, coegit. Qui ipsius cum Imperatricis litteris, & Ducatu, ad Comitatum Molisii veniens, qui tunc Marchia vocabatur, & sibi favebat, cum illum sibi Muscancervello mortuo, concesserit Imperator, sub securo Cardinalium conductu, & securitate supradicti Petri Celani Comitis, cui propterea Vairanum tradidit, relictis in ipso Molisii Comitatu Castellanis suis, & Bajulis ad Anconæ

Oooo Mar-

Marchiam suo proprietario dominio subditam se contulit, ubi cum suis sequacibus innumera mala commisit.

Cælestinus Papa obiit, & Lotharius Cardinalis in Papam Innocentium substitutus est illi.

Imperatrix filium suum in Marchia apud Hesim Civitatem relictum sub ducatu dicti Cælani Comitis, & Berardi Laureti Comitis, & Cupersani, ad se duci jubet in Regnum, & de Apulia in Siciliam transmeare. Tunc quidam in Calabria Theutonicus, nomine Fridericus, cum nollet Imperatrici favere, se in Malveti castro recipiens, quod furto subtulerat cuidam Mauro de Mira ibidem Castellano statuto pro Monasterio Casinensi, jussu Imperatricis ipsius à Comite Amphuso de Rotis cæterisque Calabriæ nobilibus, in ipso castro obsessus est, & arctatus. Qui dum aliter evadere se non posse conspiceret, dolo cogitavit capere obsidentes obsessus, & vocatos eos die quadam semotim ab aliis, cum eis fidem dedisset, quod redire vellet ad Imperatricis mandatum, captos Capitaneos cepit, eosque de personis punivit, ut voluit.

M.C.XCVIII. Imperatrix ipsa processu temporis obiit, & prædictum filium unicum Fridericum, & Regni balium Innocentio Papæ ex testamento reliquit, d. verò Marcualdus cognito de morte Imperatricis, congregato malignorum exercitu, quos prece, pretiove conduxerat, Regnum, non sine illorum, qui erant de Regno auxilio, & Ducatu intravit, & veniens in Comitatum Molisii, in quo fidei suæ reliquiæ servabantur, ad dictum Casinensem Abbatem pro pace legatos misit, per quos etiam ipsum, ut sibi Regni juraret Balium, quod sibi Imperator reliquerat, ut dicebat, requisivit. Quia verò a prædicto Abbate obtinere non potuit. Nam primo Regni ipsius Balium dicto Innocentio Papæ juraverat, qui contra ipsum Marcualdum ad jam dictum Abbatem duos miserat Cardinales, cum exfortio militum Campanorum, ac auxilium terræ suæ, eumdemque Marcualdum excommunicationis vinculo innodaverat, & sequaces illius. Ipse sui furoris impatiens, cœpit more Theutonico in terram Monasterii deservire.

M.C.XCIX. Mense Januario. Hic per Venafrum veniens maledictus, cum maledictia Terram Sancti ingressus est Benedicti, & primò, castrum Sancti Petri in fine desertum ab incolis causa metus, nullo obstante occupans igne cremavit. Castrum Sancti Victoris vi capiens, bonis propriis spoliavit, & movens exinde castra Cervarium, & Toroclum, duo scilicet castra ab habitatoribus derelicta combussit, & septimo intrante Januarii ante Sanctum Germanum in campis castrametatus est, & cum ad capiendam terram ipsam daret frequentes insultus, capere vi tamen non potuit, hominibus Civitatis, ac militibus Campaniæ, qui in ea convenerant eo die, resistentibus illi.

Tunc Diopuldus jam dictus, qui ad ipsum venerat Marcualdum, montem quemdam, qui Majo dicitur, cum suis occupans, sua in eo tentoria fixit. Quod tanti causa timoris fuit omnibus de terra ipsa, cum supereminens esset mons civitati, & posset de supernis montibus ab hostibus facile occupari, quod idem Abbas nocte conscendens, occasione muniendi vallum Monasterii, nonnulli de Civitate, cum supellectili sua se ad vallum contulerint memoratum, Cardinalibus ipsis mane sequenti se recipientibus in ipso Monasterio causa metus,

sicque

ſicque die ipſo octavo, ſcilicet Januarii, relictam ab incolis Civitatem Marcualdus intravit, bonis propriis ſpoliavit, & quos in ea invenit, pœnis addixit variis, & tormentis, quibus pietatis cauſa non profuit, niſi redimi profuiſſet, nec contentus eo, quod terram occupaverat Monaſterii, ad obſidendum illud, & capiendum, cum in eo, cum multis Campaniæ militibus, & gente Civitatis non modica ſe concluſerint Cardinales, aſcendere voluit. Qui cum per dies aliquot poſita in Viridario obſidione, ipſum Monaſterium teneret obſeſſum, & Vallum ipſum per frequentes inſultus hoſtiliter impugnaret, capere per vim illud non potuit, Campanis, & aliis qui erant in Vallo conſtitutis militibus reſiſtentibus illi. Cumque firmata obſidione ad capiendum Monaſterium vehementer inſtaret, quod cum per vim non poſſet, credebat fame, ſitive facile occupare, in die feſto Beati Mauri, mutata ſubito ſerenitate aeris, temporis inclementia facta eſt, & tanta inundatio pluviarum admixta grandinibus, & imbribus multis, quod hoſtium tentoria ſtravit ad ſolum, propter quod, qui erant obſeſſi, & jam areſcere cœperant, aquis deficientibus in ciſternis, Deo, & Sancto Mauro debitas gratias retulerunt, & ab obſidione ipſa coacti ſunt recedere obſidentes. Tunc in deſcenſu montis, caſtrum Plumbarealæ idem Marcualdus igne combuſſit, & rediens in Sancto Germano, ira commotus, intus, & extra Civitatem domorum, & tuguriorum vaſtitatem fieri mandans, caſtrum Sancti Heliæ affidatum combuſſit. Portas Sancti Germani, & mœnia ejuſdem in pleriſque locis everti fecit ad ſolum. Illis diebus cum viri nequam, qui erant cum ipſo Marcualdo, fecrint in cæteris Eccleſiis, ſicut in aliis terræ domibus ſtationem, & ſua in eis ludicra exercerent, ipſi Deo, & Sanctis ejus non verebantur injurias irrogare. Nam cum de cæteris Altaribus certas extraxiſſent Reliquias, unus ex prædictis violare Aram Beatæ Virginis attentavit, qui ſtatim aridam ad ſe manum retraxit.

Alter cum Crucifixo, qui eſt in Eccleſia Sancti Germani, primò per lapidis ictum, demum per urinæ injectionem, in ipſum injurias graves inferret, ipſa prius dentibus lingua, areſactus infelix, vitam ſtatim cum morte finivit, quod tantum ipſi Marcualdo terrorem incuſſit, quo facta compoſitione cum Abbate prædicto, terram exiens Monaſterii nono ſtante Februarii, habuit malo omine in anteriora progreſſum.

Eo tempore Richardus de Aquila Fundanus Comes, ut ſalvam faceret terram ſuam, Sifrido fratris Comitis Diopuldi filiam ſuam dedit in conjugem.

Tunc ipſe Marcualdus caſtrum Pontis Cervi, terram Sancti Angeli, & Caſtellum Novum ipſi Comiti Diopuldo, & ſuis ſervanda commiſit, Diopuldus verò, qui ipſum Marcualdum antecedebat, & prædicabat, ut omnes de Regno ſe ad Marcualdum converterent, & Regni Balium jurarent eidem, à Guillelmo Caſertæ Comite captus eſt, & quamdiù vixit, eum tenuit vinculatum, ſed eo mortuo, Guillelmus filius ejus accepta filia ejus in uxorem, liberum dimiſit illum. Marcualdus verò ad Apuliæ partes ſe conferens, Avellinum obſedit, & cum incolis Civitatis ſe componens, diſceſſit ab obſidione, & procedens inde Vallatam, quoddam Caſale Apuliæ vi cepit, & ſuis dedit in direptionem, & prædam. Tunc Petrus Cælani Comes de Marſia venit in terram Laboris. Marcualdus verò de Apulia per Capita-

niatum rediens in Comitatum Molisii, Iserniæ Civitatem, cum exercitum tenere non posset, bonis propriis spoliavit, & procedens versus Terram Laboris, & Teanum oppugnans, capere vi non potuit illam. Exinde Salernum se conferens, quæ tunc Comiti Diopuldo favebat, & inde parato navigio, in Siciliam transfretat, & Panormum properans, facta compositione cum Comite Gentili de Palear, quem Gualterius Regni Siciliæ Cancellarius custodem Regis, & palatii reliquerat, palatium Panormi recepit ad manus suas, & sic totam postea Siciliam suis nisus est viribus subjugare.

Roffridus Casinensis Abbas castrum Sancti Angeli recuperat contra ipsum Marcualdum, & in Regis tunc pupilli auxilium dictus Innocentius Papa quemdam dirigit Jacobum Andriæ postea Comitem consobrinum suum, cum militari exercitu, cum quo unum misit de Cardinalibus, quem ipsi consobrino suo, & toti exercitui præfecit, qui ipsum Marcualdum Campestri bello devicit, & fugavit . . . . . R. . . . . Cardinalem in Siciliam . . . . . .

Diopuldus comes cum aliquibus, cum quibus ipse remanserat Marcualdus, quibus adjuvantibus per Regnum mala innumera committebat, præstito apud Venafrum corporaliter Sacramento de non offendendo amplius terram Sancti Benedicti, propter quod homines Sancti Germani sibi non cavebant ab eo, ipse Diopuldus, cum perditorum numero nocturno tempore hostiliter terram Sancti Germani intravit nono die Martii, eamque dans in direptionem & prædam, miseros, quos invenit in ea homines, multis adjecit periculis, & tormentis, postque redimere se sunt coacti. Abbas verò qui erat in Civitate ipsa, fugit cum Gregorio fratre suo, ac in Atinum se recepit, & exinde se in Marsiam contulit, gentis auxilium à Cælani Comite petiturus. Qui cum illud dare denegaret eidem, ad Raynaldum Senebaldum fiducialiter ivit, qui totum argentum suum sibi liberaliter tradidit, cum quo aliquot retinuit servientes, & balistarios, cum quibus rediens per Montana, intravit nocturno tempore Monasterium, quo cognito Diopuldus, cum ipsum Abbatem cum magnis crederet viribus rediisse, metus causa, depopulatam linquens terram Sancti Germani exivit, & secum captivos quosdam de terra ipsa, ad Roccam Arcis deduxit.

Eodem anno dictus Abbas Roccam Teani super Sanctum Germanum firmavit, & providens indemnitati terræ ejusdem, eam per circuitum muris firmavit, & portis, & aggeribus communivit.

Diopuldus verò jam dictus mense Junii apud Venafrum cum Comite Cælani congreditur, eumque Campestri bello fugavit, cepitque tunc Berardum filium suum, quem apud Roccam Arcis captivum duxit.

M.CCI. Gualterius Brennensis comes in odium Theutonicorum in Regnum mittitur ab Innocentio Papa, qui apud Capuam congrediens cum ipso Diopuldo, vicit, & fugavit eumdem, decimo mensis Junii, & exinde Teanum veniens, una cum Raynaldo tunc Capuano Archiepiscopo, filio Cælani comitis. Præsentianum se contulit cum eodem, ubi occurrens ei præfatus Casinensis Abbas, procedentes, petierunt Venafrum, quam civitatem idem Diopuldus tenebat, ille prædictus Cælani comes timens cum ipso Brennensi comite confœderatus est, & tandem civitas ipsa, procurantibus ipso Casinense

Ab-

Abbate, & Malger Sorello in vigilia B. Joan. Baptistæ igne cremata est, Arce superiori se pro Diopuldo tenente. Exinde Aquinum se conferunt, ubi quidam erat in castello Castellanus nomine Leucus, qui se pro Diopuldo tenebat, qui captus in ipso castello est, & Aquini civitas reddita ad mandatum dicti comitis Gualterii, qui eam Domini Aquini, per quemdam Finagranum Domini Raynaldi de Aquino filium naturalem restituendam providit.

Eodem anno dictus Abbas Casinensis Castellum Novum, & Fractas recuperat.

M. CCII. Dictus comes Gualterius, cum jam dicto Casinensi Abbate in Apuliam vadit, qui Abbas una cum Petro Galloze Portuensi Episcopo, legationis officio fungebatur. Cumque ad dictum Comitem expugnandum memoratus Gualterius de Palear Cancellarius, cum comite Manerio fratre suo, Diopuldo, & Oddone de Laviano Comitibus, congregatis undique viribus, sub prætextu, quod ipsum comitem Regis hostem dicebat & Regni, cum ipso campestre bellum injerit apud Cannas. Dictus Cancellarius cum Diopuldo præfato per ipsum comitem sexto Octobris devicti sunt, & fugati, multis ex eis captis, & nonnullis gladio interemptis. Sunt etiam in prima qui steterant acie capti, Sifridus frater Diopuldi dictus Oddo de Laviano, & Petrus de Cælano, qui comes dicebatur Civitatensis, qui autem fuga media evaserunt, Cancellarius, & comes Manerius frater ejus, receperunt se in Salpitana civitate, quæ favebat eidem. Diopuldus verò in Rocha Sanctæ Agathæ se receptavit. Dictus Casinensis Abbas in Apulia, habita de Diopuldo victoria, legatus in Siciliam vadit, ubi dictus Marcualdus superveniente dyssenteria, miserabiliter expiravit: fames tunc valida per totum Regnum exorta est, Diopuldus sæpe fatus iratus à Finagrana, qui cum . . . . discordi à comite Gualterio recessit, cum gente sua properat super Sanctum Germanum, ubi idem Finagrana, & quidam ipsius Diopuldi Castellanus capti sunt, & gladio perempti.

M. CCIII. Diopuldus ipse à Castellano S. Agathæ est captus vi, postea liberatus.

Eo anno Franci cum Venetis componentes, civitatem Iadere . . .

Civitatem Iadere ipsis rebellem Venetis vi ceperunt, & bonis propriis spoliarunt, nobilissimam Constantinopolitanam urbem aggredientes viriliter, & potenter sicut Domino placuit, obtinuerunt, & potestati Romanæ Ecclesiæ, cui antea non intenderat, subjecerunt illam.

M. CCIV. Dictus comes Gualterius, cum comite Jacobo Tricaricensi, & comite Rogerio de Theate confœderatus, ipse tunc temporis Terracinam occupat, de Salerno verò ab ipso Diopuldo, & gente sua, & civibus Salerni, qui tenebat eandem, arctè satis obsessus est, & sagittæ ictu, altero oculorum privatus, & tandem ipsorum comitum auxilio liberatus est, ipso Diopuldo, & suis de Salerno satis ignominiose fugatis.

M. CCV. Dictus comes Gualterius cum ipsum Diopuldum durè satis, & dire prosequeretur, ipsum tenens in Sarno obsessum, dum sibi male ab hoste caveret, ipse Diopuldus in eum eum suis diluculo irruente, captus ab eo est, & custodiæ traditus carcerali, ubi modicum post diem clausit extremum. Tunc enim memoratus Cælani cumes,

comes, qui civitatem intraverat Alifæ, & castrum civitatis viriliter expugnabat, quod se ad opus Diopuldi tenebat, audito de captione comitis Gualterii combusta civitate Alifæ discessit. Dictus verò Diopuldus Salernum cum victoria rediens, quia turrim majorem ipse tenebat, multos de Salerno cepit, ut proditores punivit, ut voluit.

M. CC. VI. Innocentius Papa Romam vocat Diopuldum ad se, ipsumque, & suos à vinculo excommunicationis absolvit, & tunc cum ipsius licentia Salernum reversus est.

M. CC. VII. Hic parato Salerni navigio, in Siciliam transfretat, Panormum vadit, & tam palatium, quam Regem recipit Fridericum ad manus suas, sed arctatus, & obsessus in ipso palatio à Gualterio de Palear Cancellario, captus ab eo est, & tandem nocturno tempore fugæ præsidio liberatus, veniensque per mare Salernum, exinde in terram Laboris se confert, ubi cum Neapolitanis iniens pugnam, devicit, & fugavit eosdem, strage magna facta ex eis, & Guiffrido de Monte Fusculo, quem sibi Capitaneum præfecerant, capto, vinculis mancipato.

M. CC. VIII. Mense Januario in vigilia Epiphaniæ Roffridus Casinensis Abbas superius memoratus, congregatis militibus, & servientibus terræ suæ, & Baronum circumpositorum, qui sibi ex gratia libenter obsequebantur, una cum Dominis Aquini, & Malger Sorello, civitatem Soræ, precantibus hoc quibusdam ipsius Abbatis consanguineis, qui de Sora erant nocturno tempore intrat, eamque ad opus recipit, & fidelitatem Innocentii Papæ, qui in succursum Abbatis ipsius, mittit Stephanum de Fossa nova Camerarium suum cum exfortio militum Campanorum, qui Conradum tunc Soræ comitem se in Sorella recipientem, arctat, & obsidet, & male sibi caventem intus Sorellam cepit, qui pro sua redemptione Roccam Arcis in manus dicti Camerarii resignavit. Tunc etiam Broccum, & Pescium Solidum amisit.

Eo anno Innocentius Papa in vigilia S. Joannis Baptistæ mense Junio, venit ad Sanctum Germanum, ubi ab ipso Abbate Roffrido magnifice receptus est tam ipse, quam fratres sui Domini Cardinales in necessariis omnibus honorifice procurati.

Tunc venientes ad ipsum Petrus de Cælano, & Richardus Fundanus comites cum eis de succursu Regis Fridecici statuit, & de defensione Regni, in hunc modum, videlicet ut ipsi comites sint Magistri Capitanei, quibus super iis omnes intendant à Salerno usque Ceperanum, sicut à mari usque ad mare protenditur tractus terræ, salvo statuto Regio, quo Cælanus comes, est Magister Justitiarius Apuliæ, ac terræ Laboris, & salvo mandato regio, quod factum est comiti Fundano de Civitate Neapolitana, ut sit specialis rector ipsius intelligentes hoc quantum ad propria negotia Civitatis; sed quantum ad succursum Regis, & ad defensionem, & ad pacem Regni, omnes communiter intendent his duobus. Quicumque ordinationem istam receperint ad invicem sibi pacem observent, & si quisquam ab aliquo fuerit offensus, non statim reoffendat eumdem, sed apud prædictos comites querelam deponat, qui eam secundum rationem, ac Regni consuetudinem faciant emendari. Qui autem ordinationem istam recipere noluerint, vel recusaverint, tamquam hostes publici habeantur, & à cæteris impugnentur. Ducenti milites dirigantur in succur-

sum

sum Regis usque ad Kalendas Septembris, moraturi per annum sub illorum expensis, à quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundum æstimatorum arbitrium, quos ad hoc specialiter deputabimus, pensatis debitis servitiis, & facultatibus Comitum, & Baronum, ac etiam civitatum. Quia verò propter æstatis fervorem descendere in Apuliam personaliter non potuimus, statutum istud mandabimus exequendum per legatum nostrum, qui est in Apulia, per Comitem Jacobum consobrinum, & Marescalcum nostrum, & per alium, quem à nostro latere dirigemus. In omnibus autem reservamus nobis plenam potestatem addendi, minuendi, mutandi, & declarandi, prout viderimus expedire.

Tunc eidem Papæ philippus Rex Alemanniæ patruus dicti Regis à suis nunciatur occisus.

Tun etiam rogato Petri cognomine Contis Decani Casinensis, ipse Papa apud Sanctum Petrum Monasterii, in Capella Sancti Nicolai, Aram quadam in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ consecravit.

Dictus Papa relicta sub deposito parte Thesauri sui non modica in Monasterio dictis Comitibus in sua cum ipsius licentia redeuntibus, ipse de Sancto Germano discessit, & per Atinum iter faciens, quem dictus Abbas Roffridus tenebat Soram se contulit, indeque in Campaniam reversus est.

Eo anno Comes Fundanus supra memoratus auctoritate fretus, & vi Comitis Diopuldi, Capuam recipit, à Capuanis vocatus, in odium dicti Cælani Comitis, cujus filius Raynaldus ipsius civitatis Archiepiscopus erat.

M. CC. IX. Fridericus Rex Siciliæ uxorem duxit Constantiam sororem Regis Aragonum. Dictus Cælani Comes castellum Capuæ recipit à Leone de Andria Castellano, hoc filio ipsius dicto Archiepiscopo procurante, & dictus Fundanus comes, qui Castellum ipsum tenebat obsessum, metus causa Capuam exiit.

Otho Dux Saxoniæ ab Innocentio Papa vocatus apud Sanctum Petrum, in Romanum Imperatorem coronatur, non sine strage magna suorum, qui præstito juramento de conservando Regalibus S. Petri, & de non offendendo Regem Siciliæ Fridericum in Marchiam secedens, & in parte Tusciæ, ibi per annum continuum moram fecit.

Hoc anno mense Maji, penultimo mensis ejusdem, dictus Roffridus Casinensis Abbas apud S. Germanum objit, cui Petrus dictus Conte, qui antea functus fuerat officio decanatus, electus à fratribus in Nativitate S. Joannis Baptistæ, & à Papa Innocentio approbatus, in regimine Monasterii successit eidem. Huic Rocca Bantre, quæ usque tunc Monasterio suberat Casinensi, rebellavit. Cui quemdam præfecerat Monachum nepotem suum, nomine Seniorettum, qui sibi ab hominibus Roccæ ipsius non præcavens, cum de Rocca ipsa fecisset ad villam descensum, hoc ipsis de villa proditorie procurantibus, cum redire in Roccam vellet, non est amodo eam intrare permissus.

M. CC. X. Otho dictus Imperator suadente sibi Diopuldo, & Petro Cælanensi comite, qui cum ipso Diopuldo contraxerat, quorum alter Capuam alter verò sibi Salernum tradidit, spreto juramento, quod Romanæ Ecclesiæ fecerat, Regnum intrat per Reatinas partes, sub illorum Ducatu, qui fidelitatem ei præstiterant, per Marsiam, & exinde per Cominum venit, ad quem dictus Casinensis Abbas, cui

erat

erat de terra, & populo, cum ad ingressum ipsius Othonis essent omnes exterriti, ita quod in Sancto Germano pauci admodum remanserint qui ad loca tutiora sua supellectilia non tulissent, suos pro pace legatos misit, & ipse etiam exivit in occursum ejus contra fratrum omnium voluntatem. A quo satis benigne receptus, terram Monasterii servavit indemnem.

Tunc idem Otho se Capuam confert, ubi receptis à Diopuldo certis munitionibus, quas habebat in Regno, Ducem Spoleti efficit illum.

Hic cum gente ipsius Othonis ivit ad debellandum civitatem Aquini, in qua Landulfus, Thomas, Pandulfus, & Robertus Domini Aquini, qui Regis fidem servabant, se receperant, cum gente sua, & cum non prævaleret in eam viribus resistentibus prædictorum, confusus, & non sine damno recessit.

Civitas Neapolis in odium Aversæ ipsi Othoni se reddidit. Quia ad instinctum Neapolitanorum Aversam obsidet, quæ facta cum eo compositione remansit indemnis.

Dictus Otho Apuliæ fines ingreditur, certis sibi colla flectentibus tum voluntariè, tum causa metus.

Innocentius Papa illum excommunicat, & Ecclesiam Capuanam sub interdicto ponit, pro eo quod celebrari ausi sunt ipso præsente. Excommunicat etiam omnes fautores illius, in octavis B. Martini excommunicat etiam omnes fautores illius.

M. CC. XI. Petrus Casinensis Abbas mense Januario, quinto videlicet Kalend Februarii in Monasterio obiit.

Innocentius Papa in die Sancto Jovis excommunicationem latam in Othonem, ac ejus sequaces confirmat.

Hoc anno Adenulfus cognomine Casertanus in Abbatem Casinensem eligitur.

Dictus Otho cum totam fere sibi Apuliam subjugasset, audito quod quidam Alemanniæ Principes sibi rebellaverant, mandato Apostolico, Regnum festinus egreditur mense Novemb. & mense Martio in Alemanniam remeavit.

Eodem mense Martio Fridericus Rex Siciliæ ab Innocentio Papa vocatus, navigio vectus à Gajetanis, relictis Panormi uxore, & filio, Gajetam venit. Ad quem dictus Richardus de Aquila Fundanus comes, & præfati Domini de Aquino vadunt. Tunc Rex ipse ad petitionem hominum Rocchæ Bantræ, qui accesserunt ad eum, Castellanum mittit Joannem Russum civem Gajetanum militem suum, & à Gajeta descendens per mare ad urbem vadit, ubi à Papa Innocentio, & cæteris Cardinalibus, Senatu, populoque Romano, ingenti cum honore receptus est, ad quem missus ex parte Conventus Stephanus cognomento de Marsia, tunc Camerario Casinensis, mandato Papæ Innocentii litteras, & mandatum impetravit à Rege ad Castellanum Rocchæ prædictæ, ut eam restitueret Monasterio Casinensi, & post dies paucos ab Urbe discedens cum licentia Papæ, ac Cardinalium se navigio recipit, & Genuam feliciter applicans, inde per Cremonam, & Veronam, invitis Mediolanensibus, qui ejus impedire transitum crediderunt, transalpinavit cum paucis. Hunc dicti Othonis æmuli benigne recipientes, gressus, & iter ejus contra eum in viam rectam, & non in invium direxerunt. Qualiter igitur Rex ipse in Imperii acquisitione profecerit, qualiterve obtinuerit contra eum-

eumdem Othonem, locis relinquo propriis aptius referendum.

M.CC.XII. Mense Junii Innocentius Papa Urbem exiens venit Signiam, ubi per æstatem moram faciens, mense Septembri remeavit ad Urbem.

Petrus Cælani comes languore correptus obijt. Hoc anno Christiani Principes, videlicet, Rex Castellæ, Rex Navarræ, & Rex Aragonum cum Miramomelino Saracenorum Principe prælium ineuntes, Dei favente virtute, victoriam contra eum obtinuerunt. Quod ad omnium Orientalium gaudium, & exultationem, idem Rex Castellæ de tanta Christianis Principibus cælitus concessa victoria, dicto Innocentio Papæ litteras mittit. Mittit etiam de acceptis Saracenorum spoliis eidem honorabilia xenia, tentorium videlicet totum sericum, & vexillum auro contextum. Quod in Principis Apostolorum Basilica, in laudem nominis Christi appensum est.

Mense Madio Adenulfus Casinensis electus, Rocchæ Bantræ, occasione mandati Regii, cum parere noluit Castellanus, arctat, & obsidet, sed cum Roccham ipsam obtinere non posset, data quadam nepte sua in conjugem filio ipsius Castellani cum certa pecuniæ quantitate, recuperavit Roccham ipsam Monasterio Casinensi.

Innocentius Papa per generales, quas ad orbis Prælatos dirigit litteras, sanctam Synodum ad urbem vocat mense Junio Signiam, ubi propter urgentem necessitatem dictum Adenulphum Casertanum Casinensem electum, in Casinensem Abbatem promovit. Fredericus Rex auxilio Principum, totam Alemanniæ planitiem obtinuit, solis ipsi Othoni munitionibus remanentibus.

Hoc anno fames in Apulia exorta est.

M.CC.XIII. Mense Junii Innocentius Papa urbem exiens mense Junio ivit Viterbium ubi per generales, quas ubique terrarum dirigit litteras, omne Christi fideles ad Terræ Sanctæ subsidium exhortatur, per quas etiam excommunicationis vinculo innodat corsarios, & piratas, qui capiunt transeuntes, sicque subsidium impediunt terræ eidem, & qui scienter communicant cum ipsis in aliquo venditionis, vel emptionis contractu. Innovat præterea excommunicationem latam adversus eos, qui Saracenis arma, ferrum, lignamina deferunt Galearum, quinque cum piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, præcipiens hujusmodi sententiam per omnes urbes maritimas publicari diebus Dominicis, & festivis.

Hoc anno dictus Otho cum Rege Franciæ bellum committens ab ipso Rege devictus est, & fugatus.

M.CC.XIV. Innocentius Papa has mittit litteras ad Soldanum.

Innocentius, &c. Nobili viro Sephadino Soldano Damasci, & Babyloniæ timorem Trini nominis, & amorem. Daniele Propheta testante didicimus, quod est Deus in Cęlo, qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert Regna, ut universi cognoscant, quod Dominus excelsus dominatur in Regno hominis, & cui voluerit dabit illud. Hoc autem evidenter ostendit, quando Jerusalem, & fines ejus tradi permisit in manus fratris tui, non tam propter ejus virtutem, quam propter offensam Populi Christiani, Deum ipsum ad iracundiam provocantis, qui secundnm Prophetas, cum irascitur, non obliviscitur misereri, unde illum imitari volentes, qui de se ipso ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, magnitudinem tuam humili-

ter obsecramus, quatenus ne propter violentam detentionem præfatæ terræ plus adhuc effundatur humani sanguinis, quam hactenus est effusus restituas eam nobis, usus consilio saniori, de qua forte detentione plus tibi difficultatis, quam utilitatis accrescit, & dimissis utrinque captivis, quiescamus à mutuis impugnationum offensis, ita quod apud te non sit deterior conditio gentis nostræ, quam apud nos est conditio gentis tuæ. Latores præsentium ad tuam præsentiam destinatos, rogamus benigne recipias, dignum eis responsum tribuens cum effectu. Datum Laterani 6. Kalend. Maji Pontificatus nostri anno 16.

Item scire volens ipse Papa terras, mores, & vires Agarenorum, contra quos de ipsius mandato Christianorum exercitus parabatur, scripsit Patriarchæ Jerosolymitano, Magistris domorum Hospitalis, & Templi, ut super his eum per suas redderent litteras certiorem, qui per quasdam naves Venetum inde huc trasmeantes, tam detentores, quam terras, & mores eorum exposuerunt ei certissime in hunc modum.

Saladinus, & Sephadinus duo fratres fuerunt. Mortuo Saladino, qui habuit 11. filios, regnavit Sephadinus, occidit omnes nepotes suos, præter unum, qui vocatur Melchisedech, qui tenet terram istam cum omnibus civitatibus, castris, & villis, & aliis munitionibus quæ sunt plus de ducentis. Sephadinus verò habuit filios 15. de quibus hereditaverunt septem, scilicet, Melkekeme, qui primus est, & major natu omnibus. Hic tenet Alexandriam, & Babyloniam, Cairum, & totam terram Ægypti in meridie, ac Septentrione, qui post mortem patris sui Sephadani de generali constitutione patris, & fratrum, debet esse Dominus omnium, & totius terræ. Secundus filius est nomine Coradinus, qui habet Damascum, sanctam Jerusalem, & totam terram, quæ fuit Christianorum, præter modicam, quam adhuc tenent Christiani, qui sunt inter civitates, munitiones, & castra plus de trecentis. Tertius filius est nomine Melkafais, idest Grandis, qui tenet terram, quæ dicitur de Jamella cum tota alia Provincia, quæ sunt inter munitiones, villas, & castra plus de quadrigentis. Quartus filius est nomine Melkemodam, idest magnus Dominus, qui tenet Regnum Doasiæ cum omni potentatu suo, quæ sunt plus de quadringentis inter civitates, munitiones, & castra. Quintus filius est nomine Melkisalaphat, qui regnat, & tenet terram de Sarco, ubi fuit occisus Abel à Caim fratre suo, in quo Regno sunt octingentæ inter civitates, munitiones, & castra plana. Sextus filius est Machomettus, qui tenet Regnum de Baldach, ubi est Papa Saracenorum Caliphius, qui colitur, timetur, & adoratur, tamquam Romanus Pontifex in lege eorum, qui non potest videri, nisi bis in mense, quando cum suis vadit ad Machometh Deum Saracenorum, & inclinato capite, & oratione facta suo more Saracenico, antequam templum exeant, splendide comedunt, bibunt, & sic coronatus, revertitur in domum suam cum gente sua. Iste Deus Machometh visitatur quotidie, & adoratur, sicut visitatur, & adoratur Dominus Crucifixus à populo Christiano. In ista civitate Baldach est Papa Caliphus. Civitas ista caput est totius legis Agarenorum. Septimus filius est nomine Salaphat. Hic non habet specialem terram, sed semper est cum patre suo Sephedino. Iste portat vexillum coram Patre suo, quan-

quando equitat. Cui unusquisque fratrum singulis annis pro certo censu dignitatis suæ trasmittit mille Saracenatos, & duos dextrarios bene paratos. Sephedinus quando equitat terram, ac visitat filios suos præfatos, incendit velato capite de uno examito rubeo. Cui omnes filii inclinant quater ad terram, & exeunt ei obviam per sex milliaria, ac osculato pede cum ipse sit super equum, recipit eos ad osculum, & ad manum. Qui eum unoquoque moratur per triduum, semel in anno, & sic à primu usque ad septimum filios visitat memoratos, & quolibet anno pro certo tributo mittit in fisco Patris 20. millia Saracenatos, & sic à primo usque ad septimum dat unicuique filiorum unum de Anulis suis, in quo Imago sua sculpitur.

Volunt isti libenter reddere in manus Domini Papæ terram Sanctam, quam tenent ad opus Christianorum, ut certi sint, & securi de alia terra à Populo Christiano, singulis annis volunt esse sub certo tributo Patriarchæ Jerosolymitano & dabunt inde cautelam Romanæ Ecclesiæ, de non impedienda amplius Terra Sancta, quam Dominus noster Jesus Christus suis pedibus ambulavit.

Prædictus verò Sephedinus de more prędecessorum suorum faciem suam non ostendit omnibus, nisi decies in anno, quando Nuncios recipit Pisanorum, Januensium, Venetum, Civitatum, Regum, vel Principum Christianorum, astantibus centum armatis. Primo die recipit ipsos in prima Sala de Cairo, ubi semper est status ejus. Tunc recipit litteras à Nunciis, sed non audit eos; in secunda die audit eos in secunda Sala astantibus ducentis Turchis suis bene armatis. In tertio quidem die Turcimanum suum videlicet interpretem dat eisdem responsum, secundum quod est modus in causa. Qui post tertium diem non habent amplius ad illum accessum.

Habet Sephedinus uxores 15. in lege sua, quæ sunt in uno Palatio insimul dormiunt, comedunt, & bibunt. Si aliqua earum habet ex eo filium, Sephedinus vadit ad eam quando vult, & dormit cum ea videntibus aliis. Illam verò quæ non habet ex eo filium, ad se quando vult per Eunuchos suos vocari facit in vesperis, & detinet eam per noctem, & diem, & sic facit de singulis. Quando aliqua istarum moritur, inducit aliam inter alias.

In secretiori Camera ubi ludit, & dormit, nullus habet accessum, nisi unus tantum senex, in cujus Cameræ ostio semper existunt armati quinquaginta.

Quinquagenarius est Sephedinus, potens multum in armis, ac gente, eloquens valde in lingua sua, qui præcellit hodie omnes, qui vivunt Paganos, excepto Maximuco, in auro. Tam enim munivit totam terram suam, & filiorum, & exercitus congregat infinitos. Sed in omnibus ipse cum filiis in prædictum modum cum Romana Ecclesia vult componere pacem.

Octo alii filii Sephedini de Patris constitutione sic vivunt. Duo ex ipsis custodiunt Sepulcrum Domini, ad quos quidquid datur provenit, & dividunt inter se. Quatuor alii habent redditus de Calice fluvio, qui irrigat totam terram Ægypti. Et istis quatuor melius valent isti redditus de viginti millibus Saracenatis. Duo alii fratres minores sunt quotidie in conspectu Dei sui Machometh, pro castitate, quem habent, & totum quod datur ad pedes ejus, est de ipsis minoribus fratribus. Hæc sanctissime pater, ita esse in veritate sciatis.

Hoc anno Rogerius de Aquila Fundanus comes cepit castrum Motule, & illud bonis omnibus spoliavit.

M.CC.XV. Innocentius Papa Urbem exiens, venit Ferentinum in Campania, ad quem Rogerius de Aquila Fundanus comes accedens, Regi Friderico fidelitatis præstitit juramentum.

Idem Papa mense Augusto inquisitionem de persona Abbatis Casinensis Adenulfi præfati fieri mandat per Nicolaum Capellanum suum, qui in Tusculanum est assumptus, & per Magistrum Rainerium tunc Notarium, qui in Cardinalem postea est promotus. Qui de statu Monasterii, & de persona dicti Abbatis, per Monachos sub juramento veritatem certius inquirentes, & quæ didicerunt, redigentes in scriptis, ipsi Summo Pontifici retulerunt. Illis autem abeuntibus, idem Abbas pravo usus consilio, Monasterium munire curavit militibus, & servientibus, suis consanguineis, & propinquis. Similiter & Roccam Fanulæ, Atinum, Roccam Bantræ, & castrum Fractarum, qui tandem à Papa vocatus apud Anagniam vadit ad ipsum. Qui præstito Sacramento quod Monasterium decastellaret, & Roccas prædictas easque in manus eorum traderet, quibus ipse mandabat, correptus ab eo dimissus est, & rediens ad Monasterium, illud tantum decastellavit, reliquis sibi Castellis retentis, & propterea vocatus à Papa, iterum inconsulte vadit ad ipsum. A quo redargutus de fide mentita, cum in eum publice vellet ferre depositionis sententiam, persuadentibus sibi nonnullis renunciavit, & cessit invitus. Quem ipse Papa apud Sarianum mandat custodiri, donec Roccas prædictas resignari faciat ad mandatum suum. Hoc itaque cum innotesceret in terra Monasterii Miraddo nepos dicti Abbatis consulens vitæ suæ, cum esset in Sancto Germano, & multas nonnullis intulisset offensas nocte fugiens, relictis uxore & filiis in Rocca Bantræ, in qua quidam erat Monachus consobrinus suus, se recepit, cum quo postmodum facti Ecclesiæ rebelles, terram ipsius hostiliter infestabant. Interea jussu Apostolico de substitutione Abbatis tractatur in Monasterio, sed quia non poterant conventus in unius electione inveniri concordes, hoc ipsi Papæ per octo de fratribus, quos ad ipsum mittunt, denunciant. Inter quos cum unus esset eorum notus Pontifici Stephanus cognomento de Marsia, cujus superius feci memoriam, illum, postquam per eos sibi constitit de electione divisa, de gratia prout placuit in Abbatem concessit eisdem. Hic ad Monasterium rediens à fratribus, & populo cum honore receptus est.

Eo anno Rex Fridericus in rependium collati sibi cælitus beneficii de victoria adversus Othonem dictum Imperatorem apud Aquisgranum, sponte se crucis charactere insignivit.

Dictus Papa Romæ apud Lateranum in Ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, Sanctam Synodum celebravit, in qua cum fuerint patres circiter quadringenti, de reformatione Ecclesiæ in suo sermone proposuit, & liberatione potissimum Terræ Sanctæ. Interfuerunt autem Regum, & Principum totius orbis Nuncii, legatus quoque Regis Friderici Panormitanus Archiepiscopus Berardus nomine, & Mediolanensis quidam pro parte Othonis ad mandatum Ecclesiæ redire volentis. Sed Marchio Montis Ferrati, qui erat pro parte Regis ipsius adversarium se opponens, quod pro Othone ipso non deberent audiri, sex in medium capitula protulit. Primum,

quia

quia juramentum, quod Romanæ Ecclesiæ fecerat, non servavit, ut debuit. Secundum quia propter quæ fuit excommunicatus, adhuc detinet, nec reddidit, ut juravit. Tertium, quia Episcopum quemdam excommunicatum tanquam ipsius fautorem nititur consovere. Quartum, quia legatum Episcopum alium capere, & in majoris iniquitatis cumulum incarcerare præsumpsit. Quintum, quia in contemptum Romanæ Ecclesiæ Regem Fridericum, Regem appellavit Presbyterorum. Sextum, quia quoddam Monialium Monasterium destruxit, & erexit in Arcem. Adjecit etiam, quod cum ipsi Mediolanenses simili essent excommunicatione notati, tanquam ipsius Othonis complices, & fauthores, & quia eorum civitas Paterenos fovebat, nulla prorsus debebant ratione audiri. Quod cum moleste satis ferrent Mediolanenses ipsi, & vellent Marchioni ipsi in contrarium respondere, quia pars utraque in contumelias prorumpebat, de folio suo Dominus Papa exurgens manu innuit, & egredientibus cæteris, ipse Ecclesia est egressus. Sedit autem usque tertio Idus Dominus Papa, à festo Beati Martini, usque ad festum Sancti Andreæ, & tunc electionem factam per Principes de Rege Friderico in Imperatorem Romanum, approbans confirmavit, & in Sancta Synodo lxx. capitula promulgavit: damnavit librum Joachimi Florensis Abbatis, quem contra Magistrum Petrum Lombardum ediderat, de unitate, & essentia Trinitatis.

M.CC.XVI. Stephanus Casinensis Abbas, facta compositione cum Miraddo recipit Roccam Bantræ. Adenulphus quondam Abbas à Papa dimittitur, cui ab ipso conceditur Ecclesia S. Benedicti in Capua, & de gratia Ecclesia S. Angeli in Formis additur illi.

Hoc anno dictus Stephanus Casinensis Abbas Romæ apud Lateranum in Sacerdotem per manus Ostiensis Episcopi promovetur.

Diopuldus de Ducatu Spoleti in Regnum occulte rediens super asinum sedens proditus, & cognitus apud tyberim captus est, & Senatori Urbis in custodiam traditus, & tandem interventu pecuniæ liberatus.

Henricus Regis Friderici filius vocatus à patre Gajetam, Panormo navigio veniens, in Alemanniam vadit. Mense Junio Innocentius Papa Urbem exiens, Perusium vadit, ubi mense Julio xvii. Kalen. Augusti languore correptus feliciter expiravit, cujus obitum quidam metrice sic deflevit.

Nox accede, quia cessit sol, lugeat orbis,
In medio lucis lumen obisse suum.
Lumen obit mundi, quia decessit Pater Innocentius. Iste Pater Urbis, & orbis erat.
Nomen utrumque tenens vestrum notat hoc, quod habebat,
Quid mundo posset reddere, quidue Deo.
Si speciem, si mentis opes, si munera linguæ
Attendas, cedet lingua, cadetque stylus.

Hic honore debito apud Perusium tumulatus est, & Centius Sanctorum Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis in Papam Honorium substitutus est illi. Qui de tanti Patris obitu, & sua promotione ubique terrarum litteras dirigit generales. Hic mense Septembri de Perusio ad Urbem redit, ubi cum multo honore à Romanis omnibus receptus est.

Hoc

Hoc anno fertilitas magna fuit.

Filius Regis Franciæ cum exercitu suo intravit Angliam, & ex ea non modicam partem obtinuit, propter quod per totam Angliam excommunicatus est, Papa mandante.

Rex Angliæ obiit, & filius ejus coronatur in Regem.

M.CC.XVII. Petrus Altisiodorensis comes in Constantinopolitanum Imperatorem electus est, Romam veniens cum consorte sua, ab Honorio Papa apud Sanctum Laurentium extra muros Urbis, in Imperatorem, & Imperatricem coronantur. Qui Regnum intrantes, & se Brundusium conferentes cum honesto militari exercitu, ibi Dominum Joannem de Columna Cardinalem in Constantinopolim legatum venturum expectant, cum quo infausto satis omine navigio transfretantes, ad Portum Durachii pervenerunt. Qui pravo ducti consilio, Imperatrice eos per mare præeunte ad civitatem Bizanceam, obsidere, & expugnare præviderunt, Durachium, & cum viris non proficerent, aut viribus suis, ob obsidione civitatis ipsius digressi sunt. Qui errantes per devia, & condensa sylvarum à Græcis intercepti sunt, de quibus nonnulli in ore gladii perierunt, nonnulli verò capti sunt, & carcerali squalore, una cum ipso Imperatore consumpti. Ipse etiam Cardinalis captus est, & detentus.

Hoc anno navalis Frisonum exercitus Gajetam veniens, Hierosolymam vadit in subsidium Terræ Sanctæ. Januensium quoque, Venetum, Pisanorum, & aliorum de diversis mundi partibus signatorum apud Accon multitudo convenit. Qui cum Rege, Patriarcha Hierosolymitano, Magistris domuum Hospitalis, & Templi consilium ineuntes, cum Hierusalem propter aquarum defectum commode adire non possent, versus Damiatam Saracenorum civitatem nobilem, & munitam suarum navium carbasa direxerunt, quo prospere applicantes, eo favente, qui mari, & ventis imperat, cum fluvius ingens, & turris in eo præcelsa constructa transitum ad civitatem penitus prohiberent, coacti sunt sua figere Tentoria circa litus. Quod illi de Damiata videntes, suos mox Nuncios dirigunt al Soldanum, per quos se à Christianis obsessos significant, & petunt ut in suum ad eos veniat succursum. Qui statim collectis undique viribus Damiatam se contulit sine mora quam viris munivit, & viribus, necnon & turrim prædictam, & ne Christiani possent in partem alteram navigio transmeare, secus amnis ripam acies Balistariorum, & Arcariorum innumeras ordinavit. Tunc Chistiani de Regis, & aliorum consilio, & consensu, qui præerant exercitui, ut liberior eis pateret ad civitatem accessus, expugnare turrim primitur præviderunt, & pretio à Frisonibus una conducta Cochone, quam propter ignem, quem illi, qui erant in turri, sæpius jaciebant, coriis morticinis, & aliis necessariis undique munierunt, viros audaces, & bellicos, qui per scalam ligneam satis artificiose compositam deberent conscendere turrim ipsam, ordinarunt, & posuerunt in ea. Quam cum per fluvium ducerent, aliquo non obstante, hinc Saracenis, hinc Christianis alta voce clamantibus, seque vicissim ferientibus jaculis, & sagittis, volentes, qui erant in Cochone scalam in turris ponere summitate, & per illam conscendere, prout fuerat ordinatum, dum niterentur in ascendendo viri cordati alter alterum prevenire, mox in partes scala confracta loricati milites, proh dolor, ceciderunt, quorum haud dubium est in

cælum

cælum animæ avolarunt,& nostri tunc imperfecto negotio tristes sunt, lætantibus e contrario Saracenis, ad castra reversi, nec inde destiterunt à cœptis, quinimmo ad capiendam turrim ipsam vehementius animantur, ad quam cum per aquas accederent navibus, & scalarum ingeniis geminatis, & per terram darent ut poterant frequentes insultus, divina dextera faciente, mense Augusto in festo Beati Bartholomæi Apostoli turrem ipsam obtinuerunt, & qui in ea inventi sunt, gladiis occubuere nostrorum, quibusdam nobilioribus reservatis ad vitam, quos Rex Hierosolymitanus vinctos Accon dirigit in victoriæ signum.

M.CC.XVIII. Hoc anno mense Martio Dominus Joann. de Columna dudum apud Durachium captus ad preces Papæ liberatur à vinculis, & legatus Constantinopolim vadit.

Otho dictus Imperator apud Brunsuich naturali morte defungitur.

Pelagius Albanensis Episcopus à Brundusio, cum Jacobo comite Andriæ Romani exercitus Principe in Syriam transfretat. Et tunc nonnulli crucesignati de terra Sancti Benedicti, & aliarum partium à Gajeta navigio Hierosolymam petunt & prospere pervenientes Accon, audito de captione turris vadunt sine moræ periculo Damiatam.

Diopuldus præfatus de mandato Regis Friderici in Romanum Imperatorem electi à comite Jacobo de Sancto Severino genere suo capitur.

Constantia uxor dicti Regis in Rumanum Imperatorem electi vocata à viro suo in Alemanniam vadit ad ipsum.

Hoc anno Honorius Papa mense Junio Urbem exiens ivit Rheate, ibique moram faciens usque ad mensem Octobrem, inde ivit Viterbium, & tandem Romam reversus est, sed cum propter Romanorum molestias esse Romæ non posset, coactus est Viterbium remeare.

Christi exercitus fluvium transmeat Damiatæ, & posita civitati obsidione cum Soldanus fugiens metus causa, relictis tentorijs in partem alteram secessit, post strages plurimas, post sumptus multiplices, post labores, & damna innumera mense Novembri in vigilia Beati Confessoris Leonardi obtinuit, tandem faciente Domino Damiatam hoc ipso Albanensi Episcopo procurante. Civitas autem ipsa auro, lapidibus pretiosis, pannis sericis, rebusque opimis plena inventa est, de quibus ditatus Christi exercitus est, & Ægyptii spoliati. De Saracenis verò tanta facta est strages, quod Christianis ipsis displicuit. Tunc Soldanus ipse furore accensus, murus Terræ Sanctæ Hierusalem sterni ad solum fecit, & à Saracenis incolis deseri, paucis in ea Christicoli remanentibus. Interim Christiani civitatem Damiatæ tenent, & possident, & ab omni spurcitia Paganorum mundantes eandem, construunt in ea Ecclesias ad laudem, & gloriam nominis Jesu Christi. Soldanus verò animo, viribusque resumptis Christianos non cessat usque ad aggeres quotidie impugnare, nostris tamen se viriliter tuentibus, & tenentibus contra illos.

Honorius Papa mense Junio à Viterbio ad Urbem veterem vadit, & circa finem Septembris Viterbium rediens, exinde Romam reversus est.

Fridericus Rex vocatus à Papa, venit cum consorte sua Constantia

tia ad coronam, relicto in Alemannia Henrico filio suo; & ambo in Principis Apostolorum Basilica mense Novembri in festo Beatæ Cæciliæ magnifice satis, cum omnium Romanorum gratia, & honore sunt Imperii Diademate insigniti. Quorum coronationi dictus Stephanus Casinensis Abbas, necnon comes Rogerius de Aquila, comes Jacobus de Sancto Severino, comes Richardus de Cælano, & nonnulli de Regno Barones interfuerunt, occurrentes ipsi Imperatori, ut ipsius sibi gratiam compararent, eidemque dederunt liberaliter dextrarios, quos habebant, quos redeuntibus in Alemanniam Theutonicis, ipse largitus est Imperator.

Tunc etiam Thomas Molisii comes ad ipsum Imperatorem pro illius gratia obtinenda misit filium suum, sed cum obtinere eam non posset, contra ipsum Imperatorem se in Roccam recipit Magenul, Comitissa uxore sua in Rocca Bojani constituta, & relicta cum suis.

Tunc ipse Imperator per manus Ostiensis Episcopi, qui postmodum in Papam Gregorium est promotus, resumpsit Crucem, votum publice innovavit, multosque, qui intererant nobiles, idem facere animavit. Tunc etiam dictus Abbas Stephanus ad petitionem Imp. sibi Roccam Bantræ mandat restitui, & Atinum, quæ usque tunc ex concessione Imperatoris Henrici patris tenuerat Ecclesia Casinensis.

Imperator ipse Romæ in sua coronatione quasdam edidit sanctiones pro libertate Ecclesiarum, & Clericorum, confusione Patrenorum, testamenti Peregrinorum, & securitate Agricultorum, & tunc, Romanos fines deserens, & per Campaniam iter habens, venit in Regnum, & apud Sanctum Germanum magnifice à prædicto Abbate receptus, mensam Campsorum, & jus sanguinis, quod usque tunc habuerat concessione Imperatoris Henrici in Ecclesia Casinensi recipit ab eodem. Suessam, Theanum, & Roccam Draconis in demanium revocat, quas dictus comes Rogerius de Aquila tunc tenebat, & se recto tramite Capuam conferens, & regens ibi curiam generalem pro bono statu Regni suas ascisias promulgavit, quæ sub viginti capitulis continentur.

M. CC. XXI. Tunc Imperatrix Suessam vadit.

Sora, quam comes Richardus frater olim Innocentii Papæ tenebat, ipsi Imperatori se reddidit.

Rogerius de Aquila comes mandato Imperatoris Roccam Arcis arctat, & obsidet, quam Stephanus Cardinalis Sancti Adriani, qui eam tenebat, & ipsi Imperatori resignati mandavit.

Tunc Diopuldus, quem comes Jacobus de Sancto Severino Imperatori tradidit, olim de mandato ipsius captus, ad preces Theutonicorum dimissus est liber, datis tamen à Sifrido fratre suo, & resignatis Imperatori Alifia, & Cajatia, quas tenebat.

Tunc etiam Thomas de Aquino factus Acerrar. comes Magnus Justitiarius factus est Aquilæ, & Terræ Laboris.

Bojanum Imperatori se reddidit, ubi cum Barones comitatus, qui Imperatori manum dederant contra Thomam Cælani, & Molisii comitem convenissent, comes super eos ipse irruens, in fugam vertit eosdem. Bojanum combussit, & de illius Victualibus Roccam Bojani munivit, uxorem suam Comitissam secum ducens ad Roccam Magenul.

Dictus Acerrar. Comes cum imperiali exercitu Roccam Bojani adiens,

adiens, illam arctat, & obsidet. Qui eam per compositionem obtinens pro ipso Imperatore dictæ Roccæ Magenul, in qua dictus comes Thomas se receperat, obsidionem parat.

Illis diebus Rocca Janulæ super Sanctum Germanum de novo firmata diruitur, juxta editam Capuæ constitutionem de novis ædificiis diruendis.

Cælanum Imperatori se reddidit, quibusdam in turri Cælani, & in Obinulo se ad fidelitatem comitis Molisii recepientibus, propter quod Cælanenses Imperatoris gentem in suum succursum vocant, cum qua turrim ipsam aggredientes viriliter, vi eam capere nequiverunt.

Imperator cæteris de Regno sibi colla flectentibus, per Apuliam, & Calabriam iter habens, feliciter in Siciliam transfretat, & Messanæ regens curiam generalem, quasdam ibi statuit assisias observandas, contra lusores taxillorum, & alearum, nomen Domini blasphemantes, contra Judæos, ut in differentia vestium, & gestorum à Christianis discernantur, contra meretrices, ut cum honestis mulieribus ad Balnea non accedant, & ut earum habitatio non sit intra mœnia Civitatum, contra joculatores obloquentes, ut qui in personis, aut rebus illos offenderit, pacem non teneatur imperialem infringere.

Hoc anno vicesima à personis Ecclesiasticis, à Laicis verò decima pro subsidio Terræ Sanctæ per totum Regnum colligitur, & per Gualterium de Palear Cancellarium, & per Henricum de Malta comitem Marini Stolii Ammiratum, ipsam Damiatam transmittit, licet tunc temporis amissa fuerat, culpis exigentibus, Damiata. Propter quod ipse Cancellarium iram Imperatoris metuens, se Venetias contulit, & dictus comes redit in Regnum, qui ab Imperatore captus est, & terram, quam tenebat, amisit, Rex verò, Patriarcha Jerosolymitanus, Albanensis Episcopus, & cæteri, qui in bello fuerant Christiani, sub securo Soldani conductu ad Acconitanam redeunt civitatem. Hanc igitur tantam, & tam gravem Christianorum injuriam, & Damiatæ amissionem, duxi ego Notarius Richardus hujus operis auctor rythmicæ deplorandum.

Diro satis percussus vulnere,
Diro cogor singultu luere
Vah, lamentum, & Carmen dicere
Nostræ gentis de casu misero.
Quæ signata Crucis signaculo
Crucis hosti cedit Allophylo
Non sit pugna ense, vel baculo;
Sed premente famis periculo.
Quantus dolor, quanta calamitas,
O quis pudor, qualis anxietas;
Quod succubuit Christianitas
Impiorum gaudet impietas.
Jesu bone si fas est dicere, cur?
Cur sic placuit nos dejicere?
Mori malo, quam ultra vivere
Vinci videns debentes vincere.
Quis in tanto dolore positus,
Sui diem non optet obitus?
Christi victus jacet exercitus;

Unde pudor, dolor, & gemitus.
Quis non mœret hoc infortunium
Luctus ora conclusit omnium
Roma caput, & mater Urbium
Omne tibi defecit gaudium.
Per te venit hæc tribulatio,
Mundi plorat quam omnis natio,
Christianæ cædis occasio
Tui fuisti, sis relevatio.
In te firma facta Concilii
Causam dedit hujus exilii,
Agar nobis insultant filii
Tui spernunt virex auxilii.
Damiata, quæ tot laboribus
Tot effusis empta cruoribus
Christiani olim Principibus
Paruisti, nunc pares hostibus.
De te famæ sonus exierat
Damiata non est, quæ fuerat,
In te Christi fides floruerat,
Quam Ancillæ nunc stirps dedecorat.
Ismaelitæ te detitulant,
Aras evertunt, Templa violant,
Quod tibi tot pœnas occumulant
Peccata nostra sunt, quæ pullulant.
Ubi nunc decus est Ecclesia
Christianæ flos, & militiæ
Legatus, Rex, & Dux Bavariæ
Victi cedunt viri perfidiæ.
O quam pravo ducti consilio
Exierunt Duces in prælio
Damiata tu das exilio,
Quos fovisti fere biennio.
Maledicta fatorum series,
Qua fit tanti mali congeries.
Cunctos tangit ista miseries
Cunctis datur flendi materies.
Mundus totus, & mundi Principes
Sunt doloris hujus participes,
Tuam ergo causam, ut vindices,
Te nos Christe, precamur supplices.

Igitur quod dicere nequeo non dolendo, per compositionem reddita Damiata Soldano, liberati sunt utrimque captivi, & Christiani Principes, qui contra Soldanum inconsulte processerant, liberati, mense Septembri in festo Nativitatis B. Virginis.

Tareni novi cuduntur Amalphiæ.

M. CC. XXII. Honorius Papa mense Febr. Urbem exiens venit Anagniam, ad quem Imp. vocatus vadit, & apud Verulas cum ipso Papa conveniens per dies xv. solemne insimul colloquium habuere, statuentes apud Veronam cum aliis orbis Principibus pro succursu

Terræ Sanctæ curiam regere generalem: & tunc data fide, quod in certo termino tamquam Imperator Terræ Sanctæ subsidium transfretaret, in Regnum rediens, Roccam adjit Magenul, quam jussit arctius obsideri à Thoma Acerrarum Comite, & iis, qui cum eo erant, & ipse festinus in Siciliam reversus est propter Mirabettum Saracenorum Ducem, qui eam pro viribus infestabat.

Honorius Papa Romam revertitur, quam postmodum exiens venit Alatrum.

Romani super Viterbium vadunt.

Imperatrix in Sicilia objit.

Comes Thomas de Cælano licet satis arctatus, nocturno tempore, Roccam exiens Magenui, sub fido Ducatu iter faciens per Montana ad Castrum se contulit Casplum, quod Raynerius de Aversa sororius ejus tenebat, à quo acceptis equis, & sociis paucis, clanculo intrat Obnuium, & deinde cum suis supra Cælanum veniens, spe ductus eorum, qui assistebant eidem, & noverant illius adventum, imperiales, qui erant intus Cælanum, & turrim pro viribus impugnabant, diluculo aggressus est, eosque in fugam vertit, multos cepit, & carceribus deputavit Civitam, & tunc totam Marsiam equitat, prædatur Civitam, Paternum combrurit, & quæ potest in Cælano victui necessaria congregat. Quo cognito, dictus Acerrarum Comes, paucis in obsidione Roccæ Magenul relictis una cum Stephano Casinensi Abbate, & Raynaldo Capuano Archiepiscopo contra ipsum Comitem super Cælanum vadit, dictus tamen Archiepiscopus subita infirmitate correptus, in via mortuus est. Dictus Comes Molisii ab Acerrarum Comite arctatus est, & Cælanum est obsessum.

Imperator in Siciliam de Mirabetto triumphat, & de ipso, & suis fecit, quod eorum meruerat exigentia commissorum.

Servientes de Neapoli, & Gajeta loricati, & cum scutis super Cælanum vadunt.

Dictus Acerrarum, Comes in obsidionem Roccæ Magenul revertitur. Tunc Comitissa cum se diutius tenere non posset, accepta à præfato Acerrarum Comite pro se, & suis securitate personarum, & rerum Roccam Magenul, ipsi Comiti ad opus Imperatoris restituit, quæ postea est eversa.

Hoc anno mense Augusto Fundana Civitas pro majori parte casu accidente igne cremata est, quæ funditus propterea eversa est.

Mense Septembri Stella Cometes apparuit.

Imperator sua statuta per Regnum dirigit in singulis Civitatibus, Castellis, & villis, ut singula mercimonia vendi debeant ad denarios novos Brundusii, cassatis Tarenis novis Amalphiæ, juxta arbitrium sex bonorum hominum unius cujusque Terræ ad juratorum, & super hoc generales litteras mittit.

Joannes Rex Hierosolymorum, qui postmodum de filia sua cum Imperatore contraxit, veniens de partibus Transmarinis cum Magistro domus Hospitalis Hierosolymitani, Romam vadunt ad Honorium Papam, qui tunc graviter patiebatur in crure.

Imperator de Sicilia in Apuliam venit, inde in Terram Laboris, & exinde ad Sanctum Germanum, ubi fieri cum Cardinalibus colloquium sperabatur, cum ipse Papa propter suam infirmitatem colloquio interesse non posset. Tunc tractus à Cardinalibus est in Cam-

paniam Imperator, ubi etiam hortatu Regis Hierofolymitani, & Magistri domus Hofpitalis fe commifit ipse Papa, & apud Ferentinum habens cum Imperatore colloquium, promisit publicè, usque ad biennium in Terræ Sanctæ fubsidium transfretare, & filium dicti Regis ducere in uxorem juravit. Qui accepta à Papa licentia in Regnum rediens, & iter per Soram habens Cælanum vadit, ubi ad fe Comitissam Molisii, quę adhuc in Rocca Magenul remanferat, venire faciens, necnon & filium ejus alloqui per eam fecit ipsum Comitem, ut Imperatori fe redderet, fed cum hoc obtinere non poffet, muniri optime jubet, & custodiri collem Sancti Flaviani, & ipse fe in Apuliam confert exinde in Siciliam rediturus, relictis tunc in manus Henrici de Morra Magistri Justitiarii Comitissa prædicta, & filio ejus. Post discessum verò Imperatoris, ipso agente adhuc circa fines Apuliæ, inter Cæsarem, & Comitem Molisii compositum est, mediate Romana Ecclesia in hunc modum, quod ipse Comes fecurus cum rebus, & perfonis, qui ipsum fequi voluerint Regnum exibit. Cælano, Obimolo, & aliis, quæ tenebat pro Cæfare resignatis, & Comitissæ uxori ejus Comitatus est Molisii refervatus ex pacto. Tunc his ita gestis dictus Comes cum fuis ad Urbem fe contulit, Comitissa Comitatum Molisii recipit, Cælanensibus præcipitur, ut exeuntes de domiciliis cum fupellectilibus fuis, facere in claufuris habitacula deberent. Quibus exeuntibus Cęlanum totum est dirutum, & combustum fola Ecclesia Sancti Joannis fuperstite remanente, sicque mutato nomine, quæ Cælanum antea vocabatur, est Cæfarea postmodum appellata. Unde metricè quidam dixit.

Vires, & nomen Celanum perdit, & omen
Fertur Cæfarea, cesque facta rea.

Serra fuper Cælanum firmatur, & ex tunc Cælanenfes à finibus propriis discefferunt, nec eis habitare concessum est in eifdem, quare ad loca alia eos oportuit denigrare.

Hoc anno Rex Franciæ objit, & filius ejus coronatur in Regem.

Menfe Martio in festo Sancti Benedicti Cælum totum visum est igneum, & pluit eo die terra, & cinis.

In Gajeta, Neapol, Averfa, & Fogia jussu Cæfaris Castella firmantur Serniæ, mœnia diruuntur, cujus Civitatis fere medietas igne comburitur, Castellum Capenonis, & alia quamplura de novo castra firmata in comitatu Molisii, & per loca alia fecundum statuta Imperialia dudum Capuæ edita evertuntur. Pro implendis statutis ipsis, quidam Rogerius de Pesclofanzano executor ab Imperatore dirigitur.

Imperator in Sicilia Saracenos arctat, & obsidet, quorum partem non modicam fibi fubjectam ad partes mittit Apulię moraturam apud Lucerium reliquis fe in montanis tenentibus contra eum.

Propter quod Rogerium de Aquila, Thomam de Caferiæ, Jacobum de Sancto Severino, & filium Comitis Tricaricensis Regni Comites vocat ad fervitium fuum in Sicilia. Qui in comitatu, & manu brevi euntes ad ipsum, capi eos, & teneri præcepit, & eorum terras per Henricum de Morra magnum Justitiarium recipit ad opus fuum.

Inquisitiones fiunt in Regno jussu Imperatoris fub præstito juramento, ut dicat quilibet, quid pro decimis, & cui quod pro conredis Imperialibus, & cui quod pro facto Bojani Roccæ Magenul, quæ hoc anno eversa est, & pro Cæfarea dedisset.

Hoc

Hoc anno Danorum, & Norvegiæ Reges pater, & filius à quodam Principe Alemanniæ capti sunt, & Henrico Regi filio Imperatoris traditi.

Imperator Comitatum Molisii in demanium revocat, pro eo, quod Comes Molisii vocatus ab Henrico de Morra Magister Justitiario venire coram eo noluit ad Justitiam faciendam. Item pro stipendiis militum, & servientium, quos ad debellandos rebelles Saracenos Siciliæ statuerat, certam pecuniæ summam per totum Regnum mandat colligi Imperator, & tunc per quemdam Judicem Urbanum de Theano collectæ fuerunt de Terra Sancti Benedicti uncias auri trescentum.

M.CC.XXIV. Dicti Fundanus, Casertanus, Avellini, & Tricarici Comites in Sicilia ab Imperatore detenti ad interventum Honorii Papæ dimissi sunt liberi, & Regnum exeunt, suis tamen his, & nepotibus pro se obsidibus datis.

Hoc anno Pandulphus Verracel. Norvicensis Episcopus duo nova palatia, quæ sunt in curia Sancti Germani suis sumptibus ad opus mandat construi Monasterii Casinensis.

Henricus de Morra jussu Imperiali Cælanenses revocat ubique dispersos, ut ad propria redeant, & redeuntes capit, & in Siciliam mittit, quos apud Maltam dirigit Imperator.

Mense Madio inquisitiones fiunt, Imperatore mandante, de collectis, & talleis, de rupturis domorum, de arma portantibus, de lusoribus taxillorum.

Mense Junio summitates murorum Sancti Germani noviter reparatæ solo sternuntur.

Mense Julio pro ordinando studio Neapolitano Imperator ubique per Regnum mittit litteras generales.

Hoc anno Imperator Minianum in demanium recipit.

Muri Sancti Germani obtenta Magistri Petri, & Magistri Roffredi de Sancto Germano Imperialis Curiæ judicum, integri remanent Imperatore mandante.

Imperator ipse pro libertate Ecclesiarum, & Clericorum Justitiario Terræ Laboris suas litteras mittit, in quibus mandat, ut Ecclesias omnes, clericos obedientias, possessiones, & homines eorum contra libertates, quas habuerant temporibus Regum in collectis, & talleis, datiis, & aliis publicis servitiis admisceri com aliis non permittant, & nihil cum laicis participent in eisdem, nisi probetur, quod tempore Regis Guillelmi Secundi cum eis in hujusmodi servitiis contulissent.

Mense Septembri pro facto Saracenorum Siciliæ tantundem colligi mandat de Terra Casinensis Ecclesiæ Imperator, quantum collectum fuit in proxime præterito.

Mense Januario, Marchio Montis Ferrati cum electis nonnullis militibus, quos in Lombardia, & Tuscia retinuerat, venit Brundusium, profecturus in Romaniam in succursum Civitatis Thessalonicensis, quam Commiano tenebat obsessam, & relicta gente sua Brundusii, ipse ad Imperatorem in Siciliam vadit, consilium ab eo, & auxilium petiturus. Interea tamen ipse Commiano obtinet Civitatem ipsam, diù eam obsidendo, & dictus Marchio nihilominus à Brundusio in Romaniam transfretat.

M.CC.XXV. Joannes Hierosolymitanus Rex de partibus rediens ultramontanis cum uxore sua prægnante filia Regis Hispaniæ, quam duxit

duxit ibidem apud Capuam morari elegit, ubi Imperatore mandante honorifiçe receptus eft, ibique menfe Aprili filiam peperit uxor ejus, cum qua poftmodum in Apuliam defcendit, & apud Melphiam Imperatorem de Sicilia venturum expectat.

Tunc Imperator ipfe Barones omnes, & milites infeudatos ad Saracenorum confufionem in Siciliam vocat, & tunc ipfe in Apuliam venit.

Honorius Papa Urbem exiens propter feditiones, & bella, quæ in ea fiunt fub Parentio Senatore, apud Tyburem fe contulit, ad quem pro dilatione paffagii obtinenda Imperator mittit Regem prædictum, & Patriarcham, qui tamen apud Reate accepere refponfum.

Interea Imperator omnes Regni Prælatos ad fe in Apuliam vocat, & eos quamquam invitos, tamdiu fecum detinuit, donec per ipfos Regem, & Patriarcham fibi pro certo innotuit, quod à Papa benignum receperant refponfum fuper his, ad quæ fuerant miffi. Quibus ad Cæfarem redeuntibus ad Sanctum Germanum cum eis fe contulit Imperator 22. Julii, ibique ad eum miffi à Papa duo veniunt Cardinales, Pelagius fcilicet Albanenfis Epifcopus, ac Gualo tit. S. Martini Presbyter Cardinalis, & tunc in ipfa Ecclefia S. Germani dictus Imperator Capitula hæc fervare juravit, videlicet, quod hinc ad duos annos in augufto complendo perfonaliter transfretabit in fubfidium Terræ Sanctæ ibique tenebit mille milites per biennium ad fervitium fuum, & ducet fecum centum chelandros, & tenebit ibi quinquaginta galeas bene armatas. Interim dabit paffagium duobus millibus militum, & familiis eorumdem in tribus paffagiis, & pro milite tribus equis. Hæc & alia Capitula in ejus præfentia lecta præfentibus quibufdam Alemanniæ Principibus, nonnullis etiam Prælatis, & Regni Nobilibus promifit Imperator fe publice fervaturum excommunicatione adjecta in fe, & Terram fuam, fi hæc non fuerint obfervata, & hoc ipfum Raynerium, dictus Dux Spoleti juravit in anima fua. Actum prædicto menfe Julii in fefto S. Jacobi, & tunc per Cardinales ipfos jam dictus Imperator à juramento, quod apud Verulas fecerat, denunciatus eft abfolutus. Et eo celeriter in Apuliam recedente, Cardinales ipfi Reate fe ad Summum Pontificem contulerunt.

Tunc Imperator ipfe Principibus Alemanniæ, Ducibus, Comitibus, & Potentatibus Lombardiæ per fuas mandat litteras, ut in futuro Pafcha Refurrectionis Domini apud Cremonam ad eum convenire debeant.

Menfe Augufto mutuum ab Imperatore per totum Regnum exigitur, & tunc loco mutui collectæ funt de Terra Monafterii Cafinenfis unc. mille trefcentum per Petrum Domin. Ebuli, & Nicolaum de Cicala tunc Juftitiarium Terræ Laboris.

Menfe Septembri Marchio Montis Ferrati in Romania naturali morte defunctus eft.

Eodem menfe quinque vacantibus in Regno Ecclefiis quinque Dominus Papa Honorius præfecit motu propriæ voluntatis, infcio, & irrequifito Imperatore, videlicet quemdam Cafinenfem Monachum Joannem, cognomento de Sancto Liberatore, Ecclefiæ Sancti Vincentii de Vulturno. Confanæ priorem quemdam Sanctæ Mariæ Novæ de Urbe Salernitanæ, Famaguftanum quondam Epifcopus Averfanæ Cantorem Amalphitanum, & Capuanæ Pavenfemq. Epifc. quos

tam-

tamquam in suum præjudicium promotos, recipi Imperator in ipsis Ecclesiis non permisit. Euntem etiam in Siciliam, tunc ad eum cum litteris Apostolicis quemdam Casinensem Monachum Nicolaum de Colle Petri in Abbatem Sancti Laurentii de Aversa promotum non admisit.

Mense Novembri Imperator ipse apud Brundusium Isabellam filiam dicti Regis Hierosolymitani magnifice desponsavit.

Inquisitiones de facto mutui fiunt per terram Monasterii.

Pax reformata est in Urbe, Senatoriæ dignitati cedente Parentio, & Angelo de Benincasa substituto eidem.

Denarii novi, qui Imperiales vocantur, cuduntur Brundusii, & veteres cassati sunt.

Imperator apud Trojam Natale Dominici celebrat.

Coloniensis Archiepiscopus in Alemannia cum quadam consanguinea sua interfectus est.

Imperator pro facto Prælatorum, quos Papa creaverat, suos ad eum Nuncios mittit.

Hoc anno Rex Alemanniæ Henricus filius Imperatoris filiam Ducis Austriæ duxit uxorem.

Honorius Papa pro facto Crucis Prædicatores mittit, & in Germaniam dirigit Portuens. Episc. cum litteris suis, quas ipsis Prædicatoribus simili modo concedit.

Hoc anno Rex Franciæ monitus per Dominum Romanum Apostolicæ Sedis legatum contra Albigenses cum copioso Francorum exercitu in Provinciam vadit.

Reges Hispani terram Miramomellini occupant.

Honorius Papa indulgentiã Saracenisci, quę ex longituritate temporis satis inoleverat, tamquam falsam cassavit, & irritam per suas litteras denunciavit pariter, & inanem, pro eo quod Clerici loci ejusdem dabant accedentibus ad ipsam Ecclesiam remissionem peccatorum, facientes eis intelligi, quod ita de peccatis omnibus emundati recederent, sicut pertica quędam quam ostendebant eis cortice emundatam.

M.CC.XXVI. Mense Januario Honorius Papa Oliverium natione . . . . ac Ecclesiam Sancti Vincentii assumptum electum ad Imperatorem in Apulia mittit.

Imperator ipse Baronibus, & Militibus infeudatis cęteris mandat, ut omnes se præparent ad eundum secum in Lombardiam, & ut omnes apud Piscaram, ubi sexto intrante Martii esse Imperator ipse disponit, debeant convenire.

Eo tempore Joannes dictus Rex Hierosolymitanus discors ab Imperatore discedit.

Imperator de Apulia venit in Terram Laboris, & relicta apud Salernum in Castello Terracinæ Imperatrice sua, ipse in Apuliam redit celer, ubi Henricum de Morra Magistrum Justitiarium, Capitaneum statuit Regni sui, & ipse Piscaram se contulit, ac exinde in Ducatum Spoleti pervenies hominibus Ducatus ipsius per suas præcipit litteras, ut secum in Lombardiam debeant proficisci, quod eum facere ipsi renuerent pręter Papæ mandatum cui tenebantur, Imperator ad eos litteras iterat graviores, quas illo de Ducatu ad Papam remittunt. Quas ipse Papa moleste ferens, quod homines Ecclesiæ sub certa pœ-

na

na vocabat Cæsar ad expeditionem, suas ad eum litteras dirigit, quas ipse Imperator graves reputans, rescribit ei, quasi de pari, & quia in rescripto ipso suam voluntatem satis Imperator noluit declarare, duxit ipse Papa sibi asperius rescribendum, propter quod Imperator, ut ipsius placeret animum, rescribit humiliter in omni subjectione.

Tunc mittit à Ravenna, ubi Pascha Domini celebrat, Henrico Alemanniæ Regi filio suo, ut sibi in Lombardiam occurrat. Deinde à Ravenna discedens extra Faventiam, quæ sibi adversa erat, iter habens apud Castrum Sancti Joannis in Territorio Bononiensi posuit Castra sua, ipsum parte sui exercitus per Civitatem Bononiæ præeunte. Exinde vero se Imolam contulit, ubi tamdiu moram fecit, donec, sicut prius fuerat, eam fecit aggeribus communiri, & procedens inde versus Parmam dirigit iter suum.

Tunc Henricus Rex Alemanniæ cum copioso exercitu suo venit usque Veronam, sed Lombardis impedientibus, ultra procedere non est permissus.

Imperator Cremonam vadit, ibique diebus paucis faciens moram, cum se Civitas Veronensis cum Mediolano, & aliis subscriptis Civitatibus ipsi Imperatori contrariis confœderasset ad Burgum Sancti Domini se contulit, ibique sibi coadsistentibus quibusdam Prælatis, & Principibus Alemanniæ, ac Proceribus Regni sui, contra Civitates istas sibi contrarias, videlicet, Mediolanum, Veronam, Placentiam, Vercellum, Laudam, Alexandriam, Tervisium, Paduam, Vincentiam, Torrinum, Novariam, Mantuam, Brixiam, Bononiam, & Faventiam, diffidationis emulgavit edictum, quod cęteris sibi faventibus Civitatibus præcipit observari.

Tunc prædictus Alemanniæ Rex combusta Civitate Tridenti, in Alemanniam redit cum suis, & Imperator pater ejus per Tusciæ partes in Regnum reversus est, & in Apuliam veniens, convocatis ad se Justitiariis omnibus Regni sui, ab eis de acceptis omnibus exigit rationes.

Tunc Prælati omnes, quos Papa creaverat, scilicet, Brundisinus, Consanus, Salernitanus Archiepiscopi, Aversanus Episcopus, & Abbas Sancti Laurentii de Aversa in suis Ecclesiis recipiuntur.

Rex Franciæ Avinionem obsessam cepit, & exinde cum Legato Apostolicæ Sedis ad expugnandam Tolosam vadit, ubi venenatus, ut dicitur objit.

Imperator certum numerum militum dirigit ultramare.

Nicolaus de Cicala, & Petrus Domini Ebuli cedunt officio Justitiarius, & Rogerius de Galluccio, & Marius Rapistr. de Neapoli substituuntur eisdem.

Mense Novembri Reginus, & Tyriensis Archiepiscopi cum Magistro domus Alemannorum à Cæsare mittuntur ad Papam, pro compositione inter ipsum, & Lombardos facienda. Inter quos mediante Papa, facta est in hunc modum, quod Imperator generaliter, remittit, omnibus prædictis Civitatibus, Legatis præsentibus ibidem, & ipsi pro parte Civitatum juraverunt pacem inter se invicem observare, & denuo committere cum Domino Imperatore dari milites 400. ad subsidium Terræ Sanctæ in transfretatione sua.

Imperator mense Decembri cum Imperatrice consorte sua in Siciliam

liam transfretat, & tunc Stephano Abbati Casinensi has indulgentiæ litteras mittit.

Fredericus &c. Stephano venerabili Casinensi Abbati fideli suo &c.

Fidelitati tuæ præsentibus volumus esse notum, quod ad supplicationem tuam, quam per Judicem Petrum de Sancto Germano fidelem nostrum, nostro culmini protexisti, petitiones tuas clementer admisimus, super eo videlicet, quod antiqua jura, & rationes quibus tempore Regis Guillelmi, recolendæ memoriæ, tuum Monasterium est provisum tibi, & ipsi Monasterio conservare de nostra gratia dignaremur, verum quia de ipsis juribus, & rationibus non constabat, per Petrum de Abulo, & Nicolaum de Cicala Justitiarios Terræ Laboris inquisitionem fieri fecimus diligenter. Qua elementer inspecta, & per Judices Curię nostrę diligenti prævisione discussa capitula, quę inferius continentur, sic legitime sunt probata, videlicet, quod tempore Regis Guillelmi Secundi, dum ipse Rex causa orationis venisset ad Monasterium Casinen & prædicta precatio pro ipso Domino Rege Petrus de Insula tunc Casinensis Abbas fecit colligi collectam per totam Abbatiam per ordinatos Bajulos suos, & ipse procuravit eum. Item quod cum aliquis condemnabatur, in mercede Curiæ Regis, Justitiarii, faciebant de persona velle suum, terra remanebat Ecclesiæ, & omnia bona sua recipiebat Monasterium Casinense, & si persona, quæ erat condemnata, volebat se redimere, licebat ei vendere de rebus suis. Item quod cum Imperator Henricus mandasset redemptionem colligi per totum Regnum, Abbas fecit colligi partem contingentem ipsam Abbatiam. Item quod precatio, quæ præstabatur Regi Guillelmo per Abbatem fiebat, & Ministri Abbatis colligebant per Terram Monasterii precationem ipsam, & Bajuli Regis nunquam visi sunt ibi ad hoc. Item quod si quando aliqua servitia injungebantur à Domino Rege Abbati, vel etiam hominibus Abbatiæ, quod expediebatur per Abbatem Monachos, & Ministros ejus. Item quod si quę injungebantur Abbatiæ expediebantur per Abbatem, & per homines suos. Item quod quando Rex misit stolium in Romaniam Abbas Casinensis dedit milites Domino Regi, & pro eis collegit per Abbatem solidos, tibi, & Monasterio tuo duximus confirmanda. Quare mandamus fidelitati tuæ quatenus dictis juribus, & rationibus per te, & officiatos tuos uti debeas sicut per inquisitionem ipsam legitime sunt probata. Datum Fogię &c.

Indulsit tunc etiam Imperator ipsi Casinensi Abbati, ut homines terrę suę ipse mitteret ad opus Castelli Gajetę, sicut per Pandulphum, & Robertum Dominos Aquini hactenus mittebantur.

Honorius Papa Joanni Regi, quondam Hierosolymitano pro vitæ suę sustentatione Terram committit, Ecclesiæ à Viterbio usque ad montem Flasconem.

Henricus de Morra Magister Justitiarius auctoritate Imperiali, contra Forbannitos, & luxores Taxillorum, & euntes nocturnis horis, post tertium campanæ sonitum sua statuta edidit in Sancto Germano, ac contra Tabernarios etiam, ut ad secundum campanæ sonitum claudant Tabernas suas: Ita quod ad tertium campanæ sonitum, nulla earum aperta valeat inveniri, & super his inquirendis certum statuit numerum Juratorum, qui pœnas statutas à Transgressoribus recipiant pro diversa criminum qualitate, quod si aliquis Juratorum in

dolo, seu fraude, vel negligentia fuerit deprehensus, pœnam recipiat, quam recipere deberent prædicti, salvo in omnibus mandato, & ordinatione Imperiali.

Idem Magister Justitiarius per apertas litteras suas concessit dicto Abbati Stephano, uti sibi liceret juxtà recordum bonorum hominum Sancti Germani generales nundinas per annum, quo tempore vellet, ordinare in ipsa Terra Sancti Germani.

Comes Raymundus filius Raymundi de Bareto se contra Imperatorem in Introduco recipit, quem Bertholdus frater Raymundi dicti Ducis Spoleti congregato Imperiali exercitu, obsidet, & expugnat.

Hoc anno Lacus Marsiæ, qui Fucinus dicitur, usque adeo obriguit, quod homines in eo desuper ambulantes, boves trahebant cum trabibus, & aliis lignaminibus necessariis ad cognam.

M. CC. XXVII. Mense Januario. Carestia frumenti tanta in Urbe Roma facta est, ut rubbus tritici pro 20. solidis denariorum Senatus habere vix posset.

Honorius Papa suos ad Imperatorem in Siciliam Nuncios mittit, ut sibi, & Romanæ Curiæ in victualibus subveniret, qui per Henricum de Morra Magistrum Justitiarium hoc fieri mandat.

Mense Martio dictus Honorius Papa objit 15. Kalend. Aprilis, & Hugolinus Ostiensis Episcopus in Papam Gregorium substitutus est illi. Qui per universum Orbem de sua promotione, & obitu Prædecessoris sui mittit litteras generales.

Mense Junio dictus Papa Urbem exiens, venit Anagniam, & suos tunc ad Imperatorem nuncios dirigit, ut sibi fodrum faciat ab hominibus Regni deferri. Qui Henrico de Morra Magistro Justitiario hoc faciendum delegat.

Imperator ipse Justitiarios omnes Regni sui ad se in Siciliam vocat, reddituros sibi de acceptis omnibus rationem.

Interea per totum Regnum pro felici transitu suo generalem collectam imponit, & tunc collectę sunt de Terra Monasterii, Unc. 450. Imperator ipse de Sicilia in Apuliam venit, qui ad Papam Reginum Archiepiscopum, & Magistrum domus Theutunicorum Legatos mittit.

Thomas de Aquino Acerrarum Comes in Siciliam transfretat.

Mense Junio Cælanenses omnes, qui captivi in Sicilia tenebantur, liberi dimittuntur Imperatore mandante.

Eodem mense Lantgravius cum Crucesignatorum exercitu de Alemannia in Apuliam venit transiturus in subsidium Terrę Sanctæ.

Tunc in Anagnia ducente ferme domus, Papa ibidem præsente combustæ sunt. Fodrum portatur ibidem jussu Imperiali, ad quod recipiendum,& assignandum quidam de Sancto Germano Guillelmus Falloco nomine, per Imperatorem constitutus est ibi.

Stephanus Casinensis Abbas 11. stante Julii in festo Sanctæ Praxedis in Casino objit. Cujus obitus tam Papæ, quam Imperatori per quosdam de fratribus nunciatur, à quibus de electione facienda recipiunt in mandatis.

Imperator cum Imperatrice consorte sua mense Augusto Hydruntum vadit, ubi relicta Imperatrice, vadit Brundusium, ubi totus convenerat crucesignatorum exercitus, & ubi omnia Vascella ad transfretandum fecerat congregari.

Inte-

Interea de tota Marsia obsides capiuntur. In Castello Gajetæ Castellanus, & servientes ponuntur.

Eodem mense quidam in Urbe Vicarium Papæ se faciens, Papa inscio, & absente, dum favore fretus Romanorum quorumdam, qui hoc fieri tolerabant, gratia quæstus, stans apud porticum Sancti Petri, & potestate utens Apostolica Cruce signatis omnibus absolutionis beneficium impendebat, & per Romanos fautores tanti criminis crucem ab eis, quam assumpserat deposcebat. Qui à Senatore Urbis captus post denunciationem sibi à Papa factam tunc apud Anagniam, existente, captus est, & debita personæ pœna mulctatus.

Interea pars crucesignatorum non modica in Apulia superveniente infirmitate, cecidit per mortis occasum. Imperator tamen cum Lantgravio, & reliquis crucesignatis, separat ad transitum, ita quod in die Nativitatis Beatæ Virginis à Brundusio transfretans venit Hydruntum, & spem faciens iis, quos præmiserat de transitu suo morari apud Hydruntum ex causa necessaria voluit, ubi, casu accidente dictus Lantgravius objit, & ipse tunc etiam Imperator sicut dispusuerat, superveniente egritudine, non transivit. Quamobrem Papa motus contra eum apud Anagniam penultimo mensis Septembris in festo Dedicationis Archangeli denunciavit ipsum Imperatorem in latam dudum apud Sanctum Germanum excommunicationis sententiam incidisse. Imperator de Apulia tunc venit ad Balnea Puzol. Gregorius Papa de Anagnia per Velletrum iter habens, redit ad Urbem. Ad quem ad suam excusationem suos dirigit Nuncios Imperator, Reginum scilicet, & Barensem Archiepiscopos, Raymundum dictum Ducem Spoleti, & Comitem Henricum de Malta, quibus non plus credens, quam nunciis suis, de invalitudine Imperatoris, vocatis ad Urbem Prælatis cismontanis, & de Regno quos potuit, in octavis B. Martini publice excommunicat ipsum, & per totum Occidentem litteras super hoc dirigit generalis.

Electio licet diversa, Abbatis in Monasterio Casinensi celebrata est, inter quos Landulfus Senebal unus de electis, repræsentata Papę electione, de gratia concessus est Abbas, suum in eum Imperatore dante assensum, & aliorum per Papam electione cassata.

Tunc Imperator ipse mense Novembri venit Suessam, & inde Gajetam se confert, & de eisdem gressibus Capuam reddit, ubi ad suam excusationem, ad omnes Orbis Principes, & in Alemanniam litteras mittit, quibus significat eis, quod ad transitum paratus cum esset, superveniente ægritudine, transire non potuit, quod cum Domino Papę ipse per suos Nuncios intimaret cum nollet super hoc ejus Nunciis fidem dare, contra se processerat pro motu propriç voluntatis. Interim omnes Regni sui Comites Capuam convocat, ibique rexit Curiam generalem, statuens ut singuli Feudatarii darent de unoquoque feudo octo unc. auri, & de singulis octo feudis militem unum in proximo futuro mense Maji, in quo ad Terræ Sanctæ subsidium transfretare disposuit. Solemnem verò Curiam apud Ravennam statuit mense Martii celebrandam. Tunc prudentem virum Magistrum Roffridum de Benevento mittit ad Urbem cum excusatoriis suis, quas idem Magister publice legi fecit in Capitolio de voluntate Senatus Populique Romani.

Mense Decembri Landulfus Senebal, in Abbatem Casinensem electus

ctus ad Papam vadit, & in quatuor temporibus Natalis Domini ab eo Sacerdotii munus accepit. Et cum eo quidam Gregorius de Carboncello Casinensis Monachus in Abbatem Terræ majoris præmotus est, cum quibus duo ex parte Papæ nuncii veniunt ad Cæsarem Cardinales, Magister scilicet Thomas tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter, Magister Oddo Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinales. Et tunc cum eis celebrato Natali apud Sanctum Germanum ad Imperatorem vadit Abbas Casinensis prædictus, ipsos præeunte dicto Abbate Terræ majoris, qui à Cæsare prohibitus, ad suam tunc Ecclesiam non accessit.

M. CC. XXVIII. Mense Januario. Denarii novi Brundusini per Ursonem Castalbum in S. Germano dati sunt, quorum summa fuit 160. unc. quos Magister Fridericus, & Fridericus Landus de Malacuclar. Procuratores ab Abbate relicti distribui, particulariter per Terram Monasterii præceperunt.

Eodem mense, Clericorum Focariæ filii, & filiæ jussu Imperatoris capiuntur ubique per Regnum.

Dicto Abbati Casinensi ab Imperatore in mandatis datur, ut centum servientes bene paratos inveniat cum expensis, & armis per annum necessariis ad servitium Terræ Sanctæ.

Dictus Magister Fridericus, & Fr. Berardus de Cælano vocati ad Papam vadunt, quorum alter scilicet, Fr. Berardus procurationem recipit Sancti Gregorii in Urbe; alteri verò Farfensis Ecclesiæ renuit Abbatiam.

Archiepiscopus Panormitanus Nuncius à Soldano ad Cæsarem rediens Elephantem unum, mulos, & pretiosa quædam alia munera ipsi Imperatori detulit ex parte Soldani.

Mense Februario Oderisius de Aversa Casinensis Monachus à Gregorio Papa in Abbatem S. Vincentii promotus est.

Mense Martio pro centum prædictis servientibus collectæ sunt de Terra Monasterii unc. 1200.

Eodem mense Landulfus Casinensis Abbas vocatus est à Cæsare, ut ad ipsum vadat apud Tarentum. Et quibusdam de Regno Prælatis injungitur, ut se ad transfretandum debeant præparare.

Imperator apud Barolum Pascha Domini magnifice celebrat in omni gaudio, & exultatione, quia sicut ex litteris tunc didicerat Thomæ de Aquino Acerrarum Comitis ad suum servitium in Syria existentis, illis diebus Coradinus Soldanus Damasci mortuus fuerat. Quamobrem in subsidium Terræ Sanctæ dirigit Riccardum de Principatu Marescalcum suum cum quingentis militibus, qui à Brundusio felici omine transfretavit.

Gregorius Papa celebrato Pascha apud Lateranum, post tertium diem ad Sanctum Petrum se contulit, ubi Romani accedentes ad ipsum, cum illum crederent Urbem velle occulte exire, tum propter factum Imperatoris tunc pro facto Viterbii, injuriis multis, & contumeliis affecerunt ipsum, & seditio magna contra eum facta est à Popularibus.

Mense Aprili Romanorum exercitus super Viterbium vadit.

Imperator pro subsidio Terræ Sanctæ, ab Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis ubique per Regnum certam exigit pecuniæ quantitatem, & tunc de mille ducentis unc. propter hoc impositis Terræ Monasterii, remisit

remisit Imperator de gratia unc. centum.

Gregorius Papa Urbem exiens sub fido Ducatu, vadit Reate mense Aprili.

Eodem mense Gregorius Papa per suas mandat litteras universis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis per Regnum Siciliæ constitutis, sub interminatione ultionis canonicæ, ne quis eorum Imperatori, aut Bajulis suis dare aliquid pro redemptione data, vel collecta præsumat.

Imperatrix apud Adriam filium parit, nomine Conradum, qui non multo post, sicut Domino placuit, ibidem fata concessit.

Imperator Regni Prælatis, & Magnatibus coram se apud Barolum congregatis, parato sibi Tribunali sub divo propter gentis multitudinem quæ copiosa erat, proponi fecit, & legi subscripta capitula in modum testamenti, ut videlicet omnes de Regno, tam Prelati, quam Domini, & eorum subditi, omnes in ea pace, & tranquillitate viverent, & manerent, qua esset, & vivere soliti erant tempore Regis Guillelmi Secundi, relicto tunc Regni Ballio Raynaldo Duci Spoleti, & si deficere Imperatorem contingeret, sibi in Imperio, & Regno succederet Henricus filius ejus major, quod si illum absque liberis mori contingeret, Conradus filius ejus minor succederet illi. Quod si ambo decederent, filiis non extantibus, filii ipsius superstites, quos de legitima uxore suscepit, in eodem Regno suo succedant. Et præcipit, ut omnes homines Regni sui, quæ statuit, debeant juramento servare, quæ tamen sic observari mandavit, si in præsenti passagio humanitus de ipso aliquid contingeret, nisi aliud testamentum ab eo editum compareret. Hæc coram se jurari fecit Imperator à Duce prædicto, & Henrico de Morra Magistro Justitiario, & aliis nonnullis de Regno. Disposuit etiã, quod nullus de Regno prodata, vel collecta aliquid daret, nisi pro utilitatibus Regni, ac necessitatibus expediret.

Mense Majo Casale quoddam in Apulia, quod Gaudianum dicitur, Melfiensis diœcesis, ob culpæ meritum, Imperatore mandante destruitur.

Domini de Pupplito rebelles facti sunt Imperatori.

Romani facta in extrinsecis destructione Viterbii, & obtento per vim Castro quodam quod Raspampanum dicitur, ipsis Viterbiensibus subdito læti ad Urbem redeunt; quibus recedentibus Viterbienses in campis castra ponentes, quę possunt mala irrogant circumadjacentibus Castellis fautoribus Romanorum.

Mense Junio Imperialis exercitus super Dominos de Pupplito vadit, quibus Pupplitum auferunt, & nonnulla alia castra.

Gregorius Papa à Reate discedens, vadit Spoletum, & exinde Perusium.

Imperator apud Brundusium se conferens, mare intrat, ac apud Sanctum Andream de Insula jussit omnia navigia parata ad transitum convenire, ac exinde Hydrontum navigans feliciter ultra mare ad Crucis obsequium transfretavit, ubi quid egerit qualiter in Terræ Sanctæ recuperatione profecerit sequens lectio declarabit.

Gregorius Papa mense Julio de Perusio vadit Assisium, ubi Fratrem Franciscum Minorum Fratruum Ordinis Inventorem, propter duo, quæ fecerat miracula in aperto, in cæco videlicet uno, & claudo, quibus visum, & gressum reddiderat, canonizavit, & Perusium rediens, ibi anniversarium magnifice celebrat Innocentii Papæ prædecessoris sui.

Eodem

Eodem mense Julii Mons Isclæ subversus est, & operuit in Casalibus sub eo degentes ferè septingentos homines inter viros, & mulieres.

Mense Augusti Marius Rapistr. cessit officio Justitiariatus, & Stephanus de Anglone, & Pandulfus de Aquino substituti sunt illi de mandato Ducis Spoleti, qui de Apulia Introducum vadit, & omnes de Regno solicitat Infeudatos, ut ad eum vadant cum exfortio suo, ad Dominorum Puppliti rebellium confusionem, qui se contra Imperatorem in Capitaniano receperant. Interea Imperialis exercitus capit Turrem de Renaria, Terram quandam de novo contra Imperatorem firmatam, quam totam destruxerunt. Raynaldus Dux Spoleti cum Imperiali gente Dominos Puppliti in Capitaniano obsidet, qui cum se non possent tenere, accepta ab eo securitate de personis, & rebus suis, se apud Reate contolerunt. Tunc Dux ipse Marchiam intrat, ac Bertholdus frater ejus circa Nursiæ Provinciam remanet. Qui castrum quoddam, quod Prusa dicitur, sibi rebelle destruxit, ejusque incolas pœnis addixit variis, & tormentis, & Saracenorum traditos potestati, quos se cum de Apulia duxerat in ipsis cruciatibus exhalare coegit.

Gregorius Papa in Ducem ipsum pro eo quod Marchiam intraverat, ac admonitus sæpius, ut ipsam exiens in pace dimitterent, hoc ipse Dux facere noluit, excommunicationis sententiam promulgavit, ejusdem excommunicationis innodans vinculo omnes sequaces illius. Cumque nec sic revocare posset eumdem, vim vi repellere licitum putans, ad Marchiæ defensionem, quæ Ecclesiæ suberat, materiali gladio nisus est contra ipsum, qui jam pro parte Marchiam ad opus Imperii cœperat occupare, & tunc Joannem quondam Jerosolymitanum Regem, & Joannem de Columna Cardinalem cum copioso militari, & pedestri exercitu dirigit contra eum. At cum nec sic Dux ipse desisteret ab inceptis, arbitratus est ipse Papa contra Regi filios acies dirigere bellatorum, ut Regni statu, & pacis quiete turbata, quod Dux ipse voluntarius noluit, sic facere cogetetur invitus, ac Marchiam dimitteret, quam usque Maceratam Cæsaris Imperio subjugaret. Nam collectis undique Campaniæ, ac Maritimæ viribus, congregavit exercitum, cui quemdam Pandulfum de Anagnia Cappellanum suum, qui legationis officio fungebatur, & exclusos de Regno Comites Thomam de Cælano, & Rogerium de Aquila præfecit Capitaneos, & ductores.

M.CC.XXIX. Hi mense Januario 18. per Ceperanum venientes in Regnum clavesignati, Insulam Pontis Solarati, quæ Regni erat ostium, quam quidam Adenulfus Balsanus pro Imperatore tenebat primitus expugnantes, cum se tenere non posset, per vim ceperunt.

Bartholomæus quoque de Supino, qui castrum tenebat S. Joannis de Incarica, & Riccardus filius Domini Roberti de Aquila, qui Dominus erat Pastinæ, metus causa, sponte ad mandatum venerunt Ecclesiæ. Et præteriens exercitus flumen Teles, versus Fondos dirigit castra sua, & cum Civitatem ipsam, quam quidam Joannes de Poli civis Urbis Romæ pro Imperatore tenebat, acriter impognaret, vi eam obtinere non potuit, sicque confusus nec sine gravi damno Ceperanum reversus est. Venerat tunc temporis ad Sanctum Germanum Nicolaus de Cicala pro parte Imperatoris, & Henricus de Mor-

ro

ro Magister Justitiarius superius nominatus, cum Regni filiis, Raone de Balbano Comite Landulfo de Aquino, & Stephano de Anglone Justitiario, Adenulfo de Aquino filio, nobilis viri Thomæ de Aquino Acerrarum Comitis, Rogerio de Galluccio, aliisque undique congregatis, Imperatori fidelibus, ad resistendum hostibus prompta voluntate paratis, Domini etiam de Aquino Pandulfus, & Robertus Aquinum pro fide Cæsaris laudabiliter munierunt. Tunc Landulfus Casinensis Abbas Casinum, & Roccam Jani necessariis omnibus sufficienter munivit, & Roccam ipsam dudum jussu Imperatoris dirutam à parte S. Germani in mœnibus reparavit. Tunc & homines S. Germani mandato Justitiarii summitatem murorum S. Germani Cæsaris dudum Imperio dirutam repararunt; seque inermes, armis necessariis ad resistendum hostibus decenter armarunt.

Papalis exercitus, qui clavium signa gerebat Roccam Arcis, in qua quidam Rao de Azia erat pro Cæsare Castellanus, impugnare providit, sed cum in nullo proficeret, non absque læsione gravi, villa ipsius Roccæ combusta, Cæperanum reversus est. Et tunc quidam de exercitu discurrentes per Terram Sancti Benedicti, villas Rivi Viteliati, & Ecclesiam S. Petri, & S. Pauli de Foresta, Dei metu postposito, bonis omnibus spoliarunt.

Mense Martio iij. intrante eodem mense, qui dies erat Sabbati. Papalis exercitus præmissa Civitate Aquini cum prædictis exclusis Comitibus terram intrat S. Benedicti, qui Castrum Pedemontis per vim capientes, licet qui erant in eo per viribus restitissent, quadraginta servientes ad ipsius Castri custodiam deputarunt. Hi sequenti Dominica versus S. Germanum suas acies dirigentes, venerunt usque ubi dicitur monumentum. Et exinde descendentes, cum nullus de Imperiali exercitu, hoc Magistro Justitiario prohibente, egrederetur ad illos per Plumbareolum, quæ metus causa fuerat ab incolis derelicta, iter habentes, & per Castrum Pignatarii, quod desertum similiter fuerat versus S. Angelum Theodici dirigunt gressus suos, sed cum nihil proficerent, quia bene munitum erat Castrum, & illuc Rugerius de Galluccio cum 40 servientibus missis à Magistro Justitiario venerat, abinde recesserunt, & versus Castrum Teramum profecti sunt, quod vi capientes, quamquam ipsius habitatores optime se pro fide Cæsaris defendissent, bona diripientes eorum, illud incendio tradiderunt, sicque onerati spoliis, in Campaniam sunt reversi. Quibus recedentibus Magister Justitiarius cum Imperiali exercitu exiens de S. Germano, una cum Dominis Aquini super Castrum Pedemontis vadit, illud dare destructioni disponens, nisi Abbatis, & conventus precibus destitisset, sicque in sua reversi sunt. Tunc ad ipsum Justitiarium viri fideles Cæsaris, undique confluentes, cum eis resistere hostibus parabat. Mense igitur Martii XVII. die veneris rediens Papalis exercitus ad Castrum Pedemontis, sequenti die se in duas dividens acies, per montes, & plana milites, & pedites iter habentes, eorum quidam versus Monasterium, quidam versus S. Germanum dirigunt gressus suos, quibus cum idem Magister Justitiarius, cujus inducebant animum diversorum consilia in diversum, vellet obstare, ne per montium aditus, liber pateret hostibus ad S. Germanum accessus, ipsis per vires oppositas obsidere prævidit in monte, mittens ad observandum montium transitus quosdam de nocte milites, & ba-

listas, qui ascendentes hostes pro viribus repellentes, bellum inire cum eis pro fide Cæsaris minime timuerunt, cumque in loco, ubi est Ecclesia S. Matthæi Servorum Dei conflictus fieret, rumor ad ipsum Justitiarium, quod sui cum hostibus dimicarent, ad S. Germannm pervenit, qui mox, licet inconsulte, montem subiens, nec metuens mortis occasum, hostium in medio se objecit cum suis, quem secutus Adenulfus filius Acerrarum Comitis memorati, & nonnulli milites, & pedites, qui mori pro fide Cæsaris non timebant, hostium ictus repellere suis ictibus conabantur, sed cum locus non est idoneus ad pugnandum, & viam illam, qua itur ad S. Mariam de Albaneto, fugatis Imperialibus de supernis, Papalis acies jam occupasset, cum ex adverso ascendentibus ipse Justitiarius obstare non posset, retrocedere, non sine suorum clade coactus est, & tunc cum ipso Adenulfo Acerrarum Comitis filio, in brachio vulnerato, & ex sui admodum paucis, in vallo Casinensis Monasterii se recepit, ubi per ipsum Justitiarium Jacobus Sinibaldus Custos fuerat institutus, reliquos versus S. Germanum ad fugam cogentibus illis, qui habuerant de Marte triunphum. Quos Cives S. Germani, qui Cæsaris fidem servabant, unanimiter receptantes, cum suis omnibus salvos fecerunt, & ea die, quamquam diros, & duros paterentur insultus ab hostibus, ita quod enses, ignem, & jacula non timerent, turribus, & mœnibus insistentes, hostium viribus non cessere. Sic ergo die ipsa, noverante fortuna, de Imperialibus obtenta victoria, Pandulfus Apostolicæ Sedis Legatus ab ea parte, quæ dicitur Porta Vetus, cum nonnullis de majoribus exercitus veniens, sub comminatione depopulationis, & destructionis perpetuæ Monasterii Abbatem præfatum, ut sibi ad mandatum Papæ Monasterium redderet, & ipsum Justitiarium traderet in manus suas, inducere procuravit. Quod cum facere omnino renueret, dicens quod absque gravi, & grandi periculo fieri hoc non posset, longo super hoc tractatu habito, quem ego nescio, Deus scit, à Legato, & suis, pro Magistro Justitiario, & his, qui secum erant, præstito juramento, quod salvi essent, ipsi Legato patuit Monasterium. Qui statutis in eo militibus, & servientibus ultra centum, cum Abbate, & Magistro Justitiario mox ad S. Germanum descendit. Quos cum homines S. Germani, quamquam sæpius requisiti, recepissent, non nisi scirent in verò ipsum Justitiarium liberatum, & suos, ea nocte in Burgo exteriori eos oportuit pernoctare. Ea verò nocte Comes Rao de Balbano, cum nonnullis de exercitu Imperiali, qui se in Sancto Germano receperant, & plus de morte, quam de vita sperabant, metuebant enim, ne à Civibus hostibus traderentur, ab his, qui noctis vigilias custodiebant de S. Germano, per posterulas Civitatis dimissi sunt liberi, & abierunt in sua, & nihil de suo arnesio amiserunt. Igitur mane sequenti Papalis exercitus terram intrat S. Germani, Roccâ Jani se prius reddente Legato, cui homines S. Germani jurant ad opus Papæ, licet inviti. Quo audito, & cognito, tremuit omnis terra, quæ se non poterat ab hoste tueri. Tunc Magister Justitiarius liber dimissus est, & se Capuani contulit. Adenulphus etiam de Aquino Acerrarum Comitis filius, necnon & Jacobus Senebaldi prædicti redeunt in suâ.

Post dies verò decem, se movens de S. Germano exercitus, facta compositione cum iis, qui erant in palatio Mulani, Minianum recipiunt,

piunt, quod hæredibus quondam Malgerii Sorelli restituunt, & procedentes inde, Præsentianum obtinent, Venafrum, & Sernia per Nuncios se sibi reddunt. Pretam quoque per vim obtinent, & Vairanum, ac totam terram filiorum Pandulfi, usque Calvum, quot sunt, recipiunt ad opus Ecclesiæ. Teani necnon Civitas, & Calenum veniunt ad mandatum Papæ. Tunc per Francolisium iter habens exercitus, Suessam se contulit, sibi pro fide Cæsaris resistentem, quam longa satis obsidione arctatam, cum jam Cives inciperent sitis squalore deficere, non curantes arborum, & vitium incisiones, illuc enim venerat Apostolicæ Sedis Legatus Pelagius Albanensis Episcopus, Civitatem recipiunt ad opus Papæ, necnon & Castellum, quod munire servientibus curaverunt, & procidentes inde, versus Roccam Draconis dirigunt gressus suos. Quam circumposita obsidione, arctantes, villa prius inferiori obtenta, & una de turribus per vim capta, & post diros insultus, facta cum Castellano compositione, Roccam ipsam obtinuerunt. Tunc Gajetam cum Castellano Castelli componentes, Castellum recipiunt ad manus suas. Et tunc per Albanensem Episcopum Gajetanorum Civitas, quia parere noluit Ecclesiæ, supponitur interdicto. Tunc etiam, ipso Legato mandante, dicto Casinensi Abbati Castrum restituitur Pedemontis.

Prædicti Aquini Domini Pandulfus, & Robertus Civitate Aquini relicta, se Capuam conferunt ibidem una cum Magistro Justitiario, & Nicolao de Cicala, qui erant in ea ad Cæsaris servitium moraturi.

Aquinum ipsis recedentibus venit ad mandatum Ecclesiæ, Pontem curvum, & tota Terra Monasterii, Roccam Bantræ, in qua erat quidam Castellanus Apulus, quidam ipsius Legati Clericus Oddo de Machilone nomine recipit ad opus Papæ data eidem Castellano quadam pecuniæ quantitate. Tunc quidam Guillelmus de Sora, qui pro Imperatore Trajectum tenebat, & Sugium, ea Legato reddidit ad opus Ecclesiæ.

Gajeta Civitas multis inducta suasionibus, & promissis in partem cedit Ecclesiæ, & Castellum, quod Cæsar in ea fieri fecerat multis laboribus, & expensis, diruitur, & omnis ejus structura in mare projicitur. Quidam inde Gajetani in fide Cæsaris radicati de Civitate relictis propriis abjerunt. Tunc Rogerio de Aquila Comiti Sugium redditur, & Trajectum.

Illis diebus Guillelmus de Sora, à quodam Tassuro Cive Capuæ Castellano Roccæ Guillelmi capitur, & custodiæ traditur carcerali.

Beneventani qui R. E. suberant, audito quod Papali exercitui sic prosperè cederet, in Apuliam discurrentes prædam bovum, & animalium aliorum magnam ceperant, quibus cum prædictus Comes Raone de Balbano in reditu se opponeret ab eis devictus est, & fugatus, propterea Magister Justitiarius collectis undique viribus, & iis qui Imperatoris fidem servabant ab ea parte, quæ dicitur Porta summa, devastat in exterioribus Beneventum.

Fratres Minores ubique per Regnum jussu Raynal. Ducis Spoleti expelluntur de Regno, cum diceretur, quod ipsi ad Prælatos Civitatum Apostolicas tulerint literas ut homines inducerent, quod se debent reddere Domino Papæ. Tunc & Monachi Casinenses de suis obedientiis captis omnibus, quæ habebant, expelluntur ipso Duce mandante & metus causa multi ipsum mutare habitum sunt coacti.

Papalis exercitus consilio inito versus Capuam vadit, & à parte Anglonæ per triduum moram fecit. Erat enim Civitas Capua viris munita, & viribus quæ fidem Imperatori integre conservabat: post triduum verò inde se movens Papalis exercitus versus Aylanum dirigit castra sua, quod Castellum Acerrarum Comes tenebat, sed qui erant intus, cum se posse defendere desperarent, nepos ipsius Comitis Abbate Casinense partes suas interponente apud Legatum, Castrum ipsum recipit ad manus suas, indeque procedens exercitus, vadit Alifiam, quæ licet reniteretur, post diros insultus factos in eam per vim obtinet, & ad opus illam recipit Ecclesiæ. Similiter & Castrum Pedemontis, quod erat Comitis memorati, Turris tamen Castri ipsius est ad fidem ipsius Comitis conservata. Tunc & Civitas Telesiæ Legato se reddidit causa metus.

Papalis exercitus per Terram Joannis Sanfiaymundi, quam sibi pro parte subegit, transiens, occurrentibus illis de Benevento, se contulit Beneventum, & tunc ipsi Beneventani cum Papali exercitu, & cum viribus suis vicinos adversarios vehementer impugnant. Padulem, & Apicem cum se tenere non possent, recipiunt. Cippalonum comburunt, munitione superstite remanente. Casalia Montis Fusculi igne cremant, ubi adveniente rumore, quod Cæsar de Syria in Apuliam venerat, Papalis exercitus causa metus cœpit dissolvi. Dominus Joannes de Columna Cardinalis, & Joannes Rex quondam Hierosolymitanus, ac Lombardorum copiosus exercitus Raynaldum Ducem Spoleti, velut hostem Ecclesiæ prosequentes, illum exire Marchiam, & in Regnum redire compellunt, & receptantem se in Sulmona tenent obsessum. Tunc Castrum Peltorani recipiunt.

Romani super Viterbium vadunt, & Civitatem, ac castrum quondam ad eam pertinens devastantes, quod Monasterium dicitur, ad Urbem reversi sunt.

Tunc Pelagius Legatus prædictus Nuncios ad Joannem de Columna Cardinalem, & Joannem Regem quondam Hierosolymitanum sub celeritate transmittit, ut ad se venire festinent. Qui ad vocationem Legati, ab obsidione recedentes Civitatis Sulmonæ, per vallem Sangri in Comitatum Molisii veniunt, Alfidenam vi capiunt, & Castellum ejus, in quo se quidam Vinciguerra de Aversa receperat cum gente sua, & ipsum, & suos duxerunt captivos. Schintronem recipiunt, villam Castelli de Sangro comburunt.

Comes Campaniæ cum militari, & pedestri exercitu super Soram vadit, illam ad opus Papæ recipit, munitione superiori se pro Cæsare tenente, recipit etiam Arpinum, & Fontanam, vallem quoque Soranam, & totam Marsiam. Rex verò quondam Hierosolymitanus cum Joanne de Columna Cardinale flumen Vulturni transiens, Campanorum exercitui, qui ob metum Imperatoris, de quo fama erat, quod in Apuliam advenisset, apud Telesiam repedaverat, se conjungit, & inde progrediens totus exercitus supra Cajatiam vadunt.

At Imperator de Syria in Apuliam veniens apud Brundusium ad expugnandos Lombardos, & Campanorum hostiles cuneos, gentem congregat, litteras de felici adventu suo in Siciliam, & Calabriam mittit, fideles suos de Capua hortatur, & animat ad fidelitatem suam, mittens ad illorum auxilium dictum Thomam de Aquino Acerrarum Comitem, & celerem succursum suum promittens eisdem.

Tunc

Tunc ad eum vadit Dux præfatus Spoleti cum suis, liber exiens de Sulmona, Magister Justitiarius, & alii, qui sibi fidem servaverant incorruptam.

Illis diebus milites nonnulli strenui Theutonici de Syria venientes ad Portum Brundusii applicuerunt, quorum fretus auxilio Imperator, qualiter cum eis, & Regni fidelibus in recuperatione terræ profecerit, præmisso tamen quod in Terra Sancta egerit ipse, quod silentio pretereundum non est, sequens lectio declarabit.

Igitur cum adhuc esset in Syria Imperator, hæc in Regnum de ipso fama pervenit. Quod 15. Novembris proximo præteriti, Joppen veniens cum Christianorum exercitu ad reædificationem castri ipsius intendit, ut facilior fieret in Hierusalem processus, & dum citius per Terram necessaria mittere sufficienter cum summariis nequivisset, quilibet pro facultate sua barchas in Portu Acconitano oneraverat, sed mutato aere, & turbato mari, tanta subito tempestas inhorruit, ut vascella cum victualibus nullatenus ad exercitum ferri possent, at cum Christi exercitus in multa anxietate tunc esset, fere omne consilium exercitus desperarat, murmurantes, & nihil aliud superesse videbant, quam in Accon redeundum. Qui dum in tali essent discrimine positi, misericors, & miserator Dominus, qui facit post tempestatem tranquillum, & prope est omnibus invocantibus ipsum, serenato mox aere, mare tumidum pacavit, tantaque navium, & barcarum multitudo venit Joppen, ut omnis defectus prius habitus in plenitudinem omnium necessariorum, & abundantiam mutaretur. Ab alio tempore ulterius tantam fecit Deus aeris temperiem, ut indifferenter, & magna, & minima vascella irent, & redirent per mare, ita quod omnis copia necessariorum in terra semper est habita. Tunc de communi omnium consilio cœpta sunt ædificia Castri Joppen in fossatis, & muris erigendis, quod erit memoriale in ævum omni Christianitati, quia per Dei gratiam, ex nimia devotione ac affectu, quem Imperator, & omnis populus circa idem opus habebat, & laborabat incessanter tota die, ante Dominicam caput Quadragesimæ usque adeo fuit promotum, quod à principio suæ inchoationis nunquam extitit adeo forte, ac bene factum. Interea verò cum hæc solicite agerentur, Nuncii Soldani, ac Imperatoris indifferenter ibant hinc inde, tractantes de bono pacis, & concordiæ. Soldanus verò idem, & frater ejus, qui vocabatur Sarech, cum innumerabili exercitu juxta Gazeram jacebant ad unam dietam, & Soldanus Damascenus cum suo magno exercitu erat apud Neapolim per unam similiter dietam distans ab exercitu Christiano, & dum de restitutione tractaretur Terræ Sanctæ, Dominus Jesus Christus, qui est sapientia Patris, sua solita providentia sic ordinavit, quod Soldanus restituit Sanctam Hierusalem ipsi Imperatori, & Christianis cum omnibus tenimentis suis, excepto quod Templum Domini debet esse in custodia Saracenorum quia diu consueverant orare ibidem, & ut liberum introitum, & exitum habeant illuc accedentes orationis causa, & Christiani similiter, orationis causa sit expositum; villam etiam quæ dicitur ad Sanctum Georgium, & casalia, quæ sunt ex utraque parte viæ, atque Hierusalem, Bethleem quoque & casalia, quæ sunt inter ipsam, ac Hierusalem restituit. Nazareth etiam cum suis tenimentis; & cum casalibus, quæ sunt inter Accon, & Nazareth reddidit in manus Christianorum.

norum. Redditum est etiam Castrum Zorontis cum suis tenimentis, pertinentiis, & villis. Necnon civitatem Sydonis cum tota planitie, quæ sibi attinet, reddit, sed omnes terras, quas Christiani tempore pacis habebant, & in pace tenebant: licebit autem ex pacto Imperatori, ac Christianis reædificare Civitatem Sanctam Hierusalem in muris, & turribus, Castrum Joppen, & Castrum Cæsareæ, Montem Fortem, & Castrum novum, quod firmari hoc anno incœptum est in Montanis. Verisimile enim videtur, quod si tunc Imperator cum gratia, ac pace Romanæ Ecclesiæ transisset, longe melius, & efficacius prosperatum fuisset negotium Terræ Sanctæ. Sed quanta in ipsa sua peregrinatione adversa pertulerit ab Ecclesia, cum non solum ipsum Dominus Papa excommunicaverit, verum etiam quod ipsum excommunicatum scirent, & tanquam excommunicatum vitarent eundem Patriarchæ Hierosolymitano mandavit, Magistris domorum Hospitalis, & Templi, propter quod suum in exercitu Christiano jussit præconium subticeri, & ne Terræ Sanctæ dissolveretur negotium, ad quod ipse Imperator pro viribus incumbebat, & intendebat ipsi exercitui super Theutonicos, & Longobardos Magistrum domus Theutonicorum & super homines Regnorum Hierusalem, & Cypri, Riccardum Filangerium Marescalcum suum, ac quemdam Odonem de Monte Peliardo præfecit Capitaneos, & ductores, & ob hanc causam Soldanus ipse cum sciret ipsum Imperatorem taliter ab Ecclesia excommunicatum, vix cum eo componere inductus est. Composuit tamen sic, quod usque ad finem treguarum, pacem sibi adinvicem observarent. Captivi omnes hinc inde suæ libertati restituerentur, & sic receptis ab ipso Soldano Terra Sancta, & locis prædictis, de consilio omnium peregrinorum, ipse in Hierusalem profectus est, ubi eo die, quo Civitatem Sanctam ingressus est Imperator, Archiepiscopus Cęsareæ Nuncius Patriarchę adveniens civitatem ipsam, & specialiter Sepulchrum Domini supposuit Interdicto de mandato Patriarchæ ipsius primitias recuperationis ipsius non benedictione, sed anathemate prosecutus. Præterea qualiter contra ipsum Imperatorem apud Accon postmodum redeuntem prædicti Patriarcha, Magistri domuum Hospitalis, & Templi se gesserunt, utpote qui contra ipsum intestina bella moverunt in civitate prædicta, his qui interfuerunt, luce clarius extitit manifestum.

Cæterum quia ad Regni subsidium, quod ut superius diximus, Romana sic cœperat Ecclesia occupare, necessario de Syria rediit Imperator, statim Nuncios suos misit ad Papam, quosdam fratres de domo Theutonicorum, per quos ipsius habere gratiam supplicat, & esse velle ad suum, & Ecclesiæ mandatum exponit.

Papalis exercitus firmata obsidione supra Cajatiam machinis, & viribus suis illam vehementer impugnat, & licet occupaverint civitatem, arcem tamen vi capere nequierunt, his, qui erant in ea se pro Cæsare tuentibus contra eos.

Mense Junio Gregorius Papa prædictus fratrem Franciscum innocentis vitæ virum, qui institutor ordinis fuit fratrum Minorum apud Perusium de fratrū suorum consilio duxit Sanctorum Catalogo adscribendum, mandans ubique terrarum diem, quo solo carnem, & cælo spiritum reddidit, 4. scilicet non. Octobris annis singulis solemniter excolendum.

Item

Item Imperator ipse moram in Apulia faciens, & congregans ad hostium Regni repulsam exercitum copiosum, suos pro pace ad Papam Legatos misit, Reginum videlicet, & Barensem Archiepiscopos, necnon & Magistrum domus Theutonicorum. Qui Cajatiam venientes, quæ à Papali exercitu tenebatur obsessa, cum literis Albanensis Episcopi, & Cardinalis Sanctæ Praxedis ad Romanam Curiam sunt profecti. Qui cum in nullo profecerint, redierunt. Tunc in Gajeta per Papam potestas constituitur Joannes de Judice civis Anagninus ad petitionem Gajetanorum. Tunc etiam Adenulphus de Aquino filius Acerrarum Comitis Atinum recipit Imperatore mandante, & Philippus de Aquino recipit castrum Cælii.

Imperator cum Crucesignatorum exercitu contra Clavigeros hostes properat in Terram Laboris. Tunc Dominus Joannes de Columna Cardinalis sub specie afferendæ pecuniæ pro stipendiis exercitus ad Papam vadit.

Pelagius Albanensis Episcopus, & Rex quondam Hierosolymitanus cognito, quod venturus erat Capuam Imperator, rupta obsidione, & combusta Machina, quæ vulgo dicitur, Trebuvettum, quod multis sumptibus fecerant, Theanum se conferunt, ubi non absque timore suas acies ponunt à Cajatia discedentes.

Tunc Roffridus Archipresbyter S. Germani per Albanensem Episcopum, Papa mandante in Theanensem Episcopum est assumptus.

In Apulia illis diebus quidam Paulus de Logotheta Imperialis Justitiarius membratim trucidatus est ab his, qui odio Imperatorem habebant.

Imperator cum fortunato Crucesignatorum exercitu venit Capuam mense Septembri, & ab ista parte Capuæ Saracenorum cuneos ordinavit, seque Neapolim contulit, æris & gentis à civibus auxilium petiturus.

Tunc Civita Sanctagatens. sponte venit ad mandatum Ecclesiæ, & se reddidit Domino Papæ.

Comes Rogerius de Aquila filium suum recipit, quem in Sicilia obsidem tenuerat Imperator.

Pelagius Albanensis Episcopus pro defectu solidorum quos habere non poterat, capi jubet thesaurum Ecclesiæ Casinensis, ac Ecclesiæ S. Germani per Calinensem Episcopum, cum quo Clerici S. Germani in certa quantitate pecuniæ convenerunt, ne thesaurum Ecclesiæ asportaret.

Imperator à Neapoli Capuam rediens, movet exinde castra sua, & veniens Calvum, ubi nonnulli de Papali exercitu convenerant ad defensam, illam fecit undique impugnari, & tunc captos quosdam de Campania, suspendi jubet. Et tandem Calvum recipit ad mandatum, & fidelitatem suam. Indeque non obstantibus hostibus, per Richardum habens transitum ad S. Mariam de Ferraria venit indemnis, ubi per triduum moram faciens Vairanum recipit, Allifiam, & Venafrum, & totam terram filiorum Pandulphi.

Dictus verò Pelagius Albanensis Episcopus, & Rex quondam Hierosolymitanus per Mesinum iter habentes cum toto exercitu Minianum venerunt, & in celeri fuga petierunt S. Germanum.

Illis diebus homines S. Germani timentes ne Papalis exercitus, aut Imperiali cederet, aut victus succumberet, supellectilem suam, &

quæ-

quæque pretiosa ad loca transtulerunt tutiora. Tunc per biduum in S. Germano moram protrahens Papalis exercitus, frumento, vino, & aliis necessariis munire Roccam Jani, & Casinense Monasterium cogitabant, sed acceleratus per Nuncios S. Germani, ad Terram ipsam properat Imperator., moxque Papalis exercitus dissolutus de S. Germano exiens gressu prepete in Campaniam est reversus.

Et tunc metus causa, qui in Casino statuti fuerunt, & in Rocca Janulæ servientes dimissis ipsis munitionibus recesserunt. Sed in Casino se recipiens Albanensis Episcopus redire ad Monasterium milites, & servientes coegit.

Tunc cum ipso Legato Aquini,& Alifiæ Episcopi ascenderunt Casinum, & in S. Germano per ipsum Legatum prohibitum est celebrare divina. Cæteri verò Prælati, qui cesserant in partem Ecclesiæ Romam se contulerunt.

Imperator ipse apud Sanctum Thomam de Strata sua castra ponens tertiò Non. Octobris, villa Pedemontis, quæ dicitur Sanctę Luciæ suis dedit in direptionem, & prædam. Castrum Pedemontis Dominis Aquini concessit.

Tunc Ecclesia S. Matthæi Servorum Dei à Saracenis, qui erant in exercitu Imperiali, bonis est propriis spoliata, præ timore paucis, aut nullis remanentibus in eadem.

Tunc etiam vallum Casinensis Monasterii est mandato Cæsaris hinc inde fortiter impugnatum, sed pugnatores nec in aliquo profecerunt. Illuc venientes ex parte civitatis Suessæ Judex Thadæus, & alii, civitatem ipsam Cæsari reddiderunt, ad quam recipiendam, concesso eis privilegio, quod pro universitate petierant, continuo dirigit Imperator.

Tunc Præsentianum, Roccæ Bantræ, Servia, & Alifia ad mandatum Cæsaris redierunt. Similiter & tota Terra Monasterii, Arpinum quoque, & Fontana. Cumque ad recipiendam Soram dictum Acerrarum Comitem mitteret Imperator, ipsum Sorani recipere contempserunt.

Tunc quidam comes Majo de Romania cum nonnullis Græcis militibus de Romania ex parte Commiano ad Imperatorem cum magnis muneribus Nuncius venit.

Tunc in Rocca Janulæ quidam de Calabria Castellanus constitutus. In S. Germano per Imperatorem Bajuli ordinantur, Guillelmus de Bantra, & Matthæus Dionysius in tota terra S. Benedicti. Rainerius Pelegrini, & Bartholomæus de Bantra Camerarii ordinantur. In Rocca Bantræ Thomas de Magistro Castellanus ponitur.

Imperator suas in Lombardiam, & Tusciam, & Romandiolam litteras dirigit in hac forma.

Fridericus, &c. Potestatibus, Consulibus, & Consilio civitatum Lombardiæ, fidelibus suis, &c. ut de nostrorum felicitate successuum certa vos nova lętificent, vestris duximus desideriis præsentibus intimandum, quod nos de ultramarinis partibus prospere per Dei gratiam redeuntes, de inimicis nostris, qui Regnum nostrum invaserant feliciter triumphavimus, dum audientes nos contra eos in manu valida, & potenti venturos, non expectatis, aut expertis viribus nostris, in Campaniæ finibus fugæ suæ sibi præsidium elegerunt. Sicque Domino cooperante, & nos comitante justitia, qui de Cælo prospexit,

quod

quod ipsi de Regno nostro nobis absentibus per anni dimidium occupaverant, nos brevi dierum spatio recuperavimus, & revocavimus ad demanium & dominium nostrum. Volentes igitur Imperii, & Regni nostri quietem, & pacem cum consilio vestro disponere, ac in Theutoniam è vestigio properare, fidelitatem vestram monemus, & hortamur, & firmiter, ac districte præcipiendo mandantes, quatenus his receptis litteris in equis, & armis decenter armati vestrum ad nos festinetis accessum, quoniam nos universis, & singulis pro sui qualitate servitii curabimus respondere. Datum apud S. Germanum 3. non. Octob. 3. Indictione.

Civitas Teani Imperatori se reddidit, data optione Episcopo remanendi in Regno, & Episcopatu suo, vel exeundi, si vellet.

Demanium Curię Casinensis per dictos Camerarios totum applicatur fisco Imperiali.

Ad Roccam Janulæ vinum, & victualia deferuntur.

Quidam Leo Crinitus Gajetam vadens ex parte Imperatoris, ut se redderet Imperatori, ab ipsis Gajetanis interfectus est.

Imperator mutato Castellano in Rocca Janulæ eam Pandulpho, & Roberto Dominis Aquini, nec non Castellum Pontis Curvi, & Castellum novum committit. Item ducentos milites mittit in Marsiam, quæ tota rediit ad fidelitatem suam, excepta Turre de Foce.

Bertholdus frater Ducis Spoleti se in Marsiam contulit Imperatore mandante.

Imperator à S. Thoma movens castra sua 14. mensis Octob. pluvia ingruente, reversus est ad S. Germanum, ibique per dies septem moram faciens, inde digressus est, iter faciens versus Aquinum, suas orbis Principibus dirigens excusatorias super facto Terræ Sanctæ, super quo ipsum falsò detulerat Patriarcha Hierosolymitanus ad Dominum Papam, quod cum Soldano treuguas firmaverit in ignominiam nominis Christiani, super quo testimonium invocat venerabilium Vvintonien. & Cicestren. Episcoporum, Magistrorum domus Sancti Joannis, & Theutonicorum, Marescalci domus Hospitalis, & Fratris Aymerii, Fratrum quoque Prædicatorum, qui treuguis initis interfuerant.

Illis diebus antemurale cecidit portarum Monasterii Casinensis.

Tunc nobiles quidam Romani ad Imperatorem apud Aquinum veniunt ex parte Senatus, Populique Romani, cum quo moram per triduum facientes ad Urbem reversi sunt.

Tunc etiam jussu Imperatoris pro munienda Terra S. Germani, quod homines Terrę ipsius ab Imperatore petierunt, domus nonnullæ hinc inde ex parte Corarię, & Vallis funditus diruuntur.

Imperator de Aquino Soram se contulit, quam suis licet imparem viribus, renitentem, vi cepit 24. stante Octobris in festo Apostolorum Simonis, & Judę, & facta est cibus ignis Campanis militibus, qui ad civitatis ipsius defensam congregati fuerant in Campaniam fugientibus per Montana, nonnullis civium igne, ferroque peremptis.

Arx tamen Sorellæ se ad opus tenet Domini Papæ, unde versus.

Vi caperis, vi capta peris merito peritura,
Sora ruis, tua damna luis, fero reditura.

Tunc à Tassuro Castellano Roccę Guillelmi traditus in manus Impera-

peratoris Guillelmus de Sora cum qubusdam aliis, suspensus est extra Soram.

Imperator mense Novemb. per Insulam filiorum Petri redit Aquinum, ubi diem festum celebrat Beati Martini.

Magister domus Alemannorum à Papa rediens lætos ad Imperatorem rumores desert de compositione inter Papam, & ipsum, idemque D. Thomæ de Capua tit. Sanctę Sabinæ Presbytero Cardinali obviam in Campania vadit, cum quo ad Imperatorem venit Aquinum cum forma concordiæ 4. stante mensis Novembris, & eodem die cum ipso Cardinale se contulit apud S. Germanum.

De Romania quidam Græci eum dexteriis in sellis, & frænis aureis, & cum pannis sericis auro textis, & cum innumeris aureis nummis, quæ ipsi Imperatori repręsentant pridie ante exitum mensis Novemb. ad ipsum Imperatorem venerunt.

Tunc etiam litteræ factæ sunt per Imperatorem de remissione offensæ, si quam Abbas fecerat, vel Monachi Casinenses post inter ipsum, & Papam ortam discordiam. Et litteræ aliæ ad homines Abbatiæ, ut sicut prius Abbati, & Monachis Casinensis respondeant, & intendant. Terram totam, & loca Monasterii ubicumque per Regnum posita Deo, & B. Benedicto restituit.

Dictus Albanensis Episcopus consilio, & suasione dictorum Cardinalium, & Magistri domus Hospitalis Theutonicorum, permittente Imperatore, cum Aquinate, & Alifano Episcopis, ac cum Campanis militibus, qui se cum Albanensi Episcopo in Casino receperant, salvi exeunt,& tunc reddidit ipsis Episcopis suam gratiam Imperator, & Monasterium, ac tota Terra sua curæ committitur Magistri domus Alemannorum prædicti, qui quemdam de domo sua fratrem Leonardum Procuratorem constituit nomine suo usque ad reditum suum ab urbe, ad quam ipse Magister domus Theutonicorum iterum vadit jussu Imperatoris, una cum Albanensi Episcopo, pro quibusdam capitulis pro quibus inter ipsum, & Dominum Papam discordia erat.

Tunc in Venafro, Sernia, & Teano pecuniariæ exactiones fiunt, Imperatore mandante. In S. Germano, & per totam Abbatiam annona pro equis Imperatoris exigitur à Camerariis ordinatis ab eo superius nominatis, ab universis Clericis Terræ S. Benedicti.

Magister Thomas Cardinalis de S. Germano se movens, vadit Suessam, Imperator contendit Capuam, ubi cum ingenti gaudio Natale Domini celebrat. Et tunc multos de Sora, qui captivi tenebantur, ibidem suæ reddidit libertati.

M.CC.XXX. Mense Januario. Imperator per quemdam fratrem Sembostum de domo Theutonicorum, mandat dicto fratri Leonardo procuratori Casinensi reliquo à Magistro domus Theutonicorum, ut de S. Germano, & alia Terra Monasterii 40. eligeret homines ad custodiam Monasterii Casinensis. Qui jussu Imperatoris eos elegit, Sacramento ab eis præstito sub hac forma.

Ego talis, juro ad hæc Sancta Dei Evangelia, quod ab hodie in antea fideliter custodiam, & salvum faciam Monasterium Casinense, personas Monachorum, & aliorum, qui pro parte Magistri domus Alemannorum in ea fuerint constituti, & res eorum, & Monasterii. Non ero in facto, consilio vel consensu, qualiter in alterius deveniat

manus,

manus, nec ego illud reddam, quamdiu custodiæ deputatum est Magistri domus Theutonicorum, & ego ibi mansero.

Imperator de Capua se movens, versus Apuliam apud Melfiam vadit, ubi ad eum vadunt Reginus Archiepiscopus, & dictus Theutonicorum Magister à Romana curia redeuntes, qui & iterum missi à Cesare, ad Papam vadunt mense Januario.

Primo die Februarii Romæ Tiberis fluvius per alluvionem usque adeo inundavit, quod occupavit de domibus urbis usque ad S. Petrum, usque ad S. Paulum, quod tanti causa timoris Romanis omnibus extitit, ut mox de communi consilio, metus mortis, Dominum Papam ad urbem de Perusio revocarent. Qui rediens, à Senatu Populoque Romano ingenti cum gaudio est receptus.

Reginus Archiepiscopus, & Magister domus Theutonicorum ab urbe ad Cæsarem revertuntur quem apud Precicanam inveniunt.

Eodem mense, quidam Magister Guillelmus de Capua Imperatoris notarius venit ad S. Germanum cum litteris Imperialibus, ut si quis esset, vel esse vellet in apparatu militari ad servitium Imperatoris, ij se Imperator immunem eum ab omni servitio faceret, & de armis, & equis suis esset ad reditum suum.

Mense Martio dictus Cadinalis S. Sabinæ de Suessa discedens, Gajetam se contulit, ubi tunc Episcopus venerat Tusculanus, qui vocaverat ipsum.

Iterum autem prædicti Reginus Archiepiscupus, & Magister domus Theutonicorum ad Papam redeunt, & alter eorum scilicet Magister domus Theutonicorum Gajetam vadit, cum quo dictus Cardinalis redit ad urbem. Tusculanus autem tunc venit Pontemcurvum cum dicto fratre Leonardo. Quique à Pontecurvo Ceperanum vadit, per quos transitum habens Reginus Archiepiscopus, ad urbem profectus est, ubi pro compositione inter Papam, & Cæsarem facienda, Dux Austriæ, Dux Carinthiæ, & Dux Moraviæ venerant, simul cum Patriarcha Aquilegiensi, & Salsaburgiensi Archiepiscopo.

Tunc frater Leonardus in Rocca Draconis Castellanum ponit Anneum de Rivo Matrico.

Dictus Tusculanus revocatur ad urbem, qui cum tribus aliis Cardinalibus, & cum Principibus Alemanniæ supradictis, pacis bonum inter Papam, & Cæsarem electi specialiter tractaverunt.

Quædam Apuliæ Civitates, scilicet Civitate, Alarinum, Sanctus Severus, Casale novum, & Fogia veniunt ad mandatum Imperatoris. Quæ sibi antea rebelles extiterant, & redeunt ad mercedem suam.

Mense Aprili Duces prædicti cum Regino Archiepiscopo, ac Magistro domus Theutonicorum redeuntes à Papa cum tractatu, & forma concordiæ, in Apuliam ad Cæsarem vadunt, ubi cum eo apud Fogiam Pascha Domini celebrant.

Decimo die mensis, Philippus de Citro Comestabulis Capuæ Magister est operis S. Germani per Cæsarem institutus, & litteras Imperiales ad homines Terræ ipsius, & ad alios homines de Terra Monasterii detulit, & mandatum quatenus super facto monitionis Terræ S. Germani sibi intendere, & respondere deberent, in faciendis muris ubi opus esset turribus, & fossatis, exceptis hominibus S. Angeli Theodici, quod castrum muniri præcipit Imperator.

Gregorius Papa in die S. Jovis Raynaldum dictum Ducem Spoleti

excommunicat, & Bertholdum fratrem ejus.

Stephanus de Anglone Terrę Laboris Justitiarius Imperatore mandante utramque Insulam filiorum Petri, & Solaracam, Castelluccium, & Pastinam recipit, & custodiri facit ad opus Imperatoris, Broccum, & Pescium Solduļum destrui, & comburi fecit illorum cogens incolas ad loca alia demigrare, muros evertens Pastinę, nec non Turres ipsius, prædictam Insulam, similiter, tamque ipsam Insulam, quam castrum Pastinæ igne combussit.

Dux Austriæ, Limpuldus nomine cum Patriarcha Aquilejensi, & aliis supradictis ab Imperatore de Apulia rediens, & ad Papam vadens cum eis ad Landulphum Casinensem Abbatem, & conventum ejusdem ex parte Imperatoris literas detulit in hac forma.

Fridericus,&c. Venerabili Abbati Casinensi,& conventui ejusdem, &c. Ecce quod ad supplicationem dilecti Principis nostri Ducis Austriæ, & Stiriæ, ac Venerabilis Magistri domus Alemannorum devoti nostri, recepimus vos de Abundantia pietatis nostræ in gratiam Majestatis nostræ, omnem offensam, quam contra nostram Excellentiam pro præsenti discordia inter nos, & D. Papam habita à principio dissentionis usque in hodiernum diem decimum octavum Aprilis tertia Indictione visi estis commisisse, penitus relinquentes. Cæterum ea, quæ vobis prædictus Dux, & Magister Theutonicorum retulerint ex parte Culminis nostri, indubitanter credatis. Datum Fogiæ, &c.

Eodem mense Aprilis in Græcorum Imperio factum est prælium inter Græcos, in quo Commiano captus est, & utroque lumine orbatus.

Mense Madio Alemanniæ Principes à Papa ad Cæsarem redeunt, relicto Regino Archiepiscopo, cum quo Sabinensis Episcopus,& Thomas Sanctę Sabinę Cardinalis pro absolutione Imperatoris in Regnum veniunt, & præmittentes ad ipsum Imperatorem Magistrum domus Alemannorum, qui venisse Cardinales annunciat, ipsumque Imperatorem, ut veniat versus Capuam, accelerare debeat, Cardinales ipsi cum Regni Prælatis, qui à facie Imperatoris fugerant, & in Regnum sub spe compositionis inter Ecclesiam, & ipsum, redierant, cum eisdem elegerunt apud S. Germanum facere stationem.

Tunc Imperatoris jussu fossata, & muri Fogiæ, Casalis novi, & S. Severi replentur, & sternuntur ad solum. Quod cum ipsis Cardinalibus innotesceret, qui prævenire Imperatorem voluerant, versus Capuam properantes, à Teano ad S. Germanum reversi, Prælatos omnes, excepto Abbate Casinense redire Cæperanum jusserunt, & ipsi se mox cum prędicto Casinense Abbate, qui eos est e vestigio secutus, Capuam contulerunt, ubi penultimo Madii ad eos veniens Imperator, cum formam non acceptaret concordiæ, quia S. Agatam, & Gajetam retinere volebat Ecclesia, recedentes à Capua, Suessam se conferunt Cardinales, ubi cum Gajetanis loquentes, quos sub securo Ducatu Abbatis Casemarii, Magistri Petri de Vinea, & Philippi de Citro Comestabulis Capuæ ad se venire fecerant, cum ipsos ad Imperatoris vota flectere nequivissent, ad S. Germanum reversi sunt, ubi cum diu esset de concordiæ forma tractatum, nec posset, auctore faciente discordiæ, consummari, oportuit iterum Magistrum domus Theutonicorum ad Dominum Papam simul cum Regino de Lombardia

dia Episcopo laborare, qui serio ad Imperatorem venerat pro pace inter ipsum, & Ecclesiam reformanda. Qui cum sine effectu redirent, consequenter ad Papam redeunt, & tunc cum eis quidam frater Gualo mittitur de ordine Prædicatorum forma concordiæ acceptata, & ipse Papa Urbem exiens venit apud Cryptam Ferratam. Imperator verò de Capua jam venerat ad S. Germanum, ubi dictus Fr. Gualo in hora serotina allocutus est ipsum, & ad verbum illius satisfacere Ecclesiæ annuit Imperator, propter quod in signum lætitiæ, in S. Germano sunt per omnes Ecclesias signa pulsata, & idem Fr. Gualo ad Papam, quem apud Anagniam reperit, sub festinantia remeavit. Igitur die Martis nono stante Julio in festo S. Apollinaris, prædicti Sabinensis Episcopus, & S. Sabinæ Cardinalis in majori Ecclesia S. Germani, præsentibus Patriarcha Aquilejensi, Salseburgensi Archiepiscopo, Ratisponen. & Regino Episcopis, & Carinthiæ, ac Moraviæ Ducibus, Principibus Alemanniæ. Tunc enim Dux Austriæ graviter infirmabatur, astantibus quoque ibidem Regni Prælatis, Panormitano, Regino, ac Barensi Archiepiscopis, necnon Casinnen. Casemarii, & S. Vincentii de Vulturno Abbatibus, & Prælatis aliis, qui causa metus de Regno secesserunt, Raynaldo dicto Duce Spoleti, & Thoma de Aquino Acerrarum Comite, Henrico de Morro Magistro Justitiario, aliisque Regni Justitiariis, & Baronibus, ac plebeis, de satisfaciendo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro his quibus excommunicatus fuerat, recipiunt ab Imperatore publice juramentum. Tunc in anima sua jurante pro eo Thoma de Aquino Acerrarum Comite, & Prælatis, ac Principibus Alemanniæ jurantibus cum eo subscripta capitula. Tunc Salseburgensis Archiepiscopus ad Imperatoris excusationem longo tenuit sermone diem, cui dictus S. Sabinæ Cardinalis luculenta non minus oratione respondit.

Privilegium Principum Alemanniæ.

In nomine Domini, Amen. Nos Bertholdus Aquilejen. Patriarcha, & . . . . Archiepiscopus Salseburgen. . . . . Episcopus Ratisponen. Limpuldus Austriæ, ac Stiriæ . . . . . Carinthiæ, & Otto Moraviæ, Duces, Dei gratia Principes Imperii, per præsentes notum fieri volumus universis, quod inter Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem nostram, & Dominam, & Serenissimum Dominum nostrum Fridericum Imperatorem semper Augustum, Hierusalem, & Siciliæ Regem convenit, quod de communi eorum voluntate tractabitur de via invenienda, qualiter ad ipsum Dominum Imperatorem cum honore Ecclesiæ, Gajetana, & S. Agathæ Civitates, & omnes cum bonis suis de Regno Siciliæ, quos in fide sua recepit Ecclesia, & in Ecclesia devotione perdurant, revertantur. Ad quem tractatum datus est annus, nisi antea via valeat inveniri, ad quam inveniendam dicta Mater Ecclesia curam, & solicitudinem adhibere promisit, nec ultra terminum, nisi de consensu patrium prolongabitur, sed si, quod absit, infra ipsum terminum via inveniri non possit, ei tunc per arbitros communiter eligendos procedetur in via, ut dictum est eligenda quorum sint duo ex parte Ecclesiæ, & duo ex parte Imperatoris. Qui si concordare non poterunt, quintum eligent, & dicto majoris partis stabitur. Præstitit autem Dominus Imperator juramentum per Tho-

mam de Aquino Acerrarum Comitem de mandato suo in anima sua jurantem, quod interim prædictas Terras, & homines non offendet, nec permittet offendi à suis, & viam, quæ invenietur per communem tractatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ejusdem Domini Imperatoris, vel per arbitros, ipse Dominus Imperator observabit.

Notum quoque fecimus, quod Dominus Imperator remittit omnem offensam Theutonicis, Lombardis, Tuscis, & hominibus Siciliæ generaliter, & Gallicis, qui contra eum Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, ac dictum Acerrarum Comitem fecit jurare, quod nullo unquam tempore prædictos offendet, nec permittet offendi pro eo, quod contra eum orta discordia, Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, sed pacem eis, ac Ecclesiæ observabit. Remittit etiam ipse Dominus Imperator sententias, constitutiones, & banna, si qua per eum, vel per alios lata, vel edita sunt occasione hujusmodi contra eos. Promittit etiam, quod Terras Ecclesiæ in Ducatu, & Marchia, seu alio patrimonio Ecclesiæ non invadet, nec devastabit per se, vel per alios, sicut in scriptis ab ipso Domino Imperatore factis super prædictis omnibus, & bullis aurei impressis, ac Typariis S. Majestatis munitis plenarie continetur. Nos etiam nihilominus tactis sacrosanctis Evangeliis juravimus procurare bona fide, quod prædictus Dominus Imperator prædicta servabit, & contra ea non veniet. Quod si fieret, nisi infra tres menses in Regnum, infra quatuor in Italiam, infra quinque extra Italiam duxerit emendandum, potenter, ac patenter ad requisitionem Ecclesię assistemus ei contra eundem Dominum Imperatorem, donec satisfecerit. Quod si per Dominum Imperatorem steterit, quod arbitros non elegerit, vel arbitros impediverit, ne procedant, nos Ecclesiæ tenebimur, ut est scriptum. Si autem Ecclesia arbitros dare noluerit, vel datos impediverit, ne procedant, nos ex tunc quantum ad hunc articulum non tenebimur juramento. Ad cujus rei memoriam præsens scriptum fieri fecimus, sigillis nostris communitum. Actum apud S. Germanum anno 1230. mense Jul. 23. die mense ejusdem Indict. 3.

Igitur eodem die prędicti Cardinales vice Domini Papæ dederunt Domino Imperatori sub debito pręstiti juramenti firmiter in mandatis, ut restituat quidquid occupatum est per ipsum, vel alios Ministros suos in Marchia vel Ducatu, seu in alio patrimonio Eccles. & quidquid occupatum est per ipsum, vel Ministros, vel Bajulos suos de castris, seu de possessionibus Monasteriorum, & specialiter Monast. Sancti Quirici de Introduco Ecclesiarum, Templariorum, Hospitaliorum, Baronum, & aliorum Nobilium de Regno, vel undecumque, necnon & cæterorum, qui in hoc negotio contra se Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, & quod restituet Tarentinum Archiepiscopum, omnes Episcopos, & Prælatos, qui sunt exclusi, ad sedes, & loca sua, & ad omnia bona sua extantia. Item sub eodem juramento mandarunt, ut de cætero nullus clericus in civili, vel in criminali causa conveniatur sub Judice seculari, nisi super feudis civiliter conveniatur, & quod nullus talleas, vel collectas imponat Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, & viris Ecclesiasticis, seu rebus eorum, & quod electiones, postulationes, & confirmationes Ecclesiarum, ac Monasteriorum libere fiant in Regno secundum statuta concilii generalis.

Die mercurii octavo stante Jul. in vigilia S. Jacobi rediens à Domino

mino Papa ad S. Germanum Frater Goalo, de auctoritate Apostolica restitui jussit à Cardinalibus in S.Germano, ac tota terra Monasterii divina officia, quę per Albanensem Episcopum fuerant interdicta, ubique etiam per Regnum mandatum est celebrari divina, illis exclusis, qui in Marchia fuerant cum Raynaldo Duce Spoleti.

Trajectum, ac Sugium cum Comitatu Fundano Comiti Rogerio de Aquila restituitur Imperatore mandante.

Landulpho Casinensi Abbati Monasterium libere restituitur, & Rocca Janulæ, quam sicut in pactum venerat, custodiendam commisit fratri Leonardo sæpefato de domo Theutonicorum. Qui eam servandam commisit Raynerio Pelegrini de S.Helia, de quo tanquam de fideli Cæsaris confidebat, recepto ab eo juramento, ut fideliter illam custodiret, donec Imperator ipse sit ab excommunicationis vinculo absolutos.

Tunc Theanensis, Alifanus, Venefranos Episcopi, & Prælati alii de Regno exclusi, ad sedes proprias libere revertuntur.

Imperator ultimo die mensis Julii de S.Germano exiens in hora vespertina, Aquinum se contulit.

Ea die peitis quædam quæ Bruchus dicitur, totam Terram Monasterii occupavit, quæ milia omnia, & quidquid viride rodendo devastavit.

Limpuldus Dux Austrię, & Stirię die Dominico in festo Sanctorum Nazarii, & Celsi apud S. Germanum naturali morte defecit, cujus ossa delata sunt more Theutonico in Theutoniam, & caro apud Casinum cum honorificentia tumulata.

Mense Augusto die primo Imperator ad Roccam Arcis se contulit. Qui tunc Castrum Pontis Curvi, & Pedemontis, & Castellum novum restitui mandat Abbati Casinensi à Dominis Aquini, qui ea servabant ad opus suum.

Eodem mense litteræ in S. Germano venerunt, quas quidam Magister Joannes de Civitate Toleti omnibus per orbem Christicolis vulgandas transmisit, quarum tenor talis est.

Anno à Nativitate Domini 1229. usque ad annos 7. mense Septembri sole existente in Libra, & cauda Draconis ibidem erit admirabilis res rerum mirabilium, & mutationis temporum significata. In mense illo fiet terræmotus mirabilis, ac destruet multa loca per Saturnum, & Martem manentes in signis aeris, ac erit infirmitas, & mortalitas valida, ostendet etiam eadem conjunctio ventum validum denigrantem aera, & obscurum reddentem, & venenis infectum, & repletum, & in ventos voces terribiles corda hominum obstruentes, & à regionibus arenosis sablonem sublevans, ac supra Civitates sitas proximas plagam deducens, & cooperiens eas, ita etiam, quod eas suffocabit. Et primo destruet Civitates Orientales, & nominatim Thetam, Baldach, Capolim, Babyloniam, & omnes Civitates arenosis locis sitas, vel proximas, ita quod nulla earum evadet, quin arenis tota cooperiatur. Erit iterum eodem anno priusquam Planetę conveniat in Libra, Eclipsis solis, quæ totum corpus illius obscurabit, & hac operatione præcedente luna tota patietur Eclipsim. Erit Eclipsis solis ignei coloris, & deformis, ostendens maximum futurum bellum cum effusione sanguinis prope fluvium in Terra Orientis, & similiter in Terra Occidentis, & erit dubietas, & ignorantia inter Sarace-

racenos, ita quod penitus Synagogas, Maumerias, & Secreta eorum relinquent. Verumtamen notum sit omnibus, qui Eclipsim solis videbitis, cum omnibus vestris à terra exeatis, & ut hæc firmiora, & certiora teneatis, antequam Eclipsis solis, & lunæ fiat, erit terræmotus, mortalitas, fames valida, prælia, & carestia fere per totum orbem, & tunc quidam maximus Imperator morietur. Et mense Septembri post Eclipsim solis, & lunæ mare ultra solitum crescet, ac omnes fere venti flabunt, ita quod nulla navis in mari evadet, arbores evellent ædificia subvertent venti, & terręmotus. Unde si vultis evadere, in planis circumdatis montibus facite coopertura trabium, & terram superponite, qui sint lunge à plagiis, & montanis locis, ac ubi non sint arbores prope, quibus os caverne possit operiri, & in eis introite cum familia vestra, & rebus necessariis per 30. dies, & plus abundanter vobis, & familiæ vestræ, & hęc ad redemptionem animarum vestrarum ignorantibus denunciate. In his enim nobiscum concordes sunt omnes Astrologi,& Geomantici scilicet Hispaniæ, Æthiopiæ, & aliarum Provinciarum diversarum gentium, Christianorum, Saracenorum, & Hebręorum, & omnes Philosophi hoc affirmant. Et hoc unum in veritate scimus, quod Rex Mathemelinus turrem facit cum fabrica eminentiorem omnibus fabricis, & grossiorem & ampliorem, adinstar maximi montis, ita quod omnes sui habent expensas in ipsa fabrica. Et idem audimus de Rege Siclo, quę periculosa videntur, &c.

Sabinensis Episcopus, & Cardinalis S. Sabinæ die lunæ quinto intrantis Augusti recedentes de S. Germano, Cęperanum se conferunt, ad quos vadit ipse Imperator, & exterius castrametatus est, pręcepitque militibus suis ostentationem facere in equis, & armis.

Ipso mense Augusto in festo B. Bartholomęi Apostoli fulgur de cęlo veniens, Campanile Casinense percussit, & totam ejus summitatem projecit in terram, salvis tamen campanis, quæ erant in ea. Interea laborantibus hinc inde Nunciis ex parte Papæ, & Imperatoris, Magistro domus Theutonicorum, & Principibus Alemanniæ supradictis, pax est inter ipsum Papam, & Cęsarem reformata, & quędam Arces Regni traditę sunt servandę Magistro domus Theutonicorum usque ad certum tempus pro majori Ecclesiæ firmitate, & tunc Imperator ipse in castris ante Cęperanum in Capella S.Justę die mercurii in festo B. Augustini per Sabinensem est Episcopum ab excommunicationis vinculo absolutus. Similiter & omnes sui, ac ultimo mensis Augusti vadit Anagniam locuturus cum Papa. Interea suas per totum Regnum generaliter litteras pro libertatibus Monasteriorum, Ecclesiarum, personarum Ecclesiasticarum, & rerum illarum dirigit in hac forma.

Fridericus, &c. Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Camerariis, & Bajulis in Regno Siciliæ constitutis, &c. fidelitati vestræ per pręsentium scripta mandantes pręcipimus firmiter, ut nullus vestrum Monasterii, Ecclesiis, personis Ecclesiasticis, aut rebus eorum talleas, vel collectas pręsumat imponere, salvis illis servitiis, ad quæ certæ Ecclesiæ, vel personæ tenentur nobis specialiter obligatę. Datum in Castris ante Cęperanum 24. mensis Augusti Indict. 3.

Mittit etiam suos Nuncios, & litteras ad omnes Civitates, & Castra de Marchia, quę sibi fidelitatem fecerant sub comminatione diffida-

fidationis, ut ad fidem redeant Romanę Ecclesię, & mandatum ejusdem.

Mense Septemb. 1. die mensis ejusdem, qoi fuit dies Dominicus Cæsar invitatus à Papa, cum esset in castris in pede Anagniæ magnifice comitatus à Cardinalibus, & Nobilioribus Civitatis intravit Anagniam, & eo die cum Papa sedit in mensa, solus cum solo, Magistro tamen Theutonicorum præsente, in Papali Camera consilio longo se tenuere diu, ac die lunæ seqoenti cum gratia Papæ, & Cardinalium ad castra reversus est. Tunc Joanni de Poli concessit Comitatum de Albe propter Civitatem Fundanam, quam abstulit ei, & reddidit eam Rogerio de Aquila cum toto Fundano Comitatu. Tunc etiam Abbas S. Vincentii, & Pręlati, qui Imperatori adhęrentes excommunicati fuerant, ad preces Imperatoris à Papa absoluti sunt. Imperator à Papa discedens die mercurii, applicuit die jovis apud S. Germanum, indeque discedens post prandium sub celeritate se Capuam contulit, exinde versus Melphiam profecturus. Rex Thessalonicensis obiit Melphiæ, & Pręlati, & Principes Alemanniæ in sua recedunt.

Beluacen. Episcopus, qoi de Gallia venerat in auxilium Ecclesiæ, per Papam Dux Spoleti efficitur.

Raynaldus Dux Spoleti vadit Introducum, ubi aliquandiu moram faciens, in Apuliam ad Imperatorem redit.

Mense Novembri Gregorius Papa revocatus à Senatore, redit ad Urbem. Eodem mense Magister Guillelmus de S. Germano Domini Papæ Capellanus canonice electus in Archipresbyterum S. Germani assumptus est.

In Apulia Imperatoris jussu capiuntur Matthæus Marchasab. Magister Camerarius, Judex Philippus de Magdalone, Judex Guillelmus de Salerno, Notarius Adam, & Notarius Joannes.

Tunc pro correctione, & honestate vitæ Clericorum generales idem Papa per totum Regnum ad Metropolitas, & eorum suffraganeos litteras dirigit in hac forma.

Gregorius, &c. Venerabilibus in Christo fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Regum Siciliæ constitutis, &c. Si cavendum est vobis, ne sanguis subditorum de vestris manibus requiratur, Clericorum culpas, quæ periculosæ sunt, propter officii dignitatem, non debetis relinquere incorrectas. Horum enim quanto est gradus altior, tanto gravior casus existit, & excessus ipsorum vehementer in exemplum extenditur, dum in excusationem illorum dicitur: Sufficit discipulo si sit sicut Magister ejus, sicque per eos facientes delinquere populum, nomen Domini blasphematur, cum non soleant facere, qui sequuntur, nisi quod eos, qui procedunt, viderint facientes. Licet autem corrigendi sint omnes Clericorum excessus, & mores eorum, & actus in melius reformandi, specialius est tamen in eis incontinentiæ vitium exprobandum, cum non deceat per immundos sancta tractari, & fœdatos libidine mensæ Domini ministrare. Unde Abimelech Sacerdos David legitur respondisse, se ad manus panes laicos non habere, sed solummodo panem sanctum, quem mundis pueris, maxime à mulieribus, obtulit manducandum. Ut igitur judicium de domo Domini prodeat, pręsentium vobis auctoritate mandamus, & in virtute obedientiæ districte pręcipimus quatenus usque ad tres menses Clericorum vestrorum, tam incontinentiæ vitium, quam excessus alios

corri-

corrigentes, presertim super cohabitatione mulierum, eis diligenter, & solicite corrigere studeatis, taliter circa vos ipsos invigilare curantes, quod commendatione magis, quam correctione dignum in vobis valeat inveniri, alioquin si qui vestrum, quod non credimus, precepti nostri fuerint contemptores, ex tunc infra mensem responsuri nobis de contemptu personaliter ad Sedem Apost. accedere non postponant, attentius pracaventes, ne in commisso nobis negotio, quæ sunt nostra, non quæ Jesu Christi quæratis, si proprium vultis periculum evitare. Cæterum vos Archiepiscopi contra Prælatos vestræ Provinciæ, & alios, qui sunt infecti vitio Simoniæ cum tales Dominus facto flagello de resticulis de templo ejecisse legatur, ac eos, qui ultramontanos sine commendatitiis litteris Episcoporum suorum ausi sunt ad ordines promovere, aut eos, qui dicuntur incontinentiæ vitio laborare inquiratis solicite veritatem, & quod inveneritis, nobis infra prędictum tempus rescribere procuretis, ut per vestram relationem instructi, procedamus, prout viderimus expedire. Datum Anagniæ v. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno IV.

Mense Decem. Imperator apud Precinam Natale Domini celebrat.

M. CC. XXXI. Mense Januario, suas Imperator litteras mittit ad Stephanum de Anglone Terræ Laboris Justitiarium, ut diligenter inquirat de promissis Imperiali Curiæ factis, & si qua post transfretationem suam facta sunt concessionum privilegia per Raynaldum Ducem Spoleti, sive suo, sive Ipsius Ducis sigillo signata, aliquibus personis ea Imperiali Curiæ usque ad festum Purificationis B. Virginis præcipiat præsentari, alioquin ex tunc in antea nullam habeant firmitatem. Præcipiat etiam omnibus Ravellensibus, ut uxores, & familias suas usque ad festum Pentecostes remittant Ravellam sub pœna personarum, & rerum. Inhibeat etiam omnibus illis, quibus licentia data fuit ædificandi occasiones ortæ discordiæ inter Imperium, & Ecclesiam, sub pœna prædicta, ne in Terris, aut castris suis ædificare prę sumant. Item mandat generaliter, universis, qui de feudis servire tenentur, tam Prælatis, quam cæteris aliis, ut ana decem feuda conferant, de quibus Comes, vel Baro, qui decem feudis præerit, & pluribus, melior, necnon ditior, qui inter participes, & possessores invenietur. Eligi debeat, & taxari, & præparari se debeant in duobus equis, somorio uno, & armis, ac cęteris proportionaliter, & habeat pro Corredo unius anni unc. l. pretixo termino proximi passagii mens. Martii in Portu Brundusii prę sentandus, ut ab inde secundam suam dispositionem debeat transfretare. Item ad inquirendum si qui fuerint à talleis, & collectis exempti, sive potentia, prece, pretio, amore, vel timore cujusque. Mittit Judicem Rogerium de Asculo, & I. Comestabilem Corneti, ut universis, & singulis predictorum, collectam imponant.

Mense Februario Imperator versus Tarentum pruperat, ubi disponit Curiam regere generalem.

Eodem mense nonnulli Paterenorum in Urbe inventi sunt, quorum alii sunt igne cremati, cum inconvertibiles essent alii, donec pœniteant, sunt ad Casinensem Ecclesiam, & apud Cavas directi.

Imperator pro capiendis Paterenis apud Neapolim mittit Reginum Archiepiscopum, & Richardum de Principatu Marescalcum suum de quibus aliqui sunt inventi, & vinculis mancipati.

Colle-

Collecta ubique per Regnum jussu Imperiali, à Judicibus, & tabellionibus demanii exigitur.

Rex quondam Hierosolymitanus de Francia rediens,& de partibus ultramontanis venit Perusium, ubi venturum expectat Dominum Papam,cum quo loqui desiderat, quia nō vult se conferre ad Urbem.

Mens. Aprilis Magister domus Alemannorum de Alemannia ad Imperatorem redit.

Eodem mense Romanorum exercitus super Viterbium vadit.

In Civitate Constantinopolitana terręmotus magni fuere, per quos Ecclesiarum, & dumorum vastitas magna fuit.

In Apuliæ finibus, & aliis Regni partibus ad destruendam pestem Brucorum innumeram, generale à Cæsare edictum exiit, ut singuli de singulis terris, in quibus invaluerat pestis illa, summo mane ante solis ortum deberent capere quatuor tum nos de Brucis ipsis, & assignare quatuor Juratis de Terra qualibet ad comburendum sub pœna unius unc. auri unicuique, si ad hoc negligens fuerit, vel remissus, ac hoc singulis terris præcipi mandavit sub pœna 100. unc. auri ad opus fisci Imperialis.

Mense Maji dictus Raynaldus Dux Spoleti cum non posset Imperatori sufficientem ponere rationem, aut fidejussoriam cautionem præstare, apud Fogiam jussu Imperatoris captus est, & custodiæ traditus, ac bonorum omnium amissione mulctatus; quare Bertholdus, fratrer ipsius Ducis contra Imperatorem in Introduco se recepit.

Eodem mense Romanorum exercitus super Viterbium vadit, ab his de monte Flascone juratoria cautione recepta, ne subsidium aliquod illis de Viterbio conferre deberent.

Reginus Archiepiscopus ab Imperatore Nuncius ad Papam vadit, & veniens ad S. Germanum, inquisitionem facit fieri de infamibus, & suspectis.

Mense Junii primo die circa meridiem, qui erat dies Dominicus, terręmotus factus est subito in S. Germano, & per vicina loca, qui die ipso nonnulla Ecclesiarum Campanilia, ipsas etiam Ecclesias, firmas turres, & domos plurimas in Civitatibus, & Castellis evertit, qui quod dictu, & auditu mirabile est, terræ fundamentis concussis limpidos aquarum fontes de S. Germano, in fæcis fætulentæ colorem mutavit, & talis color aquarum per duas ferme horas duravit, saxa dirupit, propter quod homines timentes vivos à terra sorberi in multa contritione, & luctu pœnitentiam agentes suas Domino præ timore mortis animas commendabant. Terræmotus iste intonuit die illo, & hora prædicta à Capua usque Romam, & terra mota est. Et tunc de Coliseo concussus lapis ingens eversus est, & quia duravit ultra mensem terræmotus hujusmodi, interdum plus, interdum minus, attoniti homines, dimissis laribus, & locis propriis, ne domorum illos ruina contereret, ad agros exibant. Tunc jussu Landulfi Casinensis Abbatis, fit ad Casinense Monasterium de singulis terris suis processio generalis, discalciatis pedibus in fletu, & planctu.

Ea die qua terręmotus ipse fuit, Gregorius Papa Urbem exiens, vadit Reate, ad quem Barensis Archiepiscopus, & Magister domus Alemannorum ex parte Imperatoris vadunt, & Mutinensis Episcopus à papa ad Imperatorem Nuncius destinatur.

Rex quondam Hierosolymitanus apud Reate ad Papam vadit, de

cujus assensu, ut cum filio Imperatoris Constantinopolitani de filia sua contrahat, & ipse sit curator Imperii, donec in minori constitutus ætate perveniat ad legitimam. Mare apud Venetias intrans vadit collecto exercitus Constantinopolim.

Tunc Imperator domorum Hospitalis, & Templi possessiones, quę in Regno sunt, & earum fructus jubet capi ad opus suum.

Richardus de Principatu Marescalcus Domini Imperatoris, ipso Imperatore mandante, ut in Syriam transfretet, quos vult de Regno sibi ascivit in socios.

Constitutiones novæ, quæ Augustales dicuntur, apud Melfiam, Augusto mandante, conduntur. Mense Junio inquisitiones fiunt in S. Germano, & per totam Terram S. Benedicti, per Robertum de Busso jussu Magistri Justitiarii Campaniæ, falsariis, aleatoribus, tabernariis, homicidis, vitam sumptuosam ducentibus, prohibita arma portantibus, & de violentiis mulierum.

Exercitus Imperialis Introducum, in quo Bertholdus se contra Imperatorem receperat, obsidet, & devastat.

Gregorius Papa requisitiones solidorum à militibus, & servientibus Campaniæ fieri mandat, qui eos in fraudem retinuerunt tempore ortæ discordiæ inter Ecclesiam, & Imperium.

Belluacensis Episcopus, cui Ducatus Spoleti ab Ecclesia est commissus, congregato exercitu super Spoletum vadit, illam in exterioribus devastat, nec per hoc Spoletanos ad suam habere potuit voluntatem, & sic inde discedens supra mirandam vadit, ubi monetæ, & Bullæ Papalis esse falsarii dicebantur.

Exercitus Imperialis ab Introduco discedit.

Reatini jussu Papæ super Mirandam vadunt.

Mense Augusto de mandato Imperiali per totum Regnum seta cruda emi prohibentur, similiter sal, ferrum, & æs emi non nisi à Doana Imperiali mandantur.

Serra super Cęlanum firmata jussu Imperiali diruitur.

Eodem mense Magister domus Alemannorum in Lombardiam vadit.

Constitutiones Imperiales Melfiæ publicantur.

Mense Septembri apud S. Germanum, sicut per totum Regnum pondera, & mensuræ mutantur, ponuntur Rotuli, & Tarnini. Tinctorias omnes de Regno ad opus fisci Imperialis recipi pręcipit Imperator, & super hoc suas mittit litteras generales, quas cum duo Judęi pro Judeca S. Germani recipiendo detulerint, ipsam Reginus Archiepiscopus capi prohibuit, mandans ipsis Judæis, ut ipsam in pacem dimittant Monasterio Casinensi.

Mense Octobri Marinus Caracciolus miles Neapolitanus, cum filio Annei de rivo Acricio venientes ad S. Germanum cum litteris Imperialibus, & mandato pro reparatione castrorum Imperialium, requirebant Casinensem Abbatem ex parte Cæsaris, ut homines terræ Monasterii mittere deberet ad muniendum Atinum, castrum Cęlii, Roccam Bantrę, & Roccam Guillelmi.

Mense Novembri Romani, comperto quod Imperator in eorum odium Viterbium receperat, & ad ipsius Civitatis auxilium miserat quemdam Raynaldum de Aquaviva Capitaneum, & de gente sua cum eo pro tuenda Republica, magnam pecuniæ quantitatem Eccle-

siis

fiis Urbis in odium Papæ imponunt.

Mense Decembri Imperator apud Ravennam Natale Domini magnifice celebrat, & eo die licentiam dedit omnibus de Regno, qui secum iverant, in propria revertendi.

Nummi aurei, qui Augustales vocantur, de mandato Imperatoris in utraque Sicla Brundusii, & Messanæ cuduntur.

M.CC.XXXII. Mense Januario. Prænestinus Episcopus, & Dominus Oddo Cardinalis ex parte Papę Legati ad Imperatorē vadunt, & eo mense Thomas de Aquino, qui cum Imperatore iverat ipso Imperatore mandante, redit in Regnum, Regni Capitaneus institutus, qui ad S. Germanum veniens, Taffurum quemdam Civem Capuæ in Rocca Janulæ, quam usque tunc Richardus de Guerra per fratrem Leonardum de domo Theutonicorum servaverat, posuit Castellanum.

Henricus de Morro Magister Justitiarius ad S. Germanum veniens inquisitiones ibidem factas jussu Imperiali per Robertum de Busso Baronem de Comitatu Molisii, aperiri jussit, & publicari, unicuique infamatorum exhibens libellum suæ infamiæ, & nomina infamantium illos quod causa fuit magnæ discordiæ inter ipsos, & odii magni fomitem ministravit. Tunc de mandato ipsius Acerrarum Comitis, sex electi sunt in S. Germano, qui juraverunt dare Philippo de Citro Comestabili Capuæ fidele consilium, & auxilium qualiter munitio Terræ S. Germani celeriter compleatur. Qui habito consilio, providerunt munitionem ipsam per homines S. Germani, & alterius Terræ Monasterii in partes debere distribui, sicque factum est, & pars operis quibuslibet assignata.

Tunc etiam mandato dicti Comitis, & Magistri Justitiarii, Bajuli Imperiales, qui Cavarretti vocantur, per D. Hectorem de monte Fusculo tunc Terræ Laboris Justitiarium, de S. Germano, & tota Terra Monasterii amoventur.

Mense Februario in S.Germano Constitutiones Imperiales, quæ Augustales vocantur, publicatæ sunt, quarum initium est: De Mercatoribus, Artificibus, Medicis, Aleatoribus damnis, Militibus, Notariis.

Post Mundi Machinam providentia Divina firmatum, &c. Harum aliquot Richardus Auctor historiæ ponit, sed nos remittimus Lectorem ad librum Constitutionum Regni Siciliæ.

Mense Martio Imperator per Ravennam Aquilegiam vadit per mare, ubi filium suum Henricum Alemanniæ Regem venturum expectat.

Munitio Terræ S. Germani ut citius fiat per Philippum de Citro cum consilio Juratorum Terræ ejusdem, per homines Terræ Monasterii distribuitur.

Inquisitiones ab Archiepiscopis fiunt de Suffraganeis, Episcopis, Papa mandante, & ab Episcopis de Clericis suis, si caste vivunt, & continenter, & ut cessent prorsus cohabitatione mulierum.

Domus quedam in Corraria, & valle redimuntur, ut non diruantur, prout statuerat Imperator, & datę sunt Philippo de Citro unc. auri 200. de quibus partem misit pro solidis obsidentium Introducum, & partem reliquam Curiæ Imperiali persolvit.

Soldanus Damasci pretiosa mittit xenia Imperatori per quosdam Nuncios suos im Apuliam venientes.

Mense Aprili Thomas Acerrarum Comes, apud S. Vitum de Melfa Baronum, & militum exercitum congregat, quos Introducum mittit contra Bertholdum fratrem Raynaldi Ducis Spoleti, qui se in eo contra Imperatorem receperat.

Romani supra Viterbium vadunt.

Gregorius Papa de Reate apud Interamnem vadit, & inde vadit Spoletum, qui generales ad Regni Prælatos litteras dirigit, ne quis eorum officialibus Imperatoris, occasione defendendi Patrimonium Ecclesiæ, ipsos gravare volentibus, respondeant, & intendant.

Landus Reginus Archiepiscopus in Messanensem eligitur.

Joannes de Baruch Civitatem Acconitanam recipit in odium Imperatoris. Mense Madii Romani de Viterbio ad Urbem redeunt.

Imperator ab Aquilegia per mare redit in Apuliam, seque apud Melfiam contulit, ad quem mox Magister Justitiarius, & dictus Acerrarum Comes accedunt. Ad Papam Nuncius ex parte Imperatoris Magister Petrus de S. Germano dirigitur.

Eodem mense Joannes Baruch cum Marescalco Imperatoris congrediens in partibus Syriæ, ipsum devicit in campo, & multos cepit ex suis.

Apud Spoletum Gregorius Papa quemdam fratrem Antonium de Ordine Fratrum Minorum canonizavit, & Sanctorum catalago mandavit adscribi.

Mense Junii quidam Thomas de Pando Civis Scalen. novam monetam auri, quæ Augustalis dicitur, ad S. Germanum detulit distribuendam per totam Abbatiam, & per S. Germanum, ut ipsa moneta utantur homines in emptionibus, & venditionibus suis juxta valorem ei ab Imperiali providentia constitutum, ut quilibet nummus aureus recipiatur, & expendatur pro quarta unc. sub pœna personarum, & rerum in Imperialibus litteris, quas idem Thomas detulit, annotata Figura Augustalis erat, habens ab uno latere caput hominis cum media facie, & ab alio Aquilam.

Viterbienses castrum quoddam, quod Vetorchanum dicitur, quod Romani tenebant, proditorie occupant, & evertunt, quibusdam, qui evaserant de castro ipso, conferentibus se ad Urbem, aliis Viterbium secedentibus.

Mense Julio Gregorius Papa redit Reate, Romani in odium Papæ veniunt usque ad montem Fortinum, intrare Campaniam disponentes, ad quos tres ex parte Papæ venientes Cardinales, facta cum eis compositione per interventum pecuniæ, Romam reversi sunt.

Rogerius de Aquila Fund. Comes obiit, qui habitum suscipiens monachalem, apud Fossam novam sepeliri elegit. Terram ipsius, videlicet, Fundos, Trajectum, & Sugium, recipi ad opus suum præcipit Imperator per Hectorem de Monte Fusculo Justitiario, & per Philippum de Citro. Giffridus filius Comitis ipsius ad Papam se contulit, Turre Itri se tenente pro ipso, quæ tandem studio Philippi de Citro ad opus Imperatoris recepta est. Imperator pro succursu Civitatis Acconitanæ, quam Joannes de Barueh occupatam tenebat, parte Civitatis se pro Imperatore tenente, exercitum congregat militum, & Baronum.

Mense Augusto Gregorius Papa in Campaniam redit, & apud Anagniam festum celebrat Assumptionis B. Virginis.

Impe-

Imperator congregatum Brundusii exercitum revocat,& ipso mandante quilibet sunt in sua reversi.

In Sicilia apud Messanam contra Imperatorem seditio orta est, occasione Ricchardi de Monte Nigro pro Imperatore Justitiarii in Sicilia constituti, quem Cives dicebant contra eorum facere libertatem.

Decretales corriguntur à Gregorio Papa, resecando superflua, & utilia retinendo.

Bartholomæus de S. Germano Domini Papæ Capellanus, Papa mandante, Gajetam vadit pro compositione inter Imperatorem, & Gajetanos facienda, ut redeant ad fidelitatem ipsius, quod cum facere non posset, apud S. Erasmum secessit, & ibi usque ad mandatum Domini Papæ elegit facere stationem.

Mense Septemb. Imperator à Melfia venit Fogiam,& generales per totum Regnum litteras dirigit, ut de qualibet Civitate, vel castro duo de melioribus accedant ad ipsum pro utilitate Regni, & commodo generali, ad quem pro Terra S. Germani ivit Roffridus de Monte Mile.

Fodrum de Regno jussu Imperatoris apud Anagniam mittitur ad Dominum Papam.

Mense Octobri in S. Germano hujusmodi sunt Imperiales Assisiæ publicata.

Cives in terris eorum pro mercibus suis, quas intromittent, vel extrahent, nihil solvent, nisi quod olim solvebant, de pomis, castaneis, nucibus, avellanis, & aliis fructibus in jure Curiæ servabitur forma antiqua. Jus coriorum pro conzatura dimittitur in forma antiqua. Factum canapis omnino remittitur, vendentibus vinum, sive ad minutum, sive ad grossum, nihil requiritur, sed in eis servabitur forma antiqua. Statera erit in Fundicis, & nihil recipietur pro ea, nec amplius pro cantaro quam Gr. 5. Pro herbatico animalium, venditione equorum,& aliorum animalium similiter servabitur forma antiqua. A piscatoribus nihil requiritur, nisi secundum formam antiquam. Pro jure mensurarum victualii tam in Sauma, quam in Turninis servabitur forma antiqua, de jure casatici remissa sunt Gr. 3. pro unc. ita quod Mercatoribus, qui erunt pro eis, providebitur à custodibus Fundaci in lectis, luminaribus, palea, & lignis, de jure Bucceriorum pro bove, vel vacca remittuntur Gr. 3. pro porco Gr. 3. pro ariete Gr. 2. pro agno Gr. 2. de Tunninis, & Sardellis servabitur forma, de jure lini idem, de jure Cannarum idem, de lana Syriæ idem, de bambace, & de arcu coctonis idem.

Eodem mense Ægidius Verraclus Domini Papæ Subdiaconus, & Cappellanus pro facto Gajetæ ad Imperatorem in Apuliam Nuncius vadit.

Mense Novembris de communibus Lombardiæ pro compositione cum Imperatore facienda, Legati apud Anagniam veniunt ad Dominum Papam.

Mense Decembri pro facto Lombardorum. Henricus de Morro Magister Justitiarius ab Imperatore ad Papam Nuncius mittitur, cum quo vadunt Magister Petrus de Vinea, Magister Petrus de S. Germano, & Magister Benedictus de Sernia, ut cum Magistro Justitiario coram Papa pro parte Imperatoris, jus ipsius ostenderent.

M.CC.XXXIII. Mense Januario Henricus de Morro Magister Justi-

Justitiarius à Papa ad Imperatorem in Apuliam redit, quem subsecuti sunt Landus Messan. Archiepiscopus cum Regino Episcopo Nuncii à Papa directi ad Imperatorem. Imperator omnibus generaliter Prælatis, Comitibus, Baronibus, militibus tam feudatis, quam non feudatis mandat ut ad se cum toto servitio, quod facere tenentur apud Politorum, in futuris Kalendis Februarii accedere sint parati. Tunc jussu Imperatoris Lucerium Civitas Saracenorum firmatur, Trojæ mœnia diruuntur.

Imperato mense Februarii de Apulia in Calabriam se confert.

Magister Joannes de S. Germano, Guillelmo ejusdem Ecclesiæ Archipresbytero sponte cedente, in Archipresbyterum S. Germani assumitur.

Castella in Trano, Baro, Neapoli, & Brundusii jussu Imperatoris firmantur.

Mense Martii Senator cum nonnullis de majoribus Urbis ad Papam apud Anagniam vadit, quorum inductus precibus, cum quibusdam ex Cardinalibus ad Urbem redit, ubi cum honore maximo Romanorum receptus est, & pars reliqua Cardinalium apud Anagniam remansit.

Magister Thomas Cardinalis de mandato Papæ cum . . . . apud Viterbium vadit pro compositione inter Romanos, & Viterbienses facienda.

25. Aprilis in festo B. Marci Evangelistæ, die lunæ circa meridiem aeris serenitatem mutata, quæ multa erat, tanta subito tempestas inhorruit, & inundatio facta est pluviarum de supernis veniens montibus admixta grandinibus, ad S. Germanum, quod domos nonnullas in valle replevit alluvio, domorum utensilia, oleum, & victualia multa secum fluendo deduxit. Saxa etiam de montibus tam grandia movit, quod ea trahere multa bonum paria non valerent.

Raynaldus dictus Dux Spoleti mandato Imperatoris ducitur apud Introducum sub custodia ab Henrico de Morro Magistro Justitiario, ut idem Dux castrum ipsum reddi faciat Imperatori à Bertholdo fratre suo, qui illud tenebat, quod facere idem Bertholdus ad interventum Messanensis Archiepiscopus repromisit.

Pax inter Romanos, & Viterbienses reformata est.

Imperator Messanam intrat, & de quodam Martino Mallone, qui caput fuerat motæ seditionis in Populo, & ejus complicibus, sumpsit debitam ultionem, de quibus quosdam suspendio & quosdam incendio condemnavit.

Mense Maji pro servitio militum 60. & servientibus ducentis, in in quibus ab Abbate Casinen. sibi serviri debere Imperator debebat, collectæ sunt de Terra Monasterii unc. 400.

Florentinates super Senas vadunt, post prohibitionem Papæ, propter quod eorum Civitas sub interdicto posita est, & ipsi excommunicationis sunt vinculo innodati.

Mense Junio de quodam Sancto Virgilio miracula multa in scriptis redacta, de Alemannia missa sunt ad D. Papam.

Eodem mense quidam Fr. I. vili contectus tegmine, tamquam de Ordine Fratrum Minorum, ad S. Germanum veniens, cum cornu quodam convocabat populum, & alta voce cantabat tertio Alleluja, & omnes respondebant: Alleluja, & ipse consequenter dicebat: Be-

nedi-

nedictu, laudatu, & glorificatu lu Patri. Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Fillu. Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Spiritu Santu, Alleluja. Gloriosa Domina. Hoc idem alta voce respondentibus pueris, qui erant præsentes.

Imperator castrum quoddam in Sicilia, quod Centurbium dicitur sibi rebelle vi cepit, & destruxit, & incolas ad loca compulit alia demigrare.

Mense Julio Bertholdus Introducum Magistro Justitiario resignavit, & ipse cum Duce fratre suo assecuratus abjit extra Regnum, quo voluit.

Civitas Gajetæ ad mandatum redit Imperatoris, & juramentum fidelitatis sibi præstat, & Conradu filio ejus. Ad quam Hector de Monte Fusculo Justitiarius Terræ Laboris accedens, jussu Imperatoris Doanam instituit in ea, & Consulatu privavit eamdem.

Imperator de Sicilia suas ad eumdem Justitiarium, & alios Justitiarios Regni litteras dirigit super molestiis, & injuriis Prælatorum, ut ipsi statuto die, & loco Prælatos ad se convocent Regionum, & audiant eorum clamores, & qui juste poterunt expedire, expediant, reliqua vero per suos Nuncios sibi significent fideliter, & distincte, ut de ipsorum correctionibus provide ipse disponat. Item alias ad Casertanum Episcopum litteras mittit, pro inquisitione facienda hæreticæ pravitatis, ut tam Paterenos, quam eorum fautores, quos invenerit hujus criminis reos, sub suo, & Justitiarii Terræ Laboris testimonio sibi debeat intimare.

Gregorius Papa Urbem exiens, venit Anagniam.

Mense Augusto ad mandatum Hectoris de Monte Fusculo Justitiarii Terrę Laboris apud Theanum Prelati isti conveniunt in die ab eodem Justitiario constituto, scilicet Casertanus, Calvensis, Calinen. Venafranus, Alifanus, & Nolanus, sed nullus eorum se molestiam, vel injuriam passum fuisse ab aliquo officialium conquestus est.

Eodem mense mandatum de diruendo burgo Capuę ad Magistrum Justitiarium à Cæsare emanavit.

Hector de Monte Fusculo per Imperatorem à Justitiariatu amovetur, & Stephanus de Anglone substituitur illi.

Judex Petrus de Telesia inquisitionem facit in Abbatia de hominibus demanii Imperialis, quorum parentes, & avi de Terris demanii originem duxerant, & eorum nomina redegit in scriptis, ut de illis, quod sibi beneplacitum fuerit, faciat Imperator.

Mense Septembri Thomas de Aquino Acerrarum Comes mandato Imperatoris in Lombardiam vadit ad Civitatem Cræmonæ, quæ favet Imperatori.

Mense Octobri Cardinales, qui se Reate contulerant, revocati à Papa ad Urbem redeunt.

Mense Novembri Gregorius Papa de Anagnia redit ad Urbem.

Imperator diem natalis sui per totũ Regnum suum mandat in festo B.Protam.Stephani magnifice celebrandum, qui mense Decem.fuit ab hominibus S. Germani ad ipsius Imperatoris honorem magnifice celebratus, ita quod pauperes ultra quingentos manducaverunt, & saturati sunt rimis, pane, vino, & carnibus in platea publica.

Imperator apud Syracusam statuit in Curia generali, ut nulli omnino liceat de filiis, & filiabus Regni matrimonia cum externis, & adventi-

ventitiis, vel qui non sint de Regno, absque ipsius speciali requisitione, mandato, seu consensu Curiæ suæ contrahere, videlicet, ut nec aliquæ de Regno nubere alienigenis audeant, nec aliqui alienigenarum filias ducere in uxores, pœna apposita omnium rerum suarum.

M.CC.XXXIII. Mense Januario, apud Messanam ipse Imperator regens Curiam generalem, statuit in septem Regni partibus per annum generales nundinas celebrandas, mandans ut in singulis Provinciis, in quibus erunt nundinæ constitutæ, quandiu nundinæ ipsæ duraverint, nullus mercator, vel ministerialis alibi cum mercibus, & rebus venalibus, quam in loco nundinarum inveniri præsumat. Primæ nundinæ erunt apud Sulmonam, & durabunt à festo S. Georgii usque ad festum Inventionis S. Archangeli. Secundæ erunt Capuæ, & durabunt a 22. Madii, usque ad octavam Junii. Tertiæ erunt Lucerii, & durabunt à festo B. Joannis Papæ, usque ad octo dies. Quartæ erunt apud Barum, & durabunt à festo B. Mariæ Magdalenæ, usque ad festum S. Laurentii. Quintæ erunt Tarenti, & durabunt à festo S. Bartholomæi, usque ad festum Nativitatis B. Virginis. Sextæ erunt Cusentiæ, & durabunt à festo B. Matthæi usque ad festum B. Dionysii. Septimæ erunt Regii, & durabunt à festo S. Lucæ, usque ad festum omnium Sanctorum in Kalend. Novembris. Statuit etiam ipse Imperator apud Messanam bis in anno in certis Regni Provinciis generales Curias celebrandas, in quibus licebit quibuslibet contra Magistrum Justitiarium, Justitiarios, & quamcumque aliam personam, suam querimoniam instituere, ut omnes suam justitiam assequantur, & ibi erit pro parte Imperatoris Nuncius specialis, qui omnium querelas in scriptis rediget, & eas Imperiali Curiæ præsentabit sub suo, & quatuor bonorum virorum Ecclesiasticorum sigillis signatas. Clamores tamen contra eos factos, qui officiales non sunt, decident Justitiarii Regionum: iis Curiis bis in anno, ut dictum est celebrandis intererunt quatuor de qualibet magna Civitate, de melioribus Terræ, bonæ fidei, & bonæ opinionis, & qui non sint de parte: de aliis verò non magnis, & de Castellis duo intererunt Curiis ipsis. Prælati verò locorum, nisi certam habeant excusationem, quod interesse non possint, similiter intererunt eisdem Curiis, & durabit Curia per octo dies, in quibus nisi expediri negotia ipsa poterunt, prorogabitur in dies quindecim. Qui autem intererunt loca Prælatorum, qui interesse non poterunt, denunciabunt si qui sunt in eorum Provincia Patereni, vel hæretica pravitate infecti, ut severitate debita puniantur. Loca autem, in quibus Curiæ statutæ sunt, sunt hæc.

In Sicilia apud Platiam, in Calabria, Terra Jordani, & Vallis gratæ apud Cusentiam. In Apulia Capitaniata, & Basilicata apud Gravinam. In Principatu, Terra Laboris, & Comitatu Molisii usque Soram, apud Salernum. In Justitiariatu Aprutii apud Sulmonam. Tempus autem quando congregandæ sunt Curiæ, erit in Kalendis Madii, & Kalend. Novembris, in quibus Magister Justitiarius, Justitiarii, Magistri Camerarii, Camerarii, Bajuli, & alii officiales Curiæ, Prælati, Comites, Barones, Cives, & aliorum locorum, habitatores, quilibet in sua Provincia tempore, & locis præfixis in præsentia Legati Imperialis convenire tenentur super universis, & singulis, quæ constitutio continet, processuri.

Mense Februario de Sicilia in Calabriam transfretat Imperator, & exinde in Apuliam venit.

Hoc

Hoc mense, & mense Januario præterito tanta fuit abundantia pluviæ, & nivis, quod pro tempestate famis multa millia ovium in Apulia morerentur. Silvestres etiam bestiæ, & ipsæ volucres præ fame deficerent, & se quo verterent, ignorarent, cum ubique terrarum nix esset, & ipsa etiam flumina fuerint congelata, & etiam quod olivæ, & aliæ arbores fructiferæ arefactæ essent ex gelu nimio, homines desperabiliter murmurarent.

Imperator de Apulia venit in Terram Laboris, & tunc ab ista parte Capuæ fieri super montem Castellum jubet, quod ipse manu propria consignavit.

In Neapoli etiam munitionem factam præcipit ampliari. Operi Castelli de Capua, ut citius fiat, præponit Nicolaum de Cicala, cui omnes jubet intendere à Miniano usque Capuam.

In Gajeta pro Imperatore per Hectorem de Monte Fusculo fere 30. Turres custodiuntur.

Mense Madio Imperator per S.Germanum habens transitum apud Reate ad Papam vadit ducens secum Conradum filium suum, & se ad servitium Ecclesiæ exponens contra Romanos.

Inquisitio fit Imperatore mandante de opere S.Germani per totam Abbatiam per Judicem Adenulphum de Suessa,& Judicem Thomam de Caserta.

Tunc Imperator apud Reate faciens moram, revocavit ad opus suum quidquid turbationis tempore de Regni pertinentiis occupaverant Reatini, & ipse cum gente sua, una cum Magistro Raynerio Cardinale Viterbium se confert, prædicto Conrado filio suo, & qui cum eo usq; Reate iverant,redeuntibus in Regnum,Imperatore mandante.

Et tunc apud Raspampanum, quod Romani custodiebant, obsidionem ponit de Cardinalis consilio Imperator, ubi per duos menses faciens moram cum in capiendo castro ipso non proficeret mense Septemb. in Regno reversus est Imperator.

Illis diebus, dum Imperator esset Reate, quidam Gualterus de Aversa credens Imperatori placere, infestare cœpit eos, qui in odium Imperatoris Ecclesiæ adhæserant, propter quod ad Papæ verbum, quia castrum S. Mariæ de Oliveto, quod Rogerius de Galluccio tenebat, qui in partem Ecclesiæ cesserat, ipse Gualterus ceperat, ipso Imperatore mandante, per Magistrum Justitiarium captus est, & custodiæ traditus, quem tamen ad preces Oderisii Abbatis S. Vincentii liberavit. Imperator, in Regnum rediens, casalia quædam Apuliæ depopulari jubet.

Casale Castellionis ad Casinense Monasteriorum pertinens recipi mandat, & inhabitari ad opus suum.

Studium, quod Neapoli per Imperatorem statutum fuerat, quod extitit turbatione inter Ecclesiam,& Imperium secuta, penitus dissolutum, per Imperatorem Neapoli reformatur.

Romani statim post discessum Imperatoris à Raspampano cum suis viribus Raspampanum muniunt victui necessariis, & procedentibus inde super Viterbium vadunt, minus provide equitantes usque ad portas Civitatis, propter quod ipsos in reditu pœnituit equitasse, nam intercepti à Theutonicis militibus, & hominibus Civitatis ipsius, multi ex ipsis in ore gladii ciciderunt, & multi in captionem sunt ducti, ipsis nihilominus strenue se defendentibus contra illos, & nonnullos

de nobilioribus Theutonicis trucidantibus, cum eos nollent reservare ad vitam.

Hoc anno, quod Henricus Rex contra Imperatorem patrem suum seditionem in Alemannia fecerit, fama fuit.

M.CC.XXXV. Mense Januar. Imperator generalem collectam toti Regno imponit, & tunc collectæ fuerunt de Terra Monasterii unc. 400. pro adoamento per Stephanum de Anglone Justitiarium Terræ Laboris, & pro mutuo unc. 200.

Mense Februario inquisitiones fiunt per totum Regnum de hominibus demanii, quos in locis statutis transfert.

Imperator cum familiis suis, propter quod de S. Germano, & de tota Terra Monasterii nonnulli qui inventi sunt de demanio extitisse, apud Cumas ire cum suis familiis compelluntur.

Mense Martio captivi de Apulia, qui tenebantur apud Canusium, per interventum pecuniæ liberantur, ut ex eis quidam digna sunt pœna mulctati.

Mense Aprili Imperator apud Brecinam Pascha Domini celebrat, & consequenter post Pascha iter arripuit in Alemanniam profecturus, ducens secum Conradum filium suum, quem Magister domus Theuthonicorum ipso mandante præcessit ad Papam, & Thomas de Aquino Acerrarum Comes Magister Justitiarius, & Justitiarii alii de Regno, necnon & Capuanus, Hydruntinus, & Panormitanus Archiepiscopi, cum nonnullis de Regno usque Fanum secuti sunt, & de Imperatoris licentia sunt in Regnum reversi.

Turres in Gajeta exceptis quatuor diruuntur mandato Imperatoris. Rocca Janulæ supra S. Germanum firmatur, Stephanus de Anglone cedit officio Justitiariatus, & Guillelmus de S. Raymundo succedit eidem. Imperator cum Conrado filio suo, & de Regno admodum paucis mense Madio apud Ariminum mare intrat, & in Aquilegiam vadit, exinde in Alemanniam profecturus.

Pax inter Papam, & Romanos reformata est, Captivi Romani, qui apud Viterbium tenebantur per Papam liberati sunt, & qui tenebantur à Romanis, liberi dimittuntur.

Robertus de Busso à Justitiariatu Aprutii amovetur, & Hector Comestab. Montis Fusculi substitutus est illi.

Mense Junio Panormitanus, & Capuanus Archiepiscopi, Thomas de Agno Acerrarum Comes, & Henricus de Morro Magist. Justitiarius, qui pro Imperatore in Regno remanserat, se Capuam conferentes, statuerunt ibidem, qualiter Rocca Jani super S. Germanum muniri Turribus, & muris deberet. Ad quod faciendum quatuor elegerunt de Terra S. Benedicti, quod homines deputatos ad opus Roccæ ipsius assignare suis viribus Domino Philippo de Citto deberent comest. Capuæ Magistro operis Roccæ prædictæ, & ter in die ipsos requirere quemlibet prædictorum, quorum nomina hæc sunt; Jacconus Miles de Ponte Curvo, Raymundus Pelegrini de S. Helia, Rogerius de Landenulpho, & Raymundus de Paterno de S. Germano, & ut Rocca ipsa citius muniretur, per ipsos Dominos in Terra fundata certa singulis mensibus pecuniæ quantitas est statuta, & demum se apud Melphiam in Apuliam contulerunt.

Eodem Mense de felicibus Imperatoris auspiciis litteræ venerunt in Regnum, quomodo apud Sibidatum à Principibus Imperii magno

fuerat

fuerat cum honore receptus ipso mense, nullo obstante Alemanniam intrans, Henricum Regem filium suum redeuntem ad mandatum suum recepit, quem Duci Bavariæ custodiendum commisit. Philippus de Citro amotus est à Magistratu operis Roccæ Janulæ, & Jacobus de Molino substitutus est illi.

Mense Julii Imperator filiam Regis Angliæ duxit uxorem, quam apud Guarmacum magnifice desponsavit.

M.CC.XXXVI. Mense Januario Imperator filium suum Henricum sub fida custodia per marchionem Lanceæ mittit in Regnum, & in Apulia in Rocca quæ dicitur S. Felix servandus traditur.

Hoc anno jussu Imperatoris Brundusii novi Imperiales cuduntur, & veteres cassati sunt. Generalis collecta in Regno ponitur, & tunc pro adoamento Imperiali collectæ sunt de Terra Monasterii Casinen. unciæ cl.

Mense Junio in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli capta est Corduba nobilissima Saracenorum Civitas, qua præter Romam, Constantinopolim, & Hispalim nulla major in orbe dicitur à Ferrando Christianissimo Rege Toleti, & Castellæ.

Mense Julii in festo Sanctorum Nazarii, & Celsi, Landulphus Senebaldus Casin. Abbas feliciter apud Casinum objit, cujus obitus per fratrem Julianum Monachum Casin. Dominis Curiæ Imperialis, qui sunt in Apulia, nunciatur, à quibus eligendi licentiam conventus accepit.

Eodem mense Imperiale mandatum ad Urbem, & generaliter per Tusciam, & Lombardiam, & per totam Marchiam mittitur, ut tam de Urbe, quam de singulis ipsarum Provinciarum communitatibus in Lombardiam legati vadant, postquam illuc Imperatorem sciverint venisse, &c.

Mense Augusto Fr. Julianus, Fr. Robertus de Foresta, & Fr. Joannes Gazolus de voluntate Henrici de Morro Magist. Justitiæ per Vicedecanum, & conventuum Rectores, Terræ Monasterii sunt electi.

Imperator cum honesto militum comitatu relictis Imperatrice uxore sua, & Conrado filio suo in Alemannia, transalpinavit, & venit Veronam, quæ suo favebat Imperio, & inde prospere usque Cremonam processit in Lombardiam, licet Mediolanenses cum suis viribus se sibi opponerent; ne transirent Domini Curiæ, qui in Regno remanserant pro parte Imperatoris, cognito de adventu Imperatoris in Lombardia prohibuerunt vicedecanum, & Conventum Casinen. ne in electione Abbatis facienda procederent, Legati Urbis, & totius Lombardiæ, & Tusciæ ad Imperatorem vadunt. Mense Octobris ex parte Casinen. conventus ad eum quoque duo vadunt, Fr. videlicet Simon de Præsentiano, & Fr. Amicus, qui tamen, cum aliarum Nunciis Civitatum usque Cremonam procedentes & ultra ipsum videre non poterunt.

Cum mense Novembris capta Civitate Vincentiæ, propere in Alemanniam redivisset, quam Civitatem igne pro parte cremavit: unde versus;

Pro meritis dignis Vincentia decremat ignis.
Subderis Imperio Cæsaris ingenio.

Thomas Acerrarum Comes, & Henricus de Morro Magister Justitiarius vocati ab Imperatore vadunt ad ipsum mense Decembri, sed

 ipsum

ipsum in Lombardia non invenerunt, cum in Alemanniam ut dictum est remeasset, ad domandam Ducis Austriæ nequitiam, qui rebellaverat contra ipsum. Propterea iidem Comes, & Magist. Justitiarius in Alemanniam properarunt.

Hoc anno Petrus Frajapane in Urbe Roma pro parte Imperatoris guerram movet contra Papam, & Senatorem, & seditio facta est multa in populo.

M. CC. XXXVII. VIII. mensis Januarii electio Abbatis Casinen. canonice celebrata est de fratre Pandulpho de S. Stephano, & quasi per inspirationem ab omnibus approbata mense Feb. litteræ Imperiales lectæ sunt in S. Germano de captione Vincentiæ, & de nova Imperatoris prole feminea de nova consorte suscepta. Inquisitio fit de opere S. Germani per Judicem Adenulphum de Suessa mense Martio, Fr. Simon de Præsentiano, & Fr. Stephanus de Carvaro ad Imperatorem in Alemanniam vadunt cum litteris conventus factis ad eum, quibus denunciatur electionem canonice celebratam de Fr. Pandulpho de S. Stephano in Abbatem Casinen.

Eodem mense Imperatore mandante generalis collecta per totum Regnum exigitur, &c. Mense Aprile Magister domus Theutonicorum, & Magist. Petrus de Vinea missi ab Imperatore ad Papam veniunt pro facto Lombardię. Eodē mense pax in Urbe reformata est, &c.

Mense Madii Acerrarum Comes, & Magister Justitiarius ab Imperatore de Alemannia redeunt in Regnum. Pater Simon de Præsentiano, & Fr. Stephanus similiter de Alemannia redeunt cum litteris Imperatoris de facto electionis factæ de Fr. Rodulpho ad Archiepiscopos Panormitanorum, & Capuarum, necnon & Ravellensem Episcopum missis, per quos certiorari desiderat de sufficiētia ipsius electi.

Eodem mense Joannes de Poli Senator Urbis factus est, & iterum in ejus odium seditio in Urbe orta est.

Magister domus Theutonicorum à Papa ad Imperatorem revertitur.

Episcopus Ostien. & Thomas Capuanus etiam S. Sabinæ Presbyter Card. Legati ad Imperatorem vadunt ex parte Papæ.

Mense Junio dictus Fr. Simon per Dominum Guillelmum de S. Fraimundo Terræ Laboris Justitiarium remanente secum in Rectoria Fr. Joanne Carolo, & duobus aliis cassatis Rectoribus, scilicet Fr. Juliano, & Fr. Roberto de Foresta Rector Casinen. institutus est, qui Fr. Simon apud Avellinum vadens ad Dominos Curiæ supradictos, qui ibidem convenerant, obtinuit ab eis, ut pro inquisitione facienda de persona Casinen. electi mittere, quem vellent deberent, qui ad hoc faciendum mirum præjudicium Judicem Thadeum de Suessa magnæ Imperialis Curiæ Judicem elegerunt. Mense Julio veniens idem Judex ad S. Germanum de ipsa dato per dictorum Dominorum tam de fide, quam sufficientia, jam dicti Casinen. electi per singulos de castris singulis ad se sub certo mandato vocatos homines, necnon & de anno, ubi se tempore discordiæ inter Ecclesiam, & Imperatorem receperat, inquisitionem facere studuit diligentem, quam in scriptis redactam ad eosdem Dominos per Magistrum Terrisium de Atino remisit, ad quos, & Fr. Joannes de S. Germano, & Magister Raymundus Judex, & Advocatus Casinen. vadunt ex parte conventus, & approbata per ipsos Dominos inquisitione ipsam electionem factam de prædi-

prædicto Fr. Pandulfo, juxta mandatum Cæsaris acceptarunt.

Eodem mense Jacobus de Molin captus à Magistro justitiario propter arma prohibita, & seditionem factam custodiendus traditur in castello Neapolitano, & nonnulli alii seditiosi capiuntur, & ad castra alia in captione mittit.

Hoc anno Joannes Rex q. Hierosolymitanus apud Constantinopolim naturæ concessit de mense Julio: Romani plebei populus comn unitates contra Joannem de Poli Senatorem Urbis ipsum Senatoriæ dignitati cedere compulerunt, & Joannem de Centio substituerunt eidem, propter quod seditio, & cædes multa facta est populi, cum inde Joannes de Poli se in Turri sua recepit contra Romanos, & Senatorem sibi substitutum, & bellum contra eos moverit intestinum, tandemque pax reformata est inter eos, in Senatu de consensu jam dicti Joannis de Poli, Joanne de Centio remanente.

Mense Augusto pro confirmatione electionis jam dicti patris Pandulphi obtinenda à Papa vadunt Fr. Richardus de Babujo, F. Joannes de S. Germano, Fr. Gregorius de S. Stephano, Fr. Stephanus de Carvaco, & Magister Raymundus Caira Judex, & Advocatus Casin. apud Viterbium, qui quoniam obtinere illam non potuerunt à Papa jam dicto, quia in electione non fuerat rite processum, obtinuerunt ad multam instantiam ne Monasterium in deterius vergeret, ut electus ipse administraret usque ad beneplacitum Papæ.

Eodem mense de mandato Imperatoris de Lucoria apud Ravennam vadunt decem millia Saracenorum in subsidium ejus, cum Civitatem ipsam in odium Imperatoris, cujus partem fovebant Faventini, qui erant ex parte Mediolanen. graviter infestarent, ad cujus etiam defensam accesserat Simon Comes Theatinus de mandato Imperiali, cum quingentis militibus.

Mense Septembris Henricus de Morro Magister justitiarius venit ad S. Germanum, & occasione inquisitionis olim factæ ibidem de subtractis hominibus tempore Philippi de Citro ab opere munitionis Terræ ipsius generaliter pro his qui eos subtraxerant, per totam Abbatiam composuit cum eis ad majorem pœnam vitandam in ccc. unc. auri, cum prædicto verò Philippo de Citro in centum, & sic vocatus à Cæsare ad ipsum in Lombardiam vadit.

Mense Octobris Imperator cepit Marcariam in Lombardia, & cum nollet habita Mantua alloqui Cardinales, ipsi Romam reversi sunt, ubi etiam biduo ante Gregorius Papa de Viterbio redierat, & cum honore multo receptus fuerat à Romanis.

Mense Novembris Ambasciatores Romani ad Imperatorem in Lombardiam vadunt. Imperator cum fortunato exercitu suo cepit Montem Clarum in Episcopatu Brixiæ, quod bonis omnibus spoliatum comburi jubet, propterea quod Brixienses in suum axilium Mediolanen. vocaverant, qui in manu valida militum, & peditum congregato exercitu versus Brixiam in ejus auxilium profecti sunt, contra Imperatorem se temere opponentes, quos Imperator ipse 4. stante eodem mense Novembris cum apud curtem nova sua tentoria defecissent ab ipsius facie fugientes, audacter non minus quam potenter invadnens devicit in campo, & ex ipsis stragem non modicam fecit, & nonnullos cepit, & captivos Cremonam duxit. Ita quod inter vivos, & mortuos ad decem fere millium numerus computaretur.

Tunc.

Tunc etiam Mediolani poteſtas filius Ducis Veneti captus eſt ſimiliter, & Carrocchium cepit, & Cremonam duxit.

Menſe Decemb. Lauda ipſi Imperatori ſe reddidit, & ibi Natale Domini cum omni tripudio celebravit.

M.CC.XXXVIII. Menſe Januarii Henricus de Morro Magiſter Juſtitiarius de Lombardia redit in Regnum, & tunc generalis collecta per totum Regnum imponitur, & colligitur. Imperator in Alemanniam remeat, & ibi pro facto Lombardiæ exercitum congregat, Magiſtrum domus Alemannorum ultra montes dirigit pro ſoldatiis retinendis, &c. menſe Aprilis in Lombardiam redit, & apud Veronam filium Conradum ſuum eum Principibus Imperii, & copioſo exercitu præſtolatur. Carrochium captum Romam dirigit Imperator in ſignum victoriæ.

Menſe Majo Imperator vocat ad ſe Thomam de Agno Acerrarum Comitem, & Henricum de Morro Magiſtrum juſtitiarium, & omnes Barones, & milites infeudatos, quorum nonnulliis, juxta ipſius mandatum, euntes ad ejus obſequium Civitatibus quę venerant ad nutum ſuum, poteſtates præfecit, & aliis cuſtodiam captivorum commiſit.

Menſe Junio Acerrarum Comes cum Magiſtro juſtitiario ad Imperatorem in Lombardiam vadit cum militibus Regni decenter paratis in equis, & armis, & cum pecunia de Regno collecta.

Gregorius Papa Urbem exiens venit Anagniam, &c.

Hoc menſe in Caſino celebratur electio, & quia in eligendo Monachi convenire non poterant, vota ſua dederant in Archiepiſcopatum Meſſan. ut ipſe unum quem vellet de gremio aſſumeret Monaſterii.

Menſe Julii Conradus Rex filius Imperatoris apud Veronam venit ad patrem cum Principibus & exercitu copioſo, cum quo ſe Cremonam conferens infeliciter in obſidione Brixiæ properavit: apud Veronam etiam Magiſtrum domus Theutonicorum infirmum redeuntem de partibus ultramontanis recepit Imperator.

Hoc menſe Fr. Joannes Capuanus Caſinenſis Monachus in Abbatem S. Salvatoris de Teleſia per Papam Gregorium apud Anagniam conſecratus eſt, qui menſe Auguſto infirmitate correptus objit.

Menſe eodem Auguſto Henricus de Morro Magiſter juſtitiarius de Lombardia redit in Regnum. Panormitanus Archiepiſcopus, Epiſcopus Reginus, Judex Thadæus de Sueſſa, & Magiſter Rogerius Porcaſtrella de Lombardia ab Imperatore ad Papam apud Anagniam Nuncii veniunt pro pace inter Eccleſiam, & Imperium reformanda, cum quibus pro parte Eccleſiæ Meſſanenſ. Archiepiſcopus ad Imperatorem dirigitur Reſponſalis à Papa.

Magiſter domus Alemannorum Salernum ſe confert pro ſanitate recuperanda.

Menſe Septemb. Imperatrix de Lombardia venit in Regnum, & apud Adrium elegit juſſu Imperatoris facere ſtationem.

Menſe Octobris Gregorius Papa de Anagnia rediit ad Urbem, ubi novi confutati ſunt Senatores DD. Joannes de Poli, & . . . .

Imperator veſtata in exterioribus Brixia ab ejus obſidione recedit. Conradus filius ejus in Alemanniam redit, & licentia data eſt in propria revertendi, ipſe tamen in Lombardia remanſit.

Henricus naturalis filius Imperatoris in Sardinia duxit uxorem.

Menſe Novembris Landus Meſſanen. Archiepiſcopus, in quem

Con-

Conventus Casinen. eligendi quem vellet in Abbatem de gremio Monasterii, sua vota dederunt, fratrem Stephanum de Coruan. cum illum idoneum invenisset in Abbatem Casinensem elegit, quem idem Conventus pariter acceptavit, & propter hoc ad repræsentandam Ipsius electionem Domino Imperatori duos ex fratribus, scilicet fratrem Robertum de Foresta, & fratrem Joannem de Pontecurvo ad ejus præsentiam direxerunt, ut suum in eum dare dignaretur assensum.

Idem Messanensis Archiepiscopus cum Berardo Panormitano Archiepiscopo, & Thoma de Agno Acerrarum Comite, & cum Magistro Rogerio Porcastrella ab Imperatore remissus ad Papam Romam venientem pro pace, & forma concordiæ hinc intertractata.

Guido Lorenus Episcopus Legatus à Papa in Provinciam mittitur.

Mense Decembris Imperator Imperatricem uxorem suam de Regno in Lombardiam reduci jubet ad se per Berardum Panormit. Archiepiscopum. Messanen. Archiepiscopus, Comes Acerrarum, & Magister Rogerius Boccabella de Urbe à Papa digressi sunt, quorum duo scilicet Comes, & Magister Rogerius in Regnum redeunt; Messanensis Archiepiscopus vero se Anagniam confert. Imperator apud Parmam Natale Domini celebrat, ibique repræsentatæ sibi electioni à prædictis fratribus factæ de prædicto Stephano ab Archiepiscopo Messanen. in Abbatem Casinensem suum dedit assensum: prædictus Magister Rogerius cum responso Papæ ad Imperatorem redit.

M.CC.XXXIX. Mense Januarii Generalis collecta per Regnum exigitur Fr. Raymundus de Cruci, Fr. Richardus de Babuco electionem Fr. Stephani in Abbatem Casinen. repræsentat Domino Papæ Gregorio in Urbe.

Imperiales novi cuduntur Brundusii.

Mense Februarii Gregorius Papa electionem Fratris Stephani confirmat, eumque per manus Ostien Episcopi facit in Sacerdotem promoveri in festo S. Barbari, & die altera benedictionis sibi munus impendi, qui in Casinen. Monasterio in festo B. Matthiæ honorifice receptus est & cum gloria cathedratus.

Mense Martii idem Abbas ad Imperatorem in Lombardiam vadit, à quo benigne satis receptus est, & ibidem fidelitatis sibi præstitit Sacramentum, qui Abbas antequam discederet è Monasterio vicedecanum instituit fratrem Richardum de septem fratribus.

Eodem mense in die S. Jovis Gregorius Papa Imperatorem publice excommunicat, cui excommunicationi, quam judicabat injustam Imperator non paret, sed suas excusatorias mittit ad orbis Principes, quomodo Papa perperam contra se processit.

Mense Aprilis Monasterium Casinen. Imperatore mandante servientibus, & aliis ad custodiam necessariis committitur quibusdam Monachis ex eo exclusis.

Similiter & Pons curvus Taffurum Castellanum Roccæ Janulæ.

Mense Majo in Marsia apud Talliacotium quidam Sanctus Oddo revelatur, qui miraculis multis claruit.

Eodem mense Thomas de Agno Acerrarum Comes vocatus ad Imperatorem in Lombardiam vadit. Omnes de Regno, qui sunt in Romana Curia revocantur.

Denarii novi dati sunt per Terram S. Benedicti, pro quibus datum est aurum ad summam 170. unc.

Tea-

Teanen. Calinen. Venafranus, Aquinen. Episcopi de Regno exeunt Imperatore mandante.

Tertio Junii circa horam nonam diei veneris sol Eclipsim passus est.

Eodem mense à Monasterio Casinen. sicut à cæteris aliis de Regno Cathedralibus Ecclesiis, nec non à subditis ejusdem Monasterii cellis, adjutorium pro Imperatore exigitur. Similiter & à Clericis Abbatiæ pro beneficiis suis. Obedientiales monachi vocati à Taffuro Castellano Roccæ Janulæ, sicut & ipsi Clerici dare convenerunt medietatem omnium obedientiarum suarum & exinde reddere Rogerio Landenulpho, & Jacobo Cazolo ad hoc constitutis per Justitiarium Terræ Laboris pro victu servientium, qui deputati sunt ad custodiam Monasterii, & Pontiscurvi.

Eodem tempore subscripta capitula edita sunt in Regno, quæ pro parte Imperiali observari jubentur. In primis ut fratres Prædicatores, & Minores, qui sunt oriundi de Terris infidelium Lombardiæ, expellantur de Regno, & ab aliis habeatur cautela quod non offendant Imperatorem. Idem fiat de aliis personis Religiosis. Item ut Barones, & milites qui faverunt aliquando Papæ contra Cæsarem, & præcipue qui sunt in confinio Regni, inducantur potentes quod vadant ad servitium Curiæ in Lombardiam cum equis, & armis, impotentes similiter à Curia Imperiali stipendia recepturi: item à Cathedralibus Ecclesiis per se exigatur, & imponatur pro Imperiali Curia adjutorium secundum modum, & potentiam divitiarum suarum. Nihilominus & à Canonicis earum Diœcesum sibi subditis Presbyteris, & Clericis secundum facultates eorum, idem exigatur ab Abbatibus, Monachis nigris, & albis; item quod hi qui sunt in Romana Curia præter exclusos,& suspectos revertantur in Regnum: sin autem, bona eorum infiscentur, nec permittant post citationem reverti. Excipiuntur qui sunt cum Cardinali Thoma, & cum Joanne de Capua Notario Papæ; item illorum Clericorum qui de Regno non sunt, bona, & beneficia quæ habeant in Regno, infiscanda sunt; item quod nulli permittatur ad Romanam Curiam accedere sine speciali mandato Magistri Justitiarii, & qui accesserint, non permittantur redire sine mandato Curiæ; item quod statuantur exploratores ne quis masculus vel fœmina intrando Regnum portes papales literas contra Cęsarem; item ut qui inventus fuerit contra Cæsarem illas portantem, ultimo supplicio puniatur suspensus, & si portaverit literas de credentia, cogatur confiteri modum, & tenorem credentiæ. Et si confessio lędit Principem eodem judicio puniatur sive clericus sive laicus fuerit.

Eodem mense Junio Sanctagaten. & Caluen. Episcopi Romam vadunt, missi ab Imperatore ad Cardinales, sed à Papa repulsi in Regnum sine effectu redeunt.

Civitas Taruisii per Alterium de Romano & Erolinum de Camino rebellat Imperatori.

Eodem mense iterum alii, qui remanserat Monachi de Casinen. Monasterio excluduntur, quatenus simul cum primis exclusis morari apud Vallem lucis provisum est, paucis admodum in Monasterio remanentibus.

Mense Julii Ravenna rebellatur Imperatori quam Veneti recipiunt, & tuentur.

Eo mense homines Terræ Monasterii mandante Imperatore absenti Ca-

ti Casinen. Abbati, & Ser. in suo servitio commorati per suam vitam assecurant, & membra.

Gregorius Papa de Urbe venit Anagniam.

Imperator de gratia concessit dicto Casinen. Abbati ut tam Monast. Casinen. quam omnes Monachi, & cellæ ejus à generali, quod ab aliis exigitur Ecclesiis Regni adjutorio essent immunes.

Eodem mense tertia fit exclusio Monachorum de Monasterio Casinensi quorum quidam apud Vallem lucis, quidam apud S. Petrum Monasterii & quidam moram facere in parentum domibus elegerunt, & in ipso Monasterio non nisi octo tantum Monachi ad celebrandum in eo divina officia remanserunt; quorum nomina sunt hæc, frater Raymundus de septem fratribus vicedecanus, Fr. Seniorettus, Fr. Robertus de Ota, Fr. Joannes Carolus, Fr. Guillelmus de Pignataro, Fr. Joannes de Marotta, & Fr. Matthæus de Miniano.

Romæ apud Lateranum objit R. . . . . Episcopus Venafranus.

Eodem mense Julii Imperator cum suo exercitu cepit in Episcopatu Bononien castrum quoddam fossatis, & aquis munitum, quod Plumacium vocabatur, quod totum igne crematum est, atque principales eorum, qui intus steterunt, ignis cremavit, & fere quingentos, qui evaserunt ignis incendium, Imperator duxit captivos.

Romæ cecidit Turris Cartellariorum.

Mense Augusto Rex Navariæ cum copioso crucesignatorum exercitu de Marsilia in Terram Sanctam navigio transfretat.

In vigilia Assumptionis B. Mariæ Imperator in Episcopatu Bononien. cepit castrum Crepacor. quod igne crematum est, & nonnulli eorum qui intus steterunt, evaserunt, & pro majori parte sunt ducti captivi.

Apud Anagniam Thomas Capuanus S. Sabinæ Presbyter Cardinalis 10. Kal. Septembris objit unde versus.

In festo, Magni festum, Thomas perit Agni.
Donatur Magno caro macida, spiritus Agno.

Eodem mense Augusto Henricus de Morro Magister Justitiarius vocatus ab Imperatore ad ipsum in Lombardiam per mare vadit, Imperator revocatus à Civitatibus, & Magistratibus Lombardiæ partem suam faventibus divertit ab Episcopatu, & depopulatione Bononiæ, & ad depopulandum in exterioribus Mediolanum accedit, cui Mediolanenses ex Civitate per octo fere milliaria obvios se opponunt. Imperator tamen cum invadere ipsos non posset, aut facere in eos insultum, moram pertrahens in Episcopatu Mediolanen. per duos fere menses Septemb. & Octob. & depopulatione facta non modica in extrinsecis, discessit ab inde, & ad devastationem Pontis Placentiæ cum exercitu suo accedit.

Mense Septembri Justitiarii omnes, & Castellani de Regno mutantur, & amoto Taffuro de Capua de Rocca Janulę Castellano, qui etiam curam agebat Montis Casini, & Pontiscurvi. Substituitur illi quidam Guillelmus de Spinosa in Rocca Janulæ Castellanus, & in Casino quidam Jordanus de Calabria ordinatur. Et amoto à Justitiariatu Terrę Laboris Guilielmo de S. Fralmundo Richardus de Monte nigro substitutus est illi. Barones, & milites infeudatide Regno per Justitiarios singulos, ut se in equis, & armis præparent, summonentur.

Bononienses post discessum Imperatoris ab Episcopatu Bononiensi

 euntes

euntes temere super Mutinam, quod Imperatori favebat, à Comite Simone Theat. & Parmensibus devicti sunt in campo, & nonnulli eorũ capti sunt, ac nonnulli gladiis interempti, & nõnulli amne submersi.

Henricus Rex Gallurae naturalis filius Imperatoris in Marchiam Anconitanam venit, contra quem mittitur à Gregorio Papa Joannes de Columna Cardinalis, mense Octob. . . . . Preneftinus Episcopus Legatus à Papa ad Principes mittitur Occidentis, qui in specie Peregrini cum uno tantum socio per Terram usque Januam vadit, & in navigio transfretavit.

Mense eodem Andreas de Cicala à Porta Roseti usque ad fines Regni per Imperatorem Capitaneus constituitur. Ingenia quae Biddae, dominae, & Manganelli fiunt Imperatore mandante ad defensam Roccae Janulae, & Casini, propter quod, & homines Terrae Monasterii ad incipenda lignamina ipsis machinis opportuna, & boves ad ea deferenda non modice sunt gravati.

Roffridus Theanen. Episcopus apud Cornetum obiit.

Mense Novembri Gregorius Papa de Anagnia redit ad Urbem, ubi à Romanis omnibus honorifice receptus est, qui in octavis B. Martini sententiam latam in Imperatorem confirmat, & excommunicat Henricum naturalem filium ejus, & omnes sequaces eorum pro eo quod Marchiam quam juris esse dicebat Ecclesiae, hostiliter est ingressus.

Mense Decemb. Imperator apud Pisas Natale Domini celebrat, quidam frater Helias, qui in Ecclesia S. Francisci apud Assisium Magister Ordinis Fratrum Minorum extiterat, pro eo quod apud Gregorium Papam delatus à fratribus quod male administrasset, eum Papa ab administratione removit. In odium Papae Imperatori adhaesit: vigiles de nocte per Richardum de Monte nigro Justitiarium in Principatu Capuae statuti sunt.

M.CC.XL. Mense Januario per predictum Capitaneum generalis collecta exigitur Imperatore mandante, & tunc visitatores castrorum per Regnum constituuntur, per quos de fidelibus deputati sunt aliqui, qui castra Imperialia visitent semel in hebdomada, & tam de factis Castellanorum, quam de numero servientium diligenter inquirant similiter, & defectu eorum.

Mense Feb. per eundem Capitaneum per totum Regnum fit inquisitio generalis contra Impositores, & collectores, collectae Imperialis anni praeteriti, ut de sua malitia pro meritis puniantur. Imperator venit Fulignum ubi magnifice à Civibus receptus est. Appellum, & Coction. venerunt ad suum mandatum: recipit tunc etiam Viterbium.

Eodem mense Februarii Ortam, Civitatem Castellanam, Cornetum, Sutrum, Montem Flasconem, & Tuscanellam . . . . Imperatrix cum Richardo Panormitano Archiepiscopo in Regnum venit.

Stella Cometes apparuit.

Mense Martii Imperator relicto Capitaneo apud Viterbium Comite Simone Theatino cum exercitu suo, & in Marchia naturali filio suo Henrico Rege Gallurae cum his qui de Regno secum in Lombardia fuerant, redit in Regnum, tunc Stephano Casinen. Abbate ad Terram Monasterii redeunte.

Mense Aprilis Imperator apud Fogiam colloquium celebrat generale, specialis collecta à Clericis Regni pro beneficiis Ecclesiasticis exigitur.

Eo-

Eodem mense filius Regis Castiliæ ad Imperatorem apud Fogiam venit.

In S. Germano Magister Joannes Archipresbyter Terræ ejusdem, & Magister Petrus frater ejus jussu Imperatoris per Philippum de Suriento militem Capuanum, & per quemdam Judicem majorem capti sunt, & eorum sunt mobilia infiscata, immobilia verò omnia annotata. Civitas Ferrariæ à Civitatibus Lombardiæ Imperatori contrariis, nec non & à Venetis impugnatur, & obsidetur per Terram, & aquam, in qua pro Imperatore erat quidam Azolinus. Imperator à suis officialibus certam exigit pecuniæ quantitatem.

Mense Maji Imperator congregato exercitu de Apulia venit Capuam, & ipso mandante Beneventum in exterioribus devastatur.

Mense Junio Imper. cum exercitu suo, quem de Regno collegerat, venit ad S. Germanum, ubi per sex dies moram pertrahens, e vestigio per Agnum transitum faciens, & secum ducens Pandulphum Dominum Agni, apud Insulam Pontis Salarati posuit castra sua Campaniam intrare disponens, quam non intravit usus consilio saniori sed per Soram, & Marchiam direxit in Anconæ Marchiam gressus suos.

Eodem mense Thomas Molisii Comes apud Spoletum, quod se pro Papæ tenebat, cum ducentis militibus à Papa dirigitur. Henricus Rex Imperatoris filius tentus in Rocca S. Felicis in Apulia in Calabriam custodiendus apud Neocastrum jussu patris dirigitur, & exinde apud Marcoranum missus est.

Mense Julio per totum Regnum jussu Imperatoris ab his omnibus, quibus per officiales suos aliqua fuere commissa officia, certa exigitur pecuniæ quantitas. Et tunc quidam de S. Germano per quemdam Octavianum similiter taxati fuerunt in 200. unc. auri.

Stephanus Casinen. Abbas movens de S. Germano ad Imperatorem, qui erat in obsidione Asculi, in Marchiam vadit.

Eodem mense jussu Capitanei in S Germano certus militum numerus congregatus tunc amoto de Rocca Janulę Guillelmo de Spinosa Castellano quidam Joannes de Trentenar. per Imperatorem est statutus in ea Imperator castra sua movens ab Asculo processit versus Civitatem Firmanam, à quo Stephanus Casinensis Abbas cum ipsius licentia discedens infirmus ad Ecclesiam suam S.Liberatoris se contulit, ubi donec convaluit moram fecit. Eo mense captus est jussu Imperatoris Magister Raymundus de Caira.

Mense Augusti Civitas Beneventana obsidetur jussu Imperatoris. Ipse verò Civitatem Faventiam arctat, & obsidet.

Mense Septembris Galeæ Venetię discurrentes per Regnum in odiū Imperatoris, Termulas, Vestam, & quasdam alias Apuliæ Terras capientes destruxerunt.& bonis omnibus spoliarunt. Apud Brundusium euntes prędictæ Galeæ navem quamdam redeuntem ab Hierosolymis cum non possent capere vi, igne cremarunt. Milites qui steterant in S. Germano, ad Imperatorem vadunt apud Faventiam, ex eis quibusdam in propria recedentibus.

Mense Octobris Galeæ ipsæ multis onustæ spoliis in sua redeunt.

Mense Novembris Fratres Prædicatores, & Minores omnes de Regno exeunt Imperatore mandante, duobus tantum relictis, qui sint de Regno nativi in singulis quibusque illorum domibus ad custodiam earundem.

M.CC.XLI. Mense Januario per totum Regnum generalis collecta exigitur. Joannes Columna Cardinalis discors factus cum Gregorio Papa in partem cedit Imperatoris, & Laguftam in Urbe, & extra Urbem alia castra sua firmari jubet.

Mense Februarii Imperatore mandante per totam Regni maritimam juxta cursum Galeæ armantur.

Mense Martio milites, & pedites ad defensam, & custodiam maritimæ ubique per Regnum ire jubentur.

Eodem mense Galeæ prædictæ versus Pisas vadunt.

Mense Aprilis Civitas Beneventana, quę Romanę Ecclesię fuberat, arctata, & necessitate compulsa Imperatori se reddit, cujus mœnia Imperatoris jussu funditus evertuntur, & Turres Civitatis ejusdem usque ad solarum. Arma hominum Civitatis ipsius ad opus recipiuntur Imperatoris.

Eodem mense Faventia per annum obsessa, & arctata ab Imperatore venit ad mandatum ipsius salvis personis, & rebus hominum Civitatis ejusdem, in qua postea Imperator ipse fieri munitionem mandat.

Mense Maji in festo Inventionis S. Crucis Galeæ Imperiales cum Galeis Januensium conflictum habentes nonnullos Prælatos occidentales qui erant in eis, habita victoria de Januensibus, ceperunt, & duxerunt apud Pisam captivos cum duobus Legatis, Prenestino scilicet Episcopo, & Oddone S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card. de quorum mandato veniebant ad Papam. Inter quos fuerunt Cistercienfis, & Clarevallensis Abbates, nec non Rotomagen. Archiepiscopus, & alii, quos ignoro. De Galeis quoque Januensium captæ sunt ultra 20. & nonnulli Januenses in eis, & quamplures sunt ob metus causam in mari submersi, qui omnes postea Imperatore mandante tam Prælati quam alii cum Legatis ipsis in Regnum apud Neapolim per mare in captionem ducti sunt, & in custodiam per Regni Castella transmissi. Milites, & pedites nonnulli apud Agnum, & apud S. Germanum conveniunt ad Regni custodiam.

Mense Junio Prælati de Regno vocati ab Andrea de Cicala Capitaneo, & Magistro Justitiario apud Melfiam apud eum vadunt, à quibus Thesauri Ecclesiarum suarum tam in auro, & argento, quam vestibus sericis, & lapidibus pretiosis in commodato pro Principe exiguntur.

Imperator discedens à Faventia venit Fanum quam circumposita obsidione cum flectere ad sua vota non posset, in exterioribus vastat, & discedens invadit Spoletum, quod recipit ad mandatum suum. Assisii Civitatem sibi renitentem similiter vastat exterius.

Eodem mense fama de Tartaris ad Imperatorem pervenit, quod jam devicto Rege Ungariæ essent in foribus Alemanniæ, & ipse Rex Ungariæ significavit eidem Imperatori per Guacien. Episcopum Legatum suum, & per litteras suas, per quas se ipsum, & Regnum suum Ungarię suę promittit subjicere ditioni, dummodo per ipsum Imperatorem ab ipsis Tartaris protectionis suę munimine defendatur, & ob hanc causam Imperator metuens Christianitatis excidium, ut componat cum Papa Gregorio, versus Urbem dirigit festinanter gressus suos, & tunc propter hoc generales mittit litteras ad universos Principes Occidentis, quarum tenor talis est; Illustri Regi Francorum tam-

tamquam fratri suo Fridericus, &c. Perfectæ solicitudinis zelus, quo sicut Pater Imperii statum ejusdem diligere cogimur,&c. & tueri propensius nos inducit non tam manifesta pericula, quam suspecta vereri, &c. per quas litteras Principes ipsos animat, & hortatur ad fidei Christianæ defensionem, & Ecclesiæ Sanctæ succursum.

Eodem mense Imperator veniens apud Interamnen. Civitatem ipsam recipit ad mandatum suum.

Mense Julio Imperator venit Narniam, quam sibi renitentem invenit, propter quod factam in exterioribus vastitate inde discessit, & versus Reate concito vadit, quam sibi similiter resistentem invenit,& tunc Imperator vocatus à Joanne de Columna Cardinale festinat ad Urbem.

Eodem mense Andreas de Cicala Capitaneus jussu Imperatoris captivos Legatos, & alios transferri de Neapoli Salernum. facit per Richardum de Monte nigro Justitiarium Terræ Laboris, & ipse Capitaneus vocatus ad Imperatorem vadit, à quo rediens per totum Regnum certum exigit numerum militum,& servientium, & omnes thesauros Ecclesiarum suæ jurisdictionis apud Sanctum Germanum congregari jubet.

Joannes de Columna Cardinalis discors à Papa discedit, seq; confert in Prænestum, Monticellum, & Pontem Lucanum contra Romanos recipit in odium Papæ, ad quem Imperator milites, & servientes de Regno mittit.

Mattheus Ruffus per Gregorium Papam Senator efficitur,qui apud Laguftam, quam Joannes de Columna firmaverat, & tenebat per suos obsidionem ponit.

Mense Augusto Imperatore recipit Civitatem Tiburtinam,& exinde versus Urbem vadit, & tunc Castrum quoddam, quod dicitur Mons Albanus, quod erat S. Pauli de Urbe vi cepit, & igne consumpsit: castra etiam quædam Farfen. Monasterii occupat, & devastat. Burgum novem desertum Imolis igne crematur, & apud Cryptam ferratam ponit castra sua,& in exterioribus Urbem devastat. Et tunc de Gregorio Papa, quod objerit Romæ 21. Augusti, pro certo accepit, de cujus licentia Cardinales omnes, qui extra Urbem fuerant, pro electione Papæ facienda ad Urbem redeunt.

Eodem mense jussu Imperatoris vastatores de Regno apud Insulam Pontis Salarati, & apud S. Joannem de Incarico, ut intrarent Campaniam congregantur Cardinales, qui in Urbe ad Papæ electionem convenerant per Senatorem, & Romanos apud Septisolium includuntur, ut ad creandum Papam inviti procedant.

Matthæus Ruffus Urbis Senator Languftam Romanorum obtinuit thesauri omnes Ecclesiarum Regni Capitaneo jussu Andreæ de Cicala à porta Roseti, usque ad fines Regni capiuntur, ii apud S. Germanum in Ecclesia S. Mariæ Terræ ejusdem congregantur, & reponuntur, quorum custodiæ deputati sunt 12. de ditioribus, & melioribus hominibus ipsius Terræ, & tunc tabula aurea quæ ante Alta e B. Benedicti ad ornatum diu steterat,& altera tabula argentea Altaris Beatæ Mariæ, & Icona cum smaltis quæ super Altare fuerat S. Benedicti, & omnis alius thesaurus ipsius Monasterii, in auro, argento, pannis sericis, & lapidibus pretiosis, nec non & aliarum Ecclesiarum Terræ Monasterii ad S.Germanum in prædicta Ecclesia S. Mariæ portatur,&

depo-

deponitur, cujus thesauri capti ab Ecclesiis Regni pars pretio redimitur, & pars reliqua apud S. Mariam de Crypta ferrata ad Principem deputatur.

Prænestinus Episcopus, & Oddo Cardinalis cum Magistro Joanne Toletano sub Ducatu Thiboldi de Dragone, apud Tiburim ducuntur.

Mense Septembris vastatores apud Insulam congregati mandato Cæsaris in propria redeunt.

Imperator relictis apud Tiburim sub custodia suorum, quos ad tuitionem & defensam Civitatis ipsius reliquerat, Episcopo, & Cardinale prædictis per Campaniam redit in Regnum, & veniens apud Insulam Salaratam Civitatem novam in fronte Ceperani construi jubet, ad cujus Civitatis fundationem statuit Dominũ Richardum de Monte nigro, Terræ Laboris Justitiarium, & mandat, ut homines Arcis S. Joannis de Incarico, Insulæ Pontis Salarati, & Pastinæ illuc ire ad habitandum cogantur: statuit insuper, ut ad opus Civitatis ejusdem venire debeat certa quantitas hominum de Abbatia Casinen., Abbatia S. Vincentii de Vulturino, Comitatu Fund. Comino, & Comitatu Molisii per Hebdomadam, & tunc rectotramite per S. Germanum, & Beneventum in Apuliam vadit, mandans, ut thesauri Ecclesiarum ad ipsum apud Fogiam deferantur.

Mense Octobris Goffridus Mediolanensis in Cælestinum Papæ eligitur.

Eodem mense thesauri Ecclesiarum apud Fogiam per eos de S. Germano, qui eorum fuerant custodiæ deputati, mandante Cæsare deferuntur excepta tabula Altaris S. Benedicti, & ut redimi debeant à Prælatis singulis, & Ecclesiis, quarum erant pro certa pecuniæ quantitate ab Imperatore mandatum, his diebus jubetur à Cæsare, ut nullus de Regno equos aut arma vendere vel trahere extra Regnum præsumat.

Inquisitio fit in S. Germano de medicis, qui mederi ausi sunt, & in tota Abbatia nisi de licentia Imperialis Curiæ, & per eam fuerint approbati.

Civitas Accon rebellat Imperatori.

Mense Novembris Cælestinus Papa Romæ apud S. Petrum obiit; & de Cardinalibus quidam eo insepulto de Urbe fugerunt, & contulerunt se Agnagniam.

Mense Decembris Imperatrix apud Fogiam obiit, & apud Andriam sepelitur.

M.CC.XLII. Mense Januario generalis collecta per totum Regnum exigitur, de qua tertia pars remittitur sicut anno præterito. Inquisitiones fiunt ubique per Regnum contra Infideles inventos tempore turbationis contra, forbannitos, & forjudicatos, contra aleatores, phohibita arma portantes, & super multis aliis articulis.

Mense Februarii Richardus de Monte nigro à Justitiariatu Terræ Laboris amovetur, & Gisulphus de Mannia substituitur illi Turres: Civitatis Barri quæ erant in Civitat. Imperator dirui jubet. Biscottum fieri jubet per loca maritima, & loca alia pro fodro 150. galearum, & 20 Navium quas armari mandant super Pisanos, & Venetos ad Romanam Curiam Magister domus Theutonicorum creatum noviter Archiepiscopum Barensem. & Magistrum Rogerium Porcastrellum pro pace Legatos mittit.

Patriar-

Patriarcha Aguilegensis pro facto Tartarorum ad eum venit.

Eodem mense Henricus primogenitus Imperatoris tentus apud Martoranum naturali morte defungitur, pro cujus exequiis celebrandis Imperator ad omnes Regni Prelatos suas dirigit litteras in hac forma. Fridericus, &c. Abbati Casin. &c. Monasteria pii Fratris Severi Judicis exuperante judicium Henrici primogeniti nostri fatum lugere compellimus lacrymarum ab intimis eligente natura diluviarum, quas offensæ dolor, & justitiæ rigor intrinsecus obsirmabat. Mirabuntur forsitan dixi Patres Januenses publicis hostibus Cæsarem dolore domestico potuisse convinci substitutus est tam cujuslibet Principis animum quantumvis rigidus nostro durante Imperio qui dum vices suas exercet in quemlibet, leges, & Cæsarem non agnoscit fatemur, quod qui vivi Regis superbia proiecti, nequimus scimus ejusdem filii nostri casu convicti sumus, tamen eorum, nec primi, nec ultimi qui detrimenta pertulerunt transgredientium filiorum, & nihilominus illorum funera deplorarunt, luxit namque David triduo primogenitum Absalonem, & in Pompeii sui cineres generi fortunam, & animam soceri persequentis, magnificus ille Julius primus Cæsar primæ pietatis effectum, & lacrymas non negavit nec dolor acerrimus ex transgressione conceptus est efficax parentibus medicina doloris, quod in obitu filiorum natura pungente non deleatur contra naturam à filiis licet irreverenter, &c. offensi. Nolentes igitur Nos, & non valentes circa prædicti filii nostri funus omittere, quæ sunt Patris fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus per totam Abbatiam cunctis Clericis, & cæteris fidelibus nostris injungas, ut ejus exequias omni cum devotione solemniter celebrantes animam ejus cū declaratione missarum, & aliis Ecclesiasticis Sacramentis divinæ Missæ raccommandent manifestis inditiis ordinatis, quod sicut in gaudiorum nostrorum tripudiis exultant hilariter, sic & doloribus nostris condolere fideliter videantur, &c.

Mense Martio Justitiarii remoti à suis officiis apud Fogiam ab Imperatore vocantur, & tunc Richardus de Monte Fusculo, qui fuerat Justitiarius Capitaniatæ, cogitur reddere rationem, & tam contra ipsum quam contra alios fit inquisitio Imperatore mandante.

Eodem mense Thomas de Monte nigro apud Tiburim Capitaneus ab Imperatore dirigitur.

Mense Aprilis Prænestinus Episcopus, & Oddo Cardinalis de Regno apud Tiburim sub Ducatu Thiboldi de Dragun. mittuntur &c.

Brixien. Episcopus, & Bergamen. electus vocati ab Imperatore de Lombardia in Regnum veniunt, apud S. Germanum moram facere elegerunt, expectantes ibidem Imperatoris adventum.

Mense Maji Andreas de Cicala Regni Capitaneus jussu Cęsaris congregato exercitu tam militum quam servientium de Regno super Reate vadit quam exterius totam devastat. Dux Spoleti pro parte Imperatoris super Narniam vadit, & quam potest facit in exterioribus vastitatem. Denarii novi dantur in S. Germano.

Romani super Tiburim vadunt, & illam in olivis, vitibus, & aliis comedibilibus devastant.

Eodem mense exercitus Imperialis de Marchia vadit super Asculum, & ipsam Civitatem obsidet exterius, & devastat.

Mediolanenses, & Brixienses cum eorum complicibus, qui sunt eis

eis adversari, & qui partem favent Imperatoris hostiliter impugnant castrum quoddam quod *I*seus frater de Episcopatu Brixien. vi obtinet, & recipiunt ad mandatum suum.

Reginus, & Taurinus de Lombardia Episcopi ad *I*mperatorem in Apuliam vadunt. Homines Demarii ubicumque inventi per Abbatem Casinensem revocantur, & compelluntur de mandato Principis ire ad habitandum ad Civitatem novam.

Mense Junio Asculum se reddit, & venit ad mandatum *I*mperatoris.

Thomas Comes Acerrarum Capitaneus, in Syriam transfretat.

Bernardus Comes Manupelli jussu Principis in Sardiniam vadit.

Patriarcham Aquilegen. qui pro facto Tartarorum ad *I*mperatorem venerat licentiatus ab eo in sua recedit. *I*mperator ipse de Apulia tunc venit Capuam, & inde per S. Germanum, & per Agnum transiens vadit ad Civitatem novam, ubi per dies aliquot moram faciens, versus Soram vadit, & inde procedit in Marchiam ubi apud Avezanum per totum ipsum mensem Junii muratus est. Et mense Julii congregato exercitu copiuso super Urbem vadit, & hostilem faciens in exterioribus vastationem mense Augusto in Regnum reversus est.

Eo mense Oddo Card. liberatur, & Episcopus Prænestinus cum Magistro Joanne Toletano reducti à Tibure in Roccam Jani, quæ est super S. Germanum, servandi traduntur Philippo de S. Magno tunc Castellano, duobus postmodum Baronibus ad eorum custodiam deputatis.

Eo mense Imperator ante recessum ab obsidione Urbis statuam hominis æream, & vaccam æream similiter, quod diu steterant apud S. Mariam de Crypta ferrata, & aquam, quæ sua foramina artificiose fundebat, in Regnum, apud Luceriam Apuliæ Civitatem, ubi Saraceni degebant, portari jubet.

Mense Septembris Comes Tolosanus apud Melfiam in Apulia ad Imperatorem venit, qui per totam hyemem fuit in Regno. Hoc anno Henricus de Morro Magister quondam Justitiarius in Apulia naturali morte defecit.

M.CC.XLIII. Mense Januarii generalis collecta per totum Regnum exigitur.

Mense Febr. milites omnes qui servire tenentur, jubentur ex parte Cæsaris in equis, & armis bene parari, ut ille debeant in Kal. Aprilis primo futur. ad servitium suum.

Mense Aprilis Imperator de Apulia congregato exercitu venit in Terram Laboris, ad quem submoniti milites in equis, & armis omnes conveniunt, nec non & certus numerus de qualibet Terra de Regno, qui mense Maji de Capua movens & per S. Germanum transitum habens, & per Agnum apud Flagellam se contulit, ubi facies aliquandiu moram, inde per Campaniam super flum en Cæprani transitum habens super Urbem vadit, ubi Turres nonnullas fundi tus fecit everti, faciens in aliis etiam quam potuit vastitatem, & tunc ad preces Cardinalium ab Urbe discedens, est reversus in Regnum.

Eo mense Prænestinus Episcopus Imperatore mandante liberatus est, apud Anagniam ad Cardinales cum honore remissus.

Mense Junio Sinibaldus titulo S. Laurentii in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus est, voluntate, & con-

fensu omnium Cardinalium, quo audito Imperator qui tunc erat Melfiæ, ubique per Regnum laudes jussit Domino debitas decantari.

Mense Julii Imperator ad Papam mittit apud Anagniam Bernardum Panormitanum Archiepiscopum, Magistrum Petrum de Vinea, & Magistrum Thadeum de Sueffa pro bono pacis, à quo benigne satis recepti sunt, & benignum ad Principem retulerunt responsum.

Eodem mense discursus Siderum de nocte visus est in festo S. Jacobi, ita ut unum contra alterum quasi hostem insurgerent, inter se hostiliter dimicarent. Tunc Civitas Viterbii pertractante Magistro Raymundo Cardinali venit ad mandatum Ecclesiæ.

Mense Augusto Comite Simone Theatino pro Imperatore se tenente in ea, quo audito Imperator mox sine moræ periculo, se personaliter contulit.

Mense Septembris ad succursum prædicti Comitis, & ad recuperationem Civitatis Ipsius, qui congregato exercitu copioso obsedit eam, & statutis machinis, tam minis, quam viribus dire satis impugnavit eamdem, qui eum in nullo proficeret, recepto, & libero dimisso Comite prædicto, & suis qui cum eo erant, ab obsidione recessit, & inde Grossetum se contulit, ubi quasdam edidit Sanctiones contra Judices, Advocatos, & Notarios, quas per totum Regnum publicari præcepit, & tenaciter observari, quarum Initium tale est, Nihil veterum authoritati detrahitur, &c.

Mense Septembri &c. Comes Tolosanus de Apulia venit ad S. Germanum, ibique moram protrahens ire versus Agnum, & postea apud S. Vitum de Melfia se contulit, ibique per dies aliquot venationem exercuit.

Mense Octob. circa festum Omnium Sanctorum Innocentius Papa Urbem intrat, cum honore Senatus, populique Romani magno receptus, ad quem dictus Comes vadit, tractans inter ipsum, & Imperatorem bonum pacis.

Hucusque Richardus Notarius de S. Germano hujus Chronici Auctor suas concinavit narrationes, quæ suo tempore contigerunt, quibus nimio in Federicum Secundum Imperatorem Principem suum amore seductus, aliquando à veritate deflexit.

GESTA
INNOCENTII III. P. M.
BALII FRIDERICI
REGIS SICILIÆ
HUJUS NOMINIS INTER CÆSARES SECUNDI

AUCTORE ANONYMO

E VET. COD. MS. BIBLIOTH. COLLEGII FUXENSIS.

IN ANONYMI INNOCENTIANI GESTA

PROEMIUM.

Philip. Labè Differt. de Scriptoribus Ecclesiaft.



Rancifcus Bofquetus Narbonenfis I.C., poftea Epifcopus Monfpelienfis edidit Tolofæ Tectofagum anno Chrifti 1635. libros quatuor Epiftolarum Innocentii III. S. P. quibus præmifit (magno cum Ecclefiafticæ, tum prophanæ Hiftoriæ emolumento Gefta)ejufdem Pontificis ab Anonymo fcripta, quæ pluribus lacunis Hianfia in Bibliotheca Collegii Fuxenfis latebant . Hæc Anonymi Fuxenfis Gefta Innocentiana iterum Parifiis anno 1682. typis mandavit Cl. Stephanus Ballutius, cum Epiftolarum ejufdem Pontificis libros publicæ luci integros traderet.

Continent Gefta fupradicta duplicē(ut itá dicam)laudati Pontificis Hiftoriā.Prima ut ait Anonymus,circa proceffum temporalium actionum,fecunda circa fpirituales Summi Pontificis actus verfatur;altera cum forma literæ à Domino Papa Comitibus , & Baronibus Regni Siciliæ directa terminatur ; altera his verbis initium capit : *Liceat hic circa progreffum temporalium actionum figere greffum, ut ad principium promotionis hujus præclariffimi Pontificis recurrentes, fpirituales actus interim fubfequamur &c.* Prætermiffa igitur hac fecunda Hiftoriæ Innocentianæ parte , quæ operi noftro fupervacanea foret , primam iterum recùdi curavimus , ut potè quæ præcedentem Richardi Notarii Chronicon mirum in modum illuftrat , præfertim in iis, quæ tempore minoritatis Friderici Regis fub Baliatu Innocentii Pontificis acta funt . Nam quæ de motibus Saracenorum, & de bello civili malis artibus à Marcualdo in Infula noftra fufcitato frictè, & confusè narravit Richardus , Anonymus Fuxenfis ampliori ftilo dilucidat , & explanat . Denique ut Hiftoria Sicula tempore Friderici fupradicti Siciliæ Regis, & poftea Imperatoris hujus nominis Secundi quantùm fieri poteft , ditetur , poft Anonymi Gefta Innocentiana , Epiftolas etiam Friderici Cæfaris, iterum damus , quas primus laudatus Ballutius ex antiquis Codicibus collegit,& typis mandavit Parifiis anno Chrifti 1678. in tomo primo Mifcellaneorum .

ANO-

ANONYMI FUXENSIS

GESTA INNOCENTII III.



INnocentius Tertius Papa ex patre Trasimundo de Comitibus Signiæ, matre verò Clarina de nobilibus viris, fuit vir perspicacis ingenii, tenacis memoriæ, in divinis & humanis literis eruditus, sermone tam vulgari, quàm literali disertus, exercitatus in cantilena & psalmodia, statura mediocri, & decorus aspectu, medius inter prodigalitatem, & avaritiam.

Sed in eleemosynis, in victualibus magis largus, & in aliis magis parcus, nisi cùm necessitatis articulus exigebat: severus contra rebelles & contumaces, sed benignus erga humiles, & devotos: fortis & stabilis, magnanimus & astutus; fidei defensor, & hæresis expugnator: in justitia rigidus, sed in misericordia pius: humilis in prosperis, & patiens in adversis, naturæ tamen aliquantulum indignantis, sed facilè ignoscentis.

Hic primùm in Urbe, deinde Parisiis, tandem Bononiæ scholasticis studiis insudavit, & super coætaneos suos tam in philosophica, quàm theologica disciplina profecit, sicut ejus opuscula manifestant, quæ diversis temporibus edidit, & dictavit: fecit enim ante Pontificatum libros De miseria conditionis humanæ, De Missarum misteriis, & De quadripartita specie nuptiarum. De libris cōditis per Innocent. III.

Post Pontificatum autem libros Sermonum, Epistolarum, Registrorum, & Decretalium, quæ manifestè declarant quantùm fuerit tam in humano, quàm in divino jure peritus. Hunc sanctæ memoriæ Gregorius VIII. Papa in Subdiaconum ordinavit: & Clemens III. Papa promovit ad Diaconum Cardinalem, trigesimum nonum ætatis annum agentem, assignans ei Ecclesiam Sanctorum Sergii, & Bacchi, cujus ipse fuerat Diaconus Cardinalis. De ordinatione personæ suæ facta per Greg. VIII. & Clem. III. in Cardinalē

Proficiebat autem sicut ætate, sic etiam probitate coram Deo, & omni populo, ita ut omnes de ipsius sublimatione præsumerent, & sperarent. Infra biennium post quam promotus fuit in Cardinalibus præfatis, Sanctorum Sergii, & Bacchi Ecclesiam, quæ intus erat deformis, & ruinosa, ut magis crypta videretur, suis sumptibus restauravit, parietes erigens, & renovans tectum, super novos gradus constituens novum altare, novàque pectoralia faciens ante chorum. Statim autem postquam fuit ad Apostolatus apicem assumptus, jussit fieri ante ipsam Ecclesiam porticum columnatum, de bonis quæ in Cardinalatu contulit sibi Deus, multis mirantibus in novitate sua tantas invenisse expensas, cùm manus suas ab omni turpi munere excussisset, nullam à quoquam donationem, vel promissionem accipiens, antequàm ejus negocium terminatum nihil exigens à quocumque: via regia semper incedens, non declinans ad dexteram, vel sini-

nistram: inter fratres sine querela conversans, non dividens se in partem. Defuncto igitur Celestino, cum quidam Cardinalium se contulissent ad septa solis Monasterii, ejus causâ ut liberiùs, & securiùs ibi possent de successoris electione tractare; ipse cum quibusdam aliis ad Basilicam Constantinianam voluit decessoris obsequiis interesse. Quibus honorificè celebratis ipse cum illis ad præfatum locum accessit, Missarumque solemniis in honore Sancti Spiritus à solis ibidem Cardinalibus celebratis, cùm ad tractandum de substitutione Pontificis consedissent, placuit omnibus in communi, ut ad terram humiliter inclinati singuli pacis osculum sibi darent. Et oratione præmissa examinatores fuerunt secundùm morem electi, qui sigillatim vota omnium perscrutantur, & in scriptis redactis examinationem factam retulerunt ad fratres, & quoniam in eum plurimi convenerunt, licèt tres alii fuissent ab aliquibus nominati. Post disputationem super ætate habita inter eos, & quia tunc erat annorum triginta septem, omnes tandem consenserunt in ipsum propter honestatem morum, & scientiam litterarum, eum in Summum Pontificem eligentes, flentem, ejulantem, & renitentem vocantes ipsum Innocentium, cùm priùs Lotharius vocaretur.

De electione & ætate Innocentii. D. Innocentius ante Papatum vocabatur Lotharius.

Et publicata electione cum laudibus ductus est à multitudine Cleri, ac populi, qui inferiùs expectabat ad Constantiniam Basilicam, & inde ad Patriarchatum Lateranensem perductus, peractis omnibus.

De miraculo Ecclesiæ.

Cùm autem celebraretur electio, hujusmodi signum apparuit: quòd videlicet tres columbæ fræquentabant volatus in locum in quo Cardinales sedebant congregati, & cùm ipse post nominationem fuisset à cæteris segregatus, una illarum, quæ candidissima erat ad eum volitas juxta dexteram insedebat. In visione quoque nonnunquam ostensum est, quòd ipse matrem suam duceret in uxorem: & aliæ multæ revelationes factæ sunt viris religiosis de ipso, quas scribere prætermittimus: quoniam & ipse nolebat hujusmodi præsagia indicari. Celebrata est ejus electio sexto Idus Januarii, anno Domini, millesimo, centesimo, nonagesimo septimo. Et quia tunc Diaconus erat, dilata est ejus ordinatio in presbyterum, usque ad Sabbatum Quatuor Temporum, nono Kalendas Martii, & sequenti Dominica, in qua occurrit tunc festum Cathedræ Sancti Petri apud Sanctum Petrum in Episcopum consecratus, & in ejusdem Apostoli cathedra constitutus, non sinè manifesto signo & omnibus admirando. Interfuerunt autem consecrationi ejus, quam ipse cum multa cordis compunctione, & lacrymarum effusione recepit, quatuor Archiepiscopi, & viginti octo Episcopi, sex Presbyteri, & novem Diaconi Cardinales, & decem Abbates, cum quibus omnibus, & tam Priore, Subdiaconis, quàm Primicerio, cum Cantoribus, necnon Judicibus, Advocatis, & Senatore, & cæteris scholasticis processit solemniter coronatus per Urbem à Basilica Sancti Petri, usque ad Lateranense palatium, comitantibus Præfecto, & Senatore cum Magnatibus, & Nobilibus Urbis, multisque Capitaneis, & Consulibus, ac Rectoribus Civitatum, coronata est tota Civitas, & Clerus cum thuribulis & incenso; populus autem cum psalmis, & floribus, utrique cum Hymnis & Canticis, sparsis de more missilibus obviam illi catervatim venerunt, factaque laude tam in Ecclesia S. Petri, quàm ante Lateranense palatium, postquàm ascendit in domum majorem, quæ Leo magna voca-

Electus est vj Idus Januarii anno 1197.

Nota, modū quem Papa observat, quādo coronatur.

vocatur presbyterio per ordinem distributo, solemne convivium celebravit.

Statim post electionem ipsius Romanus populus cœpit apud eum vehementer instare supplicans & deposcens, ut eos ad fidelitatem reciperet, & consueta dona sibi conferret: ipse verò induci non potuit ut ante consecrationem super hoc eis vellet præbere consensum; sed post consecrationem cùm turbulentiùs conclamarent, deliberavit super hac petitione populi diligenter.

à Romanis invocatur post coronationem.

Et quoniam status Romanæ Ecclesiæ pessimus erat, pro eo quòd à tempore Benedicti carissimi, Senatum Urbis perdiderat, & idem Benedictus seipsum faciens Senatorem, subtraxerat illi maritimam, suos justitiarios in illa constituens. Henricus autem Imperator occupaverat totum Regnum Siciliæ, totumque Patrimonium Ecclesiæ, usque ad portas Urbis, præter solam Campaniam, in qua tamen plus timebat ipse, quàm Papa, in hoc devenit consilium, ut petitionem populi exaudiret, quatenus, & tempus redimeret malum, & patrimonium recuperaret amissum. Verùm antequàm populo responderet, volens scire utrùm thesaurus Ecclesiæ sufficeret ad hoc opus, usus est hac cautela: quòd per singulas parochiales Ecclesias, fecit singulos parochiales occultè describi, ut sciret numerum & qualitatem ipsorum, & ita veritate comperta, jussit illos recipi per singulas regiones. Sed nunquam tanta adhiberi potuit cautela, quin fraus committeretur in multis. Forma verò Juramenti quod præstitit populus talis fuit, Ego &c. Sequenti die post consecrationem suam Petrum Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, & per mantum, quod illi donavit de præfectura eum publicè investivit, qui usque ad id tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo præfecturæ tenebat honorem.

De Henrico Imp qui occupaverat regnum Siciliæ

Forma juramenti populi.

de Præfecto Urbis Romæ.

Sed & ab aliis Baronibus quibuscumque juramentum fidelitatis recepit, missisque Nuntiis per totum Ecclesiæ patrimonium fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi.

Et exclusis Justitiariis Senatoris, qui ei fidelitatem juraverant, suos Justitiarios ordinavit, electo per medianum suum alio Senatore tam in Urbe, quàm extra patrimonium recuperavit nuper amissum. Porrò non sufficit hoc sibi, sed statim post suam electionem destinavit duos presbyteros Cardinales Cinchium tit. S. Laurentii in Lucina, & Joannem tituli S. Priscæ contra Marcualdum in Marchiam, ut eum ad Dominium Ecclesiæ revocarent.

de Marcualdo tunc stante in Marchia.

Ipse autem Marcualdus misit Nuntios suos, videlicet Camerinum, & Venefranum Episcopos, & nobilem virum Rambertum Monaldi ad Dominum Innocentium petens per illos, ut faceret ipsum ad præsentiam suam securè conduci; quia & de persona, & de pecunia, & de terra volebat esse ad mandatum ipsius, & sic in animam ejus juravit Nobilis antedictus.

Erat enim idem Marcualdus Senescallus Imperii, Dux Ravennæ, & Romaniolæ, Marchio Anconæ, & Molisii, vir ingeniosus, & subdolus in litera, habens pecuniam sub Henrico Imperatore in Regno Siciliæ acquisitam, quem inter omnes familiares suos ipse Imperator habuerat prædilectum, & eum executorem fecerat testamenti sui. Unde promittebat eidem Domino Papæ, quòd si eum in gratiam suam dimittere dignaretur, ipse Romanam Ecclesiam ampliùs exaltaret,

de Marcualdo.

taret, quàm exaltata fuerat à tempore Constantini, cùm testamentum ad ingentem redundaret Ecclesię Romanę gloriam,& honorem; petebat tamen ut donec ad præsentiam ejus accederet, & reverteretur in Marchiam, Cardinales non reciperent ad fidelitatem Ecclesiæ Marchianos. Ipse verò concessit ut interim invitos non cogerent, sed reciperent voluntarios, mittentes ad ipsum Guidonem tituli S. Mariæ trans Tiberim Presbyterum Cardinalem, qui eum ad præsentiam suam securè conduceret, si vellet præmissa complere.

Sed noluit quia Dominus Papa pręsenserat,& juraverat ejus fraudem, negans se Ramberto Monaldi mandasse, ut in animam ejus præscripto modo juraret, qui cùm scriptum proferret quod illi tribuerat, secundùm quod ipse juravit, respondit se non didicisse scripturam, idcòque quid Notarius suus scripserit ignorare. Cardinales autem excommunicaverunt eum propter scelera quæ patrabat, & recipientes ad fidelitatem Ecclesiæ Marchianos,receperunt terram ad dominium Ecclesiæ revertentem.

Qui cùm multam pecuniam expendisset, & cognosceret quòd non posset Marchiam retinere,obtulit Domino Papę pecuniam copiosam, annuum censum promittens, si recepta fidelitate concederet ei terram: quod cùm Dominus Papa facere nollet, quia suspectam habebat fraudem ipsius, reliquit Marchiam, & Regnum intravit.

De reductione Marchiæ ad Ecclesiam

Reducta est igitur tota Marchia præter Asculum ad dominium, & fidelitatem Ecclesiæ, videlicet Ancona, Firmum, Auximum, Camerinum, Fanum Aselini, Senegalia, & Pensaurum, cum omnibus diœcesibus suis.

Conradus ergo natione Suevus Dux Spoleti, Comes Assisii videns terram suam pari modo ad dominium Ecclesię Romanæ redire, multis modis tentavit, si posset apud Dominum gratiam invenire, offerens ei decem millia librarum in continenti, & annuum censum centum librarum argenti, & obsequium ducentorum militum per patrimonium Ecclesiæ à Radicosano, usque ad Ceperanum. Pro securitate verò præter hominium, & fidelitatem suam, & juramenta suorum, promittebat tradere filios suos obsides, & omnes munitiones tribuere, suis aliàs custodiendas expensis. Licèt autem Dominus Papa conditionem istam utilem reputaret; quia tamen multi scandalizabantur ex ea, tanquam vellet Teutonicos in Italia confovere, qui crudeli tyrannide redegerant eos in gravissimam servitutem, in favorem libertatis declinans, non acceptavit oblata.

Nota contra Teutonicos.

Dictus ergo Conradus cùm taliter non proficeret, se ad mandatum ipsius sinè pacto quolibet, & tenore, misit Narniam Octavianum Ostiensem Episcopum, & Gerardum S. Adriani Diaconum Cardinalem in quorum præsentia, coram Episcopis, Baronibus, & multitudine juravit super Evangelium, Reliquiis, & Cruce stare universis mandatis Domini Papæ, & absolvens in continenti omnes vassallos à sua fidelitate, mandansque omnibus ut ad dominium Ecclesiæ Romanæ redirent, statim reddidit duas munitiones, quas ipse tenebat, videlicet Roccham de Vueraldo, & Roccham de Cese, Roccham autem Assisii reddi mandavit: sed Assisinates, qui eam tenebant obsessam non permiserunt illam reddi Domino Papæ, quoniam captam penitus destruxerunt.

Recuperavit ergo Romana Ecclesia, Ducatum Spoleti, & Comitatum

tatum Affisii, videlicet Reate, Spoletum, Affisium, Fulgineum, & Nuceriam, cum omnibus diœcesibus suis.

Nota terras Ducatû Spoleti.

Quia verò mora dicti Conradi erat valde suspecta, de mandato Domini Papæ rediit in Teutoniam.

Recuperavit etiam . . . . . . Eugubium, Tudertum, & Civitatem Castelli, cum Comitatibus suis, recepto juramento fidelitatis à Civibus, Baronibus, & Catanis.

Nota de Civitate Castelli quæ est Ecclesiæ.

Fecit autem destrui castrum Montis S. Mariæ, in quo tempore prædecessoris sui Conradus, qui Musca in cerebro dicebatur, detinuit captum præfatum Octavianum Episcopum Ostiensem de Francia redeuntem, ut esset hæc demolitio in titulum memoriæ sempiternæ.

Celebrato ergo Apostolorum festo, Dominus Urbem exivit, & in Ducatum Spoletanum accessit, quem ad fidelitatem Ecclesiæ nuperrimè revocaverat, ut illum personaliter visitaret, venitque Reate, ubi receptus cum ingenti gaudio, & honore, consecravit Ecclesiam S. Eleutherii Martyris, & Ecclesiam S Joannis Heremitæ.

Inde profectus Spoletum dedicavit Ecclesiam Cathedralem, ibique quiddam miraculosum evenit; quòd cùm cives anxiarentur super aquarum penuria, cœperunt circa Civitatem studiosè perquirere, ubi fodiendo possent aquarum copiam invenire, quę sufficeret equorùm multitudini adaquandæ.

Nota de miraculo Innocentii.

Ac subitò sub muro Civitatis viderunt aquam scaturire de rupe, quæ fossas ibi factas replevit, ità exiens abundanter quòd omnibus equis sufficiebat ad potum, vocatus est fons popularis. Processit inde Perusium, ubi majoris Ecclesiæ consecravit Altare, veniensque Tudertum Altare S. Fortunati solemniter consecravit, & ad ornatum omnium Altarium, quæ propriis manibus consecravit, obtulit serica pallia pretiosa; pallas subtiliter operatas. Statuensque Rectorem in Ducatu Spoleti, & Comitatu Affisii, terrisque vicinis, videlicet Gregorium S.Marię in Aquiro Diaconum Cardinalem per Ameliam, Orte, & Civitatem Castellanam, citra festum Omnium Sanctorum remeavit ad Urbem.

Civitates autem Tusciæ, quæ propter importabilem Alemannorum tyrannidem,quasi gravem servitutem adinvicem injerunt,propter Civitatem Pisanam, quæ nunquam potuit ad societatem induci, obtinuerunt à Summo Pontifice, ut & Civitates Ecclesiæ, quæ sunt in Tuscia, & Ducatu Spoleti, se illis in hac societate conjungerent, salvo semper in omnibus Apostolicæ Sedis dominio, & mandato.

Nota contra Pisanos.

Constituerunt singulos ergo Rectores de singulis Civitatibus, & unum Priorem, cui tempore sui Prioratus omnes intenderent ad societatis negocia peragenda, omnesque tam Rectores, quàm alii juraverunt quòd societatem servarent ad honorem,& exaltationem Apostolicæ Sedis; quòd possessiones, & jura Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ bona fide defenderent, & quòd nullum in Regem vel Imperatorem reciperent, nisi quem Romanus Pontifex approbaret: ab eo autem non potuerunt, nisi has literas obtinere.

EPISTOLA INNOCENTII, OMNIBUS TUSCIS.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Rectoribus Tusciæ, ac Ducatus &c. Sicut universitatis conditor

tor Deus, duo luminaria in firmamento cæli constituit, luminare majus, ut præesset diei, luminare minus ut nocti præesset: sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cęli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates; majorem quæ quasi diebus, animabus præesset: & minorem, quæ quasi noctibus præesset corporibus, quæ sunt Pontificalis autoritas, & Regalis potestas. Porrò sicut Luna lumen suum à Sole sortitur, quòd revera minor est illo, quantitate simul, & qualitate, situ pariter, & effectu; sic Regalis potestas ab autoritate Pontificali suæ sortitur dignitatis splendorem, cujus conspectui quantò magis inhæret, tantò minori lumine decoratur; & quò plus ab ejus elongatur aspectu, eò plus proficit in splendore. Utraque verò potestas, seu primatus sedem, & Italia meruit obtinere, quæ dispositione divina super universas Provincias nostræ provisionis obtinuit Principatum. Et ideò licèt ad universas Provincias nostræ provisionis aciem extendere debeamus; specialiter tamen Italiæ nos convenit solicitudine providere, in qua Christianæ Religionis existit, & per Apostolicæ Sedis primatum Sacerdotii, & Regni simul pręeminet principatus. Hujus autem provisionis officium laudabiliter exercemus, si per nostræ solicitudinis studium procuramus ne filii servi, neque minores à majoribus opprimantur, ut servatâ moderaminis æquitate sic isti serviant, quòd illi non sęviant, ut nec isti subesse contendant, nec illi contemnant prodesse. Volentes ergo vos tamquam speciales filios, Apostolicæ protectionis brachiis amplexari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum, ad divini nominis gloriam, & Apostolicæ Sedis honorem, quantùm cum nostra possumus honestate, vobis adversùs oppressionis incursum, & gravaminis insolentiam, nostrum patrocinium exhibere; quatenus per Apostolicæ protectionis auxilium in debito statu perseverare possitis, & inita jam concordia semper inter vos, de bono in melius perseveret. Sperantes, & pro certo tenentes, quòd vos, nobis, & Ecclesiæ Romanæ gratum semper denominationis, & fidei debeatis obsequium impertiri; ut dum vos à nobis protectionis patrocinium susceperitis, & nos à vobis devotionis obsequium recipimus, utrimque grata debeat utilitas procurari. Monemus igitur Universitatem vestram, & exhortamur in Domino per Apostolica scripta mandantes, quatenus certam, & firmam de nobis fiduciam obtinentes, qui sicut Apostolicæ convenit gratuitati plus facere, quàm promittere, vobis intendimus, ea semper agere studeatis, quæ ad honorem, & profectum Ecclesiæ Romanæ, ut & meritò debeatis ipsius favoris dextera communiri.

Nota de sede utriusq; primatu, in Italia.

DE RECUPERATIONE PATRIMONII.

POst hæc dedit operam ad recuperandnm Radicosanum, Aquam pendentem, Montem Flasconem, atque Tucanam, quæ tandem recuperavit non sinè laboribus, & expensis, liberans Aquam pendentem ab Urbevetanis, qui eam acriter impugnabant. Misit præterea Nuncios, & Legatos ad recuperandum Exarchatum Ravennæ, Brutonorium, & Terram Calvacatomitis. Sed Archiepiscopus Ravennas asserebat Exarchatum antiquitus fuisse concessum à Romanis Pontificibus Ecclesiæ, & privilegia ostendebat. Britonorium quoque

quoque concessum fuisse de novo ab Alexandro Papa, dum Venetiis moraretur. Superedit ergo Dominus Innocentius prudenter ad tempus, magis quàm super hoc vellet adhuc experiri. Permisit tamen ut Archiepiscopus Ravennas salvo jure Apostolicæ Sedis recuperaret Brutonorium & teneret.

Cùm autem per Legatos suos ad hos specialiter destinatos requireret terram Comitissæ Mathildis: à Civitatibus detinentibus eam; licèt ipsę Civitates vellent eandem per Romanam Ecclesiam sub certis pactionibus recognoscere ac tenere; quia tamen pactiones istę convenientes non erant, noluit ex ipsa terra quidquam concedere, præter id quod concessit Episcopo Mantuano, differens in alìud tempus idoneum; quia tunc ei solicitudo gravior supervenit ex divisione Imperii, & turbatione Siciliæ, quibus eum intendere principaliter oportebat. Has autem munitiones ad manus suas Dominus Innocentius detinebat, & custodire faciebat per proprios Castellanos in Tuscia, Radicosanum, Montem Flasconem, & Cordam: in Ducatu Spoletano Gualdum, & Cese: in Sabinia, Roccam Anticuli; in Campania Lucianum, & castrum: in maritima Roccam Sirtigii. Ad planum Montis Flasconis fecit fieri Capellam, & removeri domos post palatium, usque ad muros Castri, construens hinc inde parietes à palatio usque ad muros illos, & in muro faciens largam portam, ut haberet ipsa munitio ingressum, non solùm communem per castrum, sed etiam proprium specialem per illum locum. In Rocca de Radicosano fecit exaltari vetere muros, & novos construi, cavari fossatum, & locum bene muniri. Roccam verò Cudegii redemit à Rolando Guidonis de Leculo, cui Oddo, & Robertus Frajapani in feudum concesserant; quamvis eam ab Ecclesia Romana tenerent solius custodiæ nomine.

De terra Comitissæ Mathildis.

Patrimonium autem Apostolicæ Sedis in Tuscia diversis temporibus commisit regendum diversis personis, à quibus faciebat annuatim colligi Fodrum per Civitates, & Castra. In aliis autem regionibus proprium accipiebat afflictum. Duo verò Nobiles Guido, & Nicolaus temporibus suis, prædecessorum suorum graviter Romanam Ecclesiam offenderant, vulnerando, capiendo, & spoliando venientes ad eam, & redeuntes ab ipsa.

Undè cùm Dominus Papa non posset id ulteriùs sustinere, mandavit Rectoribus Patrimonii Beati Petri, ut procedentes in Tuscia, eos, si moniti sponte contemnerent ad mandatum ejus redire, coërcerent invitos, qui eos contemptores pariter, & rebelles intrà castrum Risspanperani obsederunt, vastantes segetes, & arbores incidentes, abducentes greges ipsorum, damnumque ipsis trium millium librarum, & amplius inferentes.

Cùmque pararent ligna, lapides, & cementum, ut ante præfatum castrum Rispanperani ad capiendum ipsum turrim ædificarent excelsam, prædicti Nobiles protinus desperantes ad mandatum ejus humiliter tedierunt, sinè aliqua conditione, jurantes stare mandatis Domini Papæ super facto Vetrale, Petrognani, stratæ securitate, via collectis, & Ecclesiarum indemnitate, ac insuper pacem ei, universis fidelibus suis peregrinis, & omnibus viatoribus fideliter observare. Insuper bene munitum restituere castrum Marchæ, dantes fidejussoriam cautionem mille librarum Senensium super omnibus supradictis

dictis: Insuper Domino Papæ fidelitatem secundùm morem aliorum fidelium juraverunt. Circa verò suæ promotionis primordium Narnienses Utriculum graviter molestabant: quod licèt eis sub interminatione interdicti, & banno mille librarum firmiter vetuisset, ipsi tamen inhibitione contempta castrum illud ceperunt, & destruxerunt.

Idem verò Pontifex justus, & fortis fecit exercitum contra illos, tam de Romanis, quàm de forensicis congregari, per quem graviora sunt, quàm intulerunt damna perpessi, & tandem reædificato castro bannum mille librarum ab illis accepit, jurantibus ejus stare mandatis, Faciens ducentas librarum præstari pro restauratione murorum.

Quia verò longum esset explicare per singula quàm diligens, & studiosus extiterit circa Patrimonium Ecclesiæ reformandum, sufficiat dixisse pauca de multis quia multa possunt excogitari de paucis; quamvis hanc solicitudinem quodammodo haberet exosam, unde sæpe dicebat, Qui tangit picem coinquinatur ab ea, maximè quia labor magnus erat, & fructus parvus, & propter excrescentem malitiam homines non poterant coërceri. Ceterùm quò ampliùs cupiebat à fecularibus negotiis expediri, eò magis est mundanis curis implexus.

De Rogerio filio Tancredi.

Defuncto namque Rogerio filio Tancredi Regis Siciliæ, quem pater in vita sua Regem Siciliæ constituens fecerat coronari, eique filiam Isacii Constantinopolitani Imperatoris duxerat in uxorem. Consequenter etiam pater ejus præ nimio, sicut dicebatur, dolore defunctus est, relinquens tres filias, & unicum filium parvulum nomine Guillelmum, quem mater ejus Sibilia coronari fecit in Regnum.

De Henrico aspirante ad Regnum.

De Ricardo Rege Angliæ capto cum rediret de terra sancta.

Regno igitur taliter destituto, Henricus Imperator adspirans ad illud, ... Constantia conjugis suæ filiæ quondam Rogerii primi Regis Siciliæ avi prædicti Tancredi, congregavit exercitum maximum, de pecunia quam extorsit pro redemptione Ricardi Anglicorum Regis nequiter capti, dum rediret de terra promissionis ab obsequio Crucifixi. Hic ergo Regnum ingressus sinè pugna illud obtinuit, nemine resistente.

Præfata verò Sibilia cum filio suo, & filiabus, Salernitano quoque Archiepiscopo, & fratribus ejus, recepit se in quodam Castro Siciliæ, cum qua Imperator fecit de pace tractari; & concordaverunt pariter in hunc modum: Quòd Imperator interposito juramento concessit Guillelmo filio ejus, & heredibus suis Comitatum Licii, quem pater ejus Tancredus habuerat ante Regnum, & addidit ei Principatum Tarenti, promittens salvare personas, & res. Henricus autem postquam eos in sua potestate recepit, occasione captata cepit illos, & quosdam alios Nobiles Regni, eosque captivos in Teutoniam destinavit, faciens fratres præfati Archiepiscopi, aliosque nonnullos privari luminibus oculorum; Archiepiscopum verò, Reginam, filium ejus, & filias in arcta custodia detineri. Frater autem Imperatoris Philippus relictam præfati Rogerii filiam Imperatoris Constantinopolitani duxit uxorem, quia frater ejus Alexius luminibus orbatus Constantinopolitanum Imperium usurpavit.

De Federico filio Henrici.

Henricus igitur Imperator ex quo Regnum Siciliæ totum obtinuit, spolians illud auro, & argento, & lapidibus pretiosis rediit ad Teutoniam cum ingenti triunpho, efficiens apud Principes, ut filium suum Fridericum Infantem nondum duorum annorum, necdum etiam bapti-

baptizatum in Regem Romanorum eligerent, eique fidelitatis juramenta præstiterunt, inter quos præfatus Philippus fidelitatis ei præstitit juramentum.

DE OBITU HENRICI IMPERATORIS.

Quo facto iterum venit dictus Henricus in Regnum, & tandem apud Messanam præsente Imperatrice diem clausit extremum. Post cujus obitum quidam familiares ejus existentes in Regno, Marcualdus accessit in Marchiam, Conradus rediit in Ducatum: Philippus autem frater ipsius recepit se apud Montem Flascunem, & inde rediit in Teutoniam patrimonium occupans universum. Remanserunt autem in Regno aliqui de Teutonicis; in Sicilia Vvillelmus Capparonos, in Calabria Fredericus, in Apulia, & Terra Laboris Diupoldus, & fautores ipsius multas munitiones tenentes. Post mortem Imperatoris ...... tres menses obiit Celestinus, & substitutus est Innocentius rebus taliter, & aliter variatis. Imperatrix verò Constantia reversa Panormum misit ad Ducissam Spoleti, quæ filium suum in Marchia nutriebat, & perductum ad se coronari fecit in Regem, cœpitque cum illo regnare: Direxit autem incontinenti nuntios cum muneribus ad Dominum Innocentium devotissimè postulans ut Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, ac Principatum Capuæ cum cæteris adjacentiis sibi, & filio suo concedere dignaretur, secundùm formam qua prædecessores ejus concesserunt illa prædecessoribus suis. Ipse verò sagacissimus Pontifex diligenter attendens quòd privilegium concessionis indultum primò ab Adriano, & renovatum postmodum à Clemente super quatuor Capitulis, videlicet electionibus, legationibus, appellationibus, & conciliis, derogabat non solùm Apostolicæ Sedi, verùm & Ecclesiasticæ libertati, mandavit Imperatrici, ut illis Capitulis renunciaret omnino, & cùm ea non esset aliquatenus concessurus. Tentavit illa propositum ejus muneribus immutare, quod cùm efficere nequivisset missis honorabilibus nuntiis, Anselmo Neapolitano Archiepiscopo, Aimerico Syracusano Archidiacono, Thoma Justitiario, & Nicolao Judice post tractatum diutinum obtinuerunt concessionis privilegium innovari, Capitulis illis omnino remotis; sub censu, fidelitate, ac hominio consuetis. Privilegium non pervenit ad illam mortis acceleratione præventam.

De Imperatrice Constantia.

Nuncii ad Innocentium ut Regnum Federico cõcederet.

De morte Constantiæ.

Idem verò piissimus Pontifex ad liberationem captivorum clemẽter intendens, præsertim cùm per detentionem Salernitani Archiepiscopi nimis detraheretur Apostolicæ dignitati, statim circa suę promotionis exordium, misit Sutrinum Episcopum, natione Teutonicum, & Abbatem S. Anastasii Cistercienses Ordinis in Teutoniam, scribens Episcopis, quatenus detentores eorum monerent, & si necesse foret compellerent per excommunicationis in personas, & interdictum in terras, ut illos dimitterent absolutos, comminando Principibus universis, quòd nisi adimpenderent operam efficacem, ipse totam Alamanniam supponeret interdicto. Quia verò Celestinus Papa prædecessor suus excommunicaverat præfatum Philippum Ducem Sueviæ, dum esset Dux Tusciæ, propter invasionem, & devastationem Apostolici Patrimonii, & excommunicationem illam publicari fecit, etiam Henrico Imperatori hanc formam dedit super ipsius

Nota superioris sentẽtiam per inferiorem non posse relaxari.

De electione Philippi

De absolutione Philippi non publicè facta, sed occultè nec præstito juramento.

ipsius absolutione præfatis Episcopo, & Abbati; ut quia superioris sententia per minorem relaxari non potest, & ob hoc oportet eumdem Philippum accedere ad Sedem Apostolicam absolvendum, ipsi tamen hoc modo remitterent ei laborem itineris, si præfatum Archiepiscopum liberaret, & recepto secundùm formam Ecclesiæ juramento, quòd super omnibus, pro quibus excommunicatus fuerat, mandatis Apostolicis obediret, absolutionis ei beneficium exhiberent. Illi ergo in Teutoniam procedentes invenerunt supradictum Philippum à quibusdam Principibus electum in Regem, qui Guarvianam ad ipsos accedens de facto se fecit absolvi non publicè, sed occultè: nec præstito juramento secundùm formam Ecclesiæ, sed promissione facta per epistolam, præfatum tamen Archiepiscopum, & fratres ipsius gratuitò liberavit. Postmodùm autem idem Philippus fecit se inungi, & coronari, non Aquisgranis, sed Moguntiæ; nec à Coloniensi Archiepiscopo, sed à Tarantasiensi; quia nullus Archiepiscoporum Teutoniæ id facere attentavit. Sed nec aliquis Episcoporum in illa coronatione præsentes, pontificalibus indui præsumpserunt, præter solum Sutrinum, qui ad aliud fuerat destinatus. Unde cùm ad Summi Pontificis præsentiam rediisset, veritate per propriam confessionem comperta, tum de forma neglecta, tum de præsumptione commissa, fecit eum extra suum Episcopatum usque ad finem vitæ manere. Pro prædictis verò captivis, licèt jam liberatis, adhuc tamen exulibus, rogavit Imperatricem per Nuntium ad hoc specialiter destinatum, eisdemque restitutionis gratiam impetravit. Sed & Sibilia relicta Regis Tancredi cum filiabus suis ergastulum captivitatis evasit, & in Regnum Francorum confugiens primogenitam suam Gualtero Brennesi Comiti tradidit in uxorem.

De inuntione & coronatione Philippi Maguntiæ à Tarantasien. Archiepisc.

De pena Episcopi Sutrini qui interfuit in Pontifical. inunctioni Philippi.

Sibilia relicta Regis Tãcredi captivitatẽ egressa fugit in Franciam cũ filiabus suis.

Coloniensis autem Archiepiscopus, & quidam alii Principes tam Ecclesiastici, quàm seculares videntes se in electione Philippi fuisse contemptos; vocaverunt Othonem filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, Comitem Pictavensem, & apud Coloniam elegerunt in Regem, eumque Coloniensis Archiepiscopus coronavit solemniter Aquisgranis; & sic facta est divisio in Imperio longo tempore duratura: nam Othoni adhæserunt Coloniensis Archiepiscopus, & suffraganei universi. Præterea Cameracensis, & Padeburgensis, & illi deservientes Episcopi. Necnon Bremensis Archiepiscopus, Dux Lovaniæ, Dux Lymburgo, Comes Palatinus Regni, Lantgravius Thuringiæ multique Comites, itaque terram obtinuit ultra Mosellam à Cameraco, usque Vidanam penè totam. Philippo verò reliqua terra cum ceteris Principibus se submisit; quamvis nec isti, nec illi firmiter adhærerent, sicut ex post facto patebit.

Otho filius Ducis Saxoniæ electus in Regem, & coronatus à Coloniense Archiepiscopo Aquisgrani, & de adhærẽtibus ei.

De adhærentibus Philippo.

Interim autem Constantia Imperatrix cognoscens quòd perfidus Marcualdus machinabatur invadere Regnum, diffidavit eumdem, & mandavit per literas suas eum tamquam hostem Regis, & Regni ab omnibus evitandum. Habebat & valde suspectum Gualterum Trojanum Episcopum Regni Siciliæ Cancellarium; ità quòd subtraxerat illi sigillum, nam & fratres ipsius reduxerunt Marcualdum: sed ad multam intercessionem Summi Pontificis recepit illum in gratiam. Itaque cùm eadem Imperatrix parum post annum à morte Imperatoris ageret in extremis, statuit eum familiarem regium cum Panormitano, Montis Regalis, & Capuano Archiepiscopis, Baliatum verò

De imperatrice Constãtia Reginæ Siciliæ.

Mors Reginæ Constantiæ.

ab Regni Domino Papæ dimisit ab omnibus juramento firmandum: quoniam ad eum spectabat, tamquam ad Dominum * principalem; constituens ut singulis annis durante Baliatu perciperet de proventibus Regis triginta millia tarenorum, & si quas expensas pro Regni foret defensione facturus, omnes sibi ex integro redderentur; sicque debitum carnis exoluit, Rege pupillo in familiarium custodia derelicto. Marcualdus autem regressus in Regnum ad occupandum illud totis viribus intendebat, prætendens quòd ex testamento Imperatoris ipse debebat esse Balius Regis, & Regni. Statim ergo Dominus Papa Gregorium S. Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem Legatum in Siciliam destinavit, ut ibi cum familiaribus Regis de Regni negotiis ordinaret: Qui profectus recepit ab eis Balii juramentum, & fecit illud ab aliis per Siciliam exhiberi. Verùm quia non bene intendebatur ei à familiaribus Regis, & præsertim à Cancellario, qui dedignabatur eum superiorem habere, cùm & omnes non regiis, sed propriis utilitatibus insudarent, post non multum tempus ad Sedem Apostolicam est reversus, Nuntiis cum literis Regis per Regnum transmissis, ut ab omnibus Domino Papæ juramentum Balii præstaretur. In Terram verò Laboris Dominus Papa direxit Joannem tituli S. Stephani in Celio monte Presbyterum, & Gerardum S. Adriani Diaconum Cardinalem, ut Civitates, Comites, & Barones inducerent ad resistendum perfido Marcualdo, qui congregato exercitu intendebat in primis capere Monasterium Casinense, ut ingressum Regni liberum obtineret. Cùm ergo Casinensis Abbas in instantis necessitatis articulo Summi Pontificis auxilium imploraret, misit Nobilem virum Landonem in Monte-longo Consobrinum suum Rectorem Campaniæ cum quingentis penè militibus, & centū arcariis conductis ad solidos qui cum præfatis Cardinalibus receperunt se in Villa S. Germani, ut eam defenderent contra impetum Marcualdi. Homines autem ipsius Villæ tamquam pusillanimes, & imbelles ipso veniente fugerunt ad montem Casinum cum filiis, & uxoribus suis, & post eos Cardinales, & milites discesserunt. Cardinales verò cum habitatoribus mille in Monasterium sunt recepti, & milites cum arcariis se in vallo posuerunt, ante Monasterium receperunt, quos capta villa, & spoliata Marcualdus obsedit, æstimans eos ad deditionem posse compellere per inopiam victualium, aliorumque necessariorum defectum. Quo audito Summus Pontifex vehementer indoluit, statimque misit Jordanum tituli S. Potentianæ Presbyterum Cardinalem, Octavianum Subdiaconum consobrinum suum cum unciis auri mille quingentis ad Petrum Comitem Celanensem, ut cum eo prout melius possent efficerent, quatenus obsessis septem in victualibus subvenirent. Ipse verò aurum recepit, & distribuit illud militibus suis, propriam magis utilitatem, quàm obsessorum necessitatem attendens. Nam vix tandem fecit illuc intromitti aliquas saumas farinæ; sed illi licèt in multa penuria, & timore, restiterunt tamen viriliter, & constanter, ità quòd cùm quosdam corrupissent pecunia Marcualdi, & ad suum præsidium attraxissent, idem Marcualdus post duos menses ab obsidione recessit, aliquisque malo fuit usus in illo: nam capta villa, & fugatis militibus tantus omnes terror invasit, quòd si cum illo triumpho protinus processisset, peneque nullos invenisset suæ malitiæ resistentes. Sed interim timore sedato, spirituque resumpto ad resistendum ei se plurimi paraverunt. Ille verò non solùm viribus, sed in

Baliū Regni.

* Intellige Siciliæ citra Farum.

De Marcualdo.

De Marcualdo qui volebat capere Monasteriū Casinense.

De Jordano Cardin. qui aurum accepit.

fed in fraudibus infiftebat, ut præconceptam malitiam duceret ad effectum: & licèt quofdam viribus fuperaffet, aliòs verò fraudibus decepiffet non tamen potuit prævalere, cùm Summus Pontifex obftaculum fibi poneret in omnibus viis fuis. Sperans autem quòd eum poffet inclinare promiffis, per Conradum Archiepifcopum Maguntinum, tantùm de Hierofolymitanis tunc partibus redeuntem, & fæpe per alios fecretè fecit, & cautè tentari, utrùm eum poffet oblatione munerum mitigare, promittens quòd fi folummodo ab ejus impedimento ceffaret, quamvis nullum fidei fibi præftaret auxilium, incontinenti daret ei valentiam auri viginti millium unciarum; & poftquam obtinuiffet Panormum totidem fibi auri uncias exhiberet, legitimam fibi fidelitatem præftaret, duplicaret obfequia quæ Romani Pontifices de Regno Siciliæ confueverunt habere, ipfumque Regnum ab Apoftolica Sede immediatè teneret: nec fedebat obftare quòd Summus Pontifex Regem infantulum in fua cura fufceperat; quia ficut ipfe firmiter afferebat, puer ille nec Imperatoris, nec Imperatricis filius fuerat, fed fuppofitus partus, quod teftibus adftruere promittebat.

Promiffiones quas Marcualdus fecit fieri Papæ pro habendo Regno Siciliæ.

Marcualdus dicebat quòd Federicus nō effet Imperatoris vel Imperatricis filius, fed fuppofitus partus.

Porrò Summus Pontifex tantam ipfius iniquitatem attendens, promiffiones, & oblationes ipfius execrabile judicavit.

Cumque non poffet hoc modo proficere ad aliam fe fraudem convertit, proponens quòd reconciliari vellet Ecclefiafticæ unitati: fed cùm fuiffet illi refponfum, quòd oportebat eum juramento firmare, ut fuper omnibus pro quibus excommunicatus erat mandatis Apoftolicis obediret: refpondit quòd in fpiritualibus abfolutè pareret; in temporalibus autem juftis mandatis parendi præftaret juratoriam cautionem. Quòd cùm fibi fuiffet affertum. quia propter eum confueta firma jurandi nullatenus mutaretur, tandem in fcriptis promifit, quòd fuper omnibus pro quibus excommunicatus erat juraret abfq; pacto quolibet, & teneret fe univerfis mandatis Apoftolicis pariturum. Licèt autèm Dominus Papa fraudem ipfius haberet fufpectam valde; quia tamen redire volentibus non eft Ecclefiæ auditus obferandus, mifit Verulas in Campaniam Octavianum Oftienfem Epifcopum, & Guidonem S. Mariæ trans Tyberim Presbyterum, ac Hugolinum S. Euftachii Diaconum Cardinalem, ut dictum Marcualdum illuc ad eorum præfentiam accedentem, fub forma reciperent fuprafcripta. Qui cùm veniffent poft multas altercationes prædictomodo juravit, rogans Epifcopum, & Cardinales prædictos, ut ad faciendum mandatum defcenderent ad Monafterium Cafemarii, dictæ Civitati vicinum, ut coram fociis fuis, quorum illic remanferat multitudo audiret, ufus hac fraude, ut cùm à loco munito defcenderent, ad locum immunitum non auderent ei grave proferre mandatum. Acquievit Oftienfis Epifcopus, fedutus confilio Nobilis viri Leonis de Monumento confobrini fui, qui reconciliationis hujus fuerat mediator: acquiverunt & alii, licèt improvidè ipfius Oftienfis Epifcopi perfuafione feducti.

Cùmque ad præfatum Monafterium defcendiffent paratum eft illis convivium in quo præfatus Marcualdus eis accuratiffimè defervivit, & fub finem convivii fubmurmuratum eft, quòd capi deberent, ut fic territi mandatum quod difpliceret illi facere non auderent: Vehementer ergo confufi quid facerent ignorabant: fed præfatus Hugo-

Hugolinus S. Eustachii Diaconus Cardinalis resumpto spiritu fortitudinis, coram omnibus qui eum eo erant ad audiendum mandatum, protulit scriptum Bulla Domini Papæ munitum, in quo mandatum quod illi faciendum erat, continebatur expressum; & ait, Ecce mandatum Domini Papæ, nos aliud facere non valemus.

Hanc autem cautelam Summus Pontifex adhibuerat tum propter se, tum propter illos: mandatum est ergo illi sicut continebatur in scripto, sub debito præstiti juramenti, ut à Balio Regni, invasione quoque ac molestatione per se ac suos omnino desisteret, nec ipsum in Patrimonium B. Petri aliquatenus molestaret: universa quæ de Regno per se, vel suos, violenter ac fraudolenter invaserat restitueret, quæ haberet; quæ verò detinerentur ab aliis, pro posse suo restitui faceret bona fide. Super damnis autem & injuriis irrogatis præsertim Ecclesiæ Romanæ, ac Monasterio Casinensi satisfaceret competenter secundùm dispositionem Summi Pontificis, & proprias facultates: in clericos, & viros Ecclesiasticos, manus de cetero non immitteret, nec immitti faceret violentas: Cardinales, & Legatos Apostolicæ Sedis nec spoliaret, nec caperet, nec spoliari, nec capi faceret, nec etiam obsideri, nisi fortè impugnatus ab eis in defensionem propriam id agere cogeretur; non quòd id ei deberet tunc licere; sed quia hoc ei interdicebat ex debito juramenti.

Forma mandati Marcualdi pro parte Rom. Eccles.

Audito mandato factus est ingens tumultus in populo, sed, ipse Marcualdus, quamvìs valde commotus, non tamen permisit ut in Cardinales committerent aliquid inhonestum; quin potius usque in Verulas eos in propria persona conduxit, proponens quòd ad præsentiam Summi Pontificis vellet accedere, ut ei quædam secretissima patefaceret, quæ nulli alii revelaret. Unde petebat ut præscriptum mandatum interim suspendere dignarentur; literas cum sigillo suo munitas in testimonium destinavit, quòd præscriptum juramentum præstiterat, & mandatum recuperat suprascriptum.

Sed ad vomitum rediens post absolutionem suam, literas Domino Papæ direxit, in quarum salutationis alloquio fraudem ejus perpendit, in eo quòd salutatio talis erat: Reverendo in Christo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Sanctæ Romanæ Sedis Summo Pontifici, Marcualdus Imperii Senescallus, &c. Salutem, & obedientiam tam debitam quàm devotam. Et in aliis sic erat expressum: Marcualdus Imperii Senescallus, & id quod est devotum obedientiæ famulatum, tamquam qui non ex toto supprimeret, nec exprimeret manifestè, quòd Regni Balius, & Procurator existeret, sicut se priùs in suis literis consueverat appellare.

Misit etiam literas non solùm intrà Regnum, sed extra significans quòd ipse reconciliatus erat Summo Pontifici, tantamque gratiam in oculis ejus invenerat, quòd concesserat ei ut Balius Regni gereret, & duos ei deputaverat Cardinales, qui ad intendendum sibi compellerent universos. Super quibus cùm redargutus fuisset à Cardinalibus, apertè rescripsit quòd nec pro Deo, nec pro homine mandatum quod sibi fecerat Summus Pontifex observaret.

De literis mēdosis quas misit Marcualdus intra & extra Regnū

Unde Dominus Papa per totum Regnum Nuntios, & literas destinavit, significans totum processum, & ipsius perfidium manifestans, districtè præcipiens universis, ut eum tamquam excommunicatum, perjurum, hostem, & proditorem vitarent.

De Nuntiis & literis quas misit Dñus Papa contra Marcualdū.

Ipse verò cognoscens se sua intentione fraudatum cœpit subtiliter machinari, qualiter posset in Siciliam transfretare, suam ibi nequitiam liberiùs impleturus. Et cùm quosdam sibi comparasset fautores, transivit, & cœpit mala quæ poterat operari, dimittens suæ iniquitatis quos complices, & fautores Diupoldum, Otthonem, & Sifridum fratres ipsius, Conradum Sorellæ, Otthonem de Laviano, & Fredericum Malinti, ac quosdam, alias multas ex hac parte phari munitiones tenentes, qui omnes cum illo de vanitate convenerant in idipsum. Cùm ergo per illum mala cœpissent super Siciliam multiplicari, familiares Regis ad Summum Pontificem clamare cœperunt, ut eis cum efforcio mitteret protectorem.

De Legato, & Archiepiscopis quos misit Papa in Siciliam, in auxiliū Friderici.

Misit ergo C. Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, & Nobilem virum Jacobum Consobrinum, & Marescallum suum cum ducentis militibus pecuniaria mercede conductis, quibus adjunxit Anselmum Neapolitanum, & Angelum Tarentinum Archiepiscopos, viros industriosos, & prudentes, quorum studio, & consilio uteretur: qui profecti Fredericum in Calabria compresserunt per totam Provinciam devastantem; & inde pervenere Messanam Civitatem Siciliæ fidelissimam, quæ numquam in hac tempestate à via regia declinavit.

De Gualtero Comite Brēnæ.

Interim autem Gualterius Comes Briennensis, qui primogenitam filiam Regis Tancredi duxerat in uxorem, de captivitatis ergastulo cum matre, & sororibus redeuntem, vir utique fortis, & nobilis, strenuus, & magnanimus ad Apostulicam Sedem accessit, postulans humiliter, & instanter justitiam sibi fieri de his quæ ad uxorem ejus in Regno Siciliæ pertinebant.

Hericusn Im. per tempore Celestini Papæ Vvillemo filio Tancredi abstulit Regnum.

Constabat enim quòd pater ejus Tancredus Regnum Siciliæ obtinuerat, & post eum filius ejus Vvillelmus in Regni solium fuerat sublimatus; cui Henricus Imperator tempore Celestini Papæ abstulit Regnum, & sic tandem cum illo composuit, quòd concessit ei, & heredibus suis Comitatum Licii, & Principatum Tarenti, concessionem hujus tam suo, quam suorum juramento confirmans. Sed postquàm eum, matrem, ac sorores ipsius in sua obtinuit potestate captivos in Teutoniam destinavit, de qua vix tandem, ipso parvo in captivitate defuncto, mater, & sorores ejus per mandatum Apostolicum evaserunt. Cœpit ergo Dominus Papa multipliciter dubitare quid ei super petitione prædicti Comitis esset agendum. Nam ipse Comes Friderico parvo Regi Siciliæ filio prædicti Imperatoris videbatur non immeritò esse suspectus, tamquam qui suorum intenderet injuriam vindicare: sed è contrario dubitabat, ne si omnino ipsius Comitis repelleretur petitio ipse se Regis hostibus jungeret, & sic fieret error novissimus pejor priore. Deliberavit igitur diligenter non solùm cum Cardinalibus, sed & cum aliis viris prudentibus, & in hoc tandem universorum resedit consilium, ut jus quod uxor prædicti Comitis ex concessione habebat in Comitatu Licii, & Principatu Tarenti, recognosceret illi, ne justitiam denegaret. Ut autem contra suspicionem præfatam caveret, in publico Consistorio adstante multitudine copiosa, subscriptum ab ipso Comite juramentum recepit, & ne familiares Regis scandalizarentur ex hoc, si fortè antequàm eis hujus facti causam exponere, concessisset præfato Comiti literas pro Principatu Tarenti, & Comitatu Licii obtinendo, protinus misit eis literas in hunc modum.

FOR-

FORMA LITERARUM INNOCENTII missarum Frederico tunc Pupillo.

NUper dilectus filius noster, Nobilis vir Gualterus Comes Brennensis, cum Nobili muliere S. relicta quondam Regis Tancredi, & filia ejus uxore sua, Militibus etiam, & aliis multis ad Apostolicam Sedem accedens, ex parte ipsius uxoris suæ, & soror ejusdem petitionem nobis offerre curavit, super assignando sibi Principatu Tarentino, & Comitatu Liciensi in justo cambio pro ipso Comitatu, juxtà concessionem, quam Henricus quondam Imperator super iis VVillelmo quondam filio Regis ejus, & ipsius heredibus fecisse publicè noscebatur, cùm contra eum nec VVillelmus, nec sorores ipsius in aliquo deliquissent, utpote qui ætatis beneficio excusantur. Nos ejusdem Comitis Nobilitatem, & potentiam attendentes; cùm etiam eum multi sequantur, & plures sint in proximo secuturi, utpote quem dilecti filii Campaniæ, & Flandriæ Comites proxima linea consanguinitatis attingunt, qui jam Crucis signaculum assumpserunt in Terræ Sanctæ succursum, & ipsius Comitis subsidium profecturi; deliberavimus quid esset agendum; utrùm scilicet eum ad Regis traheremus obsequium, an pateremur hostilem animum assumere contra Regnum. Cognoscentes ergo petitionem ipsius secundùm ea quæ intelleximus esse justam, favorem ei Apostolicum super ipsa petitione duximus impendendum; ne si ei forsitan justitiam negaremus, quasi desperans Regni hostibus adderetur, vel per ipsum fortior Regis fieret inimicus: & esset ergo novissimus error pejor priore. Procuravimus igitur, & obtinuimus apud ipsum studio diligenti, multa consilii deliberatione præhabita; quòd exhibuit nobis supra Crucem, & Reliquias juratoriam cautionem, quòd nec per se, nec per alium machinabitur quidquam contra personam Regis, honorem ipsius, & Regnum Siciliæ.

Sed cùm assequetur Principatum, & Comitatum prædictos, vel justum excambium, ad mandatum nostrum præstabit eidem Regi fidelitatem, & homagium exhibebit, & nobis tam Regis tutelam, quàm Regni Balium assecurabit proprio juramento, & quòd bona fide pro posse suo ad defensionem Regis, & Regni studebit contra hostes ipsius, nominatim contra Marcualdum, Diupoldum Oddonem de Leviano, & fautores ipsorum. Similiter autem super sorore, id est filia quondam Regis Tancredi uxor ipsius Comitis juraverunt, quòd id quantùm in eis est, fideliter observabunt, & procurabunt apud eumdem Comitem vel inviolabiliter observetur. Quòd si forsan contra præstitum juramentum idem Comes, vel uxor ipsius, per se, vel alium, quacumque tentaret occasione venire, præter reatum perjurii, excommunicationis in personas, & interdicti sententiam in terra incurrerent, & ab omni jure, si quod eis non solùm in prædictis terris, sed in Regno etiam competeret caderent omnino. Super quibus omnibus fideliter observandis fidejussores idoneos idem Comes quos poterit exhibebit. Volentes igitur honori vestro deferre, priùs quàm ei Principatum, & Comitatum prædictos, vel justum faceremus, aut etiam mandaremus excambium assignari, id vobis duximus intimandum, ut præter vestram conscientiam nil agatur.

Serenitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandamus; quatenus infra vos ipsius diligentiùs attendentes, & justitiam, & potentiam Comitis antedicti, qui per se, ac suos Regi ac Regno poterit utiliter deservire, & hostes ipsius potenter ac viriliter expugnare; necessitatem quoque Regni, & egestatem, quæ peccatis exigentibus non solùm supervenientem, sed nec etiam imminentem persecutionem sufficit sustinere, procuretis prudenter ac cautè, ut quod ad justitiam ejus pertinere dignoscitur, sinè turbatione qualibet compleatur: scituri quòd idem Comes, quem experimento cognovimus esse virum industrium, & prudenter, & quem Deum timere credimus, & pre omnibus animæ suæ affectare salutem, nobis firmiter repromisit, quòd tantum ac tale, dante Domino, Regi ac Regno contra hostes suos servitium exhibebit, quòd non solùm ab eo non molestabitur super istis, sed majora merebitur obtinere. Quòd si forsan vobis visum fuerit, ut ampliùs per eumdem Comitem possimus Regi, ac Regno cavere, id per vestras nobis literas intimetis, ut de consilio vestro cautionem quam expedire videritis exigamus ab ipso, & recipiamus exactam.

Cùm autem Gualterus Trojanus Episcopus Regni Siciliæ Cancellarius apud Messanam has literas recepisset, commotus vehementer & convocato populo, intentionem Summi Pontificis impetu spiritus, modis quibus potuit studuit depravare, magis sibi timens, quàm Regi; quia ipse cum omnibus suis opposuit se Regi Tancredo, verebatur ne præfatus Comes, qui filiam ejus duxerat in uxorem, si potens efficeretur in Regno, in eum & suos acriter vindicaret.

Memoratus verò Comes uxore ac sociis dimissis, in Franciam est reversus, ut exercitu congregato veniret ad obtinendam terram præscriptam, & ad hostes regios expugnandos.

DE MARCUALDO.

INterea Marcualdus attractis sibi Sarracenis Siciliæ, multisque sibi Nobilibus sociatis, in tantùm profecit, quòd obtentis multis Civitatibus, & Castellis, venit usque ad Panormum, & Civitatem ipsam fortiter impugnabat; unde oportuit Legatum, & Marescallum Summi Pontificis, qui Messanæ cum præfato Cancellario morabantur, accelerare Panormum: Quid autem de ipsorum adventu provenerit, literæ Anselmi Neapolitani Archiepiscopi ad Dominum Papam transmissæ testantur, quarum tenor est talis.

LITERA VICTORIÆ.

Forma literarũ Anselmi Archiepiscopi Neap. missarum ad Papam.

BOna quæ vestrarum orationum intervenientibus meritis operatus est Dominus his diebus, vobis Domino meo, sicut vidi propriis oculis declarare. Noverit itaque Sanctitas vestra, me cum tribus galeis, & uno brino Apuleorum, qui me vestri gratia, cum Magistro Bartholomæo Proscriptore vestro, & mea tota familia honorificè perduxerunt, feliciter applicuisse Panormum, die videlicet decimaseptima præsentis Julii mensis, quo etiam die, sicut Domino placuit, & hora eadem Dominus Cardinalis cum Dominis omnibus Curiæ, excepto Cataniensi, & exercitu regio pariter pervenere Pa-

normum. Factum est autem gaudium in Civitate, pro eo præcipuè, quòd occasione Marcualdi nequissimi, qui eam cum Sarracenorum gente nefaria, per viginti duos dies continuos tenuerat strictè nimis, & detinebat obsessam, summa jam videbatur inopia laborare. Die ergo eodem, & exercitus Regis extra Civitatem, in viridario scilicet Regis quod dicitur Jauvandum, castra sunt posita, ut statim, aut die sequenti campalis fieret cum inimico congressus. Sed homo versutus, & callidus, mox ut applicuisse persensit exercitum, per Raynerium de Manente verba pacis transmisit in dolum, ut ex partis nostræ si posset infirmiora cognosceret, & quas de hora præstolabatur in horam vires interim recipiens cumularet. Noverat etiam pecuniæ nostræ defectum, & quòd propter importunam murmurantium stipendiorum instantiam belli erat nobis periculosa dilatio, & ideò verbis detinendo, sive decipiendo nos dulcibus illaqueare credebat: fecitque notum satis; præsertim cùm jàm audientium animos ad pacis suæ concordiam inclinasset; nisi consilia Principum, Domino desuper qui novit omnia antequam fiant, & cogitationes hominum à longè considerat, dissipasset. Omnibus enim diversis, & variis linguis, quæ in exercitu erant regio congregatæ, voluntatem, & vocem contulit uniformem, ut omnes unanimiter dicerent, omnes una voce clamarent; Pacem excommunicati respuimus, inimici Dei, & hominum concordiam penitus sinè omni consilio refutamus. Verùm propter hæc verba nec ille pacem suam desistebat expetere, nec tractatores nostri, quæ ab ipso proponebantur, seu postulabantur audire: & cùm fere finis jam esset, & murmurantibus omnibus pax consummari deberet, quæ nostræ partis pro certo continere videbatur incommodum, nec ad nostrum spectabat honorem, Magister Bartholomæus, vir qui nostram, & Ecclesiæ Dei injuriam æquanimiter tolerare non potest, audiens quòd ista concordia in odium, contemptumque nostrū fieri debebat, & quòd etiam toti Regno poterat esse damnosa, literas prohibitionis vestræ produxit in medium, & ubi præter devotissimum nostrum Dominum Montis Regalis, tres erant alii Domini congregati pro tractanda, imò perficienda dicta concordia, videlicet Cancellarius, & Domini Messanensis, & Cephaldensis, præsente jam dicto Raynerio Nuncio Marcualdi, protulit, & assignavit literas vestras firmiter prohibens eis, juxta tenorem mandati, ut cum Marcualdo nequissimo pactum non facerent, neque finem. Factum est itaque ut tum pro mandato vestro, tum quia exercitus totius, & populi Panormitani tumultus nimis crescebat, & murmur, post diem quartum inter Panormum, & Montem Regalem, quem Marcualdus acceperat, & tenebat, ab hora tertia usque fere ad nonam fuit hinc inde fortissimè prelìatum, & tandem sicut Domino placuit, promerentibus sanctis orationibus vestris, post multas partis adversæ strages, mutilationes, & cedes, & per egregii viri Domini Marescalli vestri subsidium, qui cum suis in extremio locatus castellum tenebat, ipse castellum erat exercitus, optatum habuimus de inimico triumphum; ut enim aliquantulum eloquar, primi nostri, qui erant in prima belli facie constituti, licèt in primis viriliter fecerint, licèt quamplures prostraverint, & occiderint, multitudinem tamen primorum, quoniam in ipsos insimul irruerunt non valentes sustinere, bis terga dedisse coacti sunt, & benedictus à Domino Marescallus bis eos re-

cepit

cepit incolumes, & defendit; & dum nimis urgeret, & opprimeret Teutonicorum, & Agarenorum pars alia, benedictus à Domino Marescallus, & sui unanimiter, & animosè congressi, in hora una, in puncto uno castra verterunt, fugaverunt, receperunt, ceciderunt, & occiderunt sequentes, & persequentes donec illi qui gladium evaserunt, loca castrorum cum omnibus tentoriis, & rebus suis desererent, & se per aspera montium, per concava vallium, & desossa terrarum dispergerent, & in ruinam perditionis abirent. Quidam autem Pisani, ut dictum est numero quingenti; & ampliùs, quibus quidam præerat nomine Benedictus, qui & ipse Pisanus, Montis Regalis montana tenebat, & infinita Sarracenorum multitudo erat ibi cum eis ad custodienda loca debilia constituti; sed quando pronunciatum est bellum, pedites nostri cum Comite Gentili, & Comite Malgarlo, & quibusdam militibus aliis potenter ascenderunt, transcenderunt, & obtinuerunt montana, & omnes fere quot inventi sunt in ore gladii posuerunt. Benedictus autem ille qui præerat cum paucis dicitur evasisse. Sed & quidam Sarracenus nomine Magadeo, qui omnium erat Magister, & Dux, ibi quoque truncatus, & mortuus fuit. Marcualdus verò quò, & cum quot, aut quibus de suis aufugerit, adhuc nescitur. Scimus autem quòd ille nuper hominum, & Diaboli mediator prædictus Raynerius de Manente captus est, & in carcere positus, & multi alii de majoribus, & melloribus quorum nomina nescio, de exercitu Marcualdi. Quot autem, & qui sunt occisi nescimus; scimus autem multos, & optimos fuisse. Spolia eorum multa, & preciosa fuerunt, ità quòd totus ille dies vix ad exportandum suffecit. Hæc est ergo, Domine, quam fecit Dominus dies optatæ redemptionis, & lætitiæ; dies in quo magnificatum, & benedictum est nomen vestrum; dies inquam qui & nobis de hoste victoriam contulit, & viro egregio Marescallo cum omnibus suis nomen acquisivit æternum. Faciat Deus ut ei respondeatur secundùm merita sua bona, imò præclara opera sua. Vobis autem eum non commendo; quia opera sua valde bona eum apud vestram magnificentiam recommendant.

Testamentũ Henrici Imperatoris.

In hac fuga perdidit Marcualdus universam supellectilem suam, & inventum est in quodam scrinio testamentum Imperatoris Henrici aurea bulla signatum, in quo inter cætera hæc de verbo continebantur ad verbum: Imperatrix consors nostra, & filius noster Fredericus Domino Papæ, & Ecclesiæ Romanæ exhibeant omnia jura, quæ à Regibus Siciliæ consueverunt habere, & Domino Papæ securitatem faciant sicuti Reges Siciliæ Summo Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ facere curaverunt. Si verò prædicta consors nostra præmoreretur, & filius noster secundùm ordinationem suam remaneat, & filius noster sinè herede decesserit, Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniat. Si verò filius noster præmoreretur dilecta consors nostra Regnum in vita sua teneat, & post mortem suam Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniat. De Imperio ordinamus, quòd Dominus Papa, & Ecclesia Romana illud filio nostro confirmet; & pro hac confirmatione Imperii, & Regni volumus, quod tota terra Comitissæ Mathildis restituatur Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ præter Medecissimam, & Argelatam cum earum pertinentiis.

De terra Comitissæ Mathildis. De Medicissima, & Argelata Rom. Ecclesiæ.

Et insuper ordinamus, & volumus ut tota terra de Ponte Payle, cum

cum Monte Fortino liberè dimittatur Domino Papæ, usque ad Ceperanum, & quod est Ecclesia Romana, habeat Montem Flasconem cum omnibus appendentiis suis. Insuper præcipimus Marcualdo Senescallo nostro ut Ducatum Ravennæ, Terram Bryttonoriæ, & Marchiam Anconæ recipiat à Domino Papa, & recognoscat etiam ei Medecissimam, & Argelatam cum earum pertinentiis. De quibus omnibus bonis suis securitatem ei juret, & fidelitatem ei faciat, sicut Domino suo. In morte verò sua si sinè herede decesserit Ducatus Ravennæ, Terra Bryttonorii, & Marchia Anconæ, Medecissima, Argelata cum earum pertinentiis in dominio Romanæ Ecclesiæ remaneant.

Ravenna.

In tantum autem præfati Marescalli strenuitas, & prudentia non solùm Regi, familiaribus ejus, verùm & universis Comitibus, & Baronibus, & omnibus tam indigenis, quàm extraneis grata extitit, & accepta, ut communi omnium consilio, & favore Comitatus Andriæ donaretur regali privilegio aurea bulla munito super ipsius sibi concessione collato. Quia verò familiares Regi necessarias sibi, & suis denegabant expensas, & propter nimium æstatis ardorem milites sui jam inceperant graviter infirmari, compulsus est ad propria remeare, multamque pecuniam Dominus Papa fecit militibus elargiri; tum pro stipendiis, & muneribus, tum pro equis & armis: quoniam propter quasdam expensas quas fecerant in Sicilia nihil penitus à Regis familiaribus acceperunt. Tunc temporis defuncto Panormitano Archiepiscopo Metropolitano, Ecclesia Panormitana vacabat, ad quam præfatus Cancellarius vehementer adspirans usque adeò laboravit, quòd fecit se in Archiepiscopum postulari, & eandem postulationem per præfatum Legatum admitti, Summo Pontifice penitus inconsulto; & quamvis nondum pallium recepisset, nedum etiam postulasset, Panormitanum tamen Archiepiscopum & re, & nomine se gerebat. Quod cùm ad Summi Pontificis notitiam pervenisset, redarguit valde Legatum, quòd in tanto negotio circa talem personam processerat, antequàm suum beneplacitum perquisisset, ut tamen illi deferret, de multa benignitate concessit, ut idem Cancellarius tam in spiritualibus, quàm in temporalibus procurationem gereret Metropolitanæ Ecclesiæ antedictæ; sic tamen ut se sicut priùs Trojanum Episcopum appellaret, & si vellet Ecclesiæ Panormitanæ procuratorem sive Ministrum: sed ipse spiritu elationis inflatus hujusmodi gratiam dedignatus est acceptare; quin potiùs ad infamandum Summum Pontificem de facto Brennensis Comitis, nec linguam, nec calamum voluit cohibere.

Nota quod propter victoriam habitam de Marcualdo Comitatus Andriæ fuit donatus Jacobo Consiliario, & Marescal. Innocentii Papæ.

Nota de Episcopo Trojano qui fecit se in Panormitanum Archiep. postulari & ante pallium se Archiepiscopum nominabat.

DE COMITE BRENNÆ, QUI CUM PAUCIS militibus venit de Francia.

SÆpefatus autem Comes Gualterius Brennensis, congregatis militibus non multis, sed strenuis Romam cum illis concito cursu pervenit, nonnullis ejus audaciam subsannantibus, quòd cum tam modica manu vellet Regnum intrare. Quo audito Diupoldus, & complices ejus in unum se pariter collegerunt, modis omnibus laborantes, ut ejus impedirent ingressum. Porrò Dominus Papa cognoscens quòd ipse cum tam paucis militibus absque strage suorum, & sua,

sua, Regnum ingredi non valeret, tum quia longè major erat cum adversariis multitudo; tum quia ipsi, scilicet adversarii ingressu Regni munitiones tenebant, misertus ipsius, quingentas auri uncias concessit eidem, ex quibus colligeret sibi milites, quorum suffragio Regnum intraret; deditque sibi literas ad Comites, & Barones, Castellanos, & etiam Cives ut eum reciperent, & juvarent: Qui collectis militibus intrepidus Regnum intravit, & receptus à Civibus Theanensibus, cùm eorum recepisset Castellum, Capuam est profectus; sed à Capuanis non intrà Civitatem admissus. Diupoldus igitur & complices ejus collecta multitudine copiosa circa Capuam ei obviam processerunt, putantes eum, & suos uno impetu deglutire. Cùmque hinc inde acies fuisset instructa, pugnatum est satis durè: sed Domino protegente fideles ab infidelibus, præfati excommunicati sunt in fugam conversi, ex quibus aliqui sunt cæsi, aliique sunt capti. Tuncque egressi Capuani Cives diripuerunt spolia multa derelicta, Comite cum suis prosequentibus fugientes. Sicque data est illi à Deo victoria insperata. Petrus igitur Comes Celani consœderatus illi retinuit illum plus quàm per mensem ad obtinendum Comitatum Molisii, cujus suffragio majorem partem ipsius obtinuit Comitatus. Cecidit enim terror ejus in eos qui suam, & suorum fortitudinem audiebant, compressisque Teutonicis qui ante adventum ipsius per Regnum discurrebant liberè, descendit pacificus in Apuliam, & redditæ sunt ei quædam Civitates, & villæ pertinentes ad Principatum Tarenti, videlicet Matera, & Hydruntum, Brundusium, aliæque quamplures: Obtinuit & Melfiam, Baronum, Montem Pilosum, & quasdam alias Civitates, & villas, quæ suæ se custodiæ commiserunt. Cepitque pugnare contra Monopolitanos, & Tarentinos, & quosdam alios, qui dominationem ejus recipere noluerunt. Castellanum quoque Licii potenter obtinuit, multaque magnalia prudenter exercuit, quę longum esse per singula enarrare.

Summarium Apostolicæ prohibitionis factæ per D. Innocentium

Gualterius autem Trojanus Episcopus, & Regni Siciliæ Cancellarius, quasi totum sibi usurpavit inter familiares regios dominatum; ita quòd tanquam Rex esset: confœderabat Comitatus, & Baronias, instituebat Justitiarios, & Camerarios, Secretos, & Stratigotos, vendebat, & pignorabat doanas, & bajulationes accipiebat, expendebat reditus, & proventus, quinetiam familiares instituebat regios, quos volebat, immemor Apostolicæ jussionis, quam ipse cum aliis sibi fieri postulaverant in hæc verba: Prohibemus ut domanium Regis nullatenus distrahatur, nec titulo quolibet obligetur; nisi evidentissima urgente necessitate, utpote si exercitum terra vel mari oporteat congregari: & tunc redditibus propter hoc pignori obligatis accepta pecunia in obsequio regio per manus Secretorū utiliter expendatur. Præsentium quoque tenore duximus inhibendum,ut nullus vestrùm, qui Regi familiariter adhæretis, nisi ex communi omnium voluntate, vel ex majori saltem parte consilii sanioris, aliquam arduam Regni negociationem audeat explicare, vel percipere quidquam de cætero præsumat. Regis quoque Patrimonium minimè consummetur, nisi assensu nostro primitus requisito. Præcipimus etiam ut nullus Secretorum alicui personaliter de familiaribus Regis intendat, aut aliquid ei de fisco persolvat, nisi omnibus assentientibus, vel majori, & saniori parte volente, per quas thesaurum nuper inventum jubemus studiosiùs custodiri. Gravat & nos admodum, & perturbat, quòd

quòd cùm perfidus Marcualdus sit per vires nostras, & regias Domino Deo faciente contritus, & ad nihilum ferè redactus, quidam ut audivimus in dispendium Regis,& Regni contra nostri formam mandati pacem cum eo facere moliuntur, ut qui judicio jacet divino prostratus, hac dolosa pace resumptis viribus resurgat concitus ad nocendum. Ne igitur confraudulenta pax quæ pernicies posset potiùs nominari perveniat ad effectum, per Apostolica scripta districtiùs inhibemus, quatenus nemo cujuscumque conditionis aut ordinis, de clero vel populo pacem hujusmodi cum eodem perfido facere, vel inire præsumat; sed ut ex majori parte jam victus, ex toto vincatur, contra ipsum agatur fortiter, & prudenter. De fraudulenta pace.

Ceterùm quia pax, & tranquillitas Regi, & Regno super omnia expedire probatur, volumus, & mandamus, ut si Sarraceni sufficientem præstiterint cautionem quòd inimicis Regis de cetero non adhæreant,& in ejus fidelitatem ab obsequio firmi, & stabiles perseverent, pace cum ipsis integrè conformata eos in gratiam pietatis regiæ revocetis, eisdem Sarracenis, aliisque proditoribus Regni finè dubitatione scituris, quòd si forsan his, & aliis mandatis nostris, quæ pro Regis honore, Regnique salute transmittimus contraire præsumpserint, Nos ad eorum rebellionem, & superbiam edomandam constantiùs attingemus, & Principes etiam Christianos, qui ad subsidium Terræ Sanctæ festinant, in eorum confusionem autore Domino potenter assurgere faciemus,salva in omnibus supradictis actoritate Legati, vel ejus, cui vires nostras duximus committendas.

Ut autem idem Cancellarius præconceptam malitiam posset liberiùs adimplere, callidè procuravit, ut Apostolicæ Sedis Legatus rediret: Vocaverat autem idem Cancellarius Gentilem fratrem suum Comitem Monopelli, & familiarem regium constituerat ad sublimationem ejus ardenter aspirans, cepitque ex Marcualdo tractare de pace contra proprium juramentum, & Apostolicum interdictum, contradicentibus aliis Dominis Curiæ; nisi quos ipse curaverat, ut sibi faverent, & quamquam eumdem Marcualdum sciret à Domino Papa cum omnibus suis fautoribus excommunicatum,& maledictum, quem & ipse de mandato Apostolico cum omnibus suis fautoribus excommunicaverat, & maledixerat ore proprio, composuit tamen cum illo, in regiam eum familiaritatem admittens, imò inter universos familiares majorem constituens, dividens sibi Regnum cum illo, ut unus in Sicilia, & alter in Apulia Regis, & Regni negotia procurarent, mandans nomine regio universis ut pacem istam reciperent, & secundùm eam intenderent Marcualdo, etiamsi Summo Pontifici displiceret. Verùm etsi uterque intenderet decipere reliquum, affinitatem tamen contrahere firmaverunt per conjugium inter nepotem unius, & neptem ulterius. Porrò cùm uterque deprehendisset fraudem alterius, revelata sunt abscondita tenebrarum; quoniam Marcualdus per Nuncios, & literas suas publicaverat ubique per Regnum quòd Cancellarius machinabatur hæc & hujusmodi, ut Comitem Gentilem fratrem suum ad Regis solium promoveret. Cancellarius autem contra, quòd Marcualdus resumere vires, & crudeliùs solito debacchari. Cancellarius verò quia jam in Sicilia dissipaverat universa, nec inveniebat unde facere posset expensas, dimisso Rege in custodia fratris sui, transfretavit in Calabriam, & Apuliam: ut si- De Episcopo Trojano Cancellario.

cut per exactiones, & extorsiones Siciliam spoliaverat; ità Calabriam & Apuliam spoliaret, diripuitque penè omnes Ecclesiarum thesauros, Cruces, calices, & thuribula, quando etiam capsas, & iconas aureas, & argenteas excrustabat, nemini parcens, quin à quo posset aut blanditiis, aut terroribus, aut fraudibus, aut verberibus pecuniam extorqueret; sed quamvis taliter extorsisset innumeram consumpsit tamen inutiliter universam in acquirendo, sed prodigus in donando.

Hic igitur in reprobum sensum datus non cessabat Summum Pontificem profanis vocibus diffamare super facto Comitis Brennensis, quem habebat vehementer exosum, conspirationes, & conjurationes cum Comitibus, & Baronibus, ac in Civitatibus faciens contra illum. Unde Summus Pontifex ejus nequitiam non valens ulteriùs sustinere damnationis in eum sententiam promulgavit, ipsumque multis ex causis perjurum, & excommunicatum denuncians, tam à Panurmitana Ecclesia, quàm à Trojana removit, faciens in utraque alium Præsulem ordinari: mandans ubique per Regnum, ut sibi nullus intendat, neque per literas ab eo sub regio nomine destinatas ad intendendum ei quispiam teneatur. Res mira! penitus cecidit ab universis despectus, abiitque vagus, & profugus super terram, & cùm ei non intenderetur à fidelibus Regis, commisit se Diupoldo, & fautoribus ejus, ut cum eis contra Summum Pontificem, & præfatum Comitem Brennensem mala quæ poterat exerceret: Quo audito familiares Regis, qui erant complices Cancellarii cœperunt valde timere: fecerunt pro se, pariter & pro illo intercessorias literas sub nomine Regio Summo Pontifici, qui Regi scripsit hoc modo.

FORMA SECUNDUM QUAM SCRIPSIT
Dominus Papa Frederico tunc parvo.

UTinam puerilibus annis virilem animum Dominus inspiraret, & ætati adhuc teneræ illam sensus infunderet gravitatem, per quam inter fas, & nefas discerneres, inter fidem, & perfidiam judicares, nec fideles damnares pro perfidis, nec perfidos pro fidelibus exaltares, ut non experimento disceres, sed doctrina, quod in Evangelio legitur *Inimici hominis domestici ejus*. & quod Sapiens protestatur; Nulla pestis efficacior ad nocendum quàm familiares inimicus existit, ut intelligeres quòd in ætate quondam, & nunc etiam tenera constitutum, & utriusque parentis destitutum solamine, protegendum Sedes Apostolica te recepit, & ut manus servorum, qui contra te conjuraverunt in Regno, confringeret extra Regnum, radicem pestiferæ arboribus visa fuerit amputare, ut venosi rivi poculum exsiccaret in fontem, nec in Regno, etiam tibi defuit manus nostra. Imò nos per Fratres, & milites nostros cohibimus impetus Marcualdi furentis, qui in fideles tuos barbarica feritate deseviens, non Regni Balium, ut adulatores tibi aliqui mentiuntur, sed Regni dominium nitebatur sibi per violentiam occupare, Te H. quondam Imperatoris inclytæ recordationis, & Constantiæ Imperatricis matris tuæ filium esse negans, ut occasione tam nos, quàm alios à tuo subsidio revocaret. Nos autem ejus fallaciæ non credentes, licèt multa nobis, & magna promiserit, ne ipsius vellemus propositum impedire: quamvis etiam ut ei obviaremus in partibus cismarinis solicitudines subjerimus quamplurimas, & expensas, angustias, & labores non solùm

lùm in nostra, sed fratrum nostrorum, quin etiam consanguineorum, & fidelium nostrorum personis, eos pro te periculis exponentes. Postquàm autem Siciliam es ingressus dilectum filium I. Marescallum, & consobrinum nostrum nobilem Civem Ro. cum exercitu nostro direximus contra eum, qui de ipso, faciente Domino, cum exercitu tuo mirabiliter triumphavit; ità quòd nisi quidam de familiaribus tuis milites nostros à prosecutione revocassent ipsius, hodie plena pax esset tibi, & optata Regno tranquillitas restituta. Ecce in hoc tuturis extendentes, & tam Balii personam gerentes, quàm tuam, cùm nemo cogatur suis sumptibus militare, ex dispositione Imperatricis prædictæ sumptus nobis essent pro Regni necessitatibus ministrandi, in expensis tamen nostris tuum dejecimus inimicum. Ità quòd præter pauca dum moram facerent nihil vel in accessu, vel in recessu milites nostri à tuis familiaribus receperunt. Sed præter expensas emendationem armorum, & equorum militibus nostris duximus faciendam. Quibusdam autem ex eisdem familiaribus, qui quietem Regni non appetunt, sed in ejus turbatione commoda sua ponunt, in aqua turbida piscari meliùs se credentes, ne turbatio Regni desit, eodem Menescalco ad nos sinè remuneratione remisso, contra claves Ecclesiæ, quæ prædictum Marcualdum cum universis, & participibus suis excommunicationis laqueis innodavit, quam ipsi etiam ore proprio publicarunt, sub specie pacis, quæ sicut effectus indicat pernicies potiùs est dicenda, in caput tuum erexere dejectum, & jacentem in familiarem stabilire regium præsumpserunt, quasi totam ei potestatis plenitudinem in Regno Siciliæ conferentes. Et ne debilior, sed fortior potiùs ex casu resurgeret, & in excidium tuum ampliùs prævaleret, universis captivis quos in fuga ejus receperant restitutis, etiam hominum Regni ei voluerunt comparare favorem, pacem initam, vel perniciem potius procuratam mandanter per universum Regnum sive volentibus, sive nolentibus inviolabiliter observari. Ecce qualiter vobis familiares Regis detulerunt, qualiter suo consuluerunt honori, qui ut tuum augerent inimicum, contra juramentum fidelitatis, quo quidam eorum sunt nobis astricti, & illud etiam, quod de non componendo cum ipso sinè mandato nostro præstiterant, persecutionem suscitavere sopitam, virus angui, & camino oleum infundentes. Unde qua fronte vel ipsi pro se rogare possint, vel alius valeat intercedere pro eisdem, cùm quidam eorum gratiam nostram demeruerint, donec congruè satisfaciant non videmus; quanquam eos de benignitate Sedis Apostolicæ duxerimus tolerandos. Ipsi etenim in arcum conversi, vel potius adversi perversum, dispositionem ejusdem Imperatricis suis interpretationibus damnantes inane nobis nomen Balii reliquerunt, detrahentes honorem, & honus solummodo relinquentes; sibi etiam temeritate propria usurparunt; ità quòd fere totum tuum dominium contra prohibitionem nostram ad eorum petitionem obtentam penitus exhauserunt. Comitatus, & Baronias pro suæ distribuentes arbitrio voluntatis, ut ex eo sibi favorem ampliùs compararent; & cum Regnum exactionibus plurimis aggravarint, collectam pecuniam non converterunt in commodum Regni; nec nobis secundùm constitutionem Imperatricis factas restituerunt expensas, sed nec censum debitum, nec quod eadem Imperatrix nobis, & Fratribus nostris annis singulis statuit persolvendum, curaverunt

Nota pulcrū exemplum.

rant exſolvere. Sed ex ea ditaverunt conſanguineos ſuos, & conſanguineas dotaverunt, ut taceamus ea quę ſibi, cùm loculos habeant reſervarunt. Nos igitur attendentes quòd ſicut tuæ quoque literæ continebant, pueritiæ tuæ paſſim domeſtici ſe opponerent, paſſim ſe objicerent alieni: imò & homo pacis tuæ in quo ſperabas, & qui edebat panes tuos ſupplantationem adversùs te curaverat ampliare, ad progenitorum tuorum exemplar recurrimus; & ſicut eis conſultum fuerat, ſic etiam tibi duximus conſulendum. Accipimus etenim, & novimus eſſe verum, quòd cùm illuſtris memoriæ Vvillelmus primus Siciliæ Rex multos de Regni Nobilibus in exilium deſtinaſſet, il

De Vvillelmo primo Rege Sicilię.

qui poſt ejus obitum inclytæ recordationis Vvillelmi Regis Siciliæ filii curam, & cuſtodiam ſuſceperunt, ejectos ad propria revocantes uſque adeò per revocationis, & reſtitutionis beneficium in fidelitate, ac devotione regia ſolidarunt, ut nullus progenitorum ejus in ea parte vixerit, nullus à ſubditis ſic formidatus fuerit, & dilectus; nullus ità paci Regni providerit & quieti.

De Vvillelmo filio ejus bono ab omnibus dilecto

Attendentes igitur quòd hoc quondam Imperator de aſſenſu illuſtris memoriæ Conſtantiæ Imperatricis matris tuæ, filiæ quondam Regis Rogerii, quando Vvillelmus filius inclytæ recordationis Regis Tancredi nepotis ejus, ipſi ſe reddidit, Principatum Tarenti, & Comitatum Licii ei, & heredibus ejus conceſſerit, & in animam ſuam juramento Principum tam de Imperio, quàm de Regno conceſſionem hujuſmodi fecerit roborari; nec idem Vvillelmus, aut ſorores ipſius aliquo modo peccaverint, cùm ætatis beneficio excuſentur, qua fronte nos in hac parte contrahire juſtitiæ vel reſiſtere veritati poſſemus, nulla potuimus intelligere ratione, cùm pro ſuſpicione non ſit veritas relinquenda, contra ſuſpicionem tamen hujus cautelam quantumcumque potuimus curavimus adhibere. Nam ab eodem Comite ſuper Crucem, Evangelium, & Reliquias recepimus publicè juramentum, quòd nec per ſe, nec per alium, &c. *ut in ea quæ mittitur familiaribus Regis; uſque,* inviolabiliter obſervetur. Potuerat enim ſi voluiſſet hoſtibus tuis addi, & cum eis, non ſolùm jus ſuum, ſed aliud etiam uſurpare, fuiſſetque noviſſimus error pejor priore; ſed nos maluimus ipſum ad regiam defenſionem inducere, ac in fidelitate regia fortiùs ſolidare. Unde ipſe nuper Regnum ingreſſus, quod juraverat exercitus, cum exercitu quem in propriis expenſis de Ultramontanis partibus ſecum duxit, de Diupoldo qui hactenus per totum Regnum Sicilię citra pharum impunè diſcurrens, quietem omnium perturbabat, faciente Domino mirabiliter triumphavit. Unde jam per Dei gratiam, per ejus eſt induſtriam procuratum, ut fideles tui, qui muros uſque modò ęgredi formidabant, ſecurè colligant meſſes ſuas, & ea quæ hoſtes ſeminaverant ipſi metant, & ab eis plurimum metebatur: qui etiam omnes quos de manu inimicorum poteſt eripere, tibi facit ad mandatum noſtrum fidelitatis juramenta præſtare. Verùm ne adhuc Regnum pace gaudeat exoptata, ſed ejus turbatio ampliùs augeatur, Gualterius Cancellarius cum devicto, & fugato compoſuit, & cadentem nititur ſuſtinere, ſed cùm manus Domini ſit in ejuſdem D. ultionem extenta, Cancellarius ipſum ſuſtinere non poterit, nec cum ipſo ſubſiſtet, ſed corruet cum ruente, qui jam ex duplici cauſa, cum quibuſdam ſuis fautoribus ſententiam excommunicationis incurrit. Videas igitur cui potiùs credere debeas, utrùm nobis, aut quibuſ-

De Vvillelmo filio Regis Tancredi cui Henricus abstulit Regnū, & dedit ei Comitatū Licii, & Principatum Tarenti.

dam

dam ex eis quos familiares appellas, cùm nos in hostium tuorum vigilemus excidium, & utroque gladio, altero per nos, altero per dictum Comitem, & alios fideles nostros eorum nitamur contumaciam edomare. Illi autem in caput tuum gladium hostibus tuis tradunt, & eos non absque virium tuarum infirmatione in sua iniquitate confirmant. Sanè si verum inspicias, plus tibi Brennensis Comes contulit uno die, quàm quidam qui de bonis tuis dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias, profuerint dum vixerunt. Ne igitur audias eos, nec eorum obligationibus fidem præstes; quoniam non honorem tuum, sed propriam utilitatem affectant, & non propter te, sed propter seipsos nostris dispositionibus contradicunt. Quòd si forsan illud objiciunt contra Comitem memoratum, quòd H. quondam Imperator Regno uxorem suam, matrem ejus, & fratrem ejus, & fratrem uxoris ejecit, plus poteris de ipsorum aliquo dubitare, quem prædicta Imperatrix non sinè causa forsitan aliquandiu tenuit ut captivum, & nisi fuisset morte præventa, vel nostrum ei auxilium subvenisset, ipsum forsan penitus ejecisset à Regno, vel adhuc in vinculis detineat. Certum est autem quòd faciliùs injuriam negligit quis alienam, quàm propriam læsionem. Monemus igitur Serenitatem Regiam, & hortamur in Domino, quatenus, quantùm de homine credi potest in nullo dubites de Comite memorato; sed potius de ipso confidas: quoniam nisi per te steterit vel per tuos veriùs, qui tamen utinam essent tui, eum fidelem invenies, & devotum, & Regni tui post Deum, & nos potentissimum defensorem; nec credas quòd id tam pro ipsius utilitate, quàm pro tua & Regni salute dicamus. Considera ergo prudenter, imò familiares tui diligenter attendat, ne occasione, vel reprehensione correctionis hujus ad hos qui animam tuam sitiunt convertantur: quoniam si simul acceperint potestatem in eos, ipsi nos de eis divino judicio judicabunt. Quòd si ad cor redire voluerint,& sic tandem mandatis nostris humiliter, & devotè parere, Nos pro tuæ Serenitatis honore, quiete Regni, ac eorum salute ipsos adhuc ad Apostolicæ Sedis gratiam admittemus. Datum Laterani v. Non. Julii. Pontificatus nostri anno quarto.

Misit ergo Dominus Papa Petrum Portuensem Episcopum Legatum in Apuliam, & Terram Laboris præcipiens Comitibus, & Baronibus, Castellanis, & Civibus, ut ad mandatum Legati cum dicto Comite contra Diupoldum, & Cancellarium exurgerent universi: qui cùm in Apuliam pervenisset, miser ille solo nomine Cancellarius ad præsentiam ejus accessit, reconciliari postulans Ecclesiasticæ unitati, & præstito temporali juramento, quòd pareret universis mandatis Domini Papæ, absolutus est à Legato. Sed cùm mandaret ei ut non opponeret se Comiti Brennensi, respondit: quòd si Petrus Apostolus hoc ei præcepisset missus ab ipso Christo, mandato hujus non pareret, etiamsi sciret, quòd propter hoc deberet in inferno damnari, & ponens os suum in cælum, cùm linguam traheret super terram publicè coram omnibus Summum Pontificem blasphemabat, præsente Legato, abiitque ad Diupoldum. Et congregatis universis quos potuit congregare ad pugnandum contra Brennensem Comitem juxta Barolum processerunt. Ipse verò Comes erat ibi cum paucis: nam de fidelibus Regis penè nullos secum habebat ibi. Barolani quoque, licèt præcedenti die Legato jurassent, cùm aspicerent mul-

multitudinem esse cum illis, & paucitatem cum istis, non permiserunt ipsos intrare. Videns itaque Comes se constitutum in arcto, cepit multipliciter anxiari, maximè propter Legatum, qui tanquam formidolosus plurimum metuebat.

Et confortatus in Domino prosiliit ad arma cum suis, & benedictione ac remissione à Legato recepta, cùm idem Legatus maledixisset hostibus, in nomine Domini Comes alta voce Sanctum Petrum invocans adjutorem, processit ad pugnam; & cùm acriter dimicare cœpissent, adversarii terga verterunt, & in fugam singuli, prout poterant declinabant, ex quibus multi sunt capti, plures sunt cæsi, plurimi etiam in stagnis, & paludibus suffocati. Videbant enim plerique crucem auream splendidissimam ante Comitem miraculosè deferri; fuitque tanta victoria, ut prima quasi nulla videretur respectu secundæ. Nam inter alios captus est Sifredus frater Diupoldi, & Oddo de Laviano, qui sanctæ memoriæ Albertum Leodiensem Episcopum interfecerant. Petrus de Venere sororius Cancellarii, & Magister Girardus Salernitanus intrusus, multique alii nobiles, & potentes. Magnificatus est ergo Comes, & clarificatus in Regno; hostes autem humiliati sunt, & comprehensi: Comes verò Gentilis recepta pecunia, sicut publicè dicebatur, turrem ad mare tradidit Marcualdo, abjitque Messanam.

Debellatio Diupoldi à Comite Brenæ.

Marcualdus verò Panormum obtinuit, & tam palatium, quàm Regem in suam potestatem accepit, universam penè Siciliam præter Messanam suæ subjugans ditioni, misissetque manum in puerum, & usurpasset sibi coronam, nisi præfatum Comitem timuisset, ad quem, Rege defuncto, Regnum hereditario jure ratione conjugis pervenisset. Ideòque multifariè modis, & apud Dominum Papam, & apud eumdem Comitem cœpit agere, ut accepta pecunia Regnum exiret. Quòd cùm obtinere non posset tempus oportunius observabat. Verùm ille qui non dimittit virgam peccatorum super sortem justorum, cœpit per se ipsum, ne daret gloriam suam alteri, perfidum graviter flagellare. Quia cùm jamdudum calculosus fuisset, cœpit ex tunc de vitio lapidis tam vehementer affligi, ut præ nimiis doloribus ingentes clamores emittens inremediabilibus cruciatibus torqueretur; & cùm non posset ulteriùs vehementiam ægritudinis sustinere secari vel incidi fecit se, sed subitò miseram animam exhalavit, ut verè sit de illo completum, quod dicitur per Psalmistam: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum super cedros Libani, transivi, & ecce non erat, quæsivi & non est inventus locus ejus.*

Guillelmus autem Capparonus præcurrens Panormum palatium ac Regem in sua potestate recepit, & ex tunc se Regis custodem, & Magistrum Capitaneum Siciliæ appellavit. Quidam verò de complicibus nefandæ memoriæ Marcualdi hoc indignè ferentes, se in partem alteram statuerunt. Cancellarius autem oportunum sibi tempus æstimans advenisse per iteratoriam cautionem quòd mandatis Apostolicis per omnia obediret, absolutionis beneficium impetravit, ingressusque Siciliam, & adjungens se alteri parti ad Capparonem agebat. Misitque literas, & Nuncios Domino Papæ, ut Legatum in Siciliam destinaret, qui misit Gualdum Sancti Adriani Diaconum Cardinalem, per quem Vvillelmus Capparonus se fecit absolvi, jurans in manibus ejus Domino Papæ, Balium, & quòd eidem Cardinali,

nali, tanquam Vicebalio in omnibus obediret. Ipse verò Cardinalis cœpit tractare concordiam inter ipsum, & Cancellarium, quæ propter simulationes subortas non potuit consummari, accessitque Panormum, & honorificè à Capparone receptus, cœpit tamquam Balius, Regis, & Regni negocia pertractare. Cùm autem mandatum fecisset Capparoni sub debito præstiti juramenti super satisfactione Clericis, & Ecclesiasticis impendenda, ille semper bene promittens, de promissis nihil agebat, universa pro sua voluntate disponens. Unde Cardinalis prædictus post aliquantulam moram quam fecit Panormi, maximè propter Regem, qui delectabatur in ejus præsentia, & de sua consolatione gaudebat, Messanam redit, Domini Papæ responsum expectans. Cancellarius quoque reversus in Apuliam instans apud Summum Pontificem misit Nuncios, & literas suas, faciens apud eum multiplicari preces Nobilium, & potentum, ut cum ipso misericorditer agere dignaretur, reddendo sibi Panormitanam Metropolim, vel saltem Episcopatum Trojanum. Sed ipse sicut erat justus, & constans hujus preces noluit exaudire, ne sinè causa injuriam faceret Petro quondam Metanensi Episcopo, qui per ejus mandatum erat in Archiepiscopum Panormitanum assumptus; vel Trojano Episcopo, quem elegi fecerat, & etiam consecrari; quin potiùs præfato Episcopo, & Archiepiscopo pallium destinavit, ne in ejus locum ulteriùs Cancellarius aspiraret. Ut autem Dominus Papa majorem impenderet Comiti Brennensi favorem, nobilem virum Jacobum consobrinum, & Marescallum suum in Apuliam destinaverat, constituens eos pariter Magistros Justitiarios Apuliæ, & Terræ Laboris, fecitq; illi Castellum Baroli ad custodiam assignari, & reddi Montem Pilosum, qui ad Comitatum Andriæ pertinebat, regia liberalitate concessum; præcipiens Comiti memorato ut ad obtinendum Comitatum prædictum impenderet ei auxilium, & favorem. Cùm autem multa prudenter agerent, & potenter, venerunt tandem in Campaniam visitare Summum Pontificem quem audierant ægrotare. Inveneruntque illum Ananiæ tam graviter ægrotantem quòd à multis moribundus dicebatur. Cùmque de morte ipsius fama volasset, multę Civitates præfato Comiti rebellarunt: quædam verò expellentes milites suos aliæ trucidassent, perdiditque tunc Materam, Brundusium, & Hydruntum, Barolitanique castrum Baroli obsederunt, & coëgerunt Castellanum, quem ibi dimiserat Marescallus sibi resignare Castellum.

Porrò cum Summus Pontifex convalescere incepisset, Comes, & Marescallus in Apuliam redierunt, & licèt recuperasse prædicta nequissent, multa tamen acquirere studuerunt. Nam ipse Marescallus Adriam, & Minerbulum Civitates obtinuit, & ex tunc se Comitem Andriæ appellavit, extruxitque munitionem fortissimam apud Andriam, ubi palatium Comitis priùs erat. Quidam autem filii Belial ei ponentes insidias irruerunt in ipsum, putantes eum gladiis interficere; sed quoniam armatus erat sub clamyde intentionem suam non potuerunt ducere ad effectum: maximè quia quidam miles ipsius objerit se illis, quem in sua præsentia peremerunt. Ipse verò quosdam eorum capiens diversis suppliciis interemit; omnium autem bona diripiens confiscavit. Comes etiam Brennensis cùm multa fuisset magnificè operatus, quæ longum esset per singula explicare, usque

adeò

adeò compressit Teutonicos, ut vix auderent de Castellis exire, quæ cùm essent necessariis destituta sperabatur in omnibus quòd ea non possent diutius detinere. Nam & apud Salernum obtinuerat Terracinam, & Turrim majorem tenebat obsessam. Ipse verò nimis securus effectus personæ suæ custodiam negligebat, de quo cùm argueretur à multis, interdum arroganter respondit; Quòd Teutonici armati non auderent aggredi Francos inermes. Unde cùm quoddam Diupoldi castrum quod Socclum dicitur obsideret, Diupoldus ipsius prævidens in cautelam, summo diluculo armatus cum suis super Comitem, & suos nudos in tentoriis quiescentes irruit improvisus, multosque peremit, & cepit ipsum Comitem fortiter repugnantem, sagittis, & lanceis vulneratum, qui captivus deductus ad castrum post aliquos dies recepta penitentia, & viatico debitum carnis exoluit.

Mors Comitis Brennensis.

Jacobus autem Comes Tricarici relictam Brennensis Comitis conjugem desponsavit; sed quia gravida erat distulit illam traducere in uxorem, peperitque filium quem nomine patris Gualterum nuncupavit. Diupoldus verò cœpit apud Summum Pontificem supplicationibus, & promissis vehementer instare, ut ipsum & suos recipere dignaretur. Interveniente igitur Fratre Raynerio recipit illum hoc modo: Quòd absolutè juravit stare universis mandatis Summi Pontificis super omnibus pro quibus excommunicatus erat ab ipso; quòd fideliter intenderet illi de Balio Regis; quòd ad mandatum ejus faceret guerram, & pacem; quòd omni petenti sub ejus examine justitiam exhiberet; quodque Philippo Duci Sueviæ nullum contra Regnum Siciliæ in Regno vel extra Regnum impenderet auxilium vel favorem.

Forma juramenti præstiti Diupoldi redeuntis ad mandata Papę Innocētii.

Misit igitur præfatum Fratrem Raynerium, & Magistrum Philippum Notarium suum in Terram Laboris, qui publicè secundùm præscriptum tenorem, juramento recepto, & in scriptis redacto, absolverunt Diupoldum, & suos; similiter Marcuald. de Laviano cum suis; ac deinde Conradum Sorellæ cum suis: & sic omnes Teutonici tam ultra pharum, quàm citra ad mandatum Summi Pontificis redierunt. Diupoldus autem Panormum accedens apud Villelmum Capparonem usque adeò laboravit, quòd Regem reddidit in manibus Legati, & Cancellarii, securitate ab illis accepta; promittens quod & palatium eis redderet, ut de cetero Rex, & Regnum pacem haberent. Cùmque de palatio Regem adducens perduxisset in Civitatem ad Cancellarium, & Legatum, facto convivio appellabatur cum illis. Interea rumor insonuit, quòd operaretur in fraudem, ut cùm illos reduceret in palatium paratis insidiis caperet universos, quod à multis creditur falsò fuisse confictum, ut hac occasione caperetur ab illis; & sic captus est & detentus, sed minùs providè custoditus, per fugam evasit, rediitque Salernum, filio in captivitate dimisso. Interim frater ejus Soffridus proditoriè cepit Magistrum Philippum Notarium Domini Papæ, quem ad petitionem ipsius Diupoldi Dominus Papa direxerat in Apuliam, & Terram Laboris, committens eidem in temporalibus vices suas, & ut inter Teutonicos, & Latinos pacem, & justitiam faceret observari; quem dictus Soffridus vix tandem extorta gravi redemptione dimisit.

DE CONRADO CASTELLANO.

INter omnes verò Teutonicos, qui post mortem Imperatoris in Regno remanserant ad flagellum, infidelissimus extitit Cunradus Castellanus Sorellæ, qui & Roccam Arcis in ingressu Regni tenebat supra modum persequens, & affligens, non solùm undique per circuitum Terram Laboris; verùm in Campaniam, & maritimam universam, contra quem Dominus Papa sæpe misit exercitum ad devastionem Civitatis Soranæ, quam ipse perfidus possidebat, sed forsan ut eam à sua posset perfidia revocare; quoddam namque vicinum castrum, quod Insua dicitur occupavit, ejusque Dominos ad tantam calamitatem perduxit, quòd licèt nobiles essent cogebantur tamen publicè mendicare. Illius ergo malitiam Dominus Papa detestans, & istorum miserans paupertatem, ad succurrendum istis, & impugnandum illum, Petrum tituli Sanctæ Prudentianæ Presbyterum Cardinalem Rectorem Campaniæ, ac maritimæ destinavit; qui magno exercitu congregato adversùs illum processit, & eum infra prædictum castrum obsedit, terram ejus circumquaque devastans. Obsidione verò protracta, cùm ad deditionem induci non posset, laboraverunt dividere amnem, qui præterfluebat undique Castrum ipsum, ut amne transmisso adversùs ipsum castrum facere posset insultum; sed frustra laboratum est in utroque; imò non sinè damno fuit attentatum utrumque. Veruntamen ità perfidum arctaverunt, quòd recepta pecunia, quam eisdem Nobilibus Dominus Papa misericorditer mutuavit, reddiditque Castrum, & pacem sub certo tenore firmavit; quam tamen infra modicum tempus non erubuit violare. Nam quosdam Verulanos fideles, & vassallos, Domini Papæ, gratia visitationis ad ipsum circa festum Dominicę Nativitatis venientes, ut eum sicut mos est honorarent, prius benignè receptos, malignè postmodum excepit, & per mutilationem membrorum ad gravissimam redemptionem coëgit non parcens etiam cuidam Nobili, quemdiu secum familiarem habuerat, & insigniverat cingulo militari. Cumque monitus satisfacere nollet, prædictus Cardinalis Rector Campaniæ, ac maritimæ diffidavit eumdem. Cives verò Forsani qui præfatum tyrannum, importabilibus eos gravaminibus affligentem, habebant vehementer exosum, inito cum Rofrido Venerabili Casinensi Abbate secreto consilio, & tractatu, noctu eum cum multis armis introduxerunt in Civitatem Soranam, & se ac Civitatem reddiderunt eidem ad mandatum Domini Papæ: ad cujus auxilium Dominus Papa Richardum germanum suum, & Stephanum Camerarium protinus destinavit, & deinde præfatum Cardinalem direxit, qui congregato exercitu Civitatem ipsam munire cæperunt; pro eo maximè quòd Diupoldus cum maxima multitudine dicebatur in illius auxilium accessurus, & occupaverunt Priaulum montem videlicet, qui est supra Civitatem juxta Sorellum, ut præsidio ibi constructo Civitatem defenderent à Sorella. Tandem sicut Domino placuit summo diluculo cum ingenti clamore irruerunt ad vallum ex facto cælitus cum nimia pluviarum effusione grandi fulgore, ac tonitruo, exeuntes adversùs ipsos de Rocca, commisso certamine coëgerunt ad fugam, territusque tyrannus, cùm putaret se proditum à quibus- De Conrado Castellano devicto.

 dam

dam Latinis, qui secum erant in Rocca Sorellæ, reddidit se, & suos salvis personis, in manus præfati Richardi germani Domini Papæ.

DE RECUPERATIONE ROCCÆ ARCIS.

Sicque miraculosè præter opinionem omnium monitionem inexpugnabilem acceperunt, victualibus, & armis copiosè refertam. Ipsum verò Corradum, & suos Cepanum adduxere captivos, apud illos agentes, ut Roccam Arcis facerent eis reddi, quam Hugo consobrinus ipsius Corradi tenebat; qui cùm ad reddendum eam nec minis, nec persuasionibus posset induci, ut sinè mutilatione membrorum, & sanguinis effusione negocium ageretur; maximè propter Summi Pontificis honestatem, promissis, & datis mille auri unciis, & equis triginta, liberatisque captivis obtinuerunt in pace.

Quod audiens Rex Siciliæ admirans, & gaudens Civitatem Soranam, & Roccam Sorellæ, Castrum Arcis, & Roccam ipsius, Brocum, & Piscium solidum, quæ omnia eripuerant de manu Corradi, concessit per privilegium præfato Richardo germano Domini Papæ, ac ejus heredibus in perpetuum, constituens eum Comitem, & faciens Comitem eum de Comitatu per regale vexillum quod illi transmisit solemniter investiri. Cancellarius autem manens cum Rege in Civitate Panormi, modis quibus poterat nitebatur eripere palatium de manibus Capparonis; quod cùm non posset efficere, literas, & Nuncios Regis sæpe direxit pro succursu per Regnum, sed nulli, vel pauci succurrere voluerunt. Cumque fieret concertatio inter Capparonem, & fautores ejus ex parte una, & Cancellarium, & fautores ejus ex altera, Sarraceni Siciliæ qui receperunt se in montibus hoc videntes non solùm se ab obsequio Regis subtraxerunt; verùm etiam alii descendentes Christianos impugnabant. Itaque Castrum Corolionis ceperunt, pejora facere mediantes. Miserabilem ergo statum Regni Siciliæ Dominus Papa videns prudenter attendit, licèt jam tempus Baliati expirasset, assumpto tamen labore descendit in Regnum, & apud S. Germanum juxta Monasterium Sanctum Casinen. convocatis, & congregatis Comitibus, Baronibus, ac Principibus Civitatum, ad hoc illos induxit, ut se juramentis, & fidejussionibus obligarent, quòd super succursu, & adjutorio Regis, & super pace ac defensione Regni ordinationem ejus bona fide susciperent, & pro posse suo facerent observari. Ordinatio verò quam fecit est talis: Ut videlicet super succursu, & adjutorio Regis, & super pace, ac defensione Regni, Magistris Capitaneis, quos ad hoc statuit omnes intendant: quicumque ordinationem istam receperint, adinvicem sibi pacem observent; & si quisquam ab aliquo fuerit offensus, non statim reoffendat eumdem; sed apud Magistros Capitaneos querelam deponat, qui eam secundùm rationem, & consuetudinem Regni faciant emendari. Qui autem ordinationem recipere noluerit, aut servare, tamquam hostis publicus habeatur, & à ceteris impugnetur. Ducenti milites dirigantur in succursum, & adjutorium Regni, usque ad Kalendas Septembris moraturi per annum in expensis eorum a quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundùm æstimatorum arbitrium, qui ad hoc fuerint specialiter deputati, pensatis debitis servitiis, & propriis facultatibus Comitum, & Baronum, ac etiam Civitatum;

pro-

provisò etiam ut ad opus eorum victualia dirigantur, Civitates autem Comites, & Barones assignent in propriis expensis certum numerum bellatorum, ad prædictorum Capitaneorum mandatum, si quando guerra contra quemquam propter hoc fuerit exercenda. In omnibus autem servavit sibi plenariam potestatem addendi, & minuendi, mutandi, & declarandi prout viderit expedire. Scripsit autem super hoc Comitibus, Baronibus, & ceteris Regni fidelibus in hunc modum.

FORMA LITERÆ DOMINI INNOCENTII
directæ Comitibus, & Baronibus Regni Siciliæ

Affectum dilectionis, & gratiæ quam habemus ad Regem, & Regnum Siciliæ licèt in multis multotiens ostendimus, nunc tamen evidentiùs, & expressiùs per effectum operis demonstramus, cùm propter necessitatem urgentem in Regnum personaliter descendimus, ceteris mundi negotiis ex magna postpositis parte, propter hoc unum, ut in ipso videlicet pacem, & justitiam reformemus. Bonum ergo per Dei gratiam assequuti initium, progressum intendimus facere meliorem ut finis optimus subsequatur. Quocirca devotionem vestram monemus, & hortamur in Domino, per Apostolica scripta mandantes, quatenus sicut divinam, & Apostolicam, ac regiam gratiam caram habetis, ordinationem quam fecimus super Regis audjutorio, & succursu, defensione ac pace Regni ad exemplar aliorum Comitum, & Baronum, ac etiam Civitatum recipiatis hilariter, & efficaciter observetis, prout ipsa ordinatio in Capitulari continetur expressa, bulla nostra munito, Magistris Capitaneis humiliter intendentes, qui ad executionem ipsius de mandato nostro fuerint constituti. Ne si fortè, quod absit, quisquam præsumeret refragari, pœnam in ipsa ordinatione statutam incurrat, & nos manus nostras in eum spiritualiter aggravemus. Quia verò propter fervorem æstatis ad præsens non possumus personaliter descendere in Apuliam, vices nostras super his committimus exequendas dilecto Filio nostro G. Sancti Theodori Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, cui dilectum filium O. Acolytum nostrum à latere nostro transmissum duximus adjungendum.

Nota manus in eum spiritualiter aggravemus.

FREDERICI II. IMPERATORIS

ET REGIS SICILIÆ HUJUS NOMINIS PRIMI

EPISTOLÆ OCTO

Ad diverſos; quibus addita eſt una Henrici ejus filii ad Regem Angliæ, Primum Pariſiis impreſſæ Anno 1678. in lib. primo Miſcellaneorum Clar. Viri Stephani Balluzii.

I. *Ad Hugolinum Epiſcopum Oſtienſem.*

Ann. 1221. Raynal. ad an. 1221. §. 3. FRedericus Dei gratia Romanorũ Imperator ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ cariſſimo in Chriſto Patri, & Amico ſuo Hugolino eadem gratia Oſtienſi Epiſcopo Apoſtolicę Sedis Legato ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum. Jocundæ famæ felicitas, & felicis rumoris jocunditas, quæ dilecto fideli noſtro Reginenſi Epiſcopo referente noſtris auribus ſonuerunt, immenſæ proſperitatis gaudio fecerunt nos ſecundum utrumque hominem in Domino proſperari. Retulit namque nobis venerabilem patrem noſtrum Honorium Summum Pontificem vos promotioni negotii crucis immo totius Populi Chriſtiani conſulto conſilio deputaſſe, vobis per Lombardiam, & Tuſciam conceſſo plenæ legationis officio, propter hoc, ſicut ſperamus, feliciter promovendum. Gaudeat igitur Romana Eccleſia, quia negotium multis initium laboribus optatum finem indubitanter aſſumet. Gaudemus, & nos, quia vir fama integer, religione perſpicuus, vita purus, facundia eloquentiſſimus, & claris virtutum, & ſcientiæ titulis circumſpectus, ad animandum eos in quos exprobrãtium nomen Chriſti opprobria, ceciderunt tam utiliter, quàm efficaciter deſtinatur, ut ſecularibus deſideriis abnegatis, vexillum ſalutiferæ crucis aſſumant, Ipſum toto mentis deſiderio requirentes. Gaudere debet, & totus populus Chriſtianus, quia terra quam Chriſtus noſtra ſalus proprio ſanguine dedicavit, à longo tempore horrendis Agarenorum ſpurcitiis, non ſua potentia, ſed noſtris peccatis exigentibus, conculcata ipſis ab hereditate Domini brachio virtutis divinæ rejectis, ad verum ineffabilem Chriſti cultum per veſtrum miniſterium reduceetur. Et quidem licèt ea ſimus devotione ſubjecti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ ut credamus quemlibet miſſum de latere Summi Pontificis patris noſtri facere dignum fructum, tamen ſicut ſtellæ in firmamento à ſe invicem differentius lumen habent, & alia magis, alia minùs lucet, ſic ſalva reverentia aliorum firmam ſpem gerimus, & indubitatam dante Domino fiduciam, obtinemus, quòd præ cunctis qui huic eſſent miniſterio deputati, veſtrum verbum igne charitatis accenſum gratum fructum afferet nomini ſancto Dei, & toti populo Chriſti charactere inſignito. Nam ex retroactis infallibilem de futuris elicimus conjecturam. Ut igitur efficaciùs, & expeditiùs poſſitis hoc tam pium, & ſalubre negotium promovere, vobis Imperialis celſitudinis auctoritate plenam concedimus poteſtatem, ut omnes illos qui per terram veſtrę legationis ſunt ſuppoſiti noſtro banno, dum tamen plenè ſuper hoc veſtris curaverint obedire mandatis, in favorem prędicti negotii, quod magis humeris noſtræ majeſtatis incumbit, & ardentiùs quàm aliquod aliud cupimus promovere, ab ipſo banno, cum expedire videritis, abſolvere valeatis. Quicquid enim ſuper hoc duxeritis faciendum, firmitatem volumus inviolabilem obtinere. Nos enim, qui à matre noſtra Romana Eccleſia culmina in hoc ſeculo ſummæ felicitatis accepimus, quicquid ſua in hoc negotio & aliis fuerit deliberatione ſtatutum, intemerata volumus ſtabilitate vigere. Datum Salerni iv. Idus Februarii Indict. nona.

II. *Adverſùs rebelles Italiæ, & de conventu indicto apud Veronam.*

Scripta à Petro de Vineis.

INviti loquimur, ſed tacere non poſſumus. Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita, & gladius ferè uſque ad animam tranſiens, labia diſſolverunt. Ann. 1226. Juſque datum ſceleri ſcribimus, & populum contumacem dexteram in viſcera propria convertiſſe dolemus. Juri præfertur injuria, & voluntas juſtitiæ dominatur, dum quidam Italiæ populi ſceptrum contemnere conantur imperii, ac etiam propriæ commoditatis immemores, libertatis cujuſdam vagæ luxu-

riam

riam quieti pacis ipsorum, & æquitati justitiæ prætulerunt. Nec tamen à nobis rebellionem hujusmodi sumpsisse, nunc primum exordium æstimetis; sed avitas prosequimur, & paternas injurias, & prodictam jam ad alias regiones libertatis invidiosæ propaginem nitimur supplantare. Sed nec ista dissimulasse nos hactenus aut convenientibus oculis pertransisse credatis. Quamprimùm in nobis pubescentibus annis, ac mentis & corporis coalescente virtute, ad Romani culmen imperii, præter spem hominum, nutu solummodo providentiæ divinæ conscendimus, ac Regnum Siciliæ, præclara nostræ maternæ successionis hereditas, ad jura nostra pervenit, aciem mentis nostræ direximus ad prædicta, ac deinde ad consummationem propositi nostri, miserabili casu de amissione Damiatæ tunc temporis materiam ministrante cum Papa Curiam solemniter apud.* duximus indicendam, ubi simul condiximus interesse Quo proposito, & volubilitate consilii motu continuo rerum præsentium immutato, nos à tanto bono recedere non volentes, ac ducentes nobiscum militum comitivam, prout imperialis excellentiæ decus, & tantum negotium condecebat &c. *Rel qua desunt.*

* Veronam. *Vide Raynal ad an. 1228. § 2.*

III. Ad Ottonem Ducem Bavariæ.

An. 1243. Felices processus nostros, incidentia prosperorum successuum quibus Dominum exercituum provexit, & provehit statum nostrum, tanto propensiùs ad notitiam * regiæ serenitatis conferendo referimus quanto eorum insinuatione gaudetis, consortes & participes voti nostri. Petmò quidem latere vos nolumus quòd tam nos adjunctiva guerra Ligurium moverit ad desolationem & dispendia Romanorum. Sanè populus hic duræ cervicis, & ab experto jam fautu nostri sceleris odiosus, ad nos & imperium nostrum, cui totum jus suum transtulit ab antiquo, reverentiam gerens quosdam vicinos suos fideles nostros, campestri expeditione præsumpta, frequenti obsidione aggredi, & depopulari non timuit, graviores iis excessus exaggerans, dum violentas manus irreverenter extendunt, ad præcellentes personas, venerabiles Ecclesiæ Cardinales, dilectos amicos nostros; quorum aliquos in odium nostrum duro carcere nonnullos etiam diversis afflictionibus, & penuriis coartarunt, intendentes Ecclesiasticam libertatem penitùs inculcare, cui velut Advocati, & defensores Ecclesiæ potenter adesse nos modis omnibus competebat. Cùmque forent irrevocabiles ab excessu, ut nec ad satisfactionem meditarentur induci, saniori resumpta provisione consilii, quia potiùs ad depopulationem fidelium continuata vicissitudine temporum insævirent, ne usu reprobo cogitantes quod nullus posset eos eruere de manibus prosequentium, nos justis motibus incitati, juste converti contra eos potentiæ nostræ manum, præfigentes anno præterito in eorum territorio castra nostra, si damna forsan illata, & recens vexatio indomito populo intellectum afferent, cum pulvere labentium turrium segetes quoque ac prædia ferro flammaque vastata, quorum fumus teterrima bellica prænuntiis eos poterit educere, & præ foribus urbis aspicerent & victrices Imperii aquilas suæ præsumptionis ultrices eorum vinculis insistentes à longe formidaret, coram quibus illa dudum magni nominis Roma, & ingentis linguæ populus, & potiùs latere condixerat quàm videri. Denuò in præsenti ad verba ipsorum insanuerat viros eorum per vaniloquia jactitantes, quòd noster ad eos tam vicinus non tentaretur accessus, arma paravimus, nostram, & quorumdam fidelium Provinciarum nostrarum potentiam convocantes; cum quibus contra jactantia eorum viciniora prædia urbis adivimus; ut ubi castris nostris admotis prælecta militia & infinita copia peditum armatorum, cui * patrem libitus Anibaldi vix legitur habuisse, quam plures dies publicis eorum depopulationibus noster instabat victoriosus exercitus, per quem deforis gladio, & intus pavore nimio premebantur; nec abinde recedere credebamus nisi Roma per cædes, & damna publica humiliata foret, & penitùs consternata Demum prævenerunt nos venerabiles Cardinales Anagniæ commorantes per solemnes nuntios ad nostrum exercitum destinatos, videlicet venerabiles Rothomagensem, & Messanensem Archiepiscopos & ... & ... Episcopos, pro parte totius universalis Ecclesiæ ac ipsorum attentiùs supplicantes quatenus fratres eorum, qui erant Romæ, præsente Prætoribus Romanis exercitu aggredi formidabant, & cuneis ad provisionē Ecclesiæ de qua apud eos ferventer instabat voluntas, apud Anagniam convenire, castra nostra de ... dignaremur præsidiis removere, ne propter nos provisionem Ecclesiasticam, impediri contingeret vel differri, data nobis insuper de creatione Summi Pontificia indubitata fiducia procedendi. Nos igitur summo zelo clementer inducti, quod

* f. vestræ

* parem Lybicus Hannibal.

Apo-

Apostolicę Sedi per summam unitatem, & concordiam debeat provideri, primò
Vide Odor. Raynald. ad ann. 1243. §. 3. & seq. Magistrum Ottonem Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ac demum Penestrinum Episcopum, de cujus deliberatione vix à voluntate nostra propria obtinere conscientia confidat prætar spem, & creditum, ut miraculosiùs accideret, insperatum ad fratres prædictos petentes cum instantia re misimus de nostra custodia liberatos; ac subsequentes Prælatos cæteros, Abbates, & Clericos transalpinos, cum eorum familiis, pro quibus omnibus preces recolimus recepisse, ob honorem vestrum liberos abire permisimus; licèt remotio castrorum nostrorum nobis, & nostris fidelibus molestiùs offerretur, salutis apostolicæ provisionis commoda cogitantes, omni utilitate publica, & speciali postposita, prorsùs à finibus Romanis abscessimus, necessariis contra Romanos in terris nostrorum fidelium prędidiis ordinandis ad resistendum Romanis, si procedere attentarent. Speramus autem, juxtà præstitam nobis fidem, & provisionem infallibilem atque firmam, quòd Ecclesiæ Dei concorditer providebunt ad publica dissidia removenda. Cæterùm ad tractandum, & ordinandum consummationem matrimonialis fœderis inter Conradum de... in Romanorum Regem electum, & Regni Hierosolymitani heredem, & dilectam filiam nostram Isabellam sororem vestram venerabilem Cluniacensem Abbatem, & Magistrum Gualterum de Ocra Notarium, & fidelem nostrum excellentiæ nostræ Legatos, & nuncios speciales duximus ad vestram præsentiam destinandos.

IV. Ad universos Regni fideles.

Ann. 1248. IMperator universis Regni fidelibus. Excelsus super omnes gentes Dominus orbis acephali calamitati cõpatiens emisit de altitudine montium manum suam, ut tabernacula Seniorum alienigenis jam inhabitata colonis & sanctuaria Jesu Christi minùs dignis polluta ministris purgaret à vitio, expiaret à scelere, & universalis orbitaris umbraculum, superstitionis rejecta caligine, illuminaret speculo claritatis. Nullum enim, ut credimus, præsentes latet latebras mundi latus, nullius aures surdæ prætereunt quantæ tribulationis modus in orbe resultaverit, & in urbe quantæque seditionis involucrum antiquus attulerit persequutor, qui, si veritas sub nube non lateat, tantùm in dominica vinea virtus evomuit quòd nisi filius Dei vivi, qui ad redemptionem humani generis, quod de limo terrę transumpserat, subire martyrium, non expectavit, suæ clementiæ dexteram non movisset, in piscatoris naufragãte navicula periisset populus Christianus, dum Petrus in altis habitans non respiciebat in petram, nec ejus successio transferebatur in posteros, & sic cupiditatis insurgente vindicta plorabat Ecclesia viduitatis instantiam, dolebat populus contumelias generales, nec in ministrorum ore frequens proderat alleluya. Nam præter oppressiones innumeras, & oppressorum incursus, quibus desolatæ matris latera lacerantur, sic ad proximos ictus præteritos fidelium retorquetur aspectus quòd consolationis remedium mundus nequaquam assumere poterat, dum mater Ecclesia, quam Christus in petra fundavit, debebat aligi, tum opprimi contingebat; dum debebat alicujus suffragii vigore refulgere, tunc in majori conflictu, tam grandem, tam utilem virum perdidit, & rectorem. Ex suis etenim gestis colligitur, & ex operum fructibus indubitãter innititur quoniam pastor utilis, quoniam rector idoneus fuerit recolendæ memoriæ Gregorius Papa nonus, qui gregem sibi creditum ab iniquorum incursibus pro posse servans illæsum, pro suis ovibus animam suam ponere non expavit, donec ipsam in Abrahæ gremio resignavit, & spiritum reddidit Deo nostro, quem multis afflictionum generibus in his conflictibus lacessivit. Cujus præsidio privata mater Ecclesia, ne veneno posset veteris serpentis involui, ubi nulla profuisset tunc temporis tyriaca, supplicavit ad Dominum, ut tantæ desolationi compatiens, ejus miseriis misericorditer consolaret. Ad cujus clamores assiduos manus omnipotentis excitata, de fervore solito faciendo virtutem, de congruo sponso providit Ecclesiæ mittens de cælesti cœnaculo Cælestinum: in cujus substitutione Pontificis satis utiliter provisum fuisset Ecclesiæ, nisi mortis imperium, quo Reges privantur regimina, & Principes principatum amittunt, suæ novitatis primordia de medio sustulisset: quem sic raptum sub tò, & sic repente subtractum, sedentis super flumina Babylonis matris viduatę cõpassio tanto lacrymabiliùs deploravit quãto recentis doloris, suscitato præterito, reliquiæ remanserant deplorandæ. Nondum etenim prioris vulneris cicatricis signa transierant, nondum primævi doloris fumus in altum ascenderat, & sic amaritudini conjuncta calamitas fluctibus addidit tempestatem. O quàm mirabilem fallendi modum! Fallacia siquidem mortalis

talis inclusit, quæ discreta prorsùs à tredecim conscepta pere notoriis, exceptiones dilatorias non admittit, ex necessariis semper terminis syllogizans. Numquid enim unum sibi sustulisse suffecerat, ubi successore secundo desolatę matris gremium continuatis lacrymis viduavit, ut ad minus quod in uno ploraverat, in alio solaretur, quæ dolorem cum gaudio temperans, terminavit gaudium in dolore, & sic ejus evangelio lugubri totum prædicato per orbem, cùm nulla spes remedii superasset Ecclesiæ, cujus tribulationum publica notio se per universos orbis angulos publicarat, piæ matris affectus, quam squalor viduitatis, & desolationis afficerat, ad Dominum, dum tribularetur, coadunatis vocibus filiorum, qui hujus doloris pungebantur aculeis, exclamavit; & ne pericula circumstantia angustiæ, quas per clarari temporis necessitas exigebat, in altum fortè succrescerent, voce clamantis cælum tertium penetrante, & à Vultu Dei prodeunte judicio, petentis petitio se sentit exauditam, quod mater optaverat voto desiderantis advenit, & aspergens aquas in itineribus suis, vocem abyssus protulit ab altitudine phantasiæ. Ac licèt hoc fama paranympha processum expectantium auribus ex affectu anxietate prædixerit, ut tamen in certius laudis canticum prorumpatur, quod cum *Gloria in excelsis Deo* referimus, creatum desuper in Ecclesia Romana Pontificem præsens Epistola lætabunda describit. Quod tanto solemniùs movere debet corda fidelium, quanto consultiùs orbis angustiis, quæ jam hostis antiqui nequitia varia tentatione seduxerat, cujus est à summo cælo egressio, suæ gratiæ infusione providit. Vide Odor. Raynald ad ann. 1343. §. 50. Canite igitur tuba, & cytara, canite Deo nostro, qui suum prosequendo negotium, Papam concessit populo, patrem filiis, virum viduæ, pastorem ovibus, & in altis habitans respexit humilia, largitus mundo petituro rectorem.

V. Ad universos Papali vocatione vocatos.

Ann. 1345. UNiversis Papali vocatione vocatis. Scribens in ambiguo mandato mādatis sic habere providentiæ spiritum, & intelligentiæ complementum quòd per improvidentiæ lubricum inter præparatos laqueos non labantur, & in plicas inexplicabiles non plicentur. Ad cognoscendum itaque quid in vocatione vocati expediat fieri considerands sunt omnia per quæ vis tutior posset eligi, & habendum super hoc à vobis Consilium tam prudenter quàm utiliter terminari. Nam priùs, ut arbitror, debet attendi forma rescripti, videri motus scribentis, considerari causa mandati, pensari, si posset, intentio mandatoris, debitæ executioni mandari, & tam eminentium quàm latentium periculorum inevitabilis multitudo provida circumspectione vitari. Quæ qui plenè cognosceret, de facili scire posset quid in hoc vocatis sub guo facere expediret. Ut autem de gravioribus discussio prima fiat, primo periculorum concurrentium universitas in statera prudentia examinis singulariter appendatur. Sunt enim tot, & tanta pericula in terra, in aere, & in mari quod humana prudentia non poterunt evitari. quæ si quis inopinato casu forsan evaserit, urbis tamen & urbana pericula non evadet. Sed quia per terram patet potiùs violentis moriendi quam possibilitas transeundi, de terræ periculis prætermisso, plurium aliorum concurrentium aliunde sævitiam primitus attendatis, quàm vos eis improvidè ingeratis: quia tutius est ante discrimina resilire quam se discriminibus ineplicabiliter implicare, cautiusque videtur morborum principia prudenti remedio prevenire quàm post invalescentiam ægritudinum infructuoso medicamine medicare. Sunt autem hæc in mari pericula, panis indigestibilis, & bis coctus, vinum continua maris turbatione turbatum, aqua sui corruptione vermium generatione fœcunda infectione sua totum inficiens cui miscetur, quæ nisi clausis oculis, & dentibus ramen cum abominatione pessimè potest bibi. Est etim in mari ventorum rabies inevitabilis, & improvisa, qua dum Romam applicare credetis, repentè vas in barbaras vos proiciet nationes; ubi erit linguæ vestræ ignorantia, legis perversitas, amissio libertatis, & captivitatis perpetuæ desolamen. Insurgit insuper in momento quædam in mari sævitia tempestatis, quæ subitò montes fluctuosos, & fluctus parturit montuosos, quorum concussione quandoque navis in cælum impulsa creditur ascendere, & versa vice velociter videtur descendere in profundum. Est etiam in mari periculum ruina navis lacerata, vel ex concussione fluctuum ejus confractio, vel submersio in profundum, & ex ejus confractione vel submersione impossibilitas evadendi. Accidit quoque plerumque quòd inextensa carbasa turbinis impetus sic irrumpit quòd statim ut eam rumpit, destruit regimem, frangit malum, sicque navis destituta debitis munimen-

nimentis, tempestatibus, & ventis exposita fluctuat in fluctibus peritura. Sunt præter hæc in mari pericula piratarum: qui si vobis occurrent, in vos taliter irruent quòd præter alia flagitia inferenda, personas cum rebus capient, vel submergent. Cùmque navigatur in portu, frequenter evenit, quòd ex concussione navis in terram vel petram in portu pereunt navigãtes, vel subita vẽtorum impulsio veniens ex adverso sic eos à portu repellat quòd consumptis cibariis eos in mari latitudine periculorum sævitiam, quam jam evasisse credebant, impetit & impellit; ubi, nisi periculis pereant, saltem fame & siti peribunt. Præter hæc quædam etiam inevitabilis periculorum abominatio, quam tolerare vel evadere nullus potest; quia cùm repentinas mutationes natura non sustineat, propter mutationem aeris, & aborum & motum violentum, ac continua continuè stomachus vi provocatur ad vomitum; quod cum abominatione recipit, evomit cum dolore; sitque frequenter, ubi secundùm diversas naturas diversimodè ex diversis tanta ventris constipatio quòd ventris virtus naturaliter expulsiva motum animi amittere cogitur naturalem, quandoque tanta est dissolutio quòd vix remanere videntur intrinsecus intestina. Cùmque navis, licèt parva receptaculum sit multorum, fit ibi distinctio locorum secundùm multitudinem contentorum, & pressura premente unus juxta alium morborum perversitate torquetur; motumque ventris tam violenter quàm inevitabiliter expulsivum superiùs & inferiùs patientes infirmi quidam subtus, quidam supra, non in loco talibus deputato publicè, inter omnem ventris putredinem cogantur admittere defectu virtutis propriæ communem, sic quòd juxta peregrinum nullus moritur peregrinus, & in mari proicitur semivivus, & abominationes intolerabiles extraneus ab extraneo cogitur tolerare, quas nequaquam in terra de patre, vel de filio sustineret. Et si potentes propter potentiam hujusmodi pressuras evaserint, firmiter tamen aerem corruptũ ex mortuorum, & infirmorum corruptionibus ascendentem nõ poterunt evitare. Cùmque sit ibi infirmorum mistio & sanorũ, velut ignis ardentis inflammatio in domos continuas morborum contagiosa diversitas ab una in aliam transvolat, & prorumpit, sicq; de mille vix unus evaderet nisi mortuus vel infirmus. Quòd si fortè aliquis remanserit semivivus, in terra maris, & morbi concepto contagio morietur. Vel si mortem evaderet, morbum interminabilem non evadet, ut perpetuo languore detentus non possit propitia vita frui, sed continua morte mori; multaque maris corruptio corruptis humoribus, & aeris corruptione infectis spiritibus de mari redeunt sic corrupti, quòd sepulchri, vel inferni faciem afferre videntur, & possunt potiùs monstra quàm homines judicari. Sed cùm metalla quælibet in mari naturali colore innaturabiliter destituta, maris violentia, colorem cogantur inducere peregrinum, quid mirum si quolibet memento mutabilis humana natura nequeat sustinere quæ metallorum non potest insensibilitas tolerare, facies de mari viventium forma propria destituta quòd in mari formis propriis destitutis formas velitis recipere sic deformes. Verùm ne inevitabilis maris periculorum prolixitas sub brevi locutionis oraculo concludatur, in mari semper imminent omnis timor, nulla securitas, motus continuus, nulla requies, semper adversitas, numquam prosperitas, numquam bonum sed generaliter omne malum. Sanè cùm sint maris pericula tot & tanta quòd in mente hominis eorum non posset cadere multitudo, prętermisso de generali, ad specialia discurrendo de singulis descendatur, primoque de primis, & currentibus providus sit tractatus. Venit quidem à tyranno sævissimo in terra potentissimo & in mari certæ prohibitionis edictum, ut si quis viam quam multis prohibuit incedere præsumat ingredi, persona vel rebus aliquatenus non confidat. Quis igitur ejus insidiis se exponet? Quis illius laqueis se involvet, qui dominatur in terra, principatur in mari, & imperat in utroque, qui prodigus in pœna, parcus misericordia, furore repletus, pietate deficiens, verbo falsus, opere imperfectus, vitiis deditus, Domino indevotus, crudelitate secundus Herodes, impietatibus alter Nero, qui cum à mari usque ad mare pręter Januam possideat omnes portus, potens sit in navigio, & in armis, de Pisis, Corneto, Neapoli, & Gajeta, ac aliis regionibus tamquam ad insidiandum congregabit multitudinem galearum, cum tanta multitudine piratarum, & abundantia armatorum, quòd transire nequibitis quin in præparatas insidias incidatis. Quòd si per maris altitudinem aliquantulum insidiantium cursum viteris, tandem ad portum quem tenditis accedere vos oportet, in quo est ipsius potestas, quæ nullius reprimina reprimetur, & in ipso portu, cùm veneritis, vos capiet vel submerget, vel in terram ejus aura forte con-

tra-

traria vos impellet; vel cum sit vir magnæ sagacitatis, & versutiæ imminentis, paratos nautas forsitan jam corrupit quòd ventum contrarium præponentes ejus insidiis vos exponent, ut sic idem habeat quod intendit, & vobis eveniat quod timetis. In quibus casibus forsitan esset festinatæ mortis supplicium minus grave, quàm in manus incidere tam crudeles: quia quomodo vobis parcet qui tenet, & filium propriam carceris custodia mancipatum, ipsum dignaretur miserando miseria misereri? Qualiter circa vos pietate movebitur, qui super captivum filium paternis compassionibus non movetur? Quòd si forsan super inopinato casu vel impossibili Romam veneritis, tot miranda pericula mirabiliter evadentes, Romæ securi qualiter eritis cum pro diversis adversariis omnibus Civibus in diversa divisis fit ibi conflictus continuus inter Cives, & divisio inter fratres? Quod si securitas ita vobis patuerit, generalis tamen afflictio non latebit, quia cum æstivi caloris dominio vos servos oportet ibi esse; sicque ibi perseverans, & intolerabilis caloris ebullitio, aquarum putrefactio, ciborum grossities, aer palpabilis, muscarum abundantia, copia scorpionum, gens immunda, gens abominabilis, gens pessima, gens furoris; sicque ibi Civitas tota per circumferentiam cavernosa, cavernæ plenæ reptilibus venenosis, ex quibus fumus inficitur, & inficians evaporat; & sic omnes ibi tunc morantes generaliter moriuntur quod de milibus decem vix evadere possunt. Sic ergo qui indignationem maris evaserit, vorax Roma venenosa voragine devorabit. Et qui illam evasisse crediderit, incidet in Charybdim. Verùm si miraculo vel fortuna tot pressuras evaserint, qui eis de securo reditu providebit? Quia cùm hosti insidianti magnates Urbis ad prælium voluntariè famulentur, non est ingressus aliquis nisi velint, vel si ingressus fortè non poterunt impedire, saltem eidem patefacient gressus sive motus vestros, ut statim cùm ingressi mare fueritis, vos expectans manus suscipiat & torqueat inimici, vel saltem in prænominata pericula incidetis. Sicque maris gulositas insatiabilis in vos, quos vomit tamquam canis ad vomitum revertetur, quia mare, tempestates, & venti pro vobis naturales potentias non amittent. Non estis dii vel sancti, ut in potestate vestra suæ resideant tempestates. Porrò si vobis de ductu, & reditu securitas promittatur, videte quæ de vita tuenda, & morte cavenda cautio dari possit. Contra quem enim de morte post mortem de mortis passionibus actionem habebitis, cùm omnes morte quoad mortuos pereant actiones, pactiones tollantur, & promissiones quælibet viribus vacuentur, nec Canonici juris beneficio, vel civilis aut appellationis, vel provisionis alicujus remedio post mortem vita redeat jam amissa. Si verò Legati subtilitas ad arreptionem itineris diversis suasionibus vos inducat, cogitate quoniam cogitur non redire. Est enim sua mansio, & non vestra. Via sibi patet unica, vobis duplices imminent, scilicet pericula transitus & regressus. Insuper attendatis quòd mandator in mandato tam aspero circa vos motu rationabili moveatur, utrum mansuetudine repleatur, si caritatis adminiculo accendatur, qui cùm insidias Principis non timeat adversantis, sed in tuto maneat, & quieto vos voragini tam communi periculorum exponere non formidat. Esset quidem tolerabiliùs sustinẽdum si vobiscum communicatis periculis in loco congruo convenirent. O si rationis judicio fungeretur contentusque finibus æquitatis, motus providentiæ non exiret! Nunquam inter flores Ecclesiæ rosas electas exponeret tantis periculis perituras. Si verò pro generali Ecclesiæ statu, quæ ab appellãtis hostis impulsibus contrahi conqueritur, vos vacavit, ex tali vocatione videtur quòd eam de casu velit in casum cadere graviorem. Quod si contingat, ut patet apertis indiciis, tam excellentibus Ecclesiam viduari, quis Ecclesiæ aptior, quæ confusio gravior, quæ desolatio durior quàm sponsam inclitam summi Regis tam aspera incommoda sustinere? Quis enim tanti lapsus gravedinem reparabit? Quis tantæ desolationis remedia procurabit? Post hoc etiam attendatur forma rescripti, consideretur causa mandati, & notetur quid ex mãdato hujusmodi possit sequi. Continet enim tenor prioris rescripti quòd grandes apostolicę sedis eventus, & causas vos ignorare non convenit, ut habeat speratum in vestra visitatione solatium, & gratum providi consilii fulcimentum; cùm post receptionẽ talis rescripti crudelitas adversantis tyranni inde honesta haurit quod vos de præparatis insidiis præmunivit. Sed rescripti conditor circumstantia periculorum flagitia, salva sanctitatis reverentia, non attendens, & in subversione vestra subversionem status generalis Ecclesię nõ advertens, obedientię virtute mandavit quòd cùm tam sanctum ejus propositum, utilitatem respiciens singulorum, hominis non debeat versutiis retardari, Deum homini & meritum obedientiæ exclusis difficul-

tatibus omnibus præponendo. Ut autem rescripti hujusmodi seriatim series disseratur, quas habet Apostolica Sedes causa, quæ negotia nisi contra rebellem Principem, quæ majores vel minimi non ignorant. Quòd si causas, vel quæstiones habeat sivè negotia latentia vel obscura, numquid necessitatem subventionis pro libito vobis, & consubditis vestris per Legatum imposuit? Nam per ipsum vel litteras revelare non potuit quod intendit, ut certi mandati formam certum consilium firmaretur, & vitando pericula notarentur. Qualiter insuper præsumetur sanctitatis vestræ propositum, qualiter credetur utilitatem respicere singulorum, quod in armario Secretorum sic silentio tegitur quòd nec in aures publicas, nec in consiliarias promulgatur? Si verò quàm vobis inconsultis contra crudelem Principem tempestatem incepit concilio vestro diffinire disponit, num qui sine vobis ab initio vilipensis procedere incepit, processum suum sine vobis poterit terminare? Vel si consilio vestro finaliter uti velit, qui primordialiter non curavit, numquid tutius fuit consilium per litteras vel Legatum à vobis requirere quàm vocatis inter tanta pericula vos parare, ut conceptum ab ipso negotium generaliter Ecclesiam tangeret generalem. Quare consilium vestrum ab initio non quæsivit; quia cùm finis eventum juxta qualitatem principii sortiatur, fuisset consultius de principio consilium quærere quàm de fine. Verùm de causa mandati & mandatoris veritas satis potest ex forma rescripti elici vel præsumi. Cùm autem contra tyrannum potentissimum incipiendo quod per se incepit videat imperfectum, tendit ut gravetur rigor sententiæ contra ipsum vel depositionis sententia promulgetur, aliusque pro suo libito præficiatur imperio, vobis, si deceat, juxta libitum suum præstantibus consilium, & assensum, ut sicut origina sonant juxta deductionem, & libitum Orea istæ. Cùmque nec iste deici nec ille præfici rectè nec defendi possit sine gravibus oneribus expensarum, statuat, & dissipet; ut quod communi consilio statuetur, expensis omnium defendat; ut sic, prout eius rescriptum obscurè continet, in vestra visitatione pro libito consilium expectatum habet in processu & speratum solatium in expensis. Satis enim videbitur contrarium rationi, ut qui de processus principio consiliarii non fuistis, finis opera expectetis, sitque deceptio pro negotiis universalis Ecclesiæ. Et licèt ab initio consilium ejus vel consensus contemnatur, tributaria statuetur, & perpetuæ servitutis patibulo suspendetur. Sed propositum intentionis propriæ tacuisse videtur; quoniam ad hoc vos præsentes judicat faciliùs quàm absentes, nisi prudenter caveritis, ne sub involucro vos inuolvat. Cùmque virtus obedientiæ, qua vos vocat ad subeundum ineuitabilia rerum, personarum, & Ecclesiæ pericula, vos non cogit, cùm ex causa necessaria non causetur, si vos in tantis specialitatis, & generalitatis periculis non cogente necessitate repererit ita debiles, ita molles in obediendo per vos meritum demerebitur; homo Deo, non Deus homini, præponetur; vosque de cætero reputans arundinem flexibilem omni vento, perpetuis, ut incepit, libertatis fœdere violato, ligabit vinculis seruitutis, sicque gradatim de graui in grauius grauissimum vel grauissimè vel generalissimè comparetur. Vel si forsam in his vos fortes inuenerit plus in aliis offendere vos timebit: quia intellecta sententia veritatis, plus humiliatur, plus erigitur plus repugnans. Consideratis igitur universorum periculorum circumstantiis universis, quis erit adeo prodigus vitæ suæ, quis adeo contemptor negotiis libertatis, quis adeo rerum negligens conservator, quis adeo penè vilipensor, quis adeo felicitatis continuæ non amator, quòd felicitatis pro infelicio propriam, pro exilio res, pro defectu libertatem, & communem, pro servitute propria, & communi, & tandem vitam pro morte velit, vel audeat infelici commercio commutare. Timeo tamen ut quosdam vestrum ambitio ad majora, quosdam desiderabilis amicorum promotio, quosdam favor Curiæ acquirendus, ex exauditionis favore in exauditionem clamantium oppressorum ad subiciendum vos & universalem Ecclesiam periculis importunitatibus uos impellant. Sic diuersis cogitationibus agitati eritis, sicut qui non habent neu habituri sunt, semetipsos perdere non verentur. Ego tamen quantum sufficio pensans, & ponderans uniuersa in præmissis eligendis arbitror non parere potiùs quàm perire, nisi causa manifesta, & necessaria primitus exprimatur, ex qua debeat obedientiæ vinculum inuiolabile obseruari.

VI. Ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ.

Illam pro firmo gerimus de uestra Ann. 1245.
sinceritate fiduciam, illam in uobis, & cæteris fratribus uestris esse constantiam opinamur quòd quantumcunque deuotionis, & reuerentiæ vinculo Roma-

Romano Pontifici sitis astricti, quantumcumque sui processus impetum contra nos habitum sub generalis Ecclesiæ nomine periculis uestris ascribat, causam propriam redigens ad communem, uos, uelut orbis cardines, & columnæ firmissimæ, nec ad circumuentionem innocentiæ nostræ leviter possitis induci, nec ad depressionem nostræ justitiæ leviter commoveri. Et quamquam ad evitanda desolationis dispendia, ut credimus per scissuram currentis temporia furori cesseritis, libenter tamen vos invenire velle remedia credimus per cautelam quibus orta per impetum valeant reparari discrimina, & excitata mundi dissidia conquiescant. Verùm summa videtur circumspectione cavendum, ut sine præjudicio vestræ discretionis immensæ loquamur, ne dum per liquoris infusionem extingui credatur incendium, accensus ignis ardentiùs furiat, forsitan oleum jaciat in caminum. Illud etiam non minori diligentia cavendum credimus, ne materiæ minùs crudæ cauterium apponatur, & ex quo sequitur vulnus insanabile potiùs quàm vulneris medicina. Nuper enim audivimus, unde justissima ratione movemur, quòd nobis excogitati consilii, qualitatis ejua & temporis prorsùs ignari, per summum Pontificem adhuc publicum hostem Imperii, & nostrum capitalissimum inimicum pro pacis negotio, licèt hoc vocationis emisse forma non exprimat, Concilium convocatum, illo simpliciter adnotato quòd pro magnis, & arduis Ecclesiæ Romanæ negotiis, & transmarinorum Prælatorum, & cismarinorum Principum Synodus evocetur. Verùm quæcumque sit causa vocationis hujusmodi litteris ad apostolicam famam tacita, vel expressa, satis tamen suspicionis nostræ causam perlucidè, & initia manifesta quòd pro nobis, non pro pace, sed contra nos, & discordia potiùs, tale Concilium evocatur, dum non à vobis saltem communis electæ personæ, sed ab inimico nostro, & nonnulli nostri culminis inimici vocantur. Priùs igitur pax inter nos tractari debuit, & tractata firmari quàm à tam remotis partibus pacis suffragia quærerentur. Nos enim de hoc inimicorum de parvo vel nullo qui se offerunt non timemus, si cum eo pacem habebimus quem patrem habere, si datum esset, deberemus in terris.

VII. Ad Fideles per Tusciam constitutos.

UNiversi Vicariis, Potestatibus, Rectoribus terrarum, & aliis Curiæ Imperialis officialibus Imperii fidelibus per Tusciam constitutis præsentes litteras inspecturis &c. Cùm ob accusationem coram nobis factam per B. & O. de ... & D. de. . pro eo quòd interfecerunt domnum Johannem Abbatem Monasterii de ... eorum dominum specialem, & eidem B plurima damna intulerant, ipsius bona temere devastando præfatos O. & D. legitimè citari fecimus, ut coram nobis comparare deberent super dicta accusatione in jure in judicio responsuri, quia ipsi venire vel sufficientem pro eis responsalem mittere cessaverunt, ideò ipsos, & quemlibet eorum auctoritate Imperiali qua fungimur exbannimus, eorum contumacia, & inobedientia exigente, & pro parte Imperialis Curię bona eorum mandavimus annotari. Propter quod nolentes accusatos eosdem de tam nefando excessu remanere aliquatenus impunitos, ut pœnam pro qualitate delicti cognoscant, auctoritate Imperiali prædicta vobis præcipiendo mandamus quatenus tam ad supplicationem B. accusatoris præfati quam etiam ex officio nostro, pro eo quòd mandatis nostris non obtemperaverunt, memoratos O. & D. accusatos exbannitos à nobis personas capere & eos sub fideli custodia ad nostram præsentiam destinare curetis, malefactores eosdem in vestris terris, vel in eorum districtibus manere, vel esse nullatenus permissuri.

Ann. 1247.

VIII. Ad Comitem Casertanensem.

IMperator Fredericus Comiti Casertanensi. Cùm sicut firma nuper relatione comperimus, & te in parte non credimus ignorare, Ludovicus illustris Rex Francorum, dilectus animæ nostræ ad partes ultramrinas, prout jam dudum stabili mente disposuit, transfretare magnificè sit paratus, quem per partes Italiæ transire velle constanter audivimus, vel ibidem, si casus inciderit, hyemare, nolentes ut insula ipsa, nostri pars utique præclara dominii, tempestate præsentium negotiorum, & temporis imminente, Rectoris seu Præsidis præsentia careat, quæ personalia nostræ Majestatia essentiam repræsentans, & Regem ipsum loco nostri quo decuerit honore recipiat, & Provin-

Ann. 1248. Vide P. de Vineis li. 3. epist. 61. 79.

Idem lib. 5. epist. 16.

ciam ipsam in omni tranquillitate gubernet, quamquam Regnum nostrum in proximo, Civitatis Parmæ depressa protervia, vel ipsius urgentissimè depopulatione peracta, repetere personaliter disponamus, te ad partes illas tanquam præcipuum loco nostri Vicarium ante faciem nostram salubri consideratione providimus præmittendum, devotioni tuæ mandantes quatenus in continenti receptis præsentibus ad comitivam tuam viris aliquibus fidelibus nostris de Terra Laboris, & Comitatus Molisi tribus vel quatuor deputatis, magnis & continuatis dietis ad partes ipsas, sicut unquam gratiam nostram diligis, celeriter studeas te transferre. Qualiter autem super receptione Regis ejusdem, & negotiis nostris illarum partium gerere te velimus per latores præsentium nuntios tuos fideles nostros, quibus super hoc plenissimè beneplacitum nostrę majestatis expressimus, & fidem plenariam adhibere te volumus, sufficienter poteris informari.

Vide eundē lib 2. epist. 5.

Henrici Regis, qui Frederici II. Imperatoris, & Isabellæ Anglicæ filius fuit, Epistola ad Henricum Regem Anglorum patruum suum.

Ann. 1247.

SI magnificentiæ vestræ frequenter huc usque non scripsimus, si nepoticæ sospitatis eventus ad notitiam vestram segnis officium calami non perduxit, si nostrorum gesta successuum stilus hactenus dictatoris non digessit, causa fuit quòd nobis in annis teneris constitutis, nec renatis adhuc fonte baptismatis, quid & cui scriberet, nostra dudum infantia nec discernere poterat, nec noscebat. Nunc autem honore tanti Sacramenti solemniter decorati, ad nos etiam alicujus cognitionis adducti, quos nec minùs gustatus amor paternæ dulcedinis nuper fecit audaces, dum non in solio suo, ut toti Regno Siciliæ usque ad reditum suum de Italicis partibus de consiliariorum disponamus consilio, gloriosè reliquit, præsentes vobis nostræ salutationis apices destinamus, & frequentiùs destinabimus in futurum, quotiens & rerum qualitas exiget, & se nobis opportunitas ingeret nuntiorum.

Vide P. de Vineis l. 3. epist. 21.

TESTA-

TESTAMENTUM DOMINI IMPERATORIS

FRIDERICI SECUNDI

REGIS SICILIÆ HUJUS NOMINIS PRIMI

Ex editione P. Octavii Cajetano in sua Isagoge ad historiam sacram Siculam, collatum & suppletum ex vetusto Codice manuscripto Bibliothecæ Marchionis Jarratanæ.

In Nomine Dei Æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione Millesimo ducentesimo quinquagesimo: die Sabati, septimo die mensis Decembris Nonæ Indictionis.

PRimi parentis 1 (incauta) trãgressio sic posteris legem 2 (conditionis indixit) ut 3 (eam nec diluvii proclivis ad penam effusio effrenis abduceret, nec Baptismatis tam celebris tam salubris unda liniret, quin fatalitatis eventus mortalibus senescentis ævi præcintis lascivia) transgressionis in pœnam culpa transfusa tanquam cicatrix ex vulnere remaneret. Nos igitur Fridericus Secundus Divina savente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem, & Siciliæ Rex memores conditionis humanæ 4 (quam semper comitatur innata fragilitas) dum vitę 5 (nobis) instaret terminus, loquelæ, & memoriæ in nobis integritate vigente, ægri corpore, sani mente, sic animæ nostræ consulendum providimus, sic de Imperio, & Regnis nostris duximus disponendum, ut rebus humanis assumpti vivere videamur, & filiis nostris, quibus nos Divina clementia fecundavit, quos præsenti dispositione nostra sub pœna benedictionis nostræ volumus esse contentos indignatione sublata, omnis materia scandali sopiatur. Statuimus itaque Corradum Romanorum in Regem electum, & Regni Jerosolomitani hæredem, dilectum filium nostrum nobis Hæredem in Imperio, & omnibus aliis emptitiis, & quoquomodo acquisitis & specialiter in Regno nostro Siciliæ. Quem si decedere contigerit sine liberis, ei succedat Henricus filius noster; quo defuncto sine liberis succedat ei Manfredus filius noster. Corrado autem manente in Alamannia vel alibi extra Regnum, statuimus prædictum Manfredum Balium dicti Corradi in Italia, & specialiter in Regno Siciliæ; dantes ei 6 (plenariam) potestatem omnia faciendi, quæ persona nostra facere posset si viveremus; videlicet in concedendis Terris, Castris, Villis, Parentelis, dignitatibus, beneficiis, & omnibus aliis juxta dispositionem suam, præter antiqua Demania Regni Siciliæ: & quod Corradus, & Henricus prædicti filii nostri, & eorum hæredes omnia quę ipse fecerit firma & rata teneant, & observent. Item concedimus, & confirmamus dicto Manfredo filio nostro Principatum 7 (Tarenti) videlicet à porta roseti usque ad 8 (ortum) Fluminis Brandani cũ Comitatibus 9 (Montis Canusi, Tricarici) & Gravinæ, pro ut Comitatus 10 (ipse prætenditur) à maritimæ Terrę Bari usq; 11 (Pallinianum cum Terris omnibus à Pollinia-no)

1 *Adjectivum (incauta) deest in editione Cajetani.*
2 *(Et cõditionem induxit) habet Cajet.*
3 *Totũ hoc inclusum lineolis ( ) desideratur in edit. Cajet.*
4 *Desunt hæc verba in edit. Cajet.*
5 *(nobis) deest in edito.*
6 *(plenam) habet editio Cajetani.*
7 *(Tarenti) habet editio Cajetani.*
8 *portũ) habet edit. Caj.*
9 *Edit Cajet. habet (montibus coverti, Tritanci)* 10 *(Ipsi protenduntur) habet Cajet.* 11 *(ad Pallinurium, & ipsum Pollinurium cum terris omnibus à Pallinurio) editio Cajet.*

no) per totam maritimam usque ad dictam portam Rofeti scilicet Civitatibus, Castris, & Villis infra contentis, cum 1 (omnibus) justiciis 2 (pertinentiis) & rationibus omnibus tam ipsius Principatus quā Comitatuum prædictorum. Concedimus etiam eidem Civitatem Montis Sancti Angeli cum toto honore suo, omnibus * eidem honori pertinentibus scilicet, quæ de Demanio in Demanium, & quæ de servitio in servitium. Concedimus etiam, & confirmamus eidem quicquid in Imperio est à nostra Majestate concessum. Ita tamen quod prædicta omnia à præfato Corrado teneat, ac etiam recognoscat, cui Manfredo judicavimus pro expensis suis decem millia unciarum auri.

1 (omnibus) deest in edit. Cajet.
2 (pertinentiis) deest in Codice manuscripto.
** in edit. Caj. legitur (omnibus Civitatibus, Castris, Villis, Terris pertinentiis suis, videlicet quæ in Demanio &c*

Item (a) statuimus quod Fridericus nepos noster habeat Ducatum Austriæ, & Stiriæ, quæ à prædicto Corrado teneat, & recognoscat; cui Frederico judicamus pro expensis decem mille uncias auri.

(a) Hoc capitulum favore Friderici Ducis Austriæ deest in Cod. manuscripto.

Item statuimus ut Henricus filius noster habeat Regnum Arelatense, vel Regnum Jerosolymitanum, quorum alterum dictus Corradus præfatum Henricum habere voluerit: cui Henrico judicamus centum millia unciarum auri pro expensis.

Item statuimus ut centum millia unciarum auri expendantur pro salute animæ nostræ in subsidium Terræ Sanctæ secundum ordinationem dicti Corradi, & aliorum nobilium Cruce signatorum.

Item statuimus ut omnia bona Militiæ Domus, Templique Curia nostra tenet, restituantur eidem; ea scilicet quæ de jure deberet habere.

Item statuimus ut omnibus Ecclesiis, & Domibus Religiosis restituantur jura eorum, & gaudeant solita libertate.

Item statuimus ut homines Regni nostri 3 (Siciliæ) sint liberi, & excepti ab omnibus generalibus Collectis sicut consueverunt esse tempore Regis Guillelmi Secundi consobrini nostri.

3 Deest nomen (Siciliæ) in Codice manuscripto.

Item statuimus quod Comites, Barones, & Milites, & alii Feudatarii 4 (nostri) Regni gaudeant Juribus suis, & rationibus 5 (omnibus) quæ consueverunt habere tempore Regis Guillelmi in Collectis, & aliis.

4 (nostri) nō adest in Cod. manuscripto.
5 (omnibus) deest in edit. Cajetani.

Item statuimus ut Ecclesiæ Luceriæ, & Soræ, & si quæ aliæ lesæ sunt per officiales nostros reficiantur 6 (& restituantur.)

6 (& restituantur) deest in edit. Cajet.

Item statuimus ut tota Massaria nostra quam habemus apud Sanctum Nicolaum de Ausido, & omnes proventus ipsius deputentur ad reparationem, & constructionem Pontis ibi constructi vel construendi.

Item statuimus ut omnes captivi in carcere nostro detenti liberentur, præter illos de Imperio, & præter illos de Regno qui capti sunt exproditionis Nota.

Item statuimus quod præfatus Manfredus filius noster omnibus benemeritis de familia nostra provideat vice nostra in Terris, Castris, & Villis, salvo Demanio Regni nostri Siciliæ, & quod Corradus, & Henricus prædicti filii nostri, & hæredes eorum ratum, & firmū habeant quicquid idem Manfredus super hoc duxerit faciēdum.

Item 7 (volumus, & mādamus) quod nullus de proditoribus Regni in aliquo tempore reverti audeat in Regnum, 8 (nec aliqui deorum genere succedere possint: imo hæredes nostri teneantur vindictam de eis sumere.) Item

7 Statuimus habet editio Cajetani loco (volumus, & mandamus)

8 Totum hoc inclusum lineolis ( ) deest in editione Cajetani.

Item ſtatuimus quod Mercatoribus Creditoribus noſtris debita ſolvantur.

Item ſtatuimus ut Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Matri noſtræ reſtituatur omnia 1 (ſua) ſalvis in omnibus,& per omnia jure, & honore Imperii, heredum noſtrorum,& aliorum fidelium 2 (noſtrorum ſi) ipſa Eccleſia reſtituat jura Imperii.

Item ſtatuimus, ut ſi de præſenti infirmitate nos mori contingerit in majori Eccleſia Panormi in qua Divi Imperatoris Henrici, & Divæ Imperatricis Conſtantiæ parentum noſtrorum memoriæ recolendæ tumulata ſunt corpora, corpus noſtrum debeat ſepeliri. Cui Eccleſiæ dimittimus uncias auri quingentas pro ſalute animarum dictorum parentum noſtrorum, & noſtræ per manus Berardi venerabilis Panormitani Archiepiſcopi familiaris, & fidelis noſtri in reparatione ipſius Eccleſiæ erugandas.

Prædicta autem omnia, quæ acta ſunt in præſentia dicti Archiepiſcopi. 3 (Bertoldi) Marchionis de Benburgio dilecti 4 (cōſanguinei) & familiaris noſtri, Riccardi Comitis Caſertani dilecti generi noſtri 5 (Petri Ruffi) de Calabria Maniſcaliæ noſtræ Magiſtri, 6 (Ricardi de Montenigro Magnæ Curiæ noſtræ Magiſtri Juſtitiarii,) Magiſtri Joannis de 7 (Ydronto,) Fulconis Ruffi, Magiſtri Joãnis de Procida, Magiſtri Roberti de Panormo Imperii, & Regni Siciliæ,& magnæ Curiæ noſtræ Judicis, & Magiſtri Nicolai de Brundusio publici Tabellionis Imperii,& Regni Siciliæ,& Curiæ noſtræ Notarii noſtrorum fidelium: quos præſenti diſpoſitioni noſtræ mandavimus intereſſe per prædictum Corradum filium, & hæredem noſtrum & alios 8 (ſucceſſive) ſub pena Benedictionis noſtræ tenaciter volumus obſervari; alioquin hæreditate noſtra non gaudeant. Id autem fidelibus 9 (omnibus) noſtris præſentibus, & futuris ſub ſacramento fidelitatis quo nobis,& hæredibus noſtris tenentur, injungimus ut prædicta omnia illibata teneant, & obſervent. Præſens autem Teſtamentum noſtrum, & ultimam voluntatem noſtram, quam robur firmitatis volumus obtinere, per prædictum Magiſtrum Nicolaum ſcribi, & ſigno Sanctæ Crucis propriæ manus noſtræ, Sigillo noſtro, & prædictorum ſubſcriptionibus juſſimus communiri. Actum apud Florentinum in Capitanata anno, menſe, die, & Indictione præmiſſis; anno Imperii noſtri trigeſimo ſecundo Regni Jeruſalem 10 (vigeſimo octavo:) Regni Siciliæ quinquageſimo primo.

✝ Ego Fridericus Secundus Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Hieruſalem, & Siciliæ Rex dico, & declaro hoc fuiſſe,& eſſe meum ſolemne Teſtamentum meamque ultimam voluntatem, actum eſt ſcriptum de mei ordine, voluntate, & mandato per manus Magiſtri Nicolai de Brundiſio publici Tabellionis Curiæ noſtræ, ac in præſentia ſupradictorum, & infraſcriptorum Teſtium noſtrorum fidelium, quos omnibus prædictis mandavimus intereſſe, ac in fidem omnium premiſſorum manu propria ſubſcribimus noſtroque ſolito Imperiali, & Regio Sigillo ſignavimus.

✝ Ego Berardus Archiepiſcopus Panormitanus rogatus præmiſſis omnibus interſui, manu propria me ſubſcripſi, ac Sigillo Imperiali, & Regio ſignavi.

Ego

1 Loco (ſua) editio Cajet. habet (jura) 2 noſtrum) deeſt in Cod. manuſcr. & conditionalis (ſi) in edit. Cajetani eſt verſa in (&)

3 Nomē (Bertoldi) deeſt in edit Cajetani 4 Loco conſãguinei edi. Cajet. habet (conſobrini) 5 Edit Cajet. loco Petri Ruffi habet ſimpliciter (Ruffus) 6 Namē ipſius Ricardi de Montenigro Magiſtri Juſtitiarii in edit. Cajetani eſt erronee traſpoſitū penultimo loco; & ſimiliter in ſubſcriptionibus. 7 Loco Ydrūto) editio Cajetani habet (Iltronco) 8 ſucceſſores) habet editio Cajetani. Deeſt (omnibus) in Codice manuſcripto. (vigeſimo octavo) deeſt in edit Cajetani

Omnes heſubſcriptiones deſunt in Codice manuſcripto.

✝ Ego Marchio de Bemburglo rogatus præsens fui, manu propria subscripsi, Sigilloque Imperiali me signavi.

✝ Ego Ricardus Comes Casertinus rogatus supradicto Imperiali Testamento interfui, manu propria me subscripsi supradictoque Imperiali, ac Regio Sigillo signavi.

✝ Ego Ruffus de Calabria rogatus supradictis omnibus interfui manuque propria subscripsi, ac Imperiali Sigillo me signavi.

✝ Ego Magister Joannes de Hidronto rogatus interfui, manu mea subscripsi, & Imperiali, ac Regio Sigillo me signavi.

✝ Ego Fulcunon Ruffus rogatus interfui, manu propria subscripsi, & Imperiali, Regioque Sigillo signavi.

✝ Ego Joannes de Ogrea rogatus ut supra præsens fui, me subscripsi manu propria, ac supradicto Imperiali sigillo signavi.

✝ Ego Magister Joannes de Procida supradictis omnibus interfui, subscripsi, sigillavi, & testor.

✝ Ego Magister Robertus de Panormo rogatus me subscripsi, & sigillavi, ac omnibus interfui, & Testis sum.

✝ Ego Ricardus de Montenigro Imperialis Regiæque Curiæ Magister Justitiarius supradictis omnibus rogatus interfui manu propria me subscripsi, ac supradicto Imperiali, & Regio Sigillo me signavi, & Testis sum.

✝ Ego Magister Nicolaus de Brundisio publicus Tabellio Imperii, & Regni Siciliæ, ac Imperialis Curiæ Notarius Rogatus à Domino Imperatore ut supradictum ejus Testamentum, suamque ultimam voluntatem conficerem, quia præmissis omnibus, & singulis una cum supradictis Testibus interfui, & publicavi, ac in præsentem publicam formam redegi, ideo subscriptione, & signo meis solitis, & consuetis subscripsi, & signavi.

Magister Nicolaus de Brundisio Notarius.

ANONYMI,
ET SABÆ MALASPINÆ

HISTORIA

DE REBUS FREDERICI IMPERATORIS,

CONRADI, ET MANFREDI REGUM EJUS FILIORUM,
CAROLI ANDEGAVENSIS, ET CONRADINI REGIS.

IN ANONYMUM MANFREDI, ET SALLAM, SEU SABAM MALASPINAM DECANUM MILITENSEM JUDICIUM.

De binis his Siculæ historiæ Scriptotibus insimul verba facere opportunum duximus, quia non solum uterque Suevorum Regum in utraque Sicilia gesta tractavit, sed tum etiam quia (si Anonymi principium demas,) unus aliū verbotenus sequutus est, & alter alterum adamussim transcripsit. At Gibellinarum partes Anonymus prosequutus, ut ex pluribus ab eo narratis facile cognosci potest; & è contra Guelforum Malaspina, ut in ipsius Summi Pontificis Curia Officialis, & (ut ipse asserit) Domini Papæ Scriptor, nil mirum si mutuò se contradicant in iis, quæ ad partium studia spectant, circa mortem videlicet Friderici Imperatoris, & Conradi Cæsaris ejus filii naturalem, aut violentam, ad Manfredi hujus fratris Regni Siciliæ acquisitionem, defensionemque adversùs Pontificios, & similia. Quisnam autem (quo ad hoc) ex duobus Scriptoribus in dicendo veritatem magis assequutus sit, hic disquirere non est opus; nec in tanta illius sæculi historicorum contrarietate dubium solvere facile erit. Anonymi autem opus sine aliqua partitione scriptum Malaspina in sex libros divisit; Quorum secundus, tertius, & principium quarti (paucis tantum, & rarò transpositis) ad verbum cum Anonymo concordat. Nos itaque quod in principio historiæ suæ magis dilucidè, distinctèque iste scripsit fideliter damus, Malaspinæ compendio posthabito; deinde ejusdem Anonymi simul, & Malaspinæ narrationem; demum istius continuationem: Adnotatis tamen in margine locis, & dictionibus ubi unus incipit, ubi ambo concordant, & ubi alter continuatur.

Hæc quoad binos hos Manfrediani temporis Scriptores genium, & ætatem; quod autem ad eorum authographos spectat sciendum est, quod Anonymi opus ex pervetusto exemplari Pirri Aloisii Castellomate Episcopi Asculani, in fine mutilum, & decurtatum, primus typis mandavit Ferdinandus Ughellius anno 1662. Romæ in Tomo octavo Italiæ suæ Sacræ. Nos autem ex altero non minus pervetusto Codice nuper Messanæ invento, aliquas ipsius lacunas supplevimus, & variantes lectiones in margine adnotavimus. Hujus autem authographi titulus est

De Friderico Imperatore, Conrado, & Manfredo ejus filiis.
De Rebellatione Regnicolarum, S. R. E. insistentium.
De Coronatione prædicti Manfredi.
De Bellis Gestis inter Regem Manfredum & Summum Pontificem.
De Adventu Regis Caroli Primi, in Regem Neapolitanum Romæ Coronati.
Et de prædicti Manfredi debellatione à dicto Carolo Primo prope Beneventum.

At Malaſpinæ hiſtoriam, ſex in libros (uti diximus) diviſam, Clariſſimus Stephanus Ballutius nobis dedit in libro ſexto Miſcellaneorum, impreſſo Pariſiis anno 1713. cum hoc titulo. Sallas Malaſpinæ rerum Sicularum ab anno Chriſti M C C L. uſque ad annum MCCLXXVI.

ANONYMUS
DE FREDERICO
IMPERATORE.



Nter ees, quos memoria hominum habet, * ab antiquo scripta, commemorant Romano præfuisse Imperio, Fredericus Imperator ex patre aliquando Imperatore clarissimam ducens originem, ipsius Imperii dignitatem sapientia, & generositate sua cæteris amplius decoravit, ut majorem decorem ipse Imperio, quam sibi Imperium contulisse probetur. In pupillari quidem ætate sua post utriusque parentis mortem, inter Tyrannos se, suamque substantiam lacerantes, quasi agnus inter lupos, divina tantum eum dextera protegente remansit, donec ad puberes annos perveniens. Intentio Papa Tertio Romanæ Ecclesiæ Præsidente, Oddonem Imperatorem qui post acceptum Imperium ad Regnum Siciliæ pretiosam pupilli hæreditatem manus extenderat, cælesti magis quàm terrena virtute superavit, & vindictam, subsequendo tyrannos, accepit: adeptusque est coronam Imperii tàm electione Principum, quàm avita, & materna successione.

* in editione Ughelli ex errore ac antiqua legebatur.

Honorio Papa Tertio Sedem Apostolicam gubernante, compositaque Alamania sub præsidiatu Henrici filii sui primogeniti, quem ex Consorte sua Imperatrice Constantia Hispana susceperat, ipse Siciliam aggressus, Saracenos, qui tempore pupillaris ætatis ejus rebellantes, se in excelsis montibus collocaverant, potentiæ, ac sapientiæ suæ armis de montibus in plano dejecit, & magnam tunc eorum partem: processu verò temporis omnes penitus Saracenos ipsos in Apuliam ad habitandum sub debita servitute in locum, qui dicitur Luceria misit.

Dejectis autem Saracenis, totoque Regno in pace stabilito transfretavit ad Regnum suum Hierosolymitanum, in quo Saraceni Ultramarini nominis in sui præjudicium, quoniam in sepulchro Domini in Christianæ fidei contumeliam superstitionis suæ turpedines operabantur: cumque statum ipsius Regni reformare intenderet, intellecto quod Gregorius Papa, qui Honorio successerat, immisso in Siciliæ Regnum exercitu, jam usque Apuliæ confinia, ipsum in absentia Imperatoris recepisset, prout temporis brevitas patiebatur, Regni Hierosolymitani statu composito in Regnum Siciliæ ingressus est, propulsatoque externo exercitu extra Regni fines, & Regnicolarum suorum turbatione sedata ad partes Italiæ, & Alamaniæ, quas eadem causa turbaverat potenter accessit: Indeque removens Henricum primogenitum suum, quem prius emulorum suggestionibus contra se mutatum invenit, quasi viscera sua extra se videns ipsum in Calabriam misit, ordinatoque Conrado Secundo filio suo in Alamania

loco

loco sui, quem Imperatrix Isabella Hierosolymitana sibi genuerat, in Lombardiam venit, ubi primo Civitatem Vincentiæ, * & Imperio rebellantem potenter expugnavit: deinde Mediolanenses, & complices rebelles Imperii Campestri conflictu, capto ipsorum exercitu debellavit, pluresque Lombardiæ Magnates in ipsa expugnatione captos, carceri suo in Regnum misit adactos. Brixiam quoque circumquaque vastavit: Faventiam mirabili obsidione circumdatam ad deditionem coegit: pluresque alias Civitates in Lombardia, & Tuscia, quæ contra Imperium rebellaverant potentię suæ viribus ad subjectionem debitam acclinavit.

Quosdam quoque Civitates in Regno fundavit, & construxit videlicet Augustam, & Heracleam in Sicilia, Montis Leonis, & Aliteam in Calabria, Dordonam, & Luceriam in Apulia Flagellam in Terra Laboris contra Ceperanum.

Destruxit autem quosdam Civitates alias tempore minoritatis suę, alias * postquam sibi rebellaverant, videlicet in Sicilia Centorbium, Capizium, & Trajanam; in Provincia Beneventana Beneventum; in Apulia Sanctum Severum.

* ...ellii editione *quæ post*.

Vir quidem fuit magni cordis, sed magnanimitatem suam multa, quæ in eo fuit sapientia temperavit, ut nequaquam impetus eum ad aliquid faciendum impelleret, sed ad omnia cum rationis maturitate procederet, multoque sanè fecisse majora, quoniam fecit se cordis sui motibus posse absque freno Philosophico moderamini obtemperasse, utpotè qui Philosophiæ studiosus erat, etquam, & ipse in se coluit, & in Regno suo propagari ordinavit. Tunc quidem ipsius felici tempore in Regno Siciliæ erant literati pauci, vel nulli, ipse verò Imperator liberalium artium & omnis approbatę scientiæ scholas in Regno ipso constituit Doctoribus ex diversis mundi partibus per præmiorum liberalitatem accitis, constitutoque tam eis salario, quàm pauperibus auditoribus sumptum de sui ærarii largitate, ut omnis conditionis, & fortunæ homines nullius occasione indigentiæ à Philosophiæ studio retraherentur.

Ipse quoque Imperator de ingenii sui perspicacitate, quæ præcipuè circa scientiam naturalem vigebat, librum composuit de Natura, & Cura Avium: in quo manifestè patet in quantum ipse Imperator studiosus fuerit Philosophiæ. Justitiam quoque sic dilexit, & coluit, ut nemini vetitum esset etiam cum ipso Imperatore de suo jure contendere, nec suffragaretur sibi favoris Imperialis eminentia, quominus ei eam concederet, & justitia esset æqualis. Nullus advocatus contra se alicujus quantumcumque pauperis assumere patrocinium dubitaret, cum & ipse etiam Imperator hoc licitum fore statuerit, gratius reputans servari etiam contra se justitiam, quam habere de lite victoriam. Justitiam autem sic coluit, ut tamen rigorem ipsius nonnumquam clementia temperaret: nam cum prædictus Papa Gregorio Concilium contra eum in Urbe congregare vellet, ad quod omnes ferè Prælati Ultramontani vocati per mare cum stolio Januensium præmunitissimè veniebant; Admirans Imperatoris, qui deputatus erat, ad custodiendos transitus maris, navali bello Januensium expugnavit, omnesque Prælatos cum duobus Cardinalibus Legatis Apostolicæ Sedis, qui Prælatos ipsos ad Concilium evocaverant,

rant,

rant, cepit & vinculatos in Regnum duxit. Sed Imperator *licet contra eos, tamquam sui honoris emulos, procedere de Justitia potuisset, de clementia tamen ipsos absolvit*; & magis Deo, quam sibi satisfaciens liberatos abire permisit: Proinde ipsum variis, hinc inde adversitatibus ex emulorum suorum studio concussum, sed nullo modo dejectum, sola virtus sagacitatis protexit: & licet eum quandoque aliquorum domesticorum suorum studio concussum perfidia surrexisset, eorum conspiratione jam publicata, etiam in ipsius necem familiaris se gladius emisisset: licet etiam in ipsius necem exfortium Lombardorum coadunatum, magnitudini cordis ejus incomparabili improvisum objecisset victoriæ suæ casum, ipse tamen usque ad ultimum fati sui diem Gloriosus, & per totum Orbem Terrarum admirabiliter vixit, & qui omnibus fuerat insuperabilis solius mortis legi succubuit.

Mortuus est autem ipse Imperator apud Florentinum in Capitanata Apuliæ .. die mensis Decembris nonæ Indictionis, superstitibus sibi Conrado, quem ex Hierosolymitana, Manfredo quem ex Italica, & Henrico minore quem ex Anglien: conforte susceperat: constituitque sibi hæredem memoratum Conradum Romanorum in Regem electum, qui præmortuo Henrico majore in Calabria primogenitus remanserat inter fratres; ipsi autem Conrado hæredi instituto tam in Imperio, quam in Regno, minores fratres videlicet Manfredum, & Henricum substinuit.

Cum autem idem Conradus esset in Alamania, dictus Manfredus quem Imperator præ ceteris filiis dilectissimum, & in aula sua nutritum, suique documentis instructum, Principem Tarenti constituerat, concessit sibi Comitatus Gravinæ Tricarici, & Montis Caveosi, necnon, & Honorem montis Sancti Angeli, quem Imperator ipsius Principis matri, quam summè dilexerat, * donatione fuerat elargitus, Generalis Balius ipsius Regni Siciliæ ageret, & illi qui ab Imperatore remunerationem aliquam obtinuerat de suo arbitrio provideret: Postquam autem Rex veniret in Regnum, ipse Princeps Principatum Tarenti, & totam Terram sibi prælegatam teneret in capite, & merum Imperium, in ea tamquam Dominus * esset, utpote in cujus Indole precognoverat Pater quis qualisque Princeps futurus esset: Formavit enim ipsum natura gratiarum omnium receptabilem, & sic omnes corporis sui partes conformi speciositate composuit, ut nihil in eo esset, quo melius esse posset: à pueritia enim Paternæ Philosophiæ inhærens obstendebat per certa * ingenitæ discretionis inditia quantum in majori ætate prudentiæ esset habiturus, & qualiter ipse erat, per quem domus Augusta gubernari * poterit, & in statu gloriæ conservari, & non sine causa Manfredus vocatus fuerit, quasi manens Frederico, in quo quidem vivit pater jam mortuus, dum paterna virtus in ipso manere conspicitur. Vel Manfredus, idest manus Frederici, utpote sceptrum tenere dignus est, quod manus paterna tenuerat. Vel Manfredus idest Mens Frederici, sive memoria Frederici, quasi in eo mens, vel per eum memoria Frederici perduret. Vel Minfredus idest minor Frederico, majori oblato subcrescens. Vel Monfredus idest Mons Frederici, * sive munitio Frederici, in quo videlicet Frederici nomen, & gloria ultrò usque

* nuptiali

* haberet

* ingenuę cōditionis

* poterat

* & Munfredus

que in monte, sive munitione excelsa quasi ad sepulchrum posterorum servata consistunt, ut per quamcumque vocalem etymologiam ipsius nominis varietur, paterna ibi res, & nomen inveniatur. Nec immeritò ad tam præclari nominis etymologiam cunctæ vocales literæ pro sua qualibet diversitate conveniunt, ut liquidò demonstretur talem esse personam hoc nomine denotatam, quæ ad regimen universale conveniat, ut sicut cæteræ literæ, nullum quidem, per se sonum efficiunt nisi vocalibus adjungantur, vocales autem per se ad soni perfectionem secundum aliarum literarum adjectionem sufficiunt, sic persona Principis rem nomenque paternum in se per omnium vocalium varietatem concludens, ea esse videatur secundum quam universale regimen per se subsistere nequeat, & quæ ad idem regimen adminiculo alieno non indigens, sola perfectè sufficiant: & sic nihil est quod sine vocabulo aliquo exprimi possit, aut scribi, ita nihil eorum sit, quæ in Patre Augusto ad universale regimen convenerunt, quod filio tam ex paterni nominis specie, quàm ex suæ sapientiæ mutatione non congruat. Cum igitur ipse Imperator plures genuerit filios prudentes, quidem, atque magnificos, paternasque virtutes particulariter imitantes; iste tamen Princeps Manfredus paternarum gratiarum, atque virtutum hæres fuit, universalisque successor, ut Jus primogenituræ quod secundum carnem apud aliquos ex fratribus suis erat, ex præfiguratione aliqua in filiis Isac, atque David, in eum esset divinæ provisionis Consilio transferendum.

Erat autem idem Princeps annorum decem & octo cum defuncto Imperatore Balium fratris sui Conradi Regis in Italia, & Regno Siciliæ Paterna sibi commissum dispositione gerere cepit, misitq; Henricum fratrem suum minorem ad gubernandam Siciliam, & Calabriam vice sui, ut homines Regionum illarum in ipsius pueri facie Imperialem aspicientes memoriam, speciemque Regiam considerantes quietem sperarent, & consolationem acciperent de turbatione, quam eis mors Imperatoris ingesserat: Ipse verò Princeps in Terra Laboris processit.

Cum autem Imperatore mox mortuo crederetur maximam turbationem, in toto Regno esse futuram, sicut sæpè solet contingere in obitu Dominorum: tale tamen regiminis ipsius Principis fuit ex Dei nutu Principium, quod ex morte Imperatoris nulla quodammodo visa fuit interruptio facta paternæ tranquillitatis, & pacis, sed continuato dominio patris ad filium idem videbatur esse regimen Principis, quod fuerat Imperatoris: Curiam enim paternam omnibus officiis integram stipendiis quoque præstationibus, & libertatibus consuetis in nullo diminutam reservavit, ut de priori statu, vel jurisditione Justitiæ, vel in aliis nihil penitus videri possit immutatum. Habebat quoque secum Consiliarios patris sui, circumspectus adolescens, & ætatis suæ facilem, sed non irrationabilem sensum illorum maturitate componebat, ut in hoc etiam Sapientissimus perpenderetur quod lubricum licentia juvenilis ætatis ad cujus moderamen innata sibi prudentia sufficere posset, alienæ etiam sapientiæ necessitate tractaret: non quidem imitans superbum, & ignarum filium Salamonis qui dum seniorum consilia sprevit, & juvenilium, vel coætaneorum suorum suasionibus adhæsit paterni Regni divisionem in diebus suis

vidit

vidit, & servum patris sui passus est in Regno consortem. Ille quidem imprudens imprudentium utens consiliis, factus est imprudentior: Iste verò Princeps Philosophiæ filius, & alumnus ex ingenita sibi habuit sapientia, ut Sapientum Consilia, quamquam necessaria sibi non essent veneraretur, ne vel in hoc argueretur minus habere sapientiæ, si forte aliorum consilio uti dedignans suæ tantum prudentiæ inniti videretur; & ideo dum sibi, & gloriæ suæ quodammodo in hoc ipse diminuit, quod plenitudinem gratiæ, quæ in se erat, adjectione quoq; alienę sapientię indigere ex virtute reputavit, divina sibi gratia, quæ humilibus præsto est, semper affuit, ut super humanum modum, & omnem credulitatem in cunctis suis processibus prosperaretur.

Post modicum enim tempus à morte Imperatoris ex qua, etsi non in aperto, in occulto tamen multorum sunt corda concussa, cepit in Terra Laboris, & Apulia quædam occulta fieri conjuratio, non absque aliquorum instigatione, qui olim honoris, & nominis Imperialis æmuli fuerant, quæ quidem conjuratio in Apulia, in Andrensibus, Fogitanis, & Barolitanis. Apud Terram Laboris in Capuanis, & Neapolitanis primò visa est manifestari rebellantibus autem Neapolitanis, & Capuanis factaque ab eis confederatione, cum quibusdam ipsarum partium magnatibus, qui propter odium, & inimicitias Bertholdi Marchionis de Honebruch à Principis latere discesserunt. Princeps autem à prędictis Magnatibus precum spe dimissus, imò eos sibi esse adversarios cognoscens, cum non haberet tum tantas armatorum hominum vires, ut prædictas Civitates, & Magnates oppugnare posset, venit in Apuliam, & exercitu ibi congregato ad expugnationem prædictarum Civitatum, & Magnatum, potentior interea reverteretur.

Cum autem in Apuliam venisset, nec adhuc conjuratio esset in Apulia publicata, constituit stipendiarios suos Theutonicos manere in Troja sub quodam Capitaneo eorum nomine Hegano, qui tempore Imperatoris Capitaneus fuerat Theutonicorum in Marchia Anconitana, ubi multum prudenter, & strenuè se gesserat. Dimissis igitur Theutonicis ipsis in Trojam, ipse Princeps cum familia sua Fogiam processit: cumque post paucos dies Theutonici prædicti, armati omnibus armis quasi ad pugnam venissent de Troja ad Fogiam, & se exclarassent in aciem ante Civitatem miserunt ad Principem, quem sciebant tunc pecuniam non habere, ut Princeps eis stipendia daret. Hoc enim dare videbatur eorum intentio, ut Principe non valente eis dare stipendia propter defectum pecuniæ, quem tunc patiebatur, ipsi contra eum in Civitatem Fogiæ venirent, ut eos disrobarent, Princeps autem magnanimus nullo modo fecit armari suam familiam, & Fogitanos, sed prædictis Theutenicis sic animose per suos Nuncios responderi fecit. Vos numquid contra me armati venistis? sed si me amplius cogitis, sic contra vos munitus exibo, & me esse Imperatoris filium cognoscetis: si ergo stipendia petitis, mittite quatuor ex vobis inermes, ut decet, & vobis respondebitur, ut decebit. Audientes itaque Theuthonici hujusmodi alta Principis verba, & videntes quòd non erat Princeps homo vel corde, vel genere cui vis, aut metus potuisset inferri, penitentes de eo quod sic impro-

vidè fecerant, miserunt quatuor ex eis inermes ad Principem, qui de stipendiis respondit, ut decuit, & de ipsorum præstatione prout potuit in illa temporis necessitate providit.

Post paucos verò dies Princeps quemdam apud Andrensem Civitatem enormia contra statum pacis, & fidei Regiæ de novo audiens commisisse, illuc cum exercitu suo processit, scire volens, an vera essent ea quorum clamor ad ipsum de illa Civitate pervenerat. Ante autem quam ad Civitatem appropinquasset exercitus, cuncti penè Andrenses Cives tamquam sibi conscii, dimissâ Civitate mulieribus tantùm parvulisque relictis à Civitate fugerunt. Terruerat enim eos Principis famosa potentia, conscientiaque læsa pupugerat. Cum autem ante Principis faciem stare non possent: Princeps autem advertens in multorum strage, non peccantium securitati esse detrahendum, Cives ad Civitatem ipsam reverti jussit, & prout magnificentiam suam decuit, eis remisit pœnam, quam justè meruerant, & alia pœna, quæ correctionem potius quàm perniciem ipsis induceret eos mulctavit, & deinde apud Luceriam profectus est, ubi audivit, quod jam Fogitani aggeribus circumcirca vallere se cœperant, & præter solitum ad pulsationem Campanæ populo convocato, consilia quædam non sine certa suspicione tractabant.

Princeps autem Orientis, morbi materiam antequam invalesceret præcedere satagens cum exercitu suo de nocte procedens ante Fogiam summo diluculo repentè dispositis hinc inde aciebus apparuit: cumque Fogitani manè summo Principis exercitu, de quo quidem nihil in nocte præcogitaverant, ante Civitatem vidissent, subitò tremore concussi, quasi in erroris sui primordiis deprehensi, & Principis sagacitate præoccupati antequam munire se possent, missis ad Principem eorum Nuntiis veniam suppliciter postulantes, egressæ mulieres Civitatis ipsis crinibus resolutis ad pedes Principis implorantes eum lacrymis ejus misericordiam; Princeps verò lacrymosa Civium supplicatione permotus licèt rigorem in eos justitiæ rationabiliter exercere potuisset, & eorum pœna, terror, & correctio foret aliorum in exemplum, tamen sic erga eos pietate uti voluit, ut nec veniam eis negaret, nec delictum eorum penitus impunè dimitteret; faciensque unum ex justitia, & misericordia temperatum; ne videretur in justitia rigidus, nec in mansuetudine dissolutus. Pœnam etenim corporalem, quam ex delicto incurrerant in pecuniariam pœnam benignè convertens, aggeres, quibus se circumquaque vallaverant explanari mandavit. Delictum quidem Fogitanorum adeò fuerat perniciosum exemplo, quod quæcumque eorum citra sanguinem pœna fuit magnæ lenitatis ipsis apparuit. Princeps enim qui non ad desolationem, sed ad correctionem, & regimen populi natus erat, hoc agebat in pœnis delinquentium, ne essent, quos peccare pœniteret, nisi peccantibus vitam adimeret, quid emendaret correctio non haberet: in plectendo quidem, & cognoscendo hæc erat ejus intentio, ut vita hominum corrigeretur, non ut per pœnam penitus tolleretur: quæ suspicione carere non solent. Constituerant enim sibi consiliarios in Civitate præsidentes, & formam Judiciorum solitam transmutantes, non jam apud Præsidem à Principe constitutum, vel apud loci Bajulum ex more ordinatum Criminales, aut Civiles querimo-

nias

nias, causasque tractabant, sed apud prædictos Consiliarios noviter creatos petendam sibi, exequendamque justitiam decernebant prætendentes alias fidem, & obedientiam Regiam, & se ad novitatem illam processisse salva fidelitate Regis asserebant. Quod ubi Princeps audivit, volens an ea, quæ dicebant vera essent experimento cognoscere, Civitatis ipsius Universitati mandavit, ut eorum aliquos pro parte omnium Civium ad suam præsentiam mitterent: cumque Nuntii Civitatis ad ipsius præsentiam juxtà suum mandatum accepissent, alloquutus est eis Princeps, ut decuit, reducens inter alia ipsis ad mentem juramentum fidelitatis, quod sibi tam ipsi, quam alii Regnicolæ tempore assumptionis prædicti Balii pro Regis parte præstiterant, ex cujus forma juramenti tenebantur sibi ad Terram Regis tuendam præstare subsidium. Licet enim potentia, & industria ejusdem Principis magna esset, tamen ipsa,& virtus in actum prodire non poterant sine operatione subsidioque fidelium. Quantum enim ad vires corporis attinet, nullus quidem est, qui per se quantumcumque fortissimus sit, ad regimen universale sufficiat, sed ea est potentia, ea virtus in mundi Rectoribus, ut habeant cum quibus, & per quos animi sui virtutes exerceant; ut in hoc maxime Rectorum industria, virtusque probetur, quod rudes animos aliorum, & vires, quæ sine exercitio in aliquibus habentur, inutiles consilio, & moderamine suo ad laudabilia utilium operum experimenta ratificant, atque disponunt: sicque in Rectore potentia crescit, & gloria dum subjectorum sibi subsidia, & vires assistunt: decrescit autem, & deperit si ea suo præsidio subtrahuntur. Quemadmodum inutiliter bonus est Artifex si necessaria sibi ad Artificium instrumenta deficiant: sit autem ejus peritia ex opere luculentior si instrumenta habeat quibus operetur.

Hac itaque ratione Princeps cum per id tempus necessarium sibi, esset subsidium, tam illorum, quàm aliorum Regni fidelium contra Neapolitanos, & Capuanos, qui rebellionem suam jam probaverant, requisivit eos ex debito fidelitatis, & præstiti Sacramenti, ut subsidium sibi hominum armatorum præstarent, quam requisitionem taliter fieri, alia quoque causa suggesserat, ut videlicèt ex responsionis eorum qualitate, comprehenderetur, qualis eorum animus esset. Nuntii verò recepta Principis requisitione, reversi Barolum insinuaverunt hoc Populo Civitatis. Quò audito Populus quidem concitatus est, sed interiores motus explicare non volentes in publicum remiserunt ad Principem Nuntios vacua sibi verba referentes: metiebantur enim ejus ex ætate prudentiam frustrà cogitantes expectationem ejus inanibus promissis obedire, & se meliùs interim præmunire. Princeps autem cujus industria pravos eorum motus dissimulare noverat, sed nescire non poterat, interea processerat ad oppidum Cannarum, quod à Barolo sex ferè millibus distat, ibique Nuntius Barolitarum remissos secunda vice recepit, auditisque ipsorum verbis sensuque verborum medulliter intellecto remisit eos, ut certum sibi responsum non suspensivum, ac dubium à Civitate referrent, quibus redeuntibus Barolum, nec aliquo deinde responso à Barolitanis Principi facto, solertissimus Princeps manifestam agnoscens eorum fraudulentiam, quam jam dissimulare amplius dedecebat:

considerans etiam quod dissimulatio manifesta eorum sceleris amplioris posset esse causa victoriæ, cum ferè omnes majores Civitates Apuliæ conjurationis illius consciȩ vel participes essent, propter quod si exorienti scandalo à principio non occurreret majorem sibi laborem in antea generaret cum exercitu suo ante Civitatem Baroli profectus est, vidensque viros in propugnaculis stantes armatos, portasque Civitatis obseratas primò quidem verbis pacificis ingressum sibi ad Civitatem Regiam dari proposcit, cumque illa non verbis, sed sagittis responsum sibi dedisset: imperavit magnificus adolescens circumstantibus viris portas Civitatis violenter aperire: cum autem illi propter sagittas ab intus venientes propriùs dubitarent accedere: Princeps moræ impatiens, talemque pati resistentiam alto corde dedignans, pusillanimitatem ipsorum suorum increpans, qui instantis victoriæ gloriam degeneri timore calcabant, ipsemet mænibus Civitatis appropinquare non dubitans, descendit de equo suo, & ad aperiendas portas animosum fecit initium, ex quo quidem omnes animati sunt, & accensi, quod vitæ jacturam honori, & gloriæ postponentes non jam tela pavescant sed vincendi cupidine cujuscumque casus discrimina terroresve superarent. Uno itaque omnium impetu facto remotis lignaminum diversimodè oppositionibus, portisque violenter effractis Ipse Princeps de primis introeuntibus unus fuit, multique de exercitu suo, qui de ingressu desperaverant vexillo Principis intus in Civitatem profectò, eamdem ingressi Principem jam intus esse admirabatur. Quis enim tantam sibi inesse crederet in illis adolescentiæ annis audaciam? cujus ætas nè dum ad armorum exercitia, sed etiam ad experienda ipsorum prædudia, vix reputabatur idonea. Quis unquam corde conciperet puerum in deliciis Imperialis aulæ nutritum, cujus artus teneros adolescentis, paternus amor sine armorum compressione gaudebat, in tantam subitò post patris mortem mutasse duritiem, ut armorum usui ejus ætas immatura sufficeret, & ea jam nunc experientia exerceret! Stupebant quidem omnes qui audiebant adolescentulum Principem, cujus tunc adhuc lanugo tenera replere genas incæperat, taliter expugnasse Civitatem, verèque dicebant: Manum Domini esse cum illo, processus alto inscrutabilique consilio dirigentem.

In eisdem quoque diebus miserat idem Princeps Bertholdum Marchionem de Honebruch, cum quadam gente sui exercitus in Terra Beneventana propter quasdam Terras, quæ in partibus illis ad rebellionem tendere videbantur: cumque Civitas Avellini prædicto Marchioni misso à Principe parere nollet, per fortunatam Principis ab eodem Marchione potentiam expugnata, & capta est eo ipso die, quo in Apulia Civitas Baroli capta fuit, ut non sine Divino nutu talis visa sit processisse victoria, quod duæ Civitates in diversis Regni partibus sitæ Magnifici Principis potentiam ubicumque præpollentem simul in suæ rebellionis conculcatione sentirent.

Capta autem Civitate Baroli, murisque ejus in signum rebbellionis depositis, & dirutis, omnes aliæ Civitates Apuliæ, quæ conjurationis consciæ fuerant, & Barolum respiciebant, in suo proposito frustratæ sunt, totumque ferè Regnum ex tam gloriosa Principis victoria in magna pace, & tranquillitate firmatum est, remanserant tamen

men in Terra Laboris Neapolitanorum, Capuanorumque Civitates rebellatæ. Civitas quoque Aversana, quæ inter Capuam, & Neapolim media Infidelitate manebat, & prædictis duabus Civitatibus rebellibus vehementer obstabat tractatu quorumdam Infidelium ad partem contrariam trahebatur. Jamque ad id deventum erat, quod pars contraria in Civitate ipsa se publicare præsumpserat, & manifestis jam armis cum fidelium parte propugnabat. Quod audiens Princeps prudenterque considerans, quod si Civitas Aversana in partem aliam declinaret, pars contraria plurimum vigoris assumeret, & ipsius Civitatis adversatio totius ferè Regni esse posset amissio; confestim de Apulia in Terra Laboris accessit, collectoque in unum toto exercitu, tam ea parte, quæ cum Marchione prædicto fuerat, quam ea, quæ secum venerat de Apulia Civitatem Aversanam potenter ingressus est, parteque contraria viriliter expugnata, atque dejecta Civitatem ipsam in statu fidelitatis, & pacis, ut decuit reformavit. Deinde processit versus Capuam, & eam obsidens usque ad muros circumquaque vastavit. Civitatem quoque Nolam, quæ in partem rebellium lapsa erat cum ad mandatum Principis venire nollet potenter expugnavit, & cępit.

Procedens deinde versùs Civitatem Neapolitanam Civitatem ipsam ex ea parte qua Vesuvium Montem habet, obsedit, & faciens depopulationem circumcirca usque ad męnia, Neapolitanos ad bellum exercitus provocabat, qui cum portis Civitatis obseratis depopulationem potius fieri malo eorum, velle paterentur, quam ad pugnandum exire tentarent, Princeps qui Castrenses labores prius tolerare cępit quàm experiri bellorumque vias, & astutias ex quadam sibi innata virtute sciebat, eos ad bellum per aliam viam provocare decrevit, eoque loco obsidionem mutare constituit in quo Neapolitani, quasi ad certam habendam de ipso victoriam exire ad bellandum allicerentur. Erat enim quidam locus ex Septentrionali Civitati propinquans versus Neapolim, videlicet Putheolum, mari, Montibusque in accessibilibus circumquaque conclusum ubi quidem de prope rupes sulphureas continuò quædam evaporatione fumigare conspicitur: ex aliaque parte est antrum vetusta murorum compagine fabricatum, in quod ingredientes nihil quidem aquæ inveniunt, sed sudare præ calore inviti, quasi in fornace compelluntur, unde & sudatorium vulgò appellatur. In medio verò maris, & montium planitie est locus continens, qui vocatur Anglanum, cujus nemorum lacus aquæ non pisces, imo serpentes aliaque nociva animantia nutrit. In locum ergo istum per asperas, & angustas vias cum toto exercitu Princeps intravit, obsidioneque in illa planitie constituta depopulationem ex illa Civitatis parte fieri mandavit. In hunc autem discriminosum locum aquæ aliorumque bonorum penuria, ipsoque situ formaque horribilem, ideo Princeps cum exercitu ingressus est ut vel Neapolitani ad pugnandum ibi cum eo, sic undique circumcluso sub spe certæ victoriæ, ut dictum est cofidenter exirent, vel si exeundi audaciam non haberent, tam ipsi, quàm alii cognoscerent, quod non ita sicut ex ætate videbatur, dedicatus erat, ut Castrenses labores quicquiduè durum, aut asperum in bello contingeret, tolerare non posset, aliique robustæ ætatis viri, qui ejus vexilla seque-

bantur,

bantur, eaque idem Princeps fufferre poterat in tenera adhuc ætate conftitutus, ad capeffendam dulcis victorię gloriam, magnanimi adolefcentes exemplo fufferrent. Dicebant enim non fugiendum, fed appetendum effe laborem, per quem pervenitur ad gloriam, nec gratum effe folatium, quod non præcederent experimenta laborum; fi autem ad locum illum Neapolitani cum Principe bellaturi exiffent; oportuiffet Principem, & fuos, bellum de neceffitate recipere, cum nullus pateret fugæ locus abfque difcrimine: quin imo ipfa loci periculofi neceffitas, bellandi defiderium Principi, & fuis eò magis accenderet, quo magis difpendiofum fugæ dedecus, cafumque declararet: licet autem magis difpendiofum, hęc omnia Principis induftria præcogitaffet, & id præcipuè, quod per illam viam exiftimavit Neapolitanos poffe ad bellum allicere, quia tamen gratiùs Neapolitanis fuit timere nè vincerentur; quam haud quod vincerent, exire noluerunt ad pugnam cum Princeps ibi, eos per triduum expectaffet.

Facta autem depopulatione ibidem in quantum placuit fibi, & æftivi temporis paffa eft, receffit de loco illo Princeps ad alias partes Terræ Laboris in ftatu pacifico, & fide Regia reformandas incedens: proceffuque temporis intelligens Regem Conradum fratrem fuum de Alamania in Regnum per mare effe venturum, reverfus eft in Apuliam, ibique moram trahens, & pro adventu Regis opportuna quæque difponens dictum Regem cum magna Theutonicorum comitiva per mare venientem apud Sypontum debita reverentia, & devotione recepit fub anno Domini 1252. Regnumque cujus pro ipfo Bajulum gefferat in pace totaliter ferè conftitutum fibi affignavit.

Rex autem valdè Principi gratificatus eft recognofcens Regnum ipfum in abfentia fua, poft Imperatoris patris fui mortem per ejufdem Principis, induftriam fapienter atque viriliter fuiffe gubernatum, cum vix crediciffe potuerit, fe fic quietum & pacatum Regnum inventurum effe, ficut invenit, propter quod ipfum Principem in magna benevolentia eft amplexatus. Itaque præordinato folemni palleo, fub cujus umbraculo Rex à maris littore, ubi defcenderat in Terram ufque ad Civitatem proceffurus erat ex confuetudine Regię dignitatis, Rex fub eodem palleo Principem fecum, fimul procedere turbis circumquaque fpectantibus voluit, oftendens eum, quodammodo in illa pallei communicatione participem, quem invenerat negotii fideliffimum exequutorem; facitque eum fibi in Regno fecundum, ut vicem fuam in omnibus gereret propter magnam fapientiam, quàm in ipfo effe confiderabat.

Parum autem duravit hæc affectio Regis ad Principem, nam proceffu dierum videns Rex ipfius Principis folertiam, fufpicionem de ipfo incerto recipiens, quod ratione magnæ fapientiæ, quæ in ipfo erat, homo effet magis dominandi, quam obfequendi conditione dignus mutari cæpit adverfus eum, ipfumque deprimere quomodocumque poffet, intendebat. Ut autem animi fui motum fub quadam generalitatis fpecie occultaret, ut eum quidem læderet, lædere tamen nolle videretur, fecit eidem Principi notum, fe omnes donationes poft Imperatoris obitum factas revocare velle, Principique fuggeffit, ut quo magis, aliis Regni majoribus daret exemplum revoca-

vocationem factarum sibi donationum æquanimiter patiendi. Ipse Princeps primus, atque spontaneus honorem Montis Sancti Angeli, & Civitatem Brundusii, quàm ratione Principatus Tarenti possidebat Regi resignaret, sicque factum est, quod Princeps Regis voto satisfaciens animiq; motum plenè cognoscens honorem Montis Sancti Angeli, & Civitatem prædictam Regi obtulit, atque dimisit.

Rex autem generalem prædictarum concessionum revocationem faciens cæpit prædicto Principi paulatim favorem subtrahere Terramque illam, quam Princeps tenebat ex concessione paterna non quidem simul, sed successivè, quibus poterat occasionibus ab ejus dominio, & possessione revocavit, solum quæ Principatum Tarenti mutilatum Comitatibus Gravinæ, Tricarici, Montis Caneosi, & prædicta Brundusina Civitate sibi dimisit, & ne Princeps de ipsa quoque Terra, quæ sibi remanserat subsidium habere posset hominibus ipsius Principatus, collectam generalem gravissimam imponi, & exigi mandavit Regio Erario applicandam. Justitiarium quoque in Principatu ipso à Principe ordinatum removit, & Justitiarium suum, sicut in aliis Regni partibus, in ipso constituit, subtracta sibi in eodem Principatu mera Imperii potestate, quam ex concessione Patris Imperatoris habuerat, ut Princeps nonnisi in civilibus tantum Jurisdictionem in Principatu ipso retineret; Princeps verò prudentissimus in tali quidem adversitate fortunæ minimè frangebatur, virtutumque suarum auxilio cum magis necessarium sibi erat, utens propter ea, quæ Rex sibi faciebat.

Nec quidem tantis malis in fratrem Rex exsaturatus est, sed ad majorem, extremamque ipsius Principis depressionem Gualvanum Lanceam, qui Imperatori diù servierat, quem propter magnam ejus fidem, atque prudentiam Imperator Vicarium suum in Tuscia per multum temporis spatium habuit, Fredericum quoque Lanceam fratrem ejus, & Bonifacium de Anglone ipsius Principis avunculum, omnesque ipsius consanguineos, & affines ex parte materna conficta in eos occasione cum uxoribus matris, sororibus, ac filiis, & filiabus magnis, & parvis Regnum exire mandavit, qui omnes exeuntes Regnum cum se ad Imperatricem Romaniæ sororem ipsius Principis contulissent misit Rex postmodum Bertholdum Marchionem de Konebruch in Romaniam, qui prædictos Gualvanum, & fratres ab Imperatore Romaniæ fecit de Imperio suo licentiari, multum displicuisse Regi asserens, si Imperator eos circa se retineret.

Licèt autem Rex ita graviter contra Principem moveretur, Princeps tamen libenter omnia patiens, Regi cum omni devotione obsequebatur, & cum ipso Rege procedente in Terra Laboris contra rebelles illarum partium cum toto suo exercitu profectus est. In processu autem illius in Terra Laboris Rex Civitates Aquini Suessæ Sancti Germani pluraque vicina Castra, quæ per Regis adventum rebellaverant vicit. Civitatem quoque Capuanam, & quodam modò Neapolitanorum obsidionibus Terra, marique ordinatis, machinis quoque circumcirca dispositis, cavis etiam sub terraneis ad murorum obversionem, & fossis ad deditionem coegit, magnaque victoria ex illarum Civitatum deditione Rex illustratus est.

Reversus autem in Apuliam in hyeme sequenti, mortuoque Henrico

rico minore fratre suo disponebat Rex versus partes Imperii procedere, & cum circa veris initium ordinato exercitu processurus castrametari cepisset, in campis prope Lavellum infirmitate correptus cum esset circa annos ætatis viginti sex in triumphorum suorum primordiis acerbo mortis fato succubuit.

Mortuus est autem idem Rex 21. mensis Madii anno Domini 1254. duodecimæ Indictionis superstite sibi filio nomine * Conradino duorum jam annorum ex Elisabeth Regina suscepto, cujus pueri Balium prænominatus Bertholdus de Honebruch per magnam sui astutiam, procuravit sibi à Rege cõmitti propter favorem Theutonicorũ, quos omnes ratione cõmunis Nationis munerum allectione, adeò sibi devinxerat, quod de eis omne suũ beneplacitũ facere poterat. In ipsa enim Regis infirmitate, cũ ipse Rex de filio, & Regno suo dispositurus esset, requisiverat Marchio Principem an ipse Princeps, Baliatum vellet assumere; cum esset Baliatum ipsum cuicumque vellet, committendum. Princeps autem ejusdem Marchionis astutias prudentèr advertens sciensque, quod prædicta requisitio Marchionis non fiebat ad aliud, nisi ut de assumptione prædicti Baliatus, animum Principis investigaret, respondit ei se non velle Balium ipsum assumere, sed ipsum Marchionem propter magnam sapientiam, & rerum experientiam, quæ in eo esset ejusdem Baliatus officio fore dignum: né si aliter idem Princeps responderet, Marchio contra eum Theutonicos quod facilè sibi erat ad ejus Provinciæ partes conduceret. Licet enim idem Baliatus officium ad eumdem Principem, tam jure agnationis legitime (cum patruus pueri esset) quàm paterna voluntate deferretur. Sciebat enim Rex quod negotium filii sui in Kegno per nullum alium, quam per Principem fratrem suum post Imperatoris mortem fuerat utilitèr gestum: permisit tamen Princeps cautissimus satisque sibi placere monstravit, quod ipsum officium Marchioni committeretur, ut & suæ ambitioni super hoc satisfaceret, & ipse periculum ex furore Theutonicorum, quem contra se concitare poterat, declinaret.

* Conrado.

Assumpto itaque Baliatus officio à Marchione Bertholdo tota camera cunctaque Regis gaza in auro, argento, lapidibus pretiosis, & aliis, quæ in ipsa camera continebantur ad ipsius Marchionis manus, & dominium pervenerunt, cumque inter alia quæ dictus Rex Conradus de filio, & Regnu suo in ultima voluntate disposuit filium suum manibus, & gratiæ Sedis Apostolicæ submittendum esse mandasset. Papa Innocentius Quartus, qui Sedi tunc Apostolicæ præerat, ex Regis dispositione quamdam sumens occasionem, asserens Regnum Siciliæ ad Ecclesiam Romanam spectare, Regnum ipsum vendicare intendebat, cumque prædictus Marchio Regni * Balium gerens misisset Legatos ad Papam super petenda Regi pupillo Sedis Apostolicæ gratia, prout pater suus in ultima voluntate statuisse videbatur, Summus Pontifex illam Legatorum missionem, & Apostolicæ gratiæ postulationem, magis debilitati partis Regiæ quam devotioni ascribens, respondit præcisè se habere velle Regni possessionem, atque dominium, promittens Regi pupillo cum ad pubertatem veniret de jure, si quod haberet in Regno gratiam esse faciendam: cepitque ex parte Summi Pontificis caute tractari cum aliquibus Regni Magnatibus, qualiter Regni possessionem adipisci Ecclesia posset.

* Baliatum.

Cum

Cum autem jam aliqui de Regni Majoribus ad partem Ecclesiæ inclinare cepissent, & prædicti Marchionis non erat tanta potentia, quod tam gravi diffidio urgenti posset obstare, videns Marchio se in tanta difficultate perplexus, cum Summus Pontifex exercitum jam congregare cepisset ad occupandum Regnum, pluresque Magnates, quos ipse Marchio habere sperabat, auxilium alii Ecclesiæ, alii manifestè ad partem Ecclesiæ declinarent, Baliatus officium se assumpsisse pœnituit & ex tunc onus quidem incaute susceptum, non sine pudore deponendum existimavit; Multos quidem hoc modo fallit ambitio, qui onera quæ insunt honoribus à principio non attendunt quoniam ambitione cæcati videre singula, quæ sunt videnda non possunt. Vident, & appetunt, quod delectat, nec inspiciunt illa alia delectationis qualitate, quæ gravant, & dum improvidè honorem sine contemplatione honoris amplectuntur de honore sub onere turpiter cadunt. Sic nimirum Marchio Bertholdus prædicti honoris Baliatus delectatione allectus, sed mox ab oneris gravitate compressus, honorem improbè affectatum, onusque incaute susceptum sapientiùs deposuit, quam assumpsit.

Marchione itaque dimittente Baliatus officium Comites, Barones, & alii Magnates Regni, in Regis fidelitate manentes, ipse etiam Marchio unanimiter convenerunt rogantes Principem Manfredum, ut Balium nepotis Regis pupilli à Marchione dimissum, quod eidem Principi jure agnationis legitione offerebatur assumeret, publicè protestantes, quod si ipse Princeps Balium ipsum non reciperet negotium pupilli Regis in Regno Siciliæ penitùs periclitabatur, quod eidem Principi præcipuè posset imputari ad culpam, quod ipse qui singulariter Regnum ipsum defendere poterat, ipsum in præjudicium Regis pupilli nepotis sui, & suum relinqueret indefensum. Princeps autem Balium ipsum recipere hac ratione recusabat, quia ipsum Balium testamento Regis commissum fuerat Marchioni, ad quem de cætero pertinebat omne periculum, quod posset pupillo Regi de ipsius Marchionis administratione accidere, quod non debebat, Princeps ad se Balium ipsum subeundo transferre: cum ex quo Marchio, semel Baliatus officium gerere cœperat se ab eo exonerare non posset, quia etiam Regni negotium ad id erat, sub Marchionis administratione deductum, quod nulla poterat humana ope revelari, propter quòd si ipse Princeps illud assumeret, & in manibus suis pupilli jura deperirent, materiam sibi pudoris potiùs quam honoris generaret. Contra verò ea, quę Princeps ad excusationem tanti honeris allegabat, ex parte alia Comitum, Baronum, Regnique Magnatum fidelium proponebatur, quod licet in Testamento Regis Balium ipsum commissum videbatur fuisse Marchioni, tamen voluntas Regis fuerat ipsum sibi fratri suo Principi committere si Princeps ipsum assumere vellet, quod non ob aliud prætermisit, nisi quod de ipsius Principis voluntate dubitavit, propter quasdam offensionis causas, quæ ab eo contra Principem processisse videbantur: ipseque Marchio testabatur se ante mortem requisivisse Principem si Balius esse vellet, quod quia tunc Princeps renuit, ut suprà memoratum est, Rex Marchioni ipsum officium Baliatus concessit, & ea quidem contemplatione commisit, ut Princeps sibi in eo exercendo auxilio, & cura præsideret;

intendens autem esse videbatur, Principem sibi cooperatorem esse in exercitio Balii, qui solus omnia, quæ huic officio competebant, sufficiens erat operari. Propter quod si Princeps Balium ipsum principaliter gerendam acciperet, eo magis testantis Regis voto satisfaciebat, qui ipsum contemplatione auxilii, & curæ Principis Marchioni commiserat, quo magis utilitas filii sui procurabatur licuram, & auxilium Principis sibi in Baliatus officio exercendo accessoria pater esse decreverit per quos res de qua agitur magis valeat, quam per eum, & præcipuè ubi pupillorum versatur utilitas, circa quos rigorem suum non servant, sed ad id, quod magis eis expediat se inclinant. Ea quoque occasione, quod ex quo testamentarius Balius semel officium Baliatus gerere cœperat, se ab eo excusare non posset Princeps Baliatus officium, quod sibi in defectu testamentarii jura decernebant recusare non poterat, quia ex quo Marchio Bertholdus, qui testamentarius fuerat ipsum officium demiserat jam tempore Balius erat, se Balium legitimè fecerat: & licet ipse Marchio, Balium semel receptum dimittendo deliquisse, & contra jus fecisse videretur, Princeps tamen ipsum assumendo non contra jus venire, sed juri potiùs favere probaretur. Deliquisse quippè Marchio videbatur Balium contra jura deserendo, majus tamen delictum erat ipsum in pupilli damnum retinere. Justum quoque videbatur testamentarium Bajulum cœptam semel administrationem non deserere, sed cogi perficere magis tamen justum, plumq; erat pupilli jura perire non sinere, & damna ejus quocumque modo relevare: Delictum sanè Marchionis indesertione Bajulatus superior corrigere, vel punire non poterat, & sine ultione pupilli miserabilis læsura transibat: Justitia tamen Principis in ipsius officii recusatione videbatur delicto illo deterior, quæ & damnum generat pupilo indefenso perpetuum, & Principi recusanti culpam, & infamiam servaret inposterum; sed qualis esset illa justitia, tutelam pupilli legitimam testamentario Balio, ac tutore cessante recusare, cum ne dum tutelam deservit, verum etiam quia inutilis tutor erat, non videbatur esse tutor, cum etiam verba intentioni deserviant, & effectus attendatur potiùs in his, quæ verbis sunt declaranda, quàm sonus. Quis enim qualisve tutor est, qui vel non tuetur, vel inutiliter, aut damnosè tuetur? Cessat ergo testamentarius tutor, aut Balius, ut legitimo fiat locus, cum testamentarius, vel tutelam animo non suscipit, vel susceptam inutiliter gerit, aut deserit, cum nec in hoc casu tutori quidem inutili adjiciendus videatur esse contutor, aut tutelam deserens, ea præsumere sit cogendus. Cum ille, vel contutorem adjicere, vel desertorem, ad resumendum cogere posset, aut desit, aut ille quidem sit qui pupillo Regi adversus ideò sit, atque contrarius ut ipsius substantiam vendicare sibi potius, quàm gubernare censeatur. Videri namque poterit ad Summum pertinere Pontificem, vel compellere Balium testamentarium, tutelam pupilli resumere, vel ei tamquam inutili alium adhibere, sed ipsius ad hoc erat specialis intentio, ut pupilli Regnum Ecclesiæ vindicaretur potiùs indefensum, quod defensum pupillum esse desiderabat, ut votum suum de prædicto Regno contra eum liberiùs, & efficaciùs prosequeretur. Ea quoque ratione, quod pupilli negotium sub Marchionis administratione periclitatum erat ejus Balium

lium. & curam non quidem recusare, sed magis debebat Princeps assumere, quia si negotium ipsum relevare forte non posset non sibi pudor, sed ei qui causa periclitationis fuerat remanebat; si autem posset, honor sibi crescebat, & gloria, eum virtus circà difficiliora probetur, nec ex eò laus debeatur quando facit, quæ alii faciunt, sed quod id etiam tentare audet, quod alii perhorrescunt. Alia quoque potissima ratione Princeps Regni gubernaculum recusare non poterat, nec debebat, quidam enim eo tempore à malevolis rumor exiverat, quod Rex Conradus Secundus parvulus nepos Principis infata concesserat, ex quo Summus Pontifex majorem sibi habendi Regni rationem adaptabat, pluresque Regnicolæ justorum quodammodo sibi causam declinandi ad partem Ecclesiæ extimabant, non quidem attendentes, quod si prædictus parvulus defecisset, qui ratione primogenituræ patris sui Regis Conradi Primi Principem Manfredum in Regni successione præcedebat, mors ipsius pueri locum Principi in eadem Regni successione fecisset: quamobrem Princeps ad hujusmodi quidem æmulorum intentionem repellendam Regni gubernaculum, tam ad utilitatem pupilli nepotis sui, si viveret, quàm ad suam si fortè de facto aliud contigisset assumere de jure debebat; Ad magnam quoque prædictorum Comitum, Baronum, & aliorum Regni fidelium, ipsiusque etiam Marchionis instantiam, quam ipsius pupilli, ac suam in defectu ejus utilitatem attendens, Regni Balium, & gubernaculum in Marchionis defectum tamquam causam pœnitùs desperatam assumpsit, promittente sibi firmiter Marchione prædicto in Apuliam ire & eidem Principi mittere aurum, argentum, totasque Gazas Regiæ Cameræ, quæ ad ipsum Marchionem tempore mortis Regis pervenerant cum magno quoque exfortio armatorum, ad ipsum Principem sine mora redire; statimque tam ipse Marchio, quàm Comites, Barones, aliique Regni fideles eidem Principi juraverunt fidelitatem Regis, & suam ita videlicet, ut si Rex parvulus viveret eidem Principi tamquam Generali Balio ejus intendere,& parere, sin autem ipse puer, vel jam defecisset, vel post liberis non susceptis, deficeret ipsum Principem Manfredum ex tunc in Regem, & Regni dominium haberent.

Princeps itaq; assumpto Regni gubernaculo cœpit ordinare exercitum, negotiaque Regni disponere prout rei, temporisque qualitas patiebatur. Marchione autem profecto in Apuliam, & de promissione facta Principi parum curante, quia milites Theutonici, quos Princeps habebat sine stipendiorum præstatione sub expectatione melioris eventus ultrà retineri non poterant,cum prædictus Marchio habere totam Cameram Regis Conradi,cunctasque Gazas, nec Principi aliquid de eis mitteret Princeps ad ipsorum militum stipendia Erarii Gazas exposuit usquequo argentea, que ad familiare ministerium erat ad usus,& stipendia militum erogari mandavit, sciens cum Salamone tempus esse spargendi, & tempus esse retinendi, nihilque pretiosiùs reputans, quam honorem. Constituit ergò quamdam Theutonicorum,& aliorum equitum, ac peditum comitivam ad Sanctum Germanum. Itemque in Capuana Civitate, seu quadam alia comitiva firmavit, ut tam ipsam, quàm alias vicinas Terras, quæ jam in fide Regia, & sua vacillare cęperant sua præsentia coerceret.

Interea Summus Pontifex in Siciliam Nuntios miserat ad Petrum Ruffum de Calabria, qui Siciliæ, & Calabriæ Bajulus fuerat ordinatus sub Marchione Bertholdo, quorum Nuntiorum tractatu ad id deventum erat, quod dictus Petrus Ruffus Fulconem Nepotem suum, & alios sollemnes Nuntios pro parte sua in Civitate Messana misit ad Papam cum duobus galeis per mare usque Terracinam venientes, famaque erat, quod tam Sicilia, quàm Calabria ad convertendum se in partem Ecclesiæ disponebantur. Richardus enim de Monte Nigro, qui propter odium, & inimicitias, quas habuerat cum Marchione Bertholdo in partem contrariam declinaverat, qui in Regni finibus Terras, & Castra tenebat, confœderationem jam fecerat cum Campanis, & exercitui Papali transitum in Regnum dare promisit. Alii etiam per occultos Nuntios suos donationes sibi à Sede Apostolica impetraverant, sicque totum Regnum per diversas partes perfidiæ, & ambitionis erat vitio violatum, quod impossibile videbatur ruinæ illius humana subventione succurri; ni Deus aliter de suæ infinitæ potentiæ auxilio provideret.

Conjuratio quoque facta erat à quibusdam in Capua, ut statim quod Papalis exercitus Regno appropinquasset, ipsi uno impetu in Principē latenter insurgerent, & ipsum aut caperent, aut interficerent. Prædictus quoque Marchio Bertholdus in promissione, quàm Principi fecerat de mittenda sibi pecunia de veniendo ad eum cum exfortio de Apulia sibi defecerat; imo per Apuliam discurrendo negotia sua, commodaque tractabat, & requisitus, etiam per Gualvanum Lanceam ex parte Principis ad eum missum de periculis, in quibus Principem dimiserat, non curabat. Princeps autem, qui post assumptum Regni gubernaculum fuerat pluries per Nuntios à Summo Pontifice requisitus, ut ipsum Regni gubernaculum in manu Ecclesiæ dimitteret, tám grave periculum prudenter advertens ex circumstantibus, undique malis minus malum decrevit eligere, ut exteriores hostes, quos habebat in januis ex cautela declinaret, interiores inimicos, quibus jam erat circumdatus ex dissimulatione circumspectus evaderet. Cogitavit enim minus esse periculum si Papam intrare Regnum spontè ipse permitteret, quam si Papa violenter intraret, quod ipse Princeps deficientibus imo obficientibus sibi suis prohibere non posset: cum efficacius, & cautiùs ipse Princeps posset sibi sic ingresso post jurium, & processuum suorum experientiam resistere, quam improvisis, & in expertis ejus se viribus objectare, majoris esse honoris, & gloriæ reputans ex prudentia vincere, quam ex audacia vinci. Certus enim erat, quod si Regnum Papa violenter intraret, hi qui contra Principem conspiraverant efficacius sibi nocituri erant, & quamvis eos ipse forsan evaderet, nullo modo tamen modò vires ad resistendum resumere posset. Si autem voluntariè Papam in Regno reciperet, conspirationis periculum declinaret, & quicquid in anteà facturus esset ex ipsius Papæ, ac suorum processibus, quos quales futuri erant ex magna sapientia prænoscebat, viam & materiam inveniret. His ergo aliisque rationibus circumscriptis, Nuntiis, qui ad se à Summo Pontifice missi erant, Princeps respondit, & talem per eum, & suos Nuntios missos ad Papam deprecationem, cum ea devotione, qua decuit fecit, ut videlicet Sanctus Pa-

ter Apostolicus, ad quem causa, & præcipuè pupillorum defensio Dei vice defertur ipsum Principem, qui causam pupilli Regis Nepotis sui gerendam ex sola ætatis imbellicis miseratione suscepit, in ipsius administratione contra debitum pietatis Apostolicæ non turbaret; imo sibi super hoc auxilium tribuens, prędictum Pupillum Regem in Matris Ecclesiæ sinu reciperet, ut pater suus Conradus in ultima decreverat voluntate. Et si eidem Summo Pontifici prorsùs placebat Terram pupilli regere, paratum se obtulit idem Princeps eundem Sanctissimum Patrem in Regnum recipere sine præjudicio Regis, & suo; & tam ipsius Regis, quam suo in omnibus jure salvo: Sub cujus auctoritate petitionis expositæ finibus tractatum est, quod Papa sine præjudicio pupilli Regis, & Principis, cum juris utriusque protestatione, ex permissione Principis ingrederetur Regnum. Ad majorem autem sui devotionem ad Sacrosanctam Ecclesiam ostendendam Princeps Summo Pontifici obviam processit usque ad Ceperanum: & Papa Regnum intrante Princeps stratoris ei officium exhibens frenum tenuit, quousque ad Pontem Garigliani transiret.

In ipso autem ingressu Papæ in Regnum res mira contigit, nam Crux, quæ ante Summum Pontificem de consuetudine dignitatis Apostolicæ ferebatur Capitulo sunis Crucem circumplectente conscisso de manu illius, qui ipsam portabat statim post transitum pontis in Terram cecidit. Sic ergo Summus Pontifex ingressus est Regnum, præmisso Legato Sedis Apostolicæ G. S. Eustachii Diacono Cardinali, viro quidem juvene, & ipsius Papæ consanguineo.

Cæpit autem statim idem Legatus non tamquam Rector, aut Gubernator in Regno agere, sed tamquam Regni Dominus pupilli Regis, & Principis jura subvertere, & à Comitibus, Baronibus, & aliis tamquam Rex juramenta fidelitatis exigere, nullo jure Regis, & Principis salvo sibique tamquam Regis Siciliæ intendi ab omnibus faciebat, ipsumque etiam Principem requirebat, ut sibi simile juramentum præstaret, Princeps autem sibi respondit, quod cum ex pactionibus habitis inter Summum Pontificem, & ipsum de Regni negotio cautum esset nepotis, & sua jura salvari, nec usque ad tempora pubertatis ipsius pupilli aliquid de Regni statu immutari debere, cum extimandum esset de jure pueri, & quod Ecclesia in Regno habere contendit juramentum ipsum ab eo exigi non debebat. Licet autem ad juramentum talem prestandum nullatenùs Princeps induci potuerit, cæpit tamen apud eumdem Principem reverentia hominum consueta diminui, cum dictus Legatus ipsum Principem, sicut & alios Regni Magnates nulla contemplatione habita Cesareæ Nobilitatis, qua ipse aliis excellebat, suo intenderet suppeditare dominio.

Cum autem hoc modo ipse Legatus potentiam suam magnificaret in Regno, & cuncti penè Regni majores sibi tamquam Domino reverentiam exhibebant, itaque Princeps jam non superior, sed aliorum videretur æqualis, accidit quod quidam de Dominis Angloni Burrellus nomine, cui Princeps ipse, dudum Imperatore defuncto Balium Regni gerens, quamdam Terram, qua justè fuerat per Imperatorem privatus, gratiosè restituit, & quem etiam quondam Rex Conradus honore militiæ decoraverat, Comitatum Alcsinæ, ac honorem Montis Sancti Angeli, qui erat ejusdem Principis pertinen-

tiæ à

tiæ à Summo Pontifice ante ingressum ejus in Regnum, ut in partem Ecclesiæ declinaret, obtinuerat sibi concedi; cumque Princeps Comitatum ipsum juris sui esse justè contendens ipsum Burrellum pacifico modo requireret, ut se de Comitatu ipso nullatenus intromitteret: Imo de quadam alia Terra quam tenebat de prædicto honore Montis Sancti Angeli, si eam teneret sibi Principem in Dominum recognosceret, & assecurationis sibi juramentum ex Regni more prçstaret, alioquin terram ipsam dimitteret: idem Burrellus in superbiam elatus, nè dum dimittere Comitatum ipsum, vel Terram ipsam à Principe recognoscere, ac juramentum assecurationis ei præstare negavit, verum etiam de pari incçpit cum ipso contendere, indignumque reputare ipsum Principem tenere in Dominum, quem ei cui ipse idem subjectus erat, asserebat non debere esse subjectum. Princeps autem acuto cordi suo frenum rationis apponens procacitate verborum illius non dedignabatur, & cum inferiore contendere sordium reputabat.

Intellexit interea Princeps, quod quædam gens à Burrello transmissa Comitatum Alesinæ invaserat, & duas Terras Comitatus ipsius jam occupaverat, Princeps autem ipse nè juris sui videretur esse neglector; nihil de contingentibus volens obmittere Summum Pontificem adjit, sibique exposuit qualiter Comitatus ipsius jam occupaverat, Princeps autem ipse ne juris sui videretur esse neglector, nihil de contingentibus volens obmittere Summum Pontificem adjit, sibique exposuit qualiter Comitatus Alesinæ, quem dictus Burrellus sibi asserebat ab ipso Papa fore concessum, & jam ipsum occupare incçperat ratione honoris Montis Sancti Angeli sui juris erat: propter quod ipse Summus Pontifex sic super hoc provideret, quod inconveniens indè aliquod evenire non posset. Summus autem Pontifex respondit se præfato Burrello nihil de juribus Principis concessisse: quæ quidem Pontificis responsio duplicitatem in se continere videbatur, magisque ad implicationem, quam ad explicationem negotii faciebat, adeò ut post multas hujusmodi responsiones implicitas visum fuerat Papam dixisse, quod prædictus Comitatus ad honorem Montis Sancti Angeli non spectaret, sicut fuerat à prædicto Burrello suggestum, voluntatis tamen suæ esse postquam esset in Capua de ipso negotio secundum justitiam providere. Mirabantur autem omnes Principis prudentiam, quod contra dicti Burrelli instantiam non viribus, sed juribus uti contentus erat, dixitque quidem de Romana Curia Magnus, quod si deceret facere Principem, ut non ipse de alio, sed de eo alius quæreretur.

Inter hæc Summus Pontifex, cum esset apud Theanum quadam corporis infirmitate deductus, & diceretur quod Bertholdus Marchio de Honebruch de Apulia, veniebat ad Curiam Summi Pontificis, Princeps nolens in occursum eidem Marchionis procedere petita eundi à Papa ex curialitate licentia, processit: cumque per modicum viæ à Civitate processisset, visa est quædam acies equitum in quodam loco eminenti exclarata consistere super quemdam agustum viç transitum quo Princeps cum sua comitiva tunc transiturus erat, de quibus cum nesciretur in primo aspectu, qui essent, fuit qui diceret Burrellum esse cum comitiva sua, qui plures inter alia, quæ de Prin-

cipe

cipe fuerat obloquutus ipsam etiam Principis personam offendere conatus erat. Certa ergo habita comitiva, ex his, qui processerant, quod ex loci inæqualitate, in quo erat idem Burrellus ad offensionem Principis in loco illo angusto ejus transitum expectaret, dictum fuit ab aliquo de comitiva Principis quomodo videbatur locus idoneus requirendi Burrellum, si se vassallum Principis recognoscerat de Terra, quam de honore Montis Sancti Angeli, teneret, cum præsertim ipse videretur ad offensionem Principis, quam sępè minatus fuerat, præparatus; Princeps autem nè per dictum locum angustum incautè transiret, & posset sibi forsan ex in cautela evenire periculum, cum esset inermis, galeam sibi ad munimen capitis tantum dari fecit, & capiti suo superimposuit. Aliqui quoque de comitiva sua, quos insolentia prędicti Burrelli multoties in principalis nominis, & honoris obstrectationem turbaverat, & ad tantæ ultionem injuriæ latum sibi videbant, & tempus oblatum descenderant de roncenis, quos equitabant, & dexterius ascenderunt, quod cum aspexisset, Burrellus, & sui in fugam protinùs se proripuerunt, quidam de comitiva Principis, qui non ex ejus mandato, sed ex zelo ultionis injuriæ tantum nimis animosè processerat, prædictum Burrellum, & suos evaginatis ensibus insequuti sunt; Princeps verò, qui honori suo se satisfactum fore de fuga tantum ipsius Burrelli contentus erat, & propter reverentiam tantùm Summi Pontificis, tunc ab ipsius interfectione temperatum esse voluisset, milites, & domicellos suos prædictum Burrellum insequentes voluit quidem revocare, nec potuit, imo cum Burrellus versus Theanum fugeret, & jam ictum Lanceæ fugiendo recepisset indorso propter insolentiam suam, quam omnes noverant, credebantque, quod ipse Burrellus personam Principis offendisset, & ideò fugeret; subito surrexit clamor in populo rumorque increbuit, quod Principem percussisset, sicque factum est in fuga illa, quod Burrellus in Civitate Theanensi ab insequentibus eum, qui de Principis injuria dolebant vulneratus fuit, atque peremptus.

Erat autem in comitiva Principis, tunc quidam miles Summi Pontificis Nepos, nomine Thitius, qui animositatem sociorum, & Principis videns in sequutione Burrelli, & de illius interfectione propter Summi Pontificis reverentiam, timens Principem rogabat, nè ille Nobilis interficeretur, cumque super hujusmodi materia confabulatio inter eum, & Principem familiariter esset, cum de interfectione Burrelli Princeps nihil sciret, aut crederet, venerunt aliqui de societate illius, qui in fuga illa equos amiserant, Principi supplicantes, ut equos ipsos eis restitui faceret ab illis de comitiva sua, qui eos ipsis abstulerant; Princeps autem equos eis restitui mandans.

Redite (inquit) ad Dominum vestrum, & dicite sibi ne sit ita stultus, sicut hactenus fuit: nos enim de stultitia, & insolentia ejus propter reverentiam Domini Papæ, & nostrum honorem non curamus; Inter hæc autem quidam, qui ad aurem Principis erat dixit Burrellum esse interfectum. Princeps autem interea, qui cum prædicto Thitio de insequutione suorum, & nè idem Burrellus interficeretur confabulabatur, de ipsius interfectione certificatus eidem Thitio, tu quidem inquit, nè Burrellus interficiatur conatus est, scias au-

tem

tem ipsum interfectum esse, sicut nunc secreta nobis relatione patefactum est, de cujus quidem morte propter Summi Pontificis reverentiam dolemus, propter Ipsius verò insolentiam non dolemus, cui etiam propter nostrum propositum secundum stultitiam suam responsum est. Taliter autem contingente hujusmodi casu, eum Princeps ad Summum Pontificem, quosdam familiares suos videlicet, Gervasium de Mattina, & Goffredum de Cusentia remittere vellet ad excusandum dictum Principem, & exponendum qualiter propter Principis voluntatem, atque propositum, casus ille contingerat, nè Summus Pontifex aliquid in casu illo contra suam reverentiam crederet processisse, memoratus Thitius, si aliquis inquit de vestra Princeps familia pro hujusmodi faciendi excusatione contingere poterit, quod illi de societate Burrelli in familiares vestros mortem sui Domini vendicabunt, propter quod consultius esse videtur vos bono homine ad occurrendum Marchioni, sicut proposuistis cum vestra comitiva procedere, ego autem, qui præsens vestram innocentiam in casu isto vidi excusationem vestram ante præsentiam Summi Pontificis, ut decuerit propositurus accedam.

Redeuntem autem Thitio ad Summum Pontificem in Theanum pro excusatione Principis, ut propositum fuerat, Princeps cum suis collegis inivit consilium in quantum illa temporis brevitas patiebatur, & inventum est de consilio, quod Princeps nullo modò se in Capua figeret, sed occasione eundi cum celeritate in Marchionis occursum, continuato equitatu, usque Acerras procederet ad Comitem Acerrarum Cognatum suum. Licet autem Princeps statim casu illo contingente præordinari custodiam transitus fecerit, nè quis præcedere posset, & casum illum Cardinalibus, qui cum Papali exercitu erant Capuæ, manifestarent, tamen jam in Capuam casus illius fama pervenerat, non tamen de morte ipsius Burrelli fama certa erat, sed de quadam rixa habita inter Burrellum, & aliquos de familia Principis, & de vulneratione ipsius Burrelli inter homines diversus quidem rumor, incertusque vagabatur, aliis asserentibus Burrellum fuisse tantummodo vulneratum, aliis verò ipsum fuisse peremptum, ita quod Princeps cum comitiva sua procedens, Civitati cum appropinquasset Cardinales, qui in occursum Papæ, qui tunc Capuam credebatur venturus, Civitate exeuntes, Principis vexillum videntes parumper à via secesserunt, Principis quodammodo vitantes occursum, quem ei exhibere consueverant. Audito enim, eo quod dicebatur de casu dicto decreverunt Cardinales venientem Principem esse capiendum, sed sicut postea compertum est cogitantes, quod hoc fieri, sine multa hominum strage non posset, præsertim cum animositas ipsius Principis, & suorum nota esset, magisque propter eventum prædicti casus ex disperationis periculo timenda esset, captionem ipsius Principis differendam tunc esse meliùs existimarunt, nè strages aliqua hominum sanguinis eis præsentibus fieret: quod eorum ordinem, & suæ dignitatis eminentiam lædere viderentur. Cardinalibus autem, ut dictum est, divertentibus, quia equites, & alii Populares in occursum Principis recta via procedebant, Princeps autem diversionem Cardinalium, qui semper sibi occurrere læta facie consueverant cæpit habere certa ratione suspectam, vidensque Cardinalibus à via secedentibus, equites alios, & populum versus se re-

cta

Mattina

cta via procedere, firmiter credidit contra se tunc aliquid esse tentandum, cogitavitque tunc suam quomodocumque melius posset experiri fortunam. Factum est autem, quod equites illi, & populus cum læta facie receperunt, & procedens cum eis simul versus Civitatem cum Tubis, & alio genere musicorum, cum pervenisset ad rectitudinem loci ad quem Cardinales prædicti à via diverterant, versus Cardinales ipse procedens eos in ea qua decuit devotione salutavit, expositoque eis se omninò Marchioni Bertholdo obviam, procedere, & ideo cum festinantia equitare ab eis licentia petita non juxta solitam affectionem recepit.

Cum autem Princeps pervenisset ad Pontem Vulturni, quo intratur ad Civitatem volebat quidem confestinatione transire, sed tibicines, quos in illa frequentia populi declinare, & præire satagebat, contra eum semper in suę festinantię impedimentum inveniebantur, & sic usque ad hospitium, quo consueverat hospitari inter honorem, timoremque deductus regratiatus, ut decuit eis, quod sic honorificè sibi occurrerant, dicensque cum magna festinantia ire obviam Marchioni Bertholdo processit, & versus Acerras iter direxit.

Cum autem quatuor ferè * millibus à Capuana Civitate esset elongatus, venit post eum, qui diceret, magnam partem Arnesiorum Principis, & suorum apud Capuam esse captam, magnamque comitivam equitum post Principem cum magna preparatione venire. Princeps verò his auditis, nec faciem quidem, nec animum mutans viginti Theutonicos equites, post se remanere, & sub uno vexillo venire constituit, & ipse cum reliqua sua comitiva passu quidem parumper concitato, non tamen dissoluto processit, & cum per aliquantulum viæ passu, ita incitato pergerent, cum via ejus loci arcta esset, & sæpibus fossisque, hinc inde limitata, Princepsque suos omnes attenderet, suorum dissolutionem ne in turpem fugam prorumperent modestò retinens gressu; cum perventum fuisset ad locum quemdam spatiosum, ubi diverti à via poterat, Princeps à via parum per in campum declinans in retrorsum aspiciens, videre, inquit, volo, si aliqui nos insequuntur, nè videamur fugere nullo prosequente, tunc autem venit unus de suis, qui retrò se remanserat dicens, Theutonicos omnes, qui retrorsum, ut dictum est pro guardia remanserant fuisse captos ab illis, qui contra Principem à Capua missi fuerant, Princeps autem. Quomodo inquit, hoc esse potest, ut illi omnes capti essent & tu evaderes? In * hæc verba G. de Ocra Cancellarius & I. . . . . Principi se adjunxerunt dicentes properandum esse, quia major tunc non erat. Princeps autem cum suis in illa planitie se recolligens, cæpit cum eis adeò composito passu procedere, ut unus de familia sua, qui cum festinantia de loco illo processerat Acerras ad denuntiandum Comiti Acerrarum Principis adventum, non priùs ad Principem reversus fuerat, quam Princeps pervenisset ad aquam difficilis, & periculosi transitus, quæ ab Acerris duobus ferè millibus distat. Cumque perventum esset ad locum ipsius aquæ, in quo gurges profundus, & periculosus erat, cujus transitum pons eminens angustus, & fragilis dabat, ita quòd unum post unum transire non sine periculi timore oportebat, dubitans Princeps nè propter festinantiam transeundi aliquis suorum in illo gurgite periclitaretur,

* milliariis.

* Inter hæc de Acerr.

remansit ipse in ipso Pontis ingressu, ut concursum aliorum ad transitum festinantium cohiberet, & singulos unum post unum, sicut angustia, fragilitasque pontis patiebatur transire faceret, postremusque omnium ipse transivit, sicque ipsi, & sui ad oppidum Acerrarum salubritèr pervenerunt. Isti autem sunt qui in adversitate hac Principem non deserverunt, & juncti sunt cum eo apud Acerras.

Interea Bertholdus Marchio de Honebruch de Apulia veniens ad Castrum Argentii, quod ab Acerris sex millibus ferè distat, qui casum quidem accidisse, casumque intelligens modo, inquit, fecit Princeps, ut filium Imperatoris fecisse decuit, quod stulti illius insolentiam se Imperatoris filio pacificare nolentis, contra se diù invalescens ultus inde est. Erant autem cum Marchione ipso quidam Nobiles, qui cum eo venerant de Apulia, qui casu prædicto audito, considerantes Principi Manfredo, tunc necessarium esse auxilium, atque consilium, suaserunt Marchioni Bertholdo, ut antequam ad Summum Pontificem accederet, ad Principem apud Acerras declinaret, cum tunc magis suum necessarium esse sibi consilium, & auxilium quam aliquo tempore fuisse probaretur: cumque Marchio ad id per eosdem Nobiles nullo modo induci potuisset, dicens, quod si tunc Principi loqueretur, Principem apud Papam juvare non posset, dicti tamen Nobiles ad Principem apud Acerras accesserunt, expositoque Principi inter alia qualiter Marchio Bertholdus recta via ire disponebat ad Papam nec per eos induci potuit, ut priùs ad Principem declinaret, quidam ipsius Principis familiaris nomine Goffridus de Cusentia, & quidam Miles Comitis Acerrarum nomine Giroldus ad Marchionem ipsum, cum jam serò esset transmissi sunt, qui ad Marchionem de nocte pervenientes totumque prædictum negotium seriatim exponentes deprecati sunt ipsum cum omni affectu inducere, quod ad Principem in illa sua necessitate diverteret, cumque Marchio se de hoc alicujus, licet frivolæ pallio rationis excusaret, & ad exageiationem excusationis suæ diceret se indebitè in Papæ, & Principis compositione fuisse contemptum aliquorum cumque collateralium Principis utilitatem fore tractatam, suam verò penitùs fuisse pretermissam, ab hiis, qui compositionem hujusmodi tractaverant, & in hac objurgatione Galvanum Lanceam compositionis ipsius tractatorem, specialiter tangeret, & se inde ab eo reputaret offensum, ut prædictus Goffridus apud ipsum Marchionem fiducialiter instans semper, inquit, ò Marchio auxilium, consiliumque tuum necessarium Principi fuit, sed numquam ita utile, sicut modo. Imperator enim decedens ipsum, Principem in brachiis tuis, ut nostri dimisit, ut tu qui consanguinitate ex parte patris, & affinitate ex parte matris, ei es proximitaque conjunctus, erga Principem in tenera tibi ætate commissum patris, matrisque vicem expleres. Ad tuam ergo gloriam, honor ejus, ad tuum pudorem ejus confusio pertinet, tuumque honorem ipsius Principis honorem defendendo procuras, tuæque satis gloriæ detrahis, si nunc præsertim cum eum tuum implorare auxilium fortuna compellit, confusioni ejusdum potes non resistis: & si tum quidem in præsenti articulo derelinquis, non profectò ipse solus, sed tota domus Augusta, ex qua tota gloria tua pendet, periclitatur, breve est, & modicum, quod a te petitur, unius videlicet horæ colloquium,

quium, magnum autem surget inde periculum si negatur: ex hoc enim colloquio inter te, & Principem ad horam habendo, magnum invenietur instantis ruinæ remedium, magnusque habebitur communis honoris, gloriæque tractatus, quod quidem nulla occasione deberes renuere, etiam si oporteret te ad hoc per multas dietas, nè dum per sex ferè milliaria, quibus nunc elongaris à Principe laborare. Nec certè alicujus offensam, quam tibi factam reputas in Principis debes retorquere periculum, nec tu in tantum offensæ illius oltimo debes attendere, ut nè dum Principi, sed tibi quoque sint manifestæ causæ jacturæ expertissimæ: sed prudentia tua ex hoc, imprudentiam generare conspicitur, si dum ulcisci credis in alium ultionem moliris, nè dum in alium, sed in te ipsum. His ergo aliisque rationibus convictus quodammodo, cum facultas sibi excusationis præmissæ deficeret memoratis Nuntiis respondens cras, inquit, Marescalcus Summi Pontificis, sicut ex ejus notificatione accepi, mihi è Capua usque ad nemus, quod est contra Magdalenam in loco, ubi dicitur Sanctus Petrus de Cancellis, debet occurrere, ibique cum eo loqui debeo, antequam Summo Pontifici me præsentem; redeatis ergo ad Principem, sibique ex parte mea dicatis, ut cras ante horam tertiam ad prædictum nemus inermis cum paucis veniat, ut quasi ex alia causa equitans ad locum ipsum casualiter venire videatur, & secundum adventum suum prædictus Papæ Marescallus anticipet, & sic cum eodem Principe potero, ibi sine aliqua suspicione habere colloquium.

Accepta ergo hac responsione à Marchione, eadem nocte ante diluculum ad Principem apud Acerras reversi sunt, ipsaque responsione Principi patefacta summo diluculò, juxtà Marchione dictum ad designatum locum iturus Princeps, cum paucis de suis equitavit: cum autem ad locum destinatum pervenisset, per quem quidem locum recta via erat eundi Capuam, ibique Marchionem transiturum expectaret, venit ad eum in loco ipso Nuntius à Marchione destinatus, significans Marchionem recepto Summi Pontificis expresso mandato, ut ad suam acceleraret præsentiam, in magna festinantia equitasse, & per aliam viam ad Summum Pontificem ivisse, ideòque Principem expectare in loco ipso, hac de causa non potuisse. Suggessit autem idem Nuntius Principi ex parte Marchionis, ot Nuntios suos Capuam mitteret processuros de consilio, & instructione Marchionis ipsius ad causam Principis coram Summo Pontifice proponendam. Princeps autem hoc audiens ex illo eodem loco, ubi per dictum Nuntium Marchionis verba recepit. Nuntios suos videlicet Gualvanum Lanceam, & Richardom Filangerium Capuam misit juxtà consilium Marchionis ipseque Acerras reversus est.

Euntes autem Principis Nuntii Capuam primò quidem præsentaverunt se Marchioni, quem nimis elatum, alteratumque ab eo, quod ipsi crediderant, invenerunt, cepitque idem Marchio Gualvanum Lanceam, ex prædictis Nuntiis vehementer objurgare, quod ipse, qui tractator compositionis inter Papam, & Principem fuerat ad compositionem ipsam sine præsentia sua procedere præsumpsisset, suamque tantùm utilitatem tractasset, & de ipso Marchione, qui plura castra tenebat, propter quæ sua utilitas in ipsa compositione potiùs

 pro-

procurari potuisset aliquatenus non curasset. Dictus tamen Gualvanus Lancea vir quidem corde purus,& ore moderatus, ipsius Marchionis objurgationi suæ causam non subesse legitimam; nihilque in prædictæ compositionis tractatu ad contemptum, vel in commodum ipsius Marchionis intervenisse, quinimò ipsius Marchionis factum, quod propter sui absentiam dignè, ut decebat tractare non poterat Princeps secundum ipsius Marchionis, ut credebatur, votum esse reservatum, nec debere propter hanc, quam ipse sibi factam reputabat offensam, vel quamcumque aliam, auxilium suum Principi in articulo maxime præfato subtrahere, sed cum viribus suis ad ipsius revelationem aptare, cum quæcumque ad id ab eodem Marchione proponeretur excusatio, quominus Principem in tanta necessitate juvaret, potius quidem sui accusatio, quam excusatio videretur. Finita autem allocutione hujusmodi, & Marchione promittente causam Principis juvare, pro posse, perrexerunt, ipse Marchio,& Nuntii Principis ad Summum Pontificem, qui antequam sibi se præsentasset, ingressus est ad eum Marchio, & quid sibi clanculo suggesserit ex qualitate responsionis factæ, postmndum Nuntiis à Summo Pontifice compertum est. Cum enim Nuntii post id attendentes excusationes Principis coram Papa proponere, ostendentes qualiter mors Burrelli sine aliqua Principis culpa contigerat, & legitimam super hoc purgationem pro parte Principis, faciendam offerrent, asserentesque Principem libenter ad suam, velle remeare præsentiam pro complenda justitia, dummodò sibi personæ securitas, aut literis promitteretur, aut verbo judiciumque procederet secundum Romanas leges, vel constitutiones, ubi lex, aut constitutio scripta deficeret, Summus Pontifex à Marchione, sicut præsumitur informatus justitiam, quidem servandam Principi esse respondit personæ tamen, securitatem, nec literis, nec simplici etiam verbo promisit. Et licet ex parte Nuntiorum Principis super securitate tantum habenda diutiùs fuisset allegatum, nullo modo alia super hoc potuit haberi responsio; nec mirum si tantæ tunc Inerant animis cæiestibus iræ, & tantum rigorem mentis Apostolicæ mansuetudo diruerat, ante quidem Marchionis adventum Summus Pontifex casum prædictæ mortis Burrelli non ita gravem acceperat, sed cordi sibi fuerat, si etiam, Princeps ex eo facto culpabilis probaretur, per dispensationem, quam personæ, ac temporis qualitas inducebat ipsum quantumcumque grave esset, levigare delictum: Sed prædictum Marchionem suggessisse, dictum est sibi; quod si rigorem in delicto illo puniendo non servaret, multum sibi ad acquisitionem Regni proficeret, vel quia capta persona Principis non esset, qui sibi in Regni acquisitione resisteret, vel quia si Princeps in ipsius rigoris formidine ad suam præsentiam non veniret maximam contra eum procedendi materiam haberet, illa ergò de causa, Summus Pontifex contra Principem taliter obriguerat, ut quantumcumque Princeps In omni humilitate, & devotione se justitiæ pariturum offerret, dummodò personæ sibi securitas promitteretur, numquam, tamen ad id Papa inclinari potuit, ut aliud sibi quam sibi responderat, responderet. Suadebatur ergo Principi ab aliis, ut abstineret, ab aliis verò, ut Summo Pontifici se præsentaret. Sciebatur enim ab aliquibus, quod si Princeps
non

non veniret ad Papam mitti debebatur contra ipsum exercitus ad insequendum eum, quocumque iret, donec caperetur, vel de toto Regno fugaretur, si autem veniret ad Papam, propositum erat, quod vel traderetur statim in carcerem, vel extra Regnum omnibus bonis destitutus ejiceretur, vel ultimo supplicio puniretur.

Nuntii ergò Principis una cum Marchione super his diutiùs cogitantes, & differentes ad invicem, quod esset minùs periculosum, vel venire ad Papam, vel recedere, tandem remiserunt ad Principem unum ex ipsis, videlicet Goffridum de Cusentia, hæc omnia sibi significantes per eum, & asserentes, quod si ipsi essent in ea conditione, qua Princeps erat, de his duobus periculis hoc eligerent, scilicet venire ad Papam, dicentes non esse justitiæ, nec Apostolicæ mansuetudinis juris prosequutionem incipere à captione, vel punitione personæ, præsertim, ubi ea persona convenitur, quæ sine magno scandalo in suo jure non læditur, nec esse verisimile Papam circa personam Principis, abi æquitate divertere, cujus est proprium æquitatis viam omnibus esse.

Perrexit ergò dictus Goffridus ad Principem, quem omnibus sibi seriatim expositis, remisit Princeps ad Papam, qui tunc iturus Aversam sequenti die dicebatur, ut sibi ex parte Principis significaret, quod cum Civitas Capuana esset Principi manifestè suspecta propter conspirationem, quæ jam ibi facta fuerat contra eum, & quod Arnesia sua ibi capta fuerant, quæ etiam ad mandatum Papæ sibi restitui non poterant, & quod etiam quamplures de Imperio ibi erant, quos Imperator Pater suus offenderat, qui in ultionem offensionis ipsius injuriam sibi de levi inferre præsumerent, propter hujusmodi suspicionem dubitavit Princeps, & dubitat ire Capuam ad præsentiam suam; ex quo autem ipse Summus Pontifex iturus erat Aversam, illuc Princeps ad eum ire volebat. Prædicto ergò Goffrido eunte Capuam, & hoc totum Papæ ex parte Principis exponente, & supplicante, ut id admittere dignaretur. Papa respondit se nolle, quod Princeps ad suam præsentiam veniret, sed ad præsentiam Legati. Goffridus ergò responsionem hujusmodi sibi factam à Papa Gualvano Lanceæ significavit; Ipse autem Gualvanus, qui Papæ voluntatem ergà Principem cautæ præsempserat, miratus quod Princeps adhuc erat Acerris, monuit, quod recedat, & in Apuliam vadat, laboretque habere secum Joannem Morum, ut per ipsum habeat Luceriam quàm sibi habuerit benè faciet facta sua, ego autem inquit, hic morabor, quia si modo recederem, ex recessu meo, recessus Principis argueretur, & sic delevi impediretur, donec verò hic ego sum, nihil de recessu Principis præsumetur, & priùs erit Princeps in loco securo, quàm de recessu ejus aliquid hìc sciatur. Remansit ergò Gualvanus Papali Camera, seu Curia ex causa prædicta remanente, magis adventum Principis reputante, quam recessum.

Prædictus autem Goffridus ad Principem reversus est, & cum exposuisset ei responsionem Papæ, & sanum prædicti Gualvani consilium, Princeps ei dixit, priusquam tu venires ad nos, id idem cogitavimus, & in hoc nos firmavimus, ut recedamus. Ut autem Princeps omnia cum cautela faceret, nè forté posset sibi sinistrum ex in cautela venire, fecit publicè dici, quod ipse Aversa iturus esset ad

Papam,

Papam, missique sunt alii ex more de familia sua pro recipiendis sibi hospitiis, ut ex hoc Princeps illuc crederetur iturus, sicque factum est, quod ac sapienter simulatione interposita Princeps fortunam sequens, & Divinæ tantùm se provisioni relinquens, de oppido Acerrarum versus Apuliæ partes, cum sua securus modica comitiva recederet.

Fuerat autem prædictus Joannes Morus quidam servus niger de domo Imperatoris, qui pro eo quod à pueritia sua visus fuit homo industriosus, & in omni obsequio sedulus in Aula Imperatoris crevit, & in oculis suis satis acceptus fuit, adeò quod ipse Imperator, qui non tam conditionem originis in omnibus, quam virtutes moresque considerabat, cum illa sibi clarior videretur esse Nobilitas, quæ ex moribus, quam illa, quæ ex sanguine procedebat, prædictum Joannem, licet aspectu deformem, & ex Ancilla natum Cameræ suæ Custodem, & Secretorum Aulæ participem & . . . . suorum præpositum fecerat. Mortuoque Imperatore Princeps Manfredus, dum Baliatum fratris sui gesserat, ipse Joannes Morus in eodem officio invitùs Magister, & Prepositus Regiæ Cameræ factus fuit, adeòque magnificatus à Rege, quod etiam Civitati Luceriæ ipsum præposuit, & præpositum ipsius Civitatis vocari fecit. In Civitate verò ipsa vivente Rege ipse Joannes magis quam ipse Rex dominabatur, nec plus ipse de Saracenis ipsius Civitatis faceret, quam ipse Joannes Morus, qui Rector, & tamquam Dominus ipsius Civitatis remansit. Contingère ergò prædicto casu mortis Borrelli Princeps, dum apud Acerras esset ad prædictum Joannem, de quo tamquam de nutritura Cameræ patris sui confidebat suos Nuntios misit, per quos ei casum prædictum exposuit, auxiliumque ejus in ea qua erat necessitate confidentèr postulavit, prudentiamque Principis in casu prædicto commendans, auxilium sibi cum omni affectione promisit: aliud tamen in corde, quam in ore habebat, sicut ex post facto aperuit: quanta enim Princeps ipse de Acerris recedendo mala pertulit, & qualiter dictus Joannes Morus sibi defecerit dicendum est.

Recessit enim Princeps de Acerris ante mediam noctem concitante eum Comite Acerrarum Cognato suo usq; ad quoddam Castrum, quod Maglianum vocatur, erantque in comitiva ipsius Principis duo juvenes fratres nobiles Neapolitani, quorum alter Marinus Capæce; alter verò Conradus vocatur: ii quia Castrum, quoddam, & vicos Patrimoniali jure habebant, sciebant ex assuetudine locorum illorum qualitates, & transitus, per quos Princeps salubriter esset transiturus: Ducatu ergo illorum duorum juvenum Princeps cum comitiva sua proficiscebatur, cumque perventum esset ad Castrum Montis fortis, quod tenebat Ludovicus frater Bertholdi Marchionis de Honebruch ex dono Regis Conradi, per quod quidem Castrum viæ publicæ transitus erat, cum locus ipse non immeritò Principi suspectus esset propter prædictum Marchionem, qui Principem, sicut dictum est manifestè deserverat, & publicè in partem contrariam conversus erat, & instructione prædictorum Marini, & Conradi declinatum est à transitu illius Castri Montis fortis, & arreptum est iter per Montes excelsos, & invios, ne dum equitum, sed peditum transitui difficillimos; cum enim non esset, Luna tamen lucente apparebant

decli-

declivia montis per quæ transitus erat longè terribiliora, & profundiora, quàm erant, & ad id loci quandoque perveniebatur, in quo vel propter imminentis ruinæ formidinem, vel propter aeris opacitatem splendore Lunæ per oppositionem aliquando deficiente nulla spes ei inde exeundi remaneret, & certum quisque ibi suum periculum expectaret. Levigabatur sanè eis in illa tenebrosa periclitatione, quodammodo timor, si ab equis descenderent, & eundo pedites timorem pro labore commutarent, magis propriis, quàm equorum suorum pedibus credebant viæ illius, imò, ac dubitabilis perigrinationis leviorem quidem extimantes esse ruinam, si ex propriorum pedum lapsu forsitan caderent, quam si sedentes in equis cum equorum ipsorum præcipitatione corruerent.

In hac ergo difficultate, & multo discrimine Princeps cum sua comitiva transivit, & circa diluculum perventum est ad quoddam Castrum, quod Manglianum vocatur, per cujus Castri medium Princeps, & sui transituri erant: quærentibus, autem illius Castri incolis de comitiva illa, quæ esset dictum est ab aliquibus, comitivam esse Marchionis Bertholdi: veruntamen cum fama casus mortis Burrelli, & discessus Principis ibi jam sparsa esset, cæpit apud aliquos de Castro illo esse crudelitas, quod illa comitiva Principis esset, dicebantque aliqui conveniens esse scire, qui essent isti, quò sic transeunt, & non permitti eos sine requisitione, & discussione transire. Erant autem transitus illius loci difficilis, ità quod oportebat eos unum ire post alium, municipes quoque illi portas clauserant de municipii captione dubitantes, viamque transeuntibus dederant satis angustam, & difficilem pro exteriore municipii parte juxtà ipsos municipii muros, itaque cum onerata animalia, quæ cum arnesiis præcedebant propter transitus illius angustiam se fixissent, aliqui de comitiva Principis, qui sequebantur, crediderunt animalia illa cum arnesiis per municipes esse retenta, & transitum eis impediri, cœperuntque de fortuna, quisque sua experienda cogitare. Factum est autem quod locum illum difficilem non sine magna dubitatione transierunt Princeps, & sui divertentes à Civitate Avellini, in qua prædictus Marchio de Honebruch potestatem, & vires habebat, ad Castrum Atripaldæ, quod est prædictorum Marini, & Conradi quasi ante horam tertiam salubriter pervenerunt.

Fuit autem Princeps in Castro ipso cum magna reverentia, & honore receptus, pransusque est ibi Princeps aliquantulum, uxoribus prædictorum fratrum nobilibus quidem, & speciosi mulieribus, ad utriusque Principis latus in mensa sedentibus, viris suis honestam earum cum Principe refectionem gratam satis habentibus, & ad honorem sibi maximum reputantibus, quod cum eis Imperatoris filius prandium participare dignatus esset, in quo quidem Princeps nihil de suæ sibi magnitudinis honore diminuit, cum in hoc quædam videatur esse prærogativa dominarum, ut plura circa eas ad honorificentiam veniant, quæ circà viros quantumcumque, magnos fortassis dedecere viderentur. Prandio autem illo à Principe, & suis breviter, & summariè celebrato discessum est, illoque die ad quoddam Castrum Comitis Acerrarum, quod dicitur Nuscum Princeps cum sua comitiva pervenit; fuitque ei, & magnus honor exhibitus ex

parte

parte prædicti Comitis Cognati sui per ipsius loci municipes, taliter quod tunc eum dubitare non oportebat, nisi quatenùs dubitari posset, ne de Papali exercitu aliqui post eum mitterentur. Pernoctavit ergò Princeps in ea securitate, quam loci tantum illius conditio dabat; Summo sequenti manè inde recedens versus Guardiam Lombardorum iter direxit.

Erat autem terra ipsa Guardiæ de pertinentiis Comitatus Andrensis, quem possidebat Marchio Bertholdus, unde Princeps ad ipsam Guardiam quamquam ad terram ipsam pervenisset; non accessit, quia quidam rumor factus est, quem etiam suspicio ipsa formabat, quod quædam gens armata dicta fuisset in Principis occursum venire; Princeps autem conspiciens in mente quicquid pro in cautela sibi posset evenire contrarium, ex improviso commisso quemdam de familia sua, nomine Abbatinum ad explorandum, si de eo, quod dicebatur aliquid esset, ipse Princeps se, cum suis in aciem ordinatam exclaravit, & licet prædictus Abbatinus, qui ad explorandum prædicta missus fuerat rediens diceret nullam gentem se alicubi videre potuisse, Princeps tamen cum sua comitiva stipatus, quasi ad bellum recipiendum composita, & accincta processit, & cum appropinquasset ad Guardiam Lombardam, præmisit ad terram ipsam nuntios suum, significans adventum, & qualis esset ipsius terræ status agnosceret, antequam ad ipsam veniret.

Nuntiis autem reversis, & statum ipsius terræ non mutatum in aliquo significantibus, Princeps ad terram ipsam processit, non tamen terram intravit, sed ad burgum ipsius populo convocato confortare cœpit, & monere eos ut decuit, quud insolitæ fidei constantia manerent. Populus autem ipsi Principi exposuit qualiter quidam Legatus Apostolicæ Sedis, qui apud Arianum cum magno exercitu Ecclesiæ erat, requisivit eos, ut se, & terram Ecclesiæ darent, & de voluntate sua quid super hoc facturi essent ad certum terminum responderent, quem quidem terminum in diem crastinum prorogari dicebant, quod si in eodem termino se reddere nolle responderent, exercitum ipsum consequenter ad sui oppugnationem, & destructionem expectarent, Princeps autem non decet, inquit de hujusmodi comminationibus timere, dummodo fides vestra non vacillet, ecce enim nos in Apuliam descendimus ad disponenda sic negotia Domini Regis nepotis nostri, & nostra, quod vos, & fideles alios contra omnium adversariorum machinamenta tuebimur, gratia nobis assistente divina, propter quod vobis districtè præcipimus, ut nihil de statu vestro timeatis, nec aliquid, vel ad Legati, vel ad alicujus personæ requisitionem, sine nostro speciali mandato facere præsumatis. Nos enim pro vobis, & aliis fidelibus stabimus, & prædicto Legato, ac quibuscumque aliis adversariis volentibus, sicut respondendum fuerit, respondebimus. Vestrum ergò & aliorum subjectorum, & stare, ut statis, nostrum verò de statu vestro, & aliorum curam gerere, nè status vester aliquorum turbetur infestatione.

Facta igitur tali ad incolas Guardiæ pro loquntione, Princeps processit inde, & ipso eodem die pervenit ad oppidum, quod Bisaccia vocatur, ibique per incertos præmisit, de eodem loco ad Castrum Bimium, Nuntium suum pro adventu suo incolis ipsius Castri notificando,

cando, quod quidem Castrum ad ipsum Principem ratione prædicti Comitatus Adriæ pertinebat. Audito autem salubri adventu Principis, incolæ ipsi valdè lætati sunt, & lætitiam suam luminaribus, aliisque; quibus potuerunt modis demonstraverunt: sicque Princeps, quemdam militem de familia sua nomine Arduinum misit illuc ad Castrum ipsum pro parte sua fideliter custodiendum. Miserat quoque prædictus Princeps Melphiam Nuntios suos scilicet Gualterium de Ocra Regni Siciliæ Cancellarium, & Gervasium de Martina, qui euntes, & significantes ipsius terræ Civibus adventum Principis, facto eis colloquio, sicut decuit voluntatem eorum exquisierunt si ipsum Principem, & suos in Civitate recipere vellent. Melphienses autem responderunt se Nuntio Papæ fidelitatem, & homagium juravisse, & ideò non debere, nec velle se recipere Principem in Civitate, dummodò cum modica comitiva Civitatem intraret, & sine Theutonicis, ac Saracenis. Redeuntibus ergò prædictis Nuntiis ad Principem, & responsionem Melphiensium sibi significantibus, asserentibus etiam, quod Melphienses Civitatem munire jam cæperant, ipse Princeps ad Civitatem Esculanam procedere disposuit: priùs autem, quam ad Civitatem ipsam procederet, præmisit ad eam Nuntium suum, cum literis ad notificandum ibi adventum suum, & prævidendum statum, & voluntatem ipsius Civitatis Incolarum. Pergens autem ipse Nuntius in Civitatem ingressus, invenit seditionem, ibi tunc nuper exortam,& Comestabulum Civitatis ipsius fuisse in illa seditione peremptum tantamque in ipsa Civitate turbationem, quod ipse Nuntius litteras Principis, quas habebat ad Civitatem, nec dare, nec ostendere ausus est; imò de aliquorum consilio, qui Principi Benevoli videbantur, ipsum latere oportuit, & de nocte postmodum Civitate exire.

Interea Princeps sequenti die de oppido Biscacciarum moverat versus Exculum processurus, cum autem procederet occurrit sibi in via prædictus Nuntius de Exculo, rediens, & quidam Juvenis nepos Comestabuli, qui pridem apud Exculum fuerat in seditione interfectus; & exposita Principi Civitatis illius, conditione suggerebatur ei, tam ab illo Juvene, qui ultimam mortis patrui sui desiderabat,quam ab aliis de comitiva sua, qui magnum habebant bellandi desiderium, ut versus Civitatem ipsam recta via procederet, utcumque esse suis gentibus, ut Civitatem ipsam antequam meliùs munire se posset, subitò intraret. Positum ergo, & firmatum est à Principe, & suis recta via procedere in Civitatem, & jam singuli de comitiva sua certam victoriæ spem amplectentes, magisque desiderantes invenire resistentiam, ut vires suas & animos experiri possent, quam tranquillum, & pacificum habere ad Civitatem ingressum, jam de ipsa rebellium strage futura, & de spoliorum direptione quamdam exultationis sibi materiam anticipabant. Dum autem sic animosè procederent prędictus Juvenis nepos Comestabuli interfecti comitivam Principis cæpit præcedere, ut qui requisitionis illius erat, viæ qualitatem investigaret,quatenùs securior Principis comitiva procederet. Cumque per aliquantulum viæ processisset, dixit se pro certo accepisse per viam, quod Marchio Oddo frater Marchionis Bertholdi cum quingentis militibus Cornetum venerat,quod quidem ab Exculo sex millibus distat.

 Tali

Tali autem rumore in comitiva Principis exorto, & prædicto Juvene id esse verum tenaciter affirmante, licèt mendacium esset, quod vel ipsa conditio temporis suspecta verisimile suggerebat, vel ipse Juvenis destructionis Terræ suæ timore confixus, atque damno mortis patrui sui, quod incurrerat damnum Patriæ nollet inferre, Princeps tamen consideravit sapienter, quod id quod de adventu prædicti Marchionis Oddonis dicebatur, vel verùm jam esset, vel adhuc contingere posset, sciebat enim post recessum suum de Acerris: quod gens proculdubiò ventura erat: magis etiam de prædicto Oddone credebat propter Marchionem Bertholdum fratrem suum, qui jam cor suum contra Principem, ut supra memoratum est, manifestaverat. Arbitratus est ergò Princeps circumspectus, quod si Civitatem tunc Exculanam invaderet, & capere fortè non posset pro eo quod non tantas vires armatorum tunc habebat quantas haberi ad unius Civitatis oppugnationem oporteret, multum de suo sibi honore decresceret, & dum vires magis suorum ex illa prima sinistra fortuna trepescerent adversarii, sui multum indè vigoris assumerent, si autem Civitatem illam violenter forsitan Caperet, contingere posset quod dum sui se in spoliorum direptione occuparent prout manifestè jam innuebant, posset aliquod sibi, & suis intervenire periculum, vel etiam si hoc non contingeret, licet ipse Princeps sibi sine aliquo periculo se receptaret prædicto Marchione Oddone apud Cornetum existente, & exercitu illo Ecclesiæ, qui erat apud Arianum ex parte alia veniente ipse Princeps, & sui in ipsa Civitate Exculi viderentur inclusi, & priùs contra eum adversarii sui circumquaque insurgerent, quam ipse Princeps potentiam, & vires suas collectas hinc inde præsidiis augere, & firmare posset, illiusque modicæ gloriæ favor, qui tunc obvenire poterat, si Civitatem Exculi caperet, gloriæ majoris emolumentum, quod in antea erat habiturus impediret. Ratus est ergò Princeps in illis dubiis revelationis suę primordiis, suâ quodammodò per ingenitam sapientiam viare fortunam, & more sapientis opificis, qui primo apparatum facit, & tunc demùm destinatum opus aggreditur, cum necessariorum, quæ jam parata sunt defectus aliquis non timetur, sapienter decrevit se priùs pro illius temporis qualitate componere, ut debile principium melior fortuna sequatur.

Mutato ergò ex prædictis rationibus proposito Princeps ab incepto itinere Exculi divertens ad quoddam Castrum, quod dicitur Lavellum perrexit, quod à Civitate Venusii octo ferè millibus distat, ibique fuit satis reverenter, & honorificè receptus, cum ibi per unam noctem mansisset. Sequenti manè Nuntii Venusinorum venerunt illuc ad Principem supplicantes ei ex parte suorum Concivium, ut Princeps ad Regiam, & suam Civitatem Venusii venire dignaretur, asserentes qualiter de salubri adventu Principis valdè Civitas illius universitatis lætata est, magisque, ac magis lætarentur si personam ejus in ipsa Civitate videre mererentur.

Ad supplicationem ergò, & devotionem Venusinorum Princeps cum sua comitiva ad Civitatem ipsam profectus est, cunctique ipsius Terræ Cives contra Civitatem sibi devotè occurrentes, ipsum, & suos in magno gaudio, & tripudio receperant, & omnes sibi expensas pro se, & tota ejus comitiva de communi omnium Civium largitione hilariter tribuerunt.

Inte-

Interea Joannes Morus (qui ficut fuperiùs dictum eft) fignificaverat fe præftiturum omne auxilium, & confilium Principi ftatuto loco fui,in cuftodia Civitatis Luceriæ quodam de familia fua nomine Marchifio adhibitis fibi mille Saracenis armigeris inter equites, & pedites, & trecentis Theutonicis equitibus locatis contra Lucerlam in domibus Regiis, quæ funt ibi, qui Theutonici poft mortem Imperatoris locati fuerant in Civitate Trojana: poft mortem verò Regis de Civitate ipfa per ipfius Terræ Cives ejecti fuerant, receptoque ab ipfo Marchifio juramento, & facto fibi diftricto mandato, ut neminem five Principem, five quamcumque aliam perfonam Civitatem Luceriæ intrare permitteret; ad Summum Pontificem profectus eft, fignificans Principi, quod ipfe ad hoc ibat, ut apud Summum Pontificem negotium, & utilitatem Principis tractaret; Licet illius effet intentio ut fe, & Civitatem Luceriæ in manibus Ecclefiæ poneret,& quantum poffet confufionem Principis procuraret. Princeps verò audito Joannis Mori difceffu à Luceria miferat diverfos, jam Nuntios ad Civitatem ipfam humilis quidem conditionis ad contractandum, & qui familiaritatem, & ufum cum Saracenis ipfius Civitatis habebant, qui fine fufpicione introire poterant, & exire è Civitate ad explorandum ibidem, quæ & qualis voluntas Civitatis ipfius recipiendi Principem effet, per quos Nuntios ad fe redeuntes intellexit Princeps, qualiter voluntas ipforum hominum fatis bona effet, & quod mirabantur quare Princeps recta via, Lucerlam non veniffet cum ipfi omnes fe ad defenfionem, & honorem Principis, & bona eorum omnia difponerent, & parata effent.

Cum autem Princeps apud Venufium morans, & talia nova de Luceria recepiffet, tractare cæpit cum Secretariis fuis qualiter ad Terram ipfam Luceriæ conferre fe poffet, aliis afferentibus meliùs effe Principem folum cum uno, aut duobus tantum in fpecie privatæ perfonæ ire, & Civitatem intrare, aliis verò dicentibus ipfum debere cum tota fua comitiva procedere, cum oporteret ipfum tranfire inter Civitatem Exculanam, quæ rebbellaverat, & Civitatem Fogiæ ad quam Oddo Marchio de Honebruch cum Papali magna militia certiffimè venerat. Refedit tamen in hoc confilium, ut Princeps iret in fpecie privatæ perfonæ, quia nullo modò per medium prædictarum duarum Civitatum rebbellium cautiùs tranfire poffet, quam fi totam fuam comitivam non duceret fecum, quæ propter multitudinem, cum illa multitudo pauca effet, non poffet forfitan ita tranfire, quin ad aliquam prædictarum Civitatum fortè, inde notitia perveniret.

Interim autem dum hoc tractaretur venerunt Cives Venufini ad Principem dicentes: fe à Melphienfibus effe requifitos, at confederationem ipfam eis negare non poffe, propter Melphienfium potentiam, quæ eis ex vicinitate, quæ inter eos eft plurimum, nocere poffet, fi cum eis confederationem non haberent. Veruntamen voluntati eorum confederationem ipfam effe, cum Melphienfibus facere, falvo in omnibus Principis honore, & falute. Princeps autem audiens Venufinorum verba voluntatem eorum de facienda ipfa cum Melphienfibus confæderatione, monftravit quafi parum curare.

Difpofito ergò Principe cum prædictis tantum Secretariis fuis de

itinere suo, ne ad alios forte hujus rei notitia perveniret, fecit publicè dici,quod ipse iturus erat versus Ecclesiam Sancti Nicolai de Aufido loquuturus cum Friderico de Antiochia fratre suo, quem illuc ipse Princeps venisse confixit, & deinde processurus erat Spinaczolam: mandavit ergò illis de familia sua, qui remansuri erant, ut sequenti manè Spinaczolam cum Camera sua proficiscerentur; Secretariis autem dixit, qui cum reliqua familia, & camera remanere debebant, ut de Spinaczola cum camera ipsa non recederent, donec rei futuræ qualitas, quicquid faciendum esset indicaret.

Erat autem primus dies Novembris hora quasi vespertina cum hoc tractaretur, vixque ad hoc completo, super materia ista colloquio,cuidam de hominibus longè astantibus super mutationem gratiam fecit, quod Princeps signum bonum ingens id esse auspicatus subitò ensem sibi dari postulavit, & cum ensis tunc nullo modo inveniri potuisset, quod aliqui non bono evenire auspicio suspicati sunt, ipse nihilhominus Princeps quodam alio ense cujusdam socii sui militis, qui sibi oblatus est, se accinxit, & armis aliis cumpetenter munitus equitavit, tres tantùm Scuterius secum ducens: cumque in illa modica societate Civitatem exivisset, quosdam de familia sua iter ignorantes, equitantes post Principem, invenit cum se, seque sibi in via junxerunt, quos Princeps revocare noluit, ne ipsis aliquid de suo forsan proposito perpendi posset. Inventæ sunt autem omnes illius comitivæ cum Principis persona, quibus procedentibus supervenit nux, & cum nocte pluvia,quæ adeo grandis erat, & tenebras noctis augebat, quod euntes non poterant se ad invicem videre, sed se solo verbo, vel mutuo contactu sentiebant, nec scire poterant versus quam partem incederent, cum nec ipsos certa via duceret, quam ipsi studiosè diverterant, & per invios ire campos, dum adhuc lux esset, elegerant, ne ad aliquam prædictarum Civitatum causaliter declinarent. Ibant ergò non ex arbitrio, sed sola eos ducente fortuna, cum stellæ quas ad itineris nocturni demonstrationem nux ipsa parare curaverat, aer tunc pluviosus abscondisset, & omne illis in ipsa tempestate remedium subtraxisset. Erat autem inter eos quidam miles Adenulphus Pardus,qui fuerat Magister venationum Imperatoris Frederici, qui ex nimia venationum assuetudine magnam illarum partium notitiam habebat, & inter illas tenebras, quantum de industria sua poterat Principi Ducatum præstabat ita ut inter illas fortunæ adversitates in Ducatu ipsius Adenulphi magnam partem fiduciæ suæ Princeps posuisse videretur, magnumque spei remedium sibi in illo errore faciebat notitia Regionis,quam ipsum Adenulphum ex nimia venationum Imperialium assuetudine habere sciebat. Licet autem sicut eis tunc fortuna sæviens minari videretur,ut in incertum se tunc eorum quisque crederet, non periculum, sed quam, ut forsitan, non errarent, ipsi tamen potiùs se errare præsumerent, tamen circa noctis medium ad quemdam locum eos error ille perduxit, qui vocatur Sanctus Agapitus,qui medius est inter Fogiam,& Luceriam. Erat enim ibi quædam domus, quam Imperator Fredericus pro venationis solatio construi fecerat, quæ quidem domus in illa noctis tenebrositate albescens, aliquantulum apparuit, nec tamen Princeps ad domum illam priùs divertere voluit, quam loci illius qualitate

circumquæsita quatum poterat in illa noctis opacitate comprehendi de loco ipso, quod esset Sanctus Agapitus certificatus esset, alicui prædictarum rebellium proximus, ad quem divertere sibi periculosum esse potuisset, præsertim cum similes domus per similes Apuliæ partes, & maximè in Capitanata per prædictum Imperatorem constructæ fuerant in venantium solatiis, quarum aliqua Civitati Fogiæ, in qua prædictus Oddo Marchio cum Papali exercitu erat nimis vicinabatur.

Rigente ergò illa tempestate pluviali, Princeps cum suis illis paucissimis sociis ad domum illam declinavit, ut homines, & equi, qui pluviam indefinentem illa in tenebrositate vagantes pertulerant, per modicam in illo pausationem, aliquam tanti laboris refocillationem acciperent, adeoque gratulanter, loci illius quietem amplexi sunt, quod quodammodo præteriti paulòante discriminis obliviscentes in tantum se solatii luxum in illa requie, locique Angustia laxaverunt, ut ignem maximum lignorum sibi oblata copia facerent, qualiter sibi magni Reges, & Principes in illis solatiis suis facere fieri consueverunt, quod licet reprehensibile quodammodo visum fuerit, cum ex ignis illius fulgore, qui usque Fogiam, vel Trojam præ sui magnitudine pervenire poterat, aliquid de ipso Principis transitu per locum illum ab adversariis suis perpendi potuisset, tamen sic factum est, & pro infecto habere non potest. Per totum noctis residuum moratus est in illo loco Princeps, & sui, & tam ipsi, quàm equi magnam ibi de labore, quem habuerant refocillationem acceperunt. Paulò autem ante diluculum equitaverunt, & cum ad tria milliaria Civitati Luceriæ appropinquassent, cogitavit Princeps, quod si omnes simul ad Civitatem accederent, contingere posset, quod homines Civitatis multitudinem illam, licet paucam, suspectam haberent, & forsitan ingressum sibi negarent, si autem cum duobus, aut tribus tantummodò iret, ingressum sibi dare non dubitarent, & posito quod ingressum non darent facilius, & salubriùs cum paucis, quam cum multis deinde salvare se posset: cogitabat enim Princeps, quod si in Luceria fortè non reciperetur ad Castrum Bibiani, quod pro eo tenebat, pergeret, & ibi se receptaret.

Missis ergò in loco illo omnibus illis, qui secum ibant Princeps ipse cum tribus tantum, quorum unum idioma Saracenorum benè nuverat ad portam appropinquabat, quo ex interiori parte plures homines, qui ad noctis custodiam deputati ad portam custodiendam afferentes, equites Civitatem versus venire, convenerant propter magnam sollicitudinem custodiendi Civitatem, quam eis illius temporis qualitas ingerebat. Cum ergò Princeps esset extrà ante portam, & homines Civitatis ex interiori parte in ipsius portæ propugnaculis starent unus ex famulis Principis linguam Saracenicam sciens priùs accessit: & hominibus qui portam custodiebant dixit. En Dominus vester Princeps filius Imperatoris juxta desiderium, vestrum ad vos venit, aperite ergò sibi portas, & ipsum recipite in Civitate, sicut jam pridem cum magna bona vestra liberalitate promisistis. Cum autem illi dubitarent an ibi Princeps esset, prout ille dicebat, & suspicarentur ab ipso illudi, Princeps ut se illis cognitum faceret appropinquavit magis ad portam, & cognitus est ab eis: statim

tim autem, quod cognoverunt, quod Princeps esset, anxiabantur ad portam sibi aperiendam, volebantque priùs mittere ad Marchisium statutum per Joannem morum ut supra dictum est in Civitate Luceriæ, qui claves prædictæ Civitatis habebat, tunc verò unus ex illis, qui intus erant, fidem suam ulterius ergà Principem ostendens sic inquit. Pro clave ad Marchisium mittimus! Ipse Marchisius, qui mandatum habuit à Joanne Moro, quod nec Principem, nec aliquem alium ingredi Civitatem permitteret, clavem ipsam non dabit, sed Principis ingressum, quantumcumque poterit impediet. Bonum ergò est, ut quomodocumque meliùs fieri potest Princeps intret: ipso enim ingresso omnia postmodum plana erunt: Erat autem clivus quidam à Civitate productus, per ipsam portam ad labem aquæ pluvialis, extra Civitatem educendam, qui clivus limen portæ per medium secabat, ita quod clausa porta tantum foraminis ex illo clivo remanebat, quod homo prostratus ingredi inde poterat Civitatem: ille ergò qui sic fuerat proloquutus; Ingrediatur inquit, Princeps per foramen quod sub porta est, & sic in Civitate quomodocumque ipsum habere possumus habeamus. Tunc Princeps nec advertens ingressus illius turpidinem sed magnæ fructum gloriæ, quæ ex illa turpitudine resultabat, cogitans per labores, & angustias transeundum esse ad gloriam, & ex illa contumeliosa quidem, sed utili prostratione surrecturum se ad magnæ solium exultationis aspirans, cum jam ad id cum fortuna duxisset, ut non tamquam homo directus, sed tamquam reotile incurvatus, terræque prostratus gradi deberet, animadvertit sapientissimè quod processus, fortè qui jam ad illius depressionis ultimum venerat ad suæ relevationis tendebat initium, descenditque de equo suo, & se in terram prosternere ad ingrediendum per foramen parabat, quod Saraceni videntes magnaque ex illa Principis miranda quidem, sed necessaria humilitate permoti. Numquid, inquiunt ferendum est, ut Dominus noster, ita * utiliter Civitatem intret? Effringamus igitur portas, ut ingrediatur sicut Principem decet. Uno ergò impetu facto irruerunt ad portas, ipsasque fregerunt, & intus Principem cum magno gaudio recipientes ipsum usque ad medium Civitatis in brachiis suis relevatum à Terra portaverunt. Itaque circumcinctus Princeps, innumera multitudine populi confluentis ad aspectum ipsius in illa honorifica delatione sui, magnam personæ desatigationem sustinebat, dum homines magis suo communi gaudio, quam ipsius Principis habilitati satisfacientes in tantùm exhibitionem illam honoris extenderent ergà Principis personam, ut de labore, & compressione, quam tunc Princeps patiebatur, parum cogitarent, quod cum oblato sibi in illa frequentia populi, cum maxima difficultate, equo equitasset, sensit de persona graviori tunc periculo, quam id quidem habuerit, respirasse.

* humiliter.

Cum autem hoc fieret, & de adventu Principis Civitas tota ferveret, pervenit hoc ad notitiam Marchisii statuti per Joannem Morum in Civitate; qui Marchisius in Regio palatio erat, qui cum audisset Principem fore in Civitate, admirans qualiter id esse potuisset, cum ipse portarum omnium claves haberet, fecit confestim armari Saracenos deputatos per Joannem Morum sub se ad custodiam Civitatis, ipseque armis munitus egressus est de Palatio, & simul cum

prædi-

prædictis armatis contra Principem venire cæpit. Principe autem procedente ad palatium, cum maxima Populi multitudine, ipso quoque Marchisio cum armatis suis contra Principem ab ipso palatio veniente, cum ventum esset ad id loci, quo dictus Marchisius Principem euntem aspiceret, factus est illicò clamor, & concursus populi ad ipsum Marchisium, ut incontinenti descenderet, & ad pedes Principis iret, ille obstupefactus, & de necessitate virtutem faciens, statim descendit, armisque depositis ante Principem se prostravit, & pedes Principis osculatus est, sicque Princeps cum magno honore, & gaudio ad palatium Regium populo comitante perductus est.

Inter hæc illi de familia Principis, qui ipso, ut dictum est, cum tribus tantum ad Civitatem, accedente retrò remanserant, cum è vestigio venientes ad Civitatem appropinquassent, audientes Principem esse intus, accesserunt ad portas Civitatis, cum autem Principe mox ingresso portas, quę apertę fuerant, clausæ interim & obfirmatæ fuissent, illi autem antè portas ipsas stabant, & intrare non poterant, custodes enim portarum nesciebant, nec credebant eos de familia Principis esse: dum autem illi sic starent ante portas Civitatis collecti ecce Marchio Oddo cum quadam comitiva sua veniebat de Fogia ad Luceriam, cumque Civitati appropinquans, equites illos ante portam Civitatis stantes videret quæsivit à quodam rustico, quem secus viam fodientem invenit, qui essent illi, qui ante portam Civitatis equites stabant, illo autem rustico respondente sibi, illos esse de familia Principis, & eumdem Principem Civitatem, asserente ingressum, statim ipse Oddo miratus nimis, atque turbatus de roncino, quem equitabat descendit, & ad dextrerium suum, qui sibi à dextris jam ducebatur ascendit, & versus Fogiam retrocedebat.

Cum autem illi de familia Principis stantes autem ante portas vidissent, & agnoscentes ex vexillo, quod ille erat Marchio Oddo, post eum se proripuerunt, ipsum viriliter insequentes cumque verò equi eorum essent valdè fatigati ex laborę noctis pręteritæ, videntes, quod eum attingere non poterant ab ipsius insequutione temperaverunt, & reversi ad portas Civitatis, postquam scitum est eos de Principis comitiva esse, apertis januis Civitatem intrarunt, & ad Principem, qui in Palatio Regio erat accesserunt, Principi significantes qualiter Marchio Oddo venerat, atque recesserat.

Congregato ergò universo populo Civitatis ante Palatium Regium, Princeps in ipso Palatio residens ad fenestram, quæ prospicit inter meridiem, & occasum, de qua ipse populum respiciebat, totusque populus ipsum videbat, proloquutus est ad populum sicut negotii qualitas requirebat, exponens causam propter quam à Summo Pontifice recesserat, & qualiter voluntatis suæ erat jura Regis nepotis sui, & sua, & libertatem bonumque statum Regni, & Civitates ipsius viriliter manutenere, atque defendere: statimque omnes se in personis, & rebus ad servitium, & beneplacitum Regis, & Principis obtulerunt & juramenta fidelitatis, & homagii sibi pro parte Regis, & sua secundum eorum ritum corporaliter præstiterunt.

Intereà Secretarii Principis, & alii de comitiva sua, qui cum camera sua remanserant apud Venusium, & juxtà ipsius Principis mandatum Spinaczolam processerant, ibique manebant nihil penitùs scie-

ſciebant, de his, quæ Principi fæliciter obtigerant. Princeps autem id eis ſignificans, mandavit eis, ut non per viam, quæ eſt inter Excuium, & Fogiam, ſed per Caſtrum Bivini, vel per Sypontum Luceriam venirent, illi autem tutiùs elegerunt per Syponium venire, ſi enim per Bivinum veniſſent, ſiniſtrum eis procul dubio contigiſſet, nam eo ipſo die, videlicet ſecundo Novembris, quo Princeps Luceriam ingreſſus eſt, Bertholdus Marchio de Honebruch G. Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato in Apulia cum magno exercitu venienti, per unam dietam obviam procedens Fogiam venerat, qui Marchio veniens cum ſibi ſignificatum fuiſſet in via, Principem eſſe Luceriæ, conturbatus eſt nimis, nuntiumque ad Legatum ad id ſibi ſignificandum celeriter miſit, tantuſque terror ad comitivam Marchionis ex illo rumore factus eſt, ſicut aliqui poſtmodum de comitiva illa dixerunt, ut quamplures de Apulia, qui cum Marchione veniebant, cum ipſe Marchio venerit Fogiam ſe ibi non fixerunt, ſed ipſo eodem die uſque Barolum Nuntius Marchionis, adeò feſtinavit, quod ipſo eodem die videlicet ſecundo Novembris, fuit apud Trojam, propter quorum Legati, & Marchionis adventum, tam prædictum Caſtrum Bivini, quàm aliæ Civitates, & Caſtra per Apuliam in partem ipſius Legati, & Marchionis declinaverant.

Inventæ ſunt autem in prædicto Palatio Regio Luceriæ camera Imperatoris Frederici, & camera Regis Conradi, camera quoque Marchionis Oddonis, & camera Joannis Mori, in quibus cameris inventum eſt aurum, argentum, veſtes, lapides pretioſi, & arma quamplurima. Cæpit ergò Princeps de Gazis, & bonis, quæ in cameris ipſis inventa ſunt inter milites diſtribuere, & tam eis, quàm illis, qui ſecum de partibus Terræ Laboris venerant, quàm aliis, quos undecumque habere poterat ſtipendia præſtare: dicti enim Theutonici equites quos Joannes Morus, ut dictum eſt, in prædictis domibus extra Luceriam conſtituerat, ſtatim Principe venientem Luceriam ſe ſibi ad ſuum ſervitium præſentaverunt, Princeps eos libentèr recepit, & ſtipendia eis conceſſit. Plures etiam Theutonici, qui poſt mortem Regis per diverſas Regni partes, & præcipuè per Apuliam diſperſi erant, audito Principis adventu in Luceriam ad ipſum, venerunt, & ad ſtipendia recepti ſunt, & licèt aliqui eorum equos, vel arma non haberent Princeps eis equos, & arma, proùt unum quemque indigere videbat, præſtabat: multi enim de exercitu Legati, & Marchionis audita * liberalitate Principis de exercitu ipſo recedentes venire ad Principem, & Princeps eis ſtipendia tribuebat, ita quod per modicum temporis ſpatium exercitus Principis, adeò eſt augmentatus, quod terror ejus totam Apuliam concutiebat: ſtatim enim quod Princeps Luceriam intravit, & exercitum ſuum ſic augmentare cæpit, per ſingulas vicinas Terras miſit literas ſuas, ut Luceriam ſoderum rerum victualium neceſſariarum pro ſuo exercitu mitterent: miſit, & literas Fogiam, ubi erat Marchio Bertholdus, quæ literæ receptæ ab univerſitate Civitatis præſentatæ fuerunt Marchioni prædicto, quas literas cum legiſſet Marchio, valdè miratus eſt, quod Princeps qui paulò ante in tanta depreſſione, & humiliatione fuerat, quod eum ſupplicare aliis oportebat, ſic ſubitò ex depreſſione illa in excellentem ſtatum erectus eſſet, ut de * fodro ſibi mittendo, ita imperiosè

* ubertate

* ſodero

periosè mandaret, ac si totius jam Regni Dominus esset; turbatus ergò valdè ex hoc Marchio, convertit se ad consuetas versutias, & quasi amicabiliter motus, & de honore, ac salute Principis zelum habens magisque, se intimum, & familiarem Principi ostendere volens, misit ei quasdam vestes lineas, & laneas, ut Princeps, qui pro diuturnis armis fatigatus erat, qui in solis armis suis Luceriam venerat, cum nondum camera sua cum vestibus, & aliis personæ suæ necessariis pervenisset ad eum vestibus illis à Marchione missis indueretur, misitque sibi consilium, ut Princeps de gratia Ecclesiæ non desperaret, nec tamquam desperans eam, faceret, quæ ad majorem aggregationem odii, & discordiæ redundarent: confidere enim se dicebat, quod adhuc poterat factum suum sic cum Summo Pontifice componi, quod honor sibi, & commodum increscere potuisset. Princeps autem Marchionis ipsius vestes tamquam necessarias recepit, verba verò tamquam superflua, & dolosa contempsit, viresque, & potentiam suam, quod magis sibi necessarium, & utile erat, augmentare quotidiè satagebat. Principe autem sic suas quotidiè vires augente cæpit de concordia inter ipsum, & Legatum tractatus haberi, tractatumque, quod Princeps usque ad ripam fluminis, quod est inter Luceriam, & Trojam veniret, Nuntiique Legati usque ad ripam ejusdem fluminis ex parte alia venirent à Troja, ut ibi ad invicem de negotio concordiæ loquerentur. Præfixo ergò ad hoc die Princeps cum equitum, & peditum comitiva Luceria exivit, & usque ad ripam prædicti fluminis comitiva sua parum retrò dimissà cum paucis accepit. Illi verò de parte Legati cum magna similiter comitiva Trojam exeuntes Principis videntes exercitum longè citrà ripam fluminis consistere, nec ad ripam fluminis aliquatenùs appropinquare volebant. Princeps verò hoc videns cum illis suis paucis sociis, qui secum erant ad ripam fluminis transivit, & comitiva, quę retrò remanserat ad ripam, ubi priùs ipse steterat venire fecit. Cumque Principe flumen transeunte, illi de parte Legati adhuc ad ipsum appropinquare noilent, Princeps versùs eos magis appropinquavit, & per tantum locispatium eundo versus illos, se jam à sua comitiva elongaverat, quod aliquibus temerarium quodammodo visum fuit, sic hostili parti se credere, ubi pars hostilis de eo sic dubitaret. Cum autem illi nullo modo se vellent de prima statione movere, & jungere se ad colloquium Princeps, vel pusillanimitatem illorum spernens, vel fraudem conjiciens retrocessit, & Luceriam cum sua comitiva reversus est.

Post paucos autem dies, cum videret Marchio Bertholdus, quod Principis potentia nimis augumentabatur, misit ad Principem quemdam suum secretum Nuntium religiosum, de domo videlicet Sanctę Mariæ Theutonicorum sibi significans, quod ipse Marchio ad gratiam Principis redire volebat, si Princeps vellet ipsum recipere, & certa sibi pacta, & conditiones, quas Marchio petebat adimplere: inter ipsa autem pacta continebatur, ut Princeps filiam suam Ganarro nepoti Marchionis nuptui traderet, petiitque Marchio, quod Princeps Gualterium de Ocra Regni Siciliæ Cancellarium Secretarium suum ad eumdem Marchionem pro hujusmodi tractatu habendo destinaret apud Trojam, sub eo quidem pretextu, quod idem

Cancellarius ad Legatum pro tractatu concordiæ mitti videretur: Princeps autem sapienter considerans, quod si Marchionem ex parte sua, quocumque modo habere posset partis adversæ vires multum decrescerent; sua verò potentia nimis augmentaretur. Tali petioni Marchionis acquievit, & prædictum Cancellarium ad Marchionem prædicto modo mittere disposuit. Cumque prædictus Cancellarius solus nollet ipsius negotii onus assumere, tum quia Marchionis astutias habebat suspectas, tum quia ad palliandum causam profectionis ipsius ad tractandum cum Legato concordiam, unam tantum personam transmitti inconveniens quodammodo esse videbatur, adhibitus est ad ipsum negotium exequendum Goffridus de Cusentia ipsius Principis Secretarius, factaque est unicuique eorum à Principe commissio, eundi ad prædictum Legatum Trojam de concordia cum ipso tractanda, dataque eis à Principe plena potestate, & auctoritate tractandi cum Marchione, qualiter ad partem Principis reverteretur, & offerendi, ac firmandi sibi pro parte Principis omnia pacta, & conditiones, quas ipse Marchio postulaverat.

Profecti ergò prædicti Nuntii Principis Trojam ad Legatum Sedis Apostolicæ ibi existentem, ut de concordia cum ipso tractaretur, Legatus autem potentiam suam quodammodo, ex dedignatione magnificare volens Nuntios ipsos admittere nolebat, sed quosdam eis auditores dedit, videlicet Archiepiscopum Ravennatensem, Episcopum Faventinum, & Albertum de Flisco consanguineum suum, coram quibus auditoribus Nuntii Principis causam tractandæ concordiæ, pro qua venerant exposuerunt, Principem minus ipsius concordiæ esse nocivum, sed nihil cum ipsis facere potuerunt, sicque Nuntii ipsi ad Marchionem se contulerunt, & licèt non possent cum ipso tractare aliquid, ita sicut volebant, quia in verbis ejus, quæ dolo, & astucia plena erant se aliquatenùs firmare non poterant, quamvis enim pactis, & conditionibus sibi oblatis acquiescere videbatur, tamen dicebat se expectare Marchionis Oddonis fratris sui voluntatem, & consilium, quod magis in dilationem conclusionis afferre videbatur; tamen ne ipsorum Nuntiorum accessus illuc penitùs inutilis esset, per illud modicum temporis quo in Troja fuerunt, ab eis sapienter, caute tractatum est, quod una Comestabulia Theutonicorum, quæ in exercitu Legati erat ab exercitu ipso discederet, & ad partem Principis veniret, cum se ad id commodè faciendum loci, & temporis opportunitas daret. Sicque prædicti Nuntii negotio, pro quo venerant infecto ad Principem redierunt.

Princeps ad hoc cum magnum jam exercitum congregatum haberet, animusque ejus ad potentiæ suæ vires experiendas esset accensus, præsertim cum exercitus Papalis, qui erat in Fogia multum se quotidiè roboraret vallando se circumcircà in fossatis intendendo etiam succidere, nemus Palmulæ Civitati Fogiæ propinquum ad construendum Palatia circumcircà in fossatis ad majus sui munimen, cogitavit, quod meliùs erat hostes suos impugnare antequam ipsi se sic præmunire possent, & laborem sibi postea majorem darent. Præfixit ergò in corde suo certum diem, videlicet in quo exiturus esset in campum, jussitque omnes de exercitu suo se interim præparare, ut ad aliud mandatum singuli se ad belli expeditionem præparatos decenter invenirent.

Interea

Intereà verò Comes Gualterius de Manupello de partibus Comitatus sui veniebat ad Legatum ab ipso vocatus, qui ad quoddam Castrum, quod dicitur Serra Capriola dicebatur jam pervenisse; Princeps autem scripsit ei, ut antequam ad Legatum iret, ad ipsius Principis veniret præsentiam: cumque prædictus Comes respondisset se dubitare hoc facere sine voluntate Legati, misit interim Princeps ad eumdem Comitem Nuntios speciales, videlicet Riccardum Filangerium militem,& præfatum Goffridum de Cusentia, ut ipsum Comitem inducerent, ut iturus ad Legatum per Luceriam transiret, & Principi loqueretur,qood quidem sibi convenire volebat per eum, super facto concordiæ Legato ex parte Principis exponendo.

Cum autem hæc fierent venit dies, quem ad exeundum in campum Princeps sibi præfixerat, ipsoque die tanta pluviæ inondatio à præcedenti nocte incipiens facta est, quod difficilè erat hominibus, nedùm in campum procedere, sed etiam extra domos exire, sicque in diem tertium, videlicet processus in campum necessariò dilatus est; quo die veniente Princeps Summo diluculo Comitem Henricum de Spernaria, virum strenuum, & bellici discriminis expertum ad se venire jubens; En hodie, inquit, dies est in quo sub spe certa victoriæ contra nostros hostes, nostra possumus explicare vexilla: accipe ergò tecum aciem unam equitum armatorum, & felici animo exeas procedens usque ad locum inter Trojam, & Fogiam, & Luceriam medium, & quacumque ex parte de Troja, sive de Fogia aliqui de hostili parte prodierint provideri possint, constituasque duos viros cum duobus vexillis in colliculo illo, quod aliquantulum exeuntibus huic Civitati apparet oppositum, & de quo usque ad vicinitatem Fogiæ, & Trojæ potest uterqoe haberi prospectus, quos viros informes, & instruas, ut de loco illo versùs utramque partem iotentè respicientes, si gentem aliquam ex aliqua prædictarum partium prodire viderint primò unus illorum, & deinde alius vexilla in circuitu ventilent, nos enim iospectores alios hic in palatii summitate constituemus, qui ad vexilla prædicta prospectum certissimum habeant, ut si prædicta signa vexillorum viderint,per quę significetur,ut positum est aliquam gentem de aliqua prædictarum partium exire nobis statim hæc dicant, nosque ad signum ipsum cum exfortio confestim exhibimus ad ejus subsidium: si autem antequam hoc fiat, vel etiam post, ante nostrum occursum aliqua gens de hostili parte tibi occurrerit, viriliter ipsam aggrediaris, quia proculdubio victoriam obtinebimus.

Egressus est ergò juxtà mandatum Principis Comes Henricus, cum quadam equitum comitiva, pervenitque ad locum, quem sibi designaverat Princeps, ordinavit quoque Princeps duos viros cum vexillis in loco emioenti, juxta Principis designationem ad prospiciendum, & notificandum si qua gens partis adversæ exivisset à Fogia, vel à Troja, ipse verò Comes cum comitiva sua reposuit se in quadam valle depressa, ut à longè videri non posset. Princeps autem constituerat prospectores in summitate palatii Luceriæ, ut signa vexillorum, qoæ facienda erant ad ostendendum exitum gentis de Fogia, vel Troja, sicut fuerat præordinatum, viderent, & Principi significarent, cumque aliquantulum transisset spatium ecce prospe-

ctores in summitate palatii constituti dixerunt Principi se signa vexillorum vidisse, quæ inter Principem, & Comitem posita fuerant, ut dictum est, Princeps autem tamquam Leo diù passus exuviem, ad aliquod præcedentis inditium subitò concitatus exurgens, prospectu signorum sibi significato animosius exhibuit, ut cum comitiva equitum, & peditum quàm decenter ordinaverat statim Civitatem exivit, & Comiti Henrico, jam in Luceriam redire incipienti se junxit, cumque Comes miraretur, quia Princeps exiverat cum nulla signa vexillorum facta fuissent, affirmatum est ab inspectoribus in summitate palatii constitutis, quod ipsi signa vexillorum certissimè viderant, & ea Principi significaverant, cui quidem illudere fas non erat, ut sibi aliud, pro alio diceretur.

Licèt autem in veritate signa aliqua facta non fuerant, tamen proculdubio facta fuisse apparuerunt propter victoriam, quæ disposita erat à Deo per Principem ipsa die habenda de adversariis suis. Cum enim Princeps, & Comes super hujusmodi materia colloquerentur, & se ad revertendum in Luceriam direxissent. Ecce quædam equitum caterva longè retrò apparuit, & cum dubitaretur, qui essent prima facie creditum est, quod esset illa Comestabulia Theutonicorum, de qua per Nuntios Principis ad Marchionem transmissis, ut dictum est tractatum cautè fuerat, ut de exercitu Legati recederent, & ad partem Principis venirent. Dixit ergò Princeps tu cum comitiva illis in occursum eas, qui si pacifici veniunt, ipsos pacificè recipias, & eos ad nos honorificè ducas, si autem adversarii sunt, non dubites eos viriliter aggredi, nos enim viso congressu ad te confestim cum toto illo exfortio veniemus. Principe ergò ibi remanente cum illis, qui secum de Civitate venerant, Comes Henricus cum illis, quos primò secum duxerat versus catervam equitum venientem processit. Cumque interim appropinquasset, quod per vexilla poterat, quæ gens esset illa discerni, cognovit Comes, quod illa caterva esset Marchionis Oddonis, quæ de Fogia exierat ad prædationem aliquam faciendam, statimque contra eum cępit animosiùs ire, quo viso prædictus Oddo Marchio, quia non erat cum eo tanta gens, & talis, quod bellum recipere posset, cępit retrocedere. Comes autem ipsum insequens animosum contra eum fecit insultum, in quo insultu aliqui de parte Marchionis in Terram fuerunt prostrati. Princeps autem viso illo insultu præmisit Fredericum de Acerris militem suum cum quadam acie armatorum in succursum Comitis, quo Frederico accelerante Marchio Oddo se versùs Fogiam quantum poterat retrahebat, commissoque inter eos conflictu Marchione prædicto se viriliter defendendo quò usque vidit Principem à longè cum certa comitiva venientem: ipsius ergò Comitis, & Principis exercitus animosior factus contra Marchionem potentius dimicare cępit. Marchio comitivam Principis venientem videns, & de sua comitiva diffidens in fugam se versus Fogiam proripuit paululùmque moratus ante Civitatem, & bellum ibi recipere volens, cum vidisset, quod illi de Civitate ad ejus subsidium non exirent, sed in Civitatem descendere præpararent, Comes autem Henricus viriliter insectabatur eum, & magnam jam stragem de suis facere cęperat, cum etiam jam comitiva equitum Principis Comiti Henri-

co se

co se adjunxisset, videns ipse Marchio deterius esse stare, quam fugere, se ad fugam dissolutè convertit, & usque ad Castrum Canutii fugit ibique se receptavit.

Principi autem cum suis usque ad introitum Civitatis Fogiæ appropinquanti nimis vehementer in ipso ingressu à parte contraria resistebatur, cępitque balistis, & arcubus ex utraque parte pugnari cumque per duarum ferè horarum spatium sic bellaretur ante Civitatem, nec posset Princeps cum suis hostiliter illam catervam irrumpere, & Civitatem intrare, ecce pedites arcerii, qui Principem sequuti sunt à Luceria, nec poterant cum equitibus simul venire ad Civitatem appropinquaverunt, qui non ea in qua Princeps cum suis equitibus erat, sed ex alia parte Civitatis, quæ respicit septentrionem de ordinatione Principis accesserunt, in qua videlicèt parte resistentia aliqua non habebatur, quam Princeps appropinquabat. Cum ergò fossata, quæ Fogitani, & illi de Papali exercitu fecerant circumcirca non essent multum elevata ex illa parte, quam prædicti pedites petierunt, ingressi sunt, ipsi pedites ex illa parte, & fuerunt in burgo Civitatis ipsius, quod erat ex illa parte: cum autem illi, qui erant in speculis Civitatis constituti pedites ipsos vidissent ingressos, & jam ipsi pedites sagittis eos hinc inde lacesserent, factus est subitò clamor, quod Civitas ex parte alia contra Principem defendebat statim dimissa defensione se verterunt in fugam versùs palatium Regium Civitatis ipsius: quibus sic fugientibus Princeps, & sui, post eos Civitatem ingressi sunt, aliosque eorum contrucidaverunt, alios verò ceperunt, propter illos, qui se in prædicto palatio receptare potuerunt.

Posita autem Civitate ipsa in direptionem, & prædam potuisset quidem Princeps si voluisset contra illos, qui se receptaverant in palatio bellum inferre, & eorum per violentiam personas habere, sed cum jam serò esset factum cogitavit Princeps, quod si per instantem noctem ad obsidionem illorum in Civitate ipsa remaneret. Legatus Apostolicæ Sedis, qui cum magno exercitu erat apud Trojam, hoc audito posset contra illum cum exercitu illo venire, & fortè illum offendere præsertim cum milites, & pedites sui propter laborem illius diei valdè fatigati essent: cogitavit enim post hæc, quod cum aliqui viri Ecclesiastici, qui cum exercitu Papali Fogiam venerant in prædicto palatio cum aliis se receptassent, possent sibi ad magnam sævitiam imputari, si se ad obsidionem illorum inclusorum perseverante, & palatio ipso per violentiam capto prædicti viri Ecclesiastici cum aliis caperentur. Hæc ergò potissimum causa, & ne etiam ex sui præsentia Civitas per suorum deprædationem magis damnificaretur, vidit Princeps melius esse recedere, quam ibi in nocte ipsa remanere, & illi qui in palatio se receptaverant, capta Principis absentia fugerent, & votum suum Princeps de eis sine aliqua nota crudelitatis haberet.

Reversùs est ergò Princeps illo serò cum toto exercitu suo Luceriam, & ad mediam ferè noctem pervenit ad Civitatem; sequenti verò mane ipso diluculò venerunt ad Principem duo Cives Trojani missi ab universitate Civitatis Trojæ dicentes, quod Legatus Apostolicæ Sedis, qui in Troja fuerat, audita victoria, quam Princeps habuerat

buerat in Fogia cum exercitu, quam ibi habebat de Civitate Trojana, nocte recesserat, tantaque fuerat in fuga illius, & exercitus sui dissolutio, quod aliqui relictis penitùs arnesiis suis personas tantum onerare, & portare tentantes, ipsa ad terrorem etiam muliercularum onerata in animalibus suis dimittebant, & se ad fugam, sicut meliùs poterant expediebant, ita etiam, quod mulieres Civitatis ipsius animalia fugientia arnesiis onerata trahebant, aliqui etiam armis induti, cujuscumque seu viri, seu mulieris timentes occursum, arma ipsa libentiùs deponebant, & viro seu etiam mulieri, ut securè abire sinerentur dimittebant. Aliqui etiam non curantes equis sellas aptare, equos ad nudum equitabant, & Civitatem exhibant. Aliqui quoque vix tantum, sibi spatium in illa fugiendi occupatione laxabant, nè equos suos de præsepe resolverent, & equitarent, sed dummodo salvare quocumque modo se possent dimissis equis pedites fugiebant; prædicti ergò Nuntii Trojanæ Civitatis hoc Principi exponentes ipsum ex parte universitatis ipsius suppliciter deputabantur, ut ad Civitatem Trojanam venire dignaretur, nec eis imputaretur, ad culpam quod Legatum prædictum, & Marchionem cum Papali exercitu receperunt cum eorum violentiæ nullo modo resistere potuissent. Simili quoque modo Roggerius de Parisio, qui cum prædicto Papali exercitu Trojam venerat significavit Principi, quod fugiente Legato, ipse Castrum Civitatis ipsius ad honorem Regis, & Principis cepit, ipsumque ad fidelitatem Regis, & Principis custodiebat.

His auditis totus exercitus Principis valdè lætatus est, instabantque omnes apud Principem, & præcipuè illi Theutonici, qui pridem de Civitate Trojana post mortem Regis Conradi fuerant, ut dictum est à Trojanis expulsi, ut Princeps cum exercitu proficisceretur Trojam. Princeps autem sapienter corde consideravit, quod si tunc Trojam accederet magna destructio Civitati eidem posset accidere, cum ex cupidine spoliorum, qua ferè omnes ad eumdem illuc accendebantur, tum ex ultione injuriæ, qua prædicti milites Theutonici miro modo videbantur accensi, præsertim cum data eis materia debaccandi ad quælibet enormia committenda impunè prosilirent, belli præcipue tempore quo licitè committuntur illicita, & quæ pacis tempore injusta sunt. Ex hac ergò provida consideratione Princeps exercitus sui motum contra Civitatem Trojanam à direptione in ipso sui primordio revocavit, graviùs sibi futurum existimans eorum impetum semel in sui voti prosequutione permissum ab illius posteà Civitatis destructione compescere, quàm à principio revocare. Dixit itaque Princeps non esse necessarium Trojam appetere, quæ jam Legato, & exercitu Papali inde fugientibus ad mandatum Regis, & suum conversa erat, necessarium autem esse, & magis utile repetere Fogiam propter illos, qui pridie in palatio se receptaverant, ne si sic sine impugnatione aliqua dimitterentur, possent forsitan, & ipsi animum viresque resumere, & alii de secta ipsorum, qui per vicinia fortassis loca collecti erant, aliquid resistentiæ in corde concipere, & nocumentum aliquod fidelibus irrogare.

Habitum est ergò pro meliori redire Fogiam, quam ire Trojam, sicut Princeps edixerat, arreptoque itinere Princeps, & sui versus Fogiam vexillis explicatis procedebant. Cum autem essent ad qua-

tuor

tuor ferè millia propè Civitatem, occurrit exercitui Principis in via quidam Nuntius de Fogia veniens, qui dixit, quod omnes illi, qui die præterita se in palatio Fogiæ receptaverant de nocte recedentes fugerunt.

Cum autem rumor hujusmodi in exercitu Principis de fuga illorum insonuisset, omnes uno impetu, & præcipuè Theutonici per camporum invia versùs illam partem, quam illos fugientes ire extimabant animosè currere cœperunt, ut eis ex transverso possent occurrere, qui quidem ex magna prosequendi animositate, quàm hostium fuga, nimis augebat, videbantur in equis non quidem incedere, sed volare: non quippè ut fieri solet antepositas hostium acies illi gressibus modestè procedebant, quasi congressuri, ut in campo stantibus hostibus sapienter bellum inferrent, sed cum hostes, qui non apparebant ex animo quærerent moderamen eis sola videbatur effrenitas, qua ipsos invenire possent: Insequuti sunt ergò eos hoc modo per viæ plurimum, nec ullo modò eos attingere potuerunt, quia illi tempestivè nimis de nocte fugam arripuerant, & timor eis ad fugiendum alas adjunxerat, in tantam enim dissolutionem fugiebant, quod eorum aliqui viam ignorantes, vel potiùs pro cautela ipsam deserentes, & per devia montium divertentes, cum pervenissent ad loca, quorum exitus nives, undique clauserant, post dies aliquot mortui reperti sunt, per plura etiam loca bonettæ pannis, & rebus aliis plenæ inventæ sunt, quas ut fugerent expeditè in via dimiserant.

His itàque totaliter gestis, & talem quippe Principe apud Fogiam assequuto victoriam, prædictus Legatus Apostolicæ Sedis de Troja recedens, cum Papali exercitu versus Neapolim ad Summum Pontificem properabat; qui cum tanta festinantia ibat, quod Marchioni Bertholdo, qui pridiè ab ipso fuerat missus ad Papam in via se adjunxit, & deindè ambo simul Neapolim pervenientes invenerunt, quod ipsis diebus videlicet Idibus Decembris Papa defunctus erat. Tantus autem Cardinalibus, & aliis de Romana Curia ex illa victoria Principis timor accessit, quod viso Legato, & Marchione omnes voluere de Neapoli recedere, & in Campaniam redire. Ad magnam autem instantiam, & reconfortationem Marchionis ipsius steterunt, & in unum collecti ad electionem novi Summi Pontificis Cardinales de mane procedentes elegerunt Dominum Rainaldum, alii Raymundum Episcopum Ostiensem, vocatusque est Papa Alexander.

Princeps autem post habitam prædictam victoriam morabatur in partibus Capitanatæ, clamabantque tam Theutonici, quàm Saraceni Barolum, Barolum, Barolum. Ergò cum tota alia Terra Bari partē Ecclesiæ adhuc teneret audita victoria, quam Princeps habuerat, & qualiter Theutonici, & Saraceni versus eos incursionis suæ vota direxerant, memores destructionis, quam jam pridem fecerant ex alia sua rebellione perpessi, Nuntios miserunt ad Principem, se & Civitatem ad mandatum Regis, & Principis exponentes. Ipsis ergò Barolitanis venientibus ad mandatum Regis, & Principis, tota alia Terra Bari adhuc in rebellione durabat: Princeps autem non ipsam Terram Bari, sed superiores Apuliæ partes, quæ magis parti adversæ vicinabantur repetere decrevit, processitque versus Barolum disponens antequam obsidionem contra Castrum ipsum firmaret, ut ipsum

violenter caperet, sed hyeme adversante noluit ibi frustra laborare.

Processit ergò Venusium, & ex insperato Civitatem ipsam adhuc in rebellione perseverantem intravit, ipsamque ad mandatum suum habuit: petierunt enim ipsius Civitatis incolæ humiliter à Principe veniam, proponentes qualiter contra Melphienses, & alios, qui eos in rebellione præcesserant, quod destructionem eis ex vicinitate comminabantur stare in proposita fide non potuerant, propter quod de necessitate in partem eorum declinarunt, fidem autem suam non deseruerant in eodem, sed quando potuerant in adventu Principis ipsam declaraverunt, talibusque verbis, & aliis hujusmodi coram Principe propositis veniam promeruerunt. Memoratus est enim Princeps qualiter pridem ipsum à Terra Laboris procedentem, & in Apuliam venientem, omnique spe frustratum; Venusini devotè receperunt, & honorem, quem possent sibi concumulati fuerunt, ex qua potissimum causa Princeps ad præstandum eis veniam inclinatus est.

Intereà verò Joannes Morus erat in Acheruntia, & eodem tempore quo Princeps Luceriam, ut supra dictum est, intravit ipse Joannes Morus à Papali Curia rediens cum audisset in via Principem esse Luceriæ valdé turbatus est admirans, quomodo Civitatem ipsam introire potuerat, cum ipse ante recessum suum valdè diligenter eam ordinasset custodiri, misitque ad Principem Nuntios supplicans, quod & literas suas de securitate mitteret, cum ipse ad pedes suos venire vellet. Princeps autem infidelitatem, & proditionem ipsius Joannis Mori dissimulare contemnens, literas suas ei denegavit, dixit tamen, quod si venire vellet secundum, quod merita sua exigebant recipiendus erat, quod ipse Joannes audiens non Luceriam venit ad Principem, utpotè læsam conscientiam habens, sed recta via profectus est in Acheruntiam, ibique, ut dictum est morabatur. Saraceni verò ibi cum ipso morantes, ipsius proditione cognita ferino potius, quam humano instinctu eundem Joannem Morum in eis plurimum confidenter interfecerunt, & corpore ejus ab eis membratim diviso, caput ejus in Luceriam delatum est, & ad portam Fogitanam ipsius Civitatis spectaculum suæ nefandæ proditionis appensum est. Saraceni ipsi miserunt Nuntium ad Gualvanum Lanceam avunculum Principis de Romana Curia redeuntem (erat in Castro suo quod Tulle vocatur) sibi hoc significantes, & petentes, ut veniret in Acheruntiam, & Terram ipsam pro parte Principis reciperet. Dictus enim Gualvanus, qui ut supra dictum est, Principe recedente de Acerris apud Romanam Curiam ex utili quidem, & necessaria causa remanserat, donec in prædicta Curia fuit tamquam homo astutus, & discretissimus ostendebat se, non pro se, sed contra Principem esse, ut caute sibi de ipsius Principis utilitate tractaret; capta verò temporis opportunitate de Curia ipsa recessit, & ad Castrum suum prædictum quod dicitur Tulle, interfecto prædicto Joanne Moro ad petitionem Saracenorum, Acheruntiam intravit, terramque ipsam pro Principis parte recepit, & cum Princeps ut prædictum est, apud Venusium esset, idem Gualvanus ad Principem illuc venit, lætatusque est nimis Princeps de adventu suo, tum quia ipsum de manibus adversariorum suorum recepit incolumem, tum quia consilium, & auxilium ejus circà illa ardua negotia, quæ Principi incumbebant sibi necessarium, & uti-

& utilissimum erat. Ipso enim Gualvano ad Principem veniente multis cogitationibus se Princeps exoneravit, cum ipse Gualvanus tantæ quidem prudentiæ, ac strenuitatis esset, quod de toto guerræ negotio Princeps sibi securè, posset incumbere, & ipse tamquam Dominus sine cogitatione aliqua remanere.

Interim autem Civitas Rapollæ, quæ ipsius Gualvani erat, in rebellione durabat; mittitur ergò illuc prædictus Gualvanus, cum multitudine equitum, & peditum armatorum, cumque Cives ipsius oratione requisiti pacificè ad mandatum venire nollent, datus est viriliter in Civitatem insultus, & licet incolæ loci se nimis audaciter in primo congressu defenderent, cum situs loci ipsius defensioni eorum magnam audaciam daret, inde animis, & viribus principalis exercitus ex illorum Magis resistentia, & defensione crescentibus, cum resistentiam illorum solatium reputarent, & defensionem, quam illius loci homines faciebant suarum esse sentirent incitamenta virtutum, violenter tamen Civitas capitur, pluresque de Civitate ipsa propter rebellionem ipsam in qua pertinaciter devenerant neci traduntur, & ad extremam quodammodò desolationem Civitas ipsa non minùs ex incolarum suorum stultitia; quam ex principalis exercitus triumphali ultione perducta est.

Capta autem tali modo Civitate Rapollæ, Melphienses, qui eidem Civitati ad quinque fere millia vicinantur, timẽtes ne ipsi in rebellione persistentes simul paterentur, statim missis ad Principem nuntiis ad mandatum ipsius redeunt. Tranenses quoque & Barenses, & alii de Justitiariatu Terrę Bari, audita captione Rapollę, & quod alia etiam superior pars Apuliæ ad mandatum Principis venerat, satis temerarium esse putantes in rebellione. Ultra perseverare, ad mandatum Principis revertuntur: totaque jam fere Apulia, præter quasdam Civitates Terræ Idrunti, mandato, & Jurisditioni Principis se spontè supposuit.

Intereà post assumptionem Summi Pontificis Alexandri, dum sic Princeps in Apulia prosperaretur, Thomas Comes Acerræ cognatus Principis, & Richardus Filangerius venerunt ad Principem à quibusdam, ut credebatur, Cardinalibus missi, admirantes quare cum mos esset, ut assumpto novo Papa Nuntii à mundi Principibus mitterentur ad ipsum, nec ipse Princeps Nuntios aliquos ad novum Papam miserit, suadebant sibi, quod Nuntios ad novum Papam delegaret. Princeps verò ad mittendos Nuntios induci non potuit, ne Papa, vel alii de Romana Curia, ex hujusmodi Nuntiorum missione aliquam debilitatem, vel pusillanimitatem esse in Principe cogitarent, dixitq; Princeps, ad Papam non ad aliam pacem tractandam eos mitteret, nisi ut Regnum in Dominio, & possessione Regis Conradi Secundi Nepotis sui, sub baliatu Principis remaneret; Compositio autem super eo tantum esset, ut census pro ipso Regno Romanæ Ecclesiæ augeretur. Cum autem Princeps per prædictum Comitem, & Riczardum Filangerium ad mittendos Nuntios non potuisset induci, venit ad eum quidam Episcopus à Sede Apostolica missus, citavitque ipsum ex parte Summi Pontificis, ut in Festo Purificationis Beatæ MARIÆ proximè futuro ad Curiam Romanam accederet, responsurus de interfectione Burrelli, de Anglono, & de injuria, quam Apostolicæ Sedi intulerat expellendo Legatum, & exercitum Ecclesiæ

de Apulia. Princeps verò ad citationem hujusmodi sibi factam respondit per literas suas Summo Pontifici, excusans se rationabiliter, de his, quæ sibi objiciebantur, & qualiter nullam injuriam Romanæ Ecclesiæ fecerat, Nepotis sui, & suam Justitiam defendendo. Principe autem sic perdurante in proposito non mittendi aliquos Nuntios ad Summum Pontificem, venit ad eum de Apulia Magister Jordanus de Terracena Apostolicæ Sedis Notarius, qui ejusdem Principis benevolus videbatur, & qui etiam in Romana Curia magnum locum habebat, consuluitque Principi, quod Nuntios suos ad Papam mitteret, quod ex illa Nuntiorum missione, non aliud qnam honor, & commodum sibi poterat provenire.

De consilio ergo Magistri Jordani Apostolicæ Sedis Notarii Princeps motus est ad Nuntios, ad Summum Pontificem destinandos, misitque Gervasium de Martina, & Goff idum de Cusentia Secretarios suos, & suæ voluntatis plenè conscios, dans eis potestatem de concordia cum Summo Pontifice tractanda in certa forma, quæ commodum Regium, & honorem Principis sapiebat. Profectis itaque prædictis Nuntiis ad Romanam Curiam, quæ tunc Neapoli erat, cæpit de concordia tractatus haberi, & cum non posset tractatus ipse per eosdem Nuntios ad finem perduci, propter aliqua dubia, quæ non poterant, nisi per præsentiam Principis declarari, petebant Nuntii non ex mandato Principis, sed ex nutu suo, & certitudine quam habebant de Principis voluntate, ut aliquis Cardinalium pro declaratione prædictorum dubiorum, & agnoscenda personaliter Principis voluntate ad Principem mitteretur: dicebantque Nuntii ipsi Summo Pontifici, quod si Cardinalis ipse mitteretur ad Principem pax nullo modo poterat infecta remanere, cum ad multa Princeps descenderet propter præsentiam, & reverentiam Cardinalium, ad quæ alias induci non posset. Dicebant autem aliqui de Cardinalibus id non convenire Sedis honori, ut Cardinales hoc modo mittantur, verumtamen si Princeps hoc peteret, vel si Nuntii ipsi hoc de mandato Principis eis facto esse testarentur, quod Cardinalis mitteretur, & quod negotium pacis considerationem debitam ex Cardinalium missione reciperet, bene posset Apostolica Sedes induci ad Cardinalem mittendum. Super hujusmodi autem articulo satis visum est, sed quia Nuntii ipsi dicebant petitionem ipsam non fieri de mandato Principis, sed ex suo motu procedere sperantibus ipsis, imò pro firmo gerentibus, quod pax fieret penitùs, si Cardinalis ad Principem mitteretur, Papa & Cardinales super hoc articulo simpliciter prædictorum Nuntiorum verbis stare nolentes ad mittendum Cardinalem non potuerunt induci.

Licet autem Princeps Nuntios ut dictum est ad Romanam Curiam pro tractanda pace misisset, nihilominus ipse ad conquirendum Terram ad suum specialiter Principatum pertinentem, quæ propter turbationem præteritam à suo se dominio subduxerat intendebat, perrexitque cum suo exercitu ad Guardiam Lombardorum, quæ sibi ratione Comitatus Adrensis, ut supra memoratum est, spectat, quamvis autem terræ ipsius inculas prima facie resistentes invenerit, tamen dispositâ circa eam obsidione cæpit eam, & ad suum dominium revocavit, quod cum ad notitiam Papæ pervenisset id grave tulit, asserens quod Princeps Ecclesiæ Romanæ videbatur illudere, dum ex una parte con-

concordiam peteret, ex alia verò terram, quæ erat in manu Ecclesiæ occuparet, cumque id dictum fuisset Nuntiis Principis, qui in Romana Curia erant pro pace tractanda. Nuntii responderunt dicentes, quod Princeps non ad illusionem Ecclesiæ, nec ad contrarium tractandæ pacis hoc faciebat, quia Terra illa Guardiæ erat de speciali jure ipsius Principis, super quo Curia Romana nullam Principi controversiam facere intendebat, propter quod non debebat Summo Pontifici grave videri, si Princeps faciebat quod licitè facere poterat, licet autem hac de causa Summus Pontifex gravatum se diceret, quod Princeps Terram, quæ erat in manu Ecclesiæ occupare videbatur; tamen alia causa erat potissima ex qua adventum Principis ad Guardiam Lombardorum, & ipsius Terræ captionem molestè tulit, dubitabant enim iam ipse quam Cardinales, ne Princeps contra eos Neapolim cum exercitu veniret, & cum de hoc in magna dubitatione essent, adeò quod si Princeps ultrà venire tentasset, Summus Pontifex, & tota Romana Curia de Neapoli recessissent, cum omnes hoc audito vasa jam sibi parare cœperunt, ut per mare recederent. Dictum est ergo Nuntiis, quod si Princeps Ecclesiæ pacem volebat, sic Nuntii ipsi instarent, quod Princeps de Guardia Lombardorum recederet, & in Apuliam rediret.

Nuntii ergo Principis totum hoc Principi significaverunt significantes ei quod à Guardia Lombardorum discederet, occultè tamen sibi exponentes qualiter Summus Pontifex, & alii de Romana Curia dubitabant de adventu ejus Neapolim contra eos, & qualiter si ipse Princeps tunc in Terram Laboris venisset de levi posset totam terram, quam Ecclesia occupaverat recuperare. Quo intellecto Princeps dum cogitaret quid esset melius faciendum, & in proposito esset quodammodo procedendi versus Terram Laboris, licet via esset valde nivibus impedita, subitò recepit quemdam Nuntium de partibus Terræ Idrunti exponentem sibi qualiter Manfredus Lancea consanguineus suus, quem Princeps Capitaneum constituerat in Terram Idrunti cum Brundusiensibus, qui contra Terram Nerito iverant ad conflictum, & in conflictu ipso fuerat expugnatus, & qualiter terra ipsa Nerito à Brundusiensibus capta fuerat, & destructa, multis de comitiva ipsius Capitanei, & de ipsius Terrę Nerito interfectis hominibus. Quo Princeps intellecto revocavit propositum suum, quod de procedendo in Terram Laboris conceperat, consultius reputans in Terram Idrunti propter casum, qui ibi acciderat festinare, ne Brundusienses, & eorum complices ex illa victoria, quam tunc habuerant animosiores effecti contra fideles insurgerent, & in absentia Principis impunè illos offendere possent. Ex eodem enim facto & prædicto periculo prudenter occurrere, & voluntati Summi Pontificis, quæ erat ut ipse, Guardia Lombardorum recederet, & in Apuliam rediret studiosè satisfacere videbatur.

Recessit ergo Princeps de Guardia Lombardorum, & iter arripuit eundo ad partes Terrę Idrunti pro causa prædicta Nuntii autem ejus, qui in Romana Curia pro tractatu pacis erant, nihil de pace facere poterant, cum Papa jam Legatum alium ordinasset in Regno, videlicet Octavianum Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconum Cardinalem, & Legatus ipse cum tractare cœpisset de congregando exercitum con-

tra Principem, quod Nuntii ipsi videntes de Romana Curia recesserunt, & venerunt ad Principem apud Guardiam Alguadianam, ubi Princeps cum exercitu suo erat in processu eundi versus Terram Idrunti.

Abinde ergo Princeps recta via processit eundo versus Terram Idrunti, & pervenit cum exercitu ante Brundusium, quæ Civitas erat caput rebellionis, & factionis terrarum aliarum Terræ Idrunti, Oriæ, videlicet Civitas Idrunti, Liciæ, & Misagniæ, quæ Principi rebelles erant, obsedit itaque Princeps Civitatem Brundusii, & cum Civitas ipsa mœnibus, & populo valde munita esset, nec posset per insultum eam de facili capere, fecit fieri depopulationem arborum circumcirca Civitatem ipsam usque ad Mœnia Misagniæ, quæ erat Gualterii de Ocra Regni Siciliæ Cancellarii, cum ad mandatum Principis venire nollet, nec eidem Cancellario parere, ut domino per violentiam capta est, & ad instantiam ipsius Cancellarii, qui rebellionem ipsius molestissime tulerat, destructa est. Ibi ergo Princeps morabatur cum exercitu suo propter abundantiam rerum victui necessariarum, quæ ibi erant, de quo loco quotidie ibat exercitus usque ad Mœnia Civitatis Brundusii cum prope ipsam esset ad octo fere millia, & magnam depopulationem ibi faciebat.

Licienses autem audita Principis potentia considerantes stultum esse sibi resistere, & destructionem timentes ad mandatum Principis sponte venerunt. Facta autem ingenti depopulatione circumcirca Civitatem Oriæ, & ante eam obsidione disposita cum Cives Terræ ipsius requisiti ad mandatum venire nollent, mandatum est fieri depopulationem circumcirca. Fiebat autem quotidie depopulatio, nec tamen illa aliquatenus ad mandatum venire nolebat, dabatur quoque insultus quandoque ad mœnia sed in tantum populus Civitatis se satis animose, & viriliter defendebat. Factæ sunt quoque caveæ subterraneæ ad dirutionem mœnium, & cum quædam pars ipsorum mœnium pro hujusmodi caveis cecidisset, apparuit statim alius murus ex interiore parte fabricatus, quem Cives Oriæ contra illam partem, qua cavea fiebat exteriùs, interius erexerunt, & cum muro exteriori cadente propter caveam exercitus se ad Civitatis ingressum pararet invento alio muro noviter facto intrare non potuit. Fecit etiam fieri Princeps machinam elevatam, cujus summitas Civitatis mœnibus superemineret, & cum eam prope ad mœnia duci artificiosè fecisset, ut ex ea Civitas opportunius oppugnari posset, illi de Civitate injecto ab intus igne ipsam machinam combusserunt. Dum itaque sic Princeps in obsidione ipsius Civitatis existeret, intellexit per tertium nuntium, & literas sibi missas, quod Petrus Ruffus de Calabria Comes Catanzarii, qui bajulatus officium in Sicilia, & Calabria gerebat à Messanensibus fuerat de Messana expulsus, quod qualiter processit enarrandum est.

Fuit quidem prædictus Petrus Ruffus de Familia Imperatoris Frederici, qui Curiam ipsius Imperatoris Frederici pauper ingressus, adeo per successiva incrementa in Imperiali Curia erat, quod Magister Imperialis, Marescallus, & ipsius Imperatoris Consillarius, imò omnium consiliorum suorum intimus factus est, ac tandem in ultimis Imperatoris totius Regni Siciliæ Marescallus constitutus fuit. Princi-

pe

pe autem Manfredo Balio totius Regni, & Italiæ ab Imperatore ordinato ipse Petrus cum Rege Henrico juniore filio Imperatoris in Siciliam, & Calabriam missus est, ut ipsum Regem in annis pupillaribus constitutum, & ipsas provincias Siciliæ, & Calabriæ gubernaret: licet autem in partibus illis ad gerendam ibi vicem Principis ordinatus fuisset, & per omnia mandatis, & ordinationibus Principis obedire teneretur, ipse tamen Petrus de mandatis, quæ sibi Princeps faciebat non nisi ea tantum,quæ ipse volebat exequebatur: videbaturque sibi quod non subesset Principi in prædictis provinciis gubernandis, sed ipse in capite in ipsarum gubernatione præpositus esset. Princeps qui ex dispositione paterna benemeritis, quibus provisum condignè non fuerat providere tenebatur Gualvano Lanceæ, qui diù in Lombardia, & Tuscia Imperatori satis strenuè prudenterque serviverat, & retributionem ab ipso morte prævento habuisse non poterat, cujus etiam præsentia, & auxilium valdè necessaria Principi erant in exercendo balio sibi commisso,de Comitatu Buteræ decreverat providendum, restituerat etiam sibi Terras Paternionis, & Sancti Philippi de Argirò, quas eidem G. materno jure spectantes Imperator ab ipso revocaverat, dato tantum sibi minus competenti excambio in Calabria, cujus valor excambii vix ad tertiam partem valoris terrarum ab ipso revocatarum perveniebat. Cumque Princeps mandasset prædicto Petro ut Comitatum Buteræ, & prædictas Terras Paternionis, & Sancti Philippi Nuntio ipsius G. assignari, & de ipsius Comitatus, terrarumq; proventibus faceret sibi responderi præfatus Petrus nullo modo mandatum Principis exequi voluit. Quin imo hominibus Comitatus ipsius, & prædictarum Terrarum Ecclesiis fecit indictiones fieri, ut contradicerent, & reclamarent se prædictum Gualvanum Lanceam nolle aliquatenus habere in dominum. Provideratetiam Princeps Fredericum Lanceam fratrem prædicti Gualvani avunculi sui de Comitatu Squillacii propter multa, & immensa servitia, quæ Imperatori contulerat, & nullam inde retributionem habuerat, cujus similiter Frederici consilium,& auxilium Principi ad exercitium balii sibi commissi satis utile, & necessarium erat. Et cum de assignatione ipsius Comitatus, facienda nuntio ipsius Frederici præfato Petro Princeps mandatum fecisset: ipse Petrus nihil inde penitus facere voluit, imo manifestè ipsi contradixit. De provisione quoque plurium aliorum qui diu Imperatori serviverant simili modo mandavit, sed ipse Petrus nihil inde complebat. Mandavit etiam sibi quandoque Princeps, ut de equis Marescalliæ Calabriæ sibi mitteret, quia sibi necessarii erant pro impugnatione rebellium, qui in Apulia, & Terra Laboris, ut supra memoratum est, insurrexerant, de quo nihil omnino ipse Petrus facere voluit, adeoque dominium, & potestatem Provinciarum ipsarum Siciliæ, & Calabriæ sibi ipse Petrus adduxerat, quod si interdum Princeps ad officiales ipsarum provinciarum literas, vel pro negotiis Curiæ, vel pro negotiis privatorum destinaret, officiales ipsi literas Principis nisi prædicto prius Petro consulto exequi dubitabant. Quæ omnia Princeps attenderat in quantum possibile erat ad majorem turbationem partium Regni vitandam,quæ ex ipso facto posset accidere, processus ipsius Petri dissimulare nitebatur, ut omnia posset cum prudentia, & meditatione peragere, misit præ-

ſit prædictum Gualvanum in Siciliam cum literis ad dictum Petrum ut ipſe Petrus ad Principem pro quibuſdam arduis ſervitiis quibus præſentia ejus neceſſaria erat veniret, ipſe verò Gualvanus in Sicilia remaneret; quod ipſe Petrus præſentiens procuravit ita quod prædicto Gualvano perveniente Meſſanam factus eſt ſubito rumor, & clamor, populus miratus eſt, & in tantum commotus, quod in prædictum Gualvanum, quaſi ipſe Meſſanam in Proregis offenſionem veniſſet, inſurrexerat, niſi ipſe ſapienter, & caute injuriam in perſonam paſſus fuiſſet. Poſt adventum Regis Conradi in Regnum dictus Petrus factus eſt ab eodem Rege Comes Catanzarii, remiſſuſque eſt in Siciliam, & Calabriam ad Regis vicem in provinciis ipſis gerendam. Mortuo verò Rege Conrado, & dicto Petro in Sicilia permanente, commiſſoque ſibi Balio provinciarum ipſarum ſub Marchione Bertholdo, qui ut ſupra dictum eſt, totius Regni Balius fuerat conſtitutus, Summus Pontifex Nuntios ad eum miſit cum certis capitulis ut ipſe Petrus Siciliam, & Calabriam in manu Eccleſiæ poneret, ipſe Petrus Fulconem nepotem ſuum cum Siracuſano Epiſcupo, & Nuntiis Civitatis Meſſanenſis in duabus galeis ad Summum Pontificem miſit, quibus euntibus, & poſt certum cum Summo Pontifice tractatum habitum redeuntibus, cum ad ea quæ Nuntii ipſi ab Apoſtolica Sede retulerant dictus Petrus, & Civitas Meſſana, aliæque Siciliæ partes inclinari, & acquieſcere nollent, Nuntios alios quatuor, duos Fratres Prædicatores, & duos Fratres Minores ipſe Petrus ad Apoſtolicam Sedem remiſit, per quos ſuam, & Meſſanenſium aliorumque Siculorum voluntatem ſuper capitulis, quæ priores Nuntii ab Apoſtolica Sede retulerant Summo Pontifici declaravit.

Inter hæc autem dum Princeps Manfredus, ut ſuperiùs memoratum eſt, intereſſet Luceriæ, & undecumque poterat auxilium ſibi, & conſilium in illa magna neceſſitate quærere cogeretur, miſit Nuntios ſuos ſcilicet Gervaſium de Martina, & Joannem de Terraca ad prædictum Petrum petens ab eodem, ut quia ipſe Princeps cauſam Regis Conradi pupilli nepotis ſui reſumere, & viriliter defendere intendebat ipſe Petrus ad hoc ſibi auxilium, & conſilium præſtaret, & ſecum eo in jure prædicti pupilli defendendo tenderet. Nuntiis ergo Principis ad prædictum Petrum Meſſanam euntibus, licet intentio Nuntiorum ipſorum fuiſſet id cum ipſo Petro tractare, ut Principe Balium Regni gerente ipſe Petrus tamquam eidem Principi ſubjectus provincias Siciliæ, & Calabriæ vice Principis regeret, & ſibi tamquam generali Balio Regni in omnibus obediret; non tamen aliud tractare cum ipſo prædicti Nuntii potuerunt, niſi confœderationem quamdam inter ipſum, & Principem pactionibus confirmatam, licet indignum eſſet ſic inter Principem, & ipſum Petrum fuiſſe tractatam, tamen propter magnam neceſſitatem, in qua Princeps tunc erat dicti ſui Nuntii tractari eam expedire viderunt, & eam Principi retulerunt.

Hujuſmodi autem confœderatione ſic facta Princeps cum in Apuliæ partibus ut ſupra memoratum eſt proſperaretur, dictus Petrus aſſenſu Principis generalis Balii Regni nec requiſito nec habito; monetam novam cudi fecit in Meſſana, ſub nomine Regis Conradi Secundi, ad quam monetam novam faciendam proceſſit de conſilio

quu-

quorumdam, qui sibi adulabantur, magisque proprium lucrum, quam utilitatem Regiam de ipsa moneta captabant, & contra aliquorum judicium sanius sentientium, qui totum periculum, quod de ipsa moneta Panormitani primo, & deinde ex suggestione Philippi Pactensis Episcopi, Pactenses rebellare ceperunt. Quod audiens dictus Petrus cum exfortio Messanensium, in quibus plurimum confidebat, ad Civitatem Pactarum processit, & tam Episcopum, quam Civitatis ipsius Cives à rebellione tunc revocavit. Reversus autem Messanam misit Nuntios suos Panormum, qui quidem ibi recepti non fuerunt, & ipse cum Messanensibus versus Calatagironem, cujus jam Cives se cum Panormitanis ad rebellandum confœderare parabant, ire disposuit. Erat autem in medio palatio Civitatis Messanę columna marmorea perforata ad aquam ex sui summitate artificiosè fundendam, cui columnæ cum dictus Petrus suum vexillum imponi fecisset, ut ad signum vexilli ii qui cum eo ituri erant in palatio convenirent, statim quod vexillum fuit ipsi columnæ superimpositum, columna ipsa fracta est, & vexillum in Terram columna ipsa dejectum, repositumque est dictum velum in reliqua parte columnæ, quæ post fracturam erecta remansit: præmissis quibusdam equitibus in Panormum ipse post duos dies cum Messanensibus, in quibus totam suam spem posuerat, de Messana processit, cumque pevenisset *Leuconium, & sequenti die pararet se ire Lentinum, & ivisset usque ad flumen, invenit pontem à Leuconensibus fractum, intellexitq; quod Leuconium, & *Argirò manifestè rebellaverant reversus ergo in Civitatem Cathaniæ, moratusque ibi per aliquot dies recepit tam à Messanensibus, quàm ab aliis Siciliæ partibus in fidelitate manentibus equitum, peditumque præsidium cum jam Calatagironum, Heraclea, Biczanum, Aydona, Placia, Mistretta, Policztum, & Cephaludum apertè rebellassent, cum perplexus esset, & nesciret, cui parti prius occurrere deberet recepit à Castellano Castri Joannis Nuntium nomine Guaimarium, qui significavit ei, quod Civitas Castri Joannis parata erat ad rebellandum, si tamen ipse properanter iret illuc, posset Civitas ipsa de levi ad rebellione cohiberi. Processit itaque prædictus Petrus cum multitudine armatorum equitum, & peditum versus Castrum Joannem, cumque fuisset apud Sanctum Philippum de Argirò intellexit ibi, quod oppidum Cisari, quod est inter Sanctum Philippum, & Castrum Joannis, & ipsa etiam Civitas Castri Joannis publicè rebellaverat. Perrexit ergò ad oppidum ipsum, cumque locus difficilis esset, nec posset de levi per insultum haberi, tractatu pacifico ad oppidum ipsum receptus est, moratusque ibi per unam noctem tantum sequenti mane fuit ante Castrum Joannis.

*Leuconilla.

*Argirani.

Est autem Civitas ipsa Castri Joannis in medio Siciliæ posita cunctis aliis Siciliæ locis situ eminentior, solo Monte Gibello super excelsa, qui sibi ex parte orientali oppositus est. Lapidibus etiam circumquaque decisa, & rupibus angustissimis, & declivibus viis ex tribus tantum partibus accessibilis aquę abundantiam in ipsa etiam summitate montis habens. Cum ergo prædictus Petrus cum exercitu ante ipsam Civitatem ad duo ferè millia pervenisset, invenit magnam multitudinem hominum Civitatis ipsius hostiliter egressam ad defendendum Civitatis ingressum, quæ ad duo ferè millia longe à Civitate

te poterat ex loci montuositate,& passuum angustia, & declivlositate defendi, qui cum essent homines rustici,& bellicæ exercitationis ignari, & viso prædicto exercitu territi in fugam ad montis altiora se receperunt. Exercitus autem ex illorum pusillanimitate, fugaque animatus versùs Civitatem procedebat, quantoque ipse magis exercitus Civitati vicinabatur, tanto illi magis fugiendo superius se retrahebant. Cepit itaque exercitus viam ex parte Castri Civitatis, in quo Castro prædictus Castellanus cum Castri servientibus, & qui fideles ipsius Terræ Cives, qui se ibi in Civitatis turbatione receperant, morabantur, qui stantes in castri mœnibus venienti exercitui animositatem augebant; via equidem illa qua tendebat exercitus poterat tantum à Castro defendi, & nullo modo poterat à Civibus impediri, licet Cives ante adventum exercitus quasdam sibi macerias, lapidum per diversa ipsius viæ loca fecissent. Quibus maceriis delatis ab ipso exercitu remotis perventum esset ad Castri auxilium, & confortationem ad planitiem, quæ est inter Castrum, & Civitatem, viso autem exercitu ante Castrum, remotisque quibusdam lignorum oppositionibus plantatis ad impediendum ex parte castri Civitatis ingressum omnes ipsius Terræ homines in fugam conversi sunt, & sic Civitas capta est deprædationi exercitus derelicta.

Capta autem hoc modo Civitate Castri Joannis magnus terror vicinis Civitatibus, quæ rebellaverant incussus est, eo quod Civitas illa invictissima erat, & præ cæteris Siciliæ Civitatibus tam situ, quam populo minus expugnabilis, credebaturque apud omnes, quod sicut Civitas illa ita de levi expugnata fuit, ita & aliæ Civitates,quæ minus illa difficiles erant facilius essent expugnandæ, atque vincendæ. Licet autem tunc in ipsius Civitatis captione dicto Petro de Calabria fortunæ quodammodo vultus arriserit, & in magnam exultationem, de tam insperata victoria cor ejus exaltabatur, tamen eodem ipso die, ipsoque ferè momento ab illa summitate prosperitatis,in qua sic cum fortuna posuisse videbatur degradari pedetentim quodammodo cæpit & dum ad processus ejus attingunt, quo altius ascendere non poterant in descensu jam de necessitate revolverentur, Ipsa etenim die qua prædicta Civitas Castri Joannis contra crudelitatem omnium capta est, Civitas Nicosiæ, quę ab ea viginti fere milliaribus distat, captionis adhuc illius ignara rebellavit, ita quod famam, quæ per Siciliæ diversas partes de Castri Joannis captione processerat, & iis qui jam rebellaverant timorem incusserat famam illicò de Nicosiæ rebellione superveniente opprimebat, & securitatem iis, qui rebellaverant ex excusso terrore subministrabat. Et rebellione ergo Nicosiæ cæperunt plura alia loca circumadjacentia rebellare. Messanenses quoque qui cum prædicto Petro fuerant in Castri Joannis captione, indignè ferebant, & jam id quod in corde gerebant contra prædictum Petrum de illa Civitate dolendo quodammodo propalabant post captionem ipsius Civitatis.

Tertio die processit dictus Petrus cum exercitu ad oppidum Hundronis ab Aydona, & Placia per sex fere millia distans, & cum Placienses quemdam Nuntium ipsius Petri ad eos pridie missum, pro eis, si fieri possit à rebellione revocandis nomine Fratrem Fortem de ordine domus Altipassus interfecissent, & nimis tenaciter in rebellione perdu-

perduraffent, idem Petrus ad fuggeftionem quorumdam Aydonenfium fibi adhęrentium, & afferentium, quod ipforum ftudio, qui introytus, & exitus Civitatis Aydonæ fciebant, Civitas Aydonæ poterat leviter capi, præmiffis cum eis de nocte quibufdam baliftariis ad indicium luminis fibi factum ab eis proceffit de nocte ipfa cum exercitu verfus Aydonum, & cum præmiffis baliftariis, & alii de fupervenienti exercitu perveniffent ad locum, in quo erat quædam fpecula ab Aydonenfibus erecta pro cuftodia Civitatis, & fpeculam ipfam partim occifis, partim fugatis inde cuftodibus cępiffent, potuiffent quidem ipfa nocte ingredi Civitatem, & obtinuiffe eam nifi quia ex pufillanimitate quadam diem fieri expectabant: donec verò ipfe exercitus ita ftaret, & diem expectaret, venerunt ad Civitatem ipfam plures armati de Placia, quæ Civitati Aydonæ ad quatuor ferè millia vicinatur, venerunt etiam alii de Calatagirone, qui præcedenti die fuerant ab Aydonenfibus in auxilium vocati, ita quod in illo diluculo dum prædictus exercitus facto infultu Civitatem ingredi vellet, apparuit magna multitudo armatorum Civitatem defendentium, & longe major, quam credi potuiffet.

Cum autem Fulco nepos prædicti Petri juvenis quidem animofus nimis propè Civitatem acceffiffet, paucis ipfum fequutis, cum exercitus paulò inferius remanfiffet, cæperunt illi de exercitu, vifa multitudine armatorum Civitatis, unus poft unum paulatim retrocedere, quod cum vidiffent illi de Civitate animum fumpferunt, cęperuntq; procedere verfus exercitum, & nifi prædictus Fulco, qui aliis retrocedentibus cum paucis Comitibus fuis in fuperioribus Montibus remanferat exeuntibus à Civitate prudenter reftitiffet, & greffu modefto non diffoluto defcendens, venientes quadam folerti defenfione cohibuiffet, Aydonenfes illo die magnam ftragem de exercitu prædicto feciffent; locus enim erat valdè declivis, minufque condecenter equites quam pedites poterant inde defcendere. Illi quidem de Civitate defuper incumbebant, magifque lapidibus, quam armis aliis hoftes infra fe pofitos oppugnabant, plurefque tunc de exercitu præcipitio magis quàm ex percuffione aliqua perierunt, qui cum non effent decenter armati ad recipiendos ictus lapidum defuper mifforum, fe fuper declivia montis diffolute præcipitantes in fugam, dum imminentem eis periculum fugere fatagebant, curfu fuo inordinato, & ftolido fe altiùs præcipitantes in mortis fe periculum injecerunt. Aliqui etiam equites frena laxantes, ut unum quidē vitarent periculum, aliud incautè fubibant; nam refpuentibus equis, & parum fe in illis declivibus præ fugiendi celeritate regētibus in terram turpiter equis ruentibus corruebant, & in ipfa ruina fe cum equis per terram alternatim volutantes fugæ fuæ aliquid in illa etiam neceffitate addebant; dum ruina illa eos inferius exclivofi loci natura traheret, & fic in illo præcipitationis incommodo, commodum aliquod fibi ineffe fentirent; Nam quidam erant ibi Nobiles Meffanenfes fugientium aliorum poftremi his, qui poft eos forte clamabant, ne fic diffolutè procederent, refpondentes indignum fore, fi lapis ex alicujus ruftici manu miffus alicujus Nobilis Meffanenfis tergum percuffiffet. Si ergò defcenfum eft, aliis quocumque poterant fe proripientibus, aliis vero modefto, & ordinato paffu modo inferiora petentibus, modo fe verfus hoftes

 repu-

repugnando voluentibus, quousque in planitie ad pedem montis totus colligeretur exercitus. Aydonensibus autem ab insequutione se retrahentibus, & ad Civitatem reversis dictus Petrus cum exercitu ipso ad Sanctum Philippum de Argirò reversus est. Ad magnam quoque instantiam Messanensium regressus est Messanam. Antequam autem ad Civitatem pervenisset, & esset in quodam Monasterio, quod dicitur Sancta Maria de Rocca Amatoris, quod à Messana minus quatuor millibus distat, occurrerunt ei sibi omnes ferè Messanenses consuetam honorificentiam ibi exhibentes.

Præsentiens autem ibidem Petrus, quod in crastinum in hora tertia quando ipse ingressurum Civitatem esse se dixerat, aliqui Messanenses, qui occultam conspirationem contra se fecisse videbantur, subito in eum insultum facturi essent, retinuit ibi ad comitivam suam Leonardum de Aldigerio, & quosdam alios de majoribus Messanæ Civibus, qui cum similiter in Sicilia associaverant. Subito autem de media nocte surgens simul cum aliis, & aliis de familia sua processit ad Civitatem, & Palatium Regium Civitatis ingressus est. Manè autem facto ortus est clamor in Civitate, quod præfatus Leonardus, & alii Cives Messanenses in palatio detinentur: ille quidem Leonardus valde à populo diligebatur, propter quod ad clamorem ipsum totus populus concitatus, & contra prædictum Petrum commotus. Quæ res cum ad ejusdem Petri notitiam pervenisset, permisit prædictum Leonardum, cum aliis de palatio exhire. Statim illi qui factionis hujusmodi caput erant, cum aliquibus de populo Civitatis, qui eos sequebantur dictum Leonardum circumdederunt, & eum ducentes ad Archiepiscopalem Ecclesiam universo populo ad campanæ sonitum convocato ipsum in Capitaneum Civitatis assumpserunt, factumque est statim in Ecclesia ipsa colloquium in quo multa fuerunt contra prædictum Petrum posita ad concitandum populum contra eum, & ad auferendum ab eorum cordibus multorum bonorum memoriam, quæ eis fuerant ab ipso Petro collata. Cum autem dictus Petrus hoc audiens Carnelevarium de Papia, qui secum in Palatio erat, pluresque alios consanguineos, & affines suos misisset ad populum ad sedandam commotionem ipsius, quæ sic sine causa orta esse videbatur; prædictus Carnelevarius, & alii à populo retenti sunt, nec ad dictum Petrum redire permissi. Provocatus est itaque adeo totus populus contra eum, ut nisi in continenti ipse Petrus Castrum Civitatis Messanæ castra quoque Milatii, Montis fortis, Rametta, Scaletta, Taurimenii, Calatabiani, Francavillæ, & Castiglionis in Sicilia, castra quoque Regii, & Calanæ in Calabria prope Messanam posita redderet, ipsi statim in Palatium irruerent, & ipsum ac suos omnes, qui secum ibi erant neci traderent. Sic itaque post multas altercationes missis hinc inde tractatoribus tractatum est, & juramento hinc inde firmatum, quod dictus Petrus prædicta castra eis assignari faceret ad honorem, & fidelitatem Regis custodienda per eos & ipsi eum, ac suos cum familia, & bonis suis salvos in Calabriam transire permitterent.

Resignato ergo eis castro Messanæ, factisque ab ipso Petro mandatis ad Castellanos aliorum de assignatione ipsorum eis facienda dimissis etiam, ad abundantiorem cautelam quibusdam consanguineis, & affi-

& affinibus suis obsidibus, usque ad castrorum assignationem retinendis, ipse Petrus cum suis, & cum parte bonorum suorum, quam secum portare potuit in Calabriam transivit, dimissis quibusdam servitoribus suis cum parte rerum, quæ in Palatio remanserant, ut post eum res ipsas in Calabriam transferrent; Ipso autem Petro transeunte Pharum, statim post exitum suum à Palatio Messanenses in Palatium irruerunt, & omnes res ipsius Petri, quas dimiserat ibi post se portandas dirupuerunt. Quod cum dictus Petrus in Calabria existens intellexisset, attendens quod cum Messanenses fidem sibi promissam de rerum suarum salvatione non servassent, ipse etiam fidem eis promissam licitè frangere posset, cogitavit se in castrum Calanæ recipere, quod quidem castrum eis resignare promiserat, ut supradictum est, nondum tamen Nuntio Messanensium ad ipsum recipiendum trasmisso assignaverat. Misso ergo statim post transitum suum Jordano Ruffo nepote suo ad partes Vallisgratæ cum quibusdam armatis ut ibi vicem ejusdem Petri gereret, ipse in castrum Calaiti ire festinavit, antequam prædicto Nuntio Messanensium, qui jam pro dicto castro recipiendo processerat, assignaretur: cumque pervenisset ad castrum illud, inveniens Nuntium Messanensium circa ambitum castri nondum sibi castri assignatione facta, cepit ipsum de persona, & in castro ipso posuit detinendum, quamdiu Messanenses obsides, quos ipse Petrus dimiserat in Messana sibi redderent; fecit quoque capi quemdam filium Leonardi de Aldigerio tunc in Calabria casu inventum.

Circa id quoque temporis, quod dictus Petrus de Messana in Calabriam transivit combustum fuit Palatium Regium *Catonæ, quod ab eodem Petro procuratum fuisse creditum est, ne Messanenses contra eum in Calabriam transeuntes se in eo receptare possent, fecit quoque ipse Petrus muniri præsidium castri Calanæ Monasterium Xiliæ, & Monasterium Badulariæ posita in Calabria supra Pharum: quemdam etiam locum, qui dicitur Sanctus Nicolaus de Latronibus propè Civitatem Regii ad ipsam impugnandam proco, quod in partem Messanensium contra ipsum Petrum declinaverat: ipse autem Terram Messanensem à Pharo per tria ferè millia distantem, & prædicto castro Calanæ proximam munirè fossatis fecerat faciens fieri circumcirca eam per mœnia speculas ligneas, & se in ea Terra quæ situ quidem difficillima incolis vacua videbatur, fortificare satagebat contra Messanenses, qui ad occupandam magnam Calabriæ partem ad opus suum transituri dicebantur. * Catone quod ab Episcopo procuratum.

Venerat autem diebus illis quidam familiaris, & Nuntius Principis nomine Riccardus de Frosina ad dictum Petrum, quando videlicet ipse Petrus de Sicilia rediens Messanam venit, qui ipso Petro à Messanensibus expulso in Calabriam transiens usque ad Neocastrum processerat, & procuraverat cū suis post transitū Petri in Calabria, quod Castellanus castri Neocastri, nomine Fulconerus, Theutonicus, qui Principi suspectus videbatur de castro ipso ejectus sit, quo ejecto Rogerius de Frosina ejusdem Riccardi pater castrum ipsum ad honorem Regis, & Principis custodiendum accepit. Cum autem dictus Jordanus Ruffus à prædicto Petro, ut dictum est, missus pervenisset Neo-

castrum cum multitudine armatorum, qui ipsum Petrum partim sine stipendiis de diversis Calabriæ partibus sequebantur, dictum Rogerium compulit castrum prædictum sibi resignari, in quo ipse Jordanus, quemdam consanguineum suum posuit Castellanum, & prædictum Riczardum familiarem, & Nuntium Principis ipsum quoque Rogerium patrem suum, & Guillelmum Decanum Neocastrensem ipsius Castellani germanum de personis cepit, & prædictum Riczardum in castro Tropeæ Rogerium vero patrem ejus in castro Mesiani, Decanum autem in castro Montis Leonis custodiendos injunxit. Idem Jordanus monitus quia præfatus Richardus quemdam Nuntium suum usque Cusentiam, & partes alias Vallisgratæ præmisisse dicebatur, qui Petrum Ruffum à Messanensibus interfectum asserebat, ex quo facto Cusentini nomen Principis, quod usque tunc in Calabria terebatur prius invocare, & exaltare cœperunt. Castellanum quoque castri Cusentiæ ejecerunt, in quo quidem facto Cusentini constanter perseverassent, nisi quia ex insperato casus ille supervenerat, & se repente firmare, ut deceret non poterant, ut quod ex fide cœperant ex debita constantia servare possent, prædictus enim Jordanus habito castro Neocastri, & prædicto Rogerio, & filiis captivatis, ut supra dictum est, cum multitudine prædictorum armatorum processit Cusentiam nomine quidem Regis procedens nomen verò Principis nec supprimens, nec exprimens, quin potiùs etiam Nuntium suum misit ad Principem cum literis excusatoriis de captione prædicti Riczardi, & suorum, afferens se ipsos cepisse ex causa seditionis, quam in Sicilia, & Calabria contra fidelitatem Regiam, & statum pacificum regionis movissent.

Erat ergo prædictus Jordanus in Cusentia cum magna societate equitum, peditumque armatorum, totamque Provinciam Vallisgratæ, & Terræ Jordanæ ita sua potestate cohibebat, quod illi, qui ad exaltandum nomen Principis affectabant terrore ipsius Jordani, & militiæ, quæ secum erat subjacebant, & eum quocumque volebat sequebantur.

Audiens autem Princeps, dum esset in obsidione Oriç per quosdam Cusentinos, qui ad eum illuc ex timore prædicti Jordani confugerant, qualiter prædictus Jordanus, & Petrus de Calabria à Messanensibus fuerant ejecti, statim Nuntium suum, videlicet Gervasium de Martina ad ipsum in Calabriam misit, qui cum pervenisset Cusentiam ubi prædictus Jordanus morabatur, & vellet ire usque ad dictum Petrum, qui Messanæ, ut dictum est morabatur, habiturus cum eo tractatum ex parte Principis super iis, quæ illius temporis necessitas exigebat, idem Jordanus ipsum Gervasium ultra Cusentiam procedere non permisit, propter quod ipse Gervasius reversus est ad quoddam oppidum, quod dicitur Amindolaria, cujus oppidi Dominus Rogerius nomine tunc temporis Justitiariatu Vallisgratæ ex commissione dicti Petri exercebat, cum quo Rogerio cœpit idem Gervasius collationem habere de iis, quæ in Calabria fiebant, & qualiter etiam idem Gervasius ad prædictum Petrum de Calabria non fuerat transire permissus. Compertum est autem à prædicto Gervasio, quod hoc ideo factum est, quia tractari dicebatur, quod Calabria in manibus Ecclesiæ daretur. Jam enim Nuntii ad Romanam Curiam super hoc missi esse

ad

ad Romanam Curiam dicebantur, cui periculo dictus Gervasius volens occurrere. Principi significavit ea, quæ suggessit, ut gentem armatam in Calabriam mitteret ad Terram ipsam suæ ditioni pro parte Regis Conradi Secundi nepotis sui subjiciendam, antequam de ea posset prædictum incommodum evenire.

Ad instantiam ergò præfati Gervasii, & quorumdam etiam Cusentinorum, qui honorem Principis zelabantur,& propter hoc specialiter ad Principem accesserant, misit Princeps quamdam competentem comitivam equitum, & peditum armatorum, constituitque Capitaneum Calabriæ Conradum Truich, ut una cum prædicto Gervasio Terram ipsam conquireret, & gubernaret. Erat autem prædictus Conradus Truich in Vallegrata, quando per Principem constitutus est, receptisque prædictos equites, & pedites in ingressu Vallisgratæ, qui congregatis cum eis armatis aliis de familia sua,& Berardi Truich fratris sui, necnon, & plurium aliorum Baronum, cum prædicto Gervasio de Martina processit usque ad Antonium de Stridola: Prædictus autem Jordanus Ruffus erat apud Casanum, cum tota comitiva sua propter Cusentinos, qui pridie audito gentis principalis ingressu in Vallemgratam ab ipso Jordano recesserant, & Cusentiam reversi erant.

Intereà Petrus de Calabria, qui sicut dictum est, in castro Calanæ morabatur tum quia Messanenses jam transiverant ad Civitatem Regii, & exinde contra eum ire disponebant, tum quia intellexit, quod gens Principis ingressura erat in Vallemgratam dimissis in partibus illis Calabriæ Carnelevario de Papia, Fulcone nepote suo,& Boamundo de oppido, ut ipsi tamquam Capitanei ipsarum partium facerent, & tractarent cum Messanensibus de castro Calanæ, & obsidibus in Messana detentis, quod viderent esse utilius tractandum, recessit de castro Calanæ, & ivit Catanzarium ad celebrandum, ibi Pascha Dominicæ Resurrectionis. Celebrato autem ibi Paschate processit Cusentiam cum paucis armatis expectans alios de Calabria postea venturos ipsa autem eadem die qua ipse Petrus pervenit Cusentiam Jordanus Ruffus nepos ejus, qui pridie de Terra Cassani ad Terram Sancti Marci cum comitiva sua profectus erat à gente Principis apud Sanctum Marcum captus est, & in carcerem missus, quod cum supradicto die summo manè diluculo ad prædicti Petri notitiam pervenisset antequam plenè factum hoc divulgaretur, de Cusentia recessit, & cum licet ad castrum Agelli, ibique se receptare intenderet, non ibi receptus est, sed deinde Catanzarium repetiit, & licet ibi se firmare proponeret, tamen quia pro parte una processerat usque Cusentiam ex alia verò parte usque Catronum, timens dictus Petrus nè ab utraque parte à principali gente in Catanzario concluderetur, recessit inde cum uxore, & rebus suis, ut iret ad quoddam castrum, quod fuerat nepotis sui Jordani, quod dicitur Castellum Maynardi, & cum ibi recipi non potuerit, ivit ad castrum Mesiani, quod quidam consanguineus uxoris suæ custodiebat, cumque fiducialiter appropinquasset, ad castrum, custodes ipsius castri faciente, & procurante prenominato Rogerio de Frosina, qui ut supra dictum est in castro ipso Musiani captivus custodiebatur, accessum ejusdem Petri ad castrum sagittis in eum jaculatis compescuerunt. Quod videns dictus Petrus cum in-

castro Mesiani se receptare non posset, ivit Tropeam, ex qua quidem Civitate oriundus erat, & in qua prædictus Jordanus nepos suus domicilium habuerat, ibique paululum morans fecit armari unam sagittam, ut in ea per mare recederet; cumque descendisset ad mare cum uxore sua, & uxore ac filiis prædicti Jordani nepotis sui, Castellanus castri Tropeę hæc videns Riczardum de Frosina, qui ut supra dictum est à memorato Jordano Ruffo captus fuerat,& in castru Tropeæ captivus custodiebatur; liberavit ob reverentiam, & timorem Principis, cujus familiaris ipse Riczardus erat. Ipse autem Riczardus tali modo liberatus statim ipsius Terrę Capitaneus pro parte Principis a populo constitutus est, qui mox, ut vidit prædictum Petrum esse in littore maris, cum sagitta paratus ad recedendum fecit dari bannum ex parte Regis, & Principis, ut nullus de Civitate Tropeæ cum prædicto Petro in sagitta ipsa ire pręsumeret, alioquin proditor Regis, & Principis haberetur, & pœnam proditionis pateretur; quod bannum cum audissent Marinarii sagittæ, unus post unum sagittam dimiserunt, sicque prædictus Petrus in littore manebat, & nec per mare fugere poterat, nec ad Terram Tropeæ redire permittebatur, fecerat enim prædictus Riczardus claudi portas Civitatis,& optimè custodiri, ne dictus Petrus Civitatem ingredi posset. Cum autem sic staret Petrus in littore, & omne sibi auxilium, & consilium deesse videretur, subito quædam barcæ de partibus Principatus, quæ maritimam illam casu transibant, ipsisque barcis ad locatorum velle conductis ipse cum familia sua, & prædicti nepotis sui quam tunc habuit de nocte recessit, & Neapolim ad Papalem Curiam, quæ ibi tunc erat profectus est.

Prænominati autem Gervasius de Martina, & Conradus Truich Capitanei processerant de Cusentia euntes versus Martoranum, antequam autem pervenissent Martoranum intellexerunt, quod Martoranenses licet pridiè Nuntios suos misissent ad eos, ad mandatum Principis se, & Cives alios facere spopondissent, tunc tamen se tenere, & eos non recipere intendebant. Nihilominus autem exercitus Principis ad Civitatem appropinquavit: cumque Cives ipsius Terræ gentis principalis accessum lapidibus jactis compescerent, cum locus ille difficilis esset, & valdè declivis, ita quod per levem defensam poterat contra gentem illam defendi, retrocessit exercitus, & declinavit ad quoddam casale, quod dicitur Pictarella, ubi dum ipse exercitus pernoctaret, procurante Roberto de Archis, qui cum exercitu ipso erat, & prædictæ Civitatis Civis habebatur nocte ipsa venerunt Nuntii ipsius Civitatis ad prędictos Gervasium, & Conradum, Civitatem ipsam ad mandatum Principis exponentes, missique sunt ad Civitatem ipsam Nuntii ex parte Capitaneorum, qui juramenta hominum pro parte Regis, & Principis receperunt. Inde autem profecti sunt Neocastrum cumque in castro ipsius Terræ Neocastri esset, Castellanus quidam dicti Petri de Calabria nepos nomine Johannes de Mele, ille Johannes statim visis vexillis Principis claves castri Capitaneis misit, & castro eis assignato recessit. Processit ergo exercitus Principis sine aliqua resistentia usque ad oppidum, quod Seminaria vocatur, circa ejus oppidi partes Carnelevarius de Papia, Boamundus de Oppido, & Fulco Ruffus nepos prædicti Petri de Calabria castra quædam rebel-

vunt.

vunt. Prædicti autem Carnelevarius, & Boamundus veniente exercitu Principis requisiti à prædictis Gervasio, & Conrado ad mandatum Principis venerunt, & juraverunt; dictus autem Fulco se in castro suo Sanctæ Christinæ recollegit ad mandatum prędictorum venire dubitans. Habebat quidem ipse Fulco præter ipsum castrum Sanctæ Christinæ castrum aliud valdè difficile, quod Bubalinum vocatur, quæ duo castra ad duodecim ferè milliaria mediantibus excelsis montibus distant, habentque difficilem ab aliis ad alterum transitum qui nullo modo auferri, aut impediri potest. Receptus ergo prędictus Fulco in illis duobus castris ad mandatum Principis venire nolebat; licet enim sibi per prædictos Gervasium, & Conradum securitas data fuisset, ipse tamen Fulco asserens Jordanum Ruffum fratrem suum post securitatem sibi promissam ab eis, iniquè fuisse captum eis se credere dubitabat, nè simul sibi contingere posset, quod contingerat fratri suo.

Stabat ergo exercitus Principis in Planitie Sancti Martini cum pro reprimenda rebellione prædicti Fulconis tum etiam, quia difficillimi transitus erant, inde in antea, ut sine magno discrimine transire non posset. Miserant autem prædicti Gervasius, & Conradus Nuntios suos ad Civitatem Giracii, quæ adhuc se tenebat, & sic tractatum est quod Civitas ipsa, quæ si resistere voluisset non sine magna difficultate debellari poterat sponte ad mandatum Principis reversa est. Prętterea Civitatem Regii, ad quam propter difficillimos transitus exercitus ire non poterat, & præter dicta duo castra Sanctæ Christinæ, & Bubalini, quæ prædictus Fulco tenebat, castrum quoque Styli tenebat quidam Berardus Theutonicus, qui nec apertè rebellis videbatur, nec tamen castrum ipsum dimittere volebat dicens concessam sibi fuisse castri ipsius custodiam à Rege Conrado in vita sua secundum consuetudinem Alamanniæ, propter quod dicebat se castrum ipsum non debere, nec velle dimittere, sed ipsum ad honorem,& fidelitatem Regis, & Principis custodire: plures tamen suspectos, qui à facie principalis exercitus fugerant in castro ipso receperat, propter quod videri poterat rebellionis potius quam fidelitatis: ita autem castrum ipsum loci natura munitum, & difficile est, quod neque per insultum, neque per famem capi aliquatenus posset: est enim saxis, & rupibus circumquaque vallatum continens circa se magnum Terræ nemorosę, & laboratoriæ spatium, quæ ad vitam sexaginta personarum cultura indeficiente sufficeret, quæ etiam Terra caules silvestres usui hominum aptos sine aliquo Seminario producit multaque animalia pascuis indeficientibus vivunt.

Intereà Messanenses audito, quod exercitus Principis totam jam ferè Calabriam acquisiverat, & videntes se quodammodo per id voto suo frustrari, quod erat magnam Calabriæ partem in suo velle districtu habere congregaverunt magnum exercitum equitum, & peditum armatorum, miseruntque ipsum contra exercitum Principis in Calabriam. Exercitu quoque Principis existente apud Sanctum Martinum, ut supra dictum est, exercitus Messanensium ex insperato venit ad oppidum Seminariæ, quod à Sancto Martino sex ferè millibus distat, ceperuntque Messanenses ipsum oppidum, & in ipsius loci hominum præda se vitiosè multum exercentes, statim inde cum præ-

da

da recesserunt: ita quidem eos excecavit aviditas, quod gloria illius *qualicunque visa est vilipensa, cordis balistarum sarcinulas pannorum, & aliarum rerum, quas diripiebant, ligabant. Cum ergò pervenisset ad notitiam principalis exercitus, quod Messanenses Seminariam venerant, ordinatum est, quod Gervasio de Martina remanente cum aliquibus in Sancto Martino ad ipsius loci cautelam, propter castrum Sanctæ Christinæ, quod Fulco Ruffus ibi propè tenebat, & in quo aliqui Messanensium diebus illis dicebantur receptati esse Conradus Truich Capitaneus cum exercitu Principis versùs Seminariam iret. Sed quia auditum est, quod Messanenses jam de oppido ipso cum præda recesserant, propter hoc divisus est principalis exercitus parte sub Capitaneo in Seminariam procedente, alias pars sub Roberto de Archis per alterius viæ compendium contra Messanenses exiret, ut Messanenses ante, & retrò ab utroque intercepti manus eorum evadere non possent.

* qualiscumque.

Procedente ergò hoc modo utraque parte exercitus ventum est ad planitiem, quæ est inter Seminariam, & nemus Solani, qui locus Corona vocatur, cum autem Messanenses vidissent principalem exercitum primo pede se collegerunt in unum, & quia timor eis apparitione principalis exercitus repentinus irruerat cœperunt quidem non deliberare quid agerent, sed quodammodo fluctuare. Capitaneus autem principalis exercitus, & pauci alii de ipso exercitu, qui cum ipso Capitaneo ad planitiem illam acceleraverant videntes multitudinem Messanensium ita collecta, nolebant quidem à principio ipsos aggredi, tum quia equi fatigati erant ex properantia veniendi ad locum illum, ad quem aridus, & montuosus erat accessus, tum quia major pars exercitus retrò erat, nec adhuc ad planitiem venerat, & ideo expectabat. Dum autem sic Capitaneus staret cum illis paucis ad aspectum Messanensium, vidit moveri vexilla eorum alterum contra alterum cum quadam tumultuositate ex quo inordinato, & tumultuoso motu comprehensum est, quod Messanenses pavorem jam ex apparitione principalis exercitus concepissent, & titubarent inter se, nec scirent quid facerent. Dum ergò considerante hoc Capitaneo ecce apparuit Robertus de Archis cum illa parte exercitus quam ducebat. Cumque Messanenses, ità inter se scrutantes tumultuarent subito contra eos prædictus Capitaneus cum Roberto de Archis, & illis paucis, qui tunc ibi inventi sunt de exercitu Principis cum magna animositate proripuit, cuiquidem aliqui de Messanensi exercitu equites resistere tentaverunt, sed statim uno eorum qui caput Messanensis exercitus dicebatur per ictum Conradi Truich Capitanei exercitus principalis, mox quoque alio per ictum Roberti de Archis ab equis eorum in Terram dejectis, statim totus ille Messanensium exercitus dissolutus est, & turpiter se convertit in fugam. Tunc plures Messanenses instante principali exercitu interfecti sunt alii gladio, alii verò ruina, dum semper in via sicut melius poterant fugientes præcipuè montium eis occurrentium, vel ex timore periculum, quod fugiebant videre non poterant, vel quasi unum de duobus periculis, quæ vitare non poterant, eligebant.

Aliqui profectò de oppido Seminariæ, qui deprædationem, ut dictum est à Messanensibus passi fuerant sequuti sunt principalem exercitum

citum per Seminariam transeuntem, sub spe recuperandi bona eorum, quæ à Messanensibus asportabantur, horum quidem aliquis sive masculus, sive fœmina ex illo exercitu Messanensium equitem sive peditem armatum capiebat, & si volebat interficiebat, pluresque illo die de Messanensibus ab illis de Seminaria, propter odium deprædationis prædictæ, quam ab illis de exercitu Principis interfecti, & vulnerati fuisse dicuntur, itaque quod pauci ex eis salvi evadere potuerunt. Capti autem fuerunt ex eis quinquaginta septem numero, qui alicujus valoris homines esse extimati sunt, & in carcerem missi: alios autem, qui interfecti, aut capti non sunt, vel fugæ desperatio, vel utilitas personæ servavit, & salvavit.

Ex illa igitur expugnatione Messanensium Civitas Regii ad mandatum venit, Captus est etiam castrum Galanæ, quod Messanenses usque tunc tenebant ab eo tempore, quo ut supra dictum est, prædictus Petrus de Calabria ab ipso recesserat.

Cum autem sic in Calabria gereretur, Princeps erat adhuc in obsidione Oriæ: cumque Civitatem ipsam angusta obsidione teneret Thomas de Oria, qui caput factionis, & rebellionis ipsius, & Brundusinæ Civitatis erat, videns Civitatem ita obsidione circumdatam, quod nullo modo ex ea pateret egressus, cum vires, & subsidium aliquod à Brundusinis recipere obsidione Principis impediretur, nec posset, nec haberet unde stipendia solveret soldaneriis, quos ad defensionem Civitatis tenebat, ad fraudolentia commenta se convertit, misitque Principi Nuntios suos significans ei, quod ipsi, & Orietani libenter se, & Civitatem Oriæ in manibus dare volebant; sed quia juramento, & pactionibus inter se, & Cives Brundusii habitis tenebantur Orientani nihil sine conscientia Brundusinorum facere, petebat sibi dari tempus, & copiam mittendi Nuntios ad Civitatem Brundusii, ad notificandum Civibus Brundusinis, qualiter ipsi Orientani nullo modo contra Principem tenere se poterant; propter quod ipsi mandatum Principis facere omninò disponerent, & ad persuadendum etiam Brundusinis, quod & ipsi similiter mandatum Principis facerent, cui rei si forte Brundusini refragarentur, Nuntii ipsi eis exponerent, qualiter Orietani penitus à societate sua recederent, & ad Principis mandatum redirent. Princeps autem petitionem ipsius Thomasii, & Orietanorum super hoc audiri considerans, petitionem talem non ex fraude, sed ex necessitate procedere, quam Orietani ex nimia obsidionis angustia pati videbantur, dedit eis copiam mittendi Nuntios ad Brundnsinam Civitatem, prout illi petierunt. Missi sunt ergo Nuncii Orietanorum Brundusium, non quidem pro causâ prædicta, quam Principi exposuerant, sed ut Brundusini per eos pro soldaneriis Orietanis stipendia mitterent, qui jam ultra sine stipendiis retineri non poterant; reversisque Nuntiis ipsis à Brundusio infra diem statutum cum stipendiis soldaneriorum, dum crederet Princeps statim post reversionem Nuntiorum ipsorum Civitatem, juxta quod Orietani promiserant, esse dedendam; Orietani responderunt, quod nullo modo se dedere vellent, sed pertinacius in antea quam olim in rebellione perseverare, declarantes, veram causam, pro qua Nuntios ad Brundusium miserant, & commendantes se, quod Principi super hoc illusisse videbantur. Multum enim eis tunc illa fraus profuit,

quia fraude illa mediante, & superveniente postmodum causa majore, deditio Civitatis illius tunc dilata est. Si enim Princeps ad obsidionem Civitatis ipsius ad modicum tempus ultrà institisset, proculdubio eam ad mandatum suum tunc habuisset; sed quia majora ipsum negotia trahebant, oportuit ipsum obsidionem ipsam dimittere, & utilioribus se laboribus occupare.

Pervenit enim ad notitiam Principis, quod Octavianus, Apostolicæ Sedis Legatus, magnum exercitum congregaverat, & in Apuliam cum ipso exercitu venire parabat. Recessit ergò Princeps ab obsidione Oriæ, & ivit Melphiam, ipsoque in Civitate morante, pro eo quod * quædam susurra hominum ibi, & in Civitate Potentiæ esse videbantur, Gualvanus Lancea avunculus ejus ad Civitatem Potentiæ profectus est, & eam sapienter, pro ut temporis qualitas dabat, reformavit, & in bono statu composuit, & ad Principem in Melphia reversus est. Princeps autem in Melphia ipso Gualvano dimisso, pro ipsius Civitatis, & adjacentium partium statu pacifico conservando, Luceriam ivit, & congregato ibi magno exercitu, tam de ipsius Terræ incolis, quàm aliarum Apuliæ partium, & de Theutonicis, & aliis soldaneriis, quos per Apuliæ partes dispersos habuerat, prima die Mensis Junii, 13. Indictionis cum exercitu ipso exivit, & campum processit continuato progressu ad montem Fornicosum, quem Imperator Fredericus mutato nomine montem Sanum vocari jusserat. Jam enim Papalis exercitus venerat usque ad locum, qui vocatur Buisida, quod Princeps intelligens valdè gavisus est: audiverat enim à tempore patris sui Imperatoris Frederici, quod quædam scriptura inventa fuerat, ex qua vaticinari videbatur, quod unus de posteris Imperatoris ipsius in loco illo Buisida magnam victoriam esset habiturus. Propter quod, cum ex casu insperato Papalis exercitus ad locum jam ipsum venisset, credebat Princeps, & pro firmo sperabat advenisse tempus de illius scripturæ vaticinatione, quod in persona ipsius Principis prædicti Imperatoris filii compleretur, eratque sibi in argumentum præcedens victoria, quam sibi feliciter, ut supra memoratum est, apud Fogiam de hostibus habuerat, quæ præparatoria, & incentiva ad majorem futuram victoriam esse videbatur.

* quidam susurrus

Cum ergò Papalis exercitus esset in loco illo, Princeps ad Guardiam Lombardorum, quæ sibi rebellis erat processit, intendens ipsam Terram anticipare, antequam Papalis exercitus ad ipsam veniret. Erat autem in ipsa Terra quædam magna comitiva armatorum de parte Ecclesiæ, qui Terram ipsam defendebant, ita quod Princeps tunc ipsam capere non potuit, & propter collium oppositionem videri non posset ab exercitu Principis in quam partem iret: ab aliquibus credebatur exercitum ipsum retrocessisse ob timorem Principis: ab aliquibus non immensam illius exercitus multitudinem metientibus putabatur, non quod fugere, sed quod per loca valiosa exercitus ipse incederet, & se contra principalem exercitum in loco tutiori collocaret. Ad hanc ergò dubitationem tollendam missus est à Principe Comes Henricus de Spernaria, cum quibusdam Theutonicis armatis ad explorandam viam prædicti Papalis exercitus, qui Comes cum prædicti armatis procedens, cum pervenisset ad nemus, quod est propè Frequentum, constituit prædictos armatos in quodam

dam loco ipsius montis, depresso quidem, & arboribus ob sito, ipseq; ad superiores nemoris partes ad explorandam viam prædicti exercitus solus processit: cumque ita explorando procederet, incidit in quosdam armatos de Papali exercitu, qui per nemus illud casu discurrebant, & cum ipse solus esset, illi verò pauci, dum per amfractus nemoris vellet ab occursu illorum secedere, & fugiendo quodammodo trahere eos versus locum, in quo suos Comites armatos dimiserat, in illa viis nemoris cespicavit equus ejus, totusque in Terram revolutus ipsum in Terram dejecit, sicque ipse Comes ab illis de Papali exercitu eum insequentibus raptus fuit: cumque ducerent eum captum, nec tamen scirent quis esset, nec præsumerent eum magnam de Principis comitiva esse personam, pro eo quod sic solum in nemore illo ipsum invenerant, quasi errantem; studebat dictus Comes, quasi viarum ad exitum illius nemoris conscius ducere illos per locum, ubi Comites suos dimiserat, ut ab eis posset sibi succurri: cumque ad locum illum cum ipsis suis ductoribus pervenisset, non invenit Comites suos ibi, unde quodammodo desperatus credebat è manibus illorum ex tunc evadere non posse. Licet autem in eo facto de Comitibus suis non inventis fortuna sibi adversata fuisse videretur, tamen statim sibi in ipsius contiguo adversitatis arrisit, nam cum paululum è loco illo processissent, apparuerunt de propè quidam Saraceni Arcerii de principali exercitu, quos cum dictus Comes Henricus cognovisset, statim clamavit ad eos vocans eos compatres, quo nomine Saraceni, & Theutonici de principali exercitu se ad invicem vocare assueverant. Illi autem voce Comitis audita, ipsoque cognito, statim in eos, qui eum captum ducebant irruerunt, & Comite liberato, alios ex eis occiderunt, alios vulneraverunt, alios ceperunt, alios in fugam turpiter converterunt, & coegerunt.

His itaque de Comite Henrico gestis, principalis exercitus, qui prædicto modo, & loco in quo primò steterat, se movens per collium oppositionem disparuerat, ex alia parte, quæ ad aspectum Papalis exercitus directa erat propè Freqnentum apparuit de viso Princeps cum suis, versusque ipsum Papalem exercitum procedebat, intendens eidem exercitui contra se venienti occurrere, & cum ipso pugnare. Papalis autem exercitus viso, quod Princeps ad ejus aspectum non quidem ex illorum multitudine territus, sed ad pugnam accensus ad veniendum contra eum castra movisset, non ultra processit, sed in loco se fixit: quo viso Princeps similiter cum exercitu suo stetit, nec tunc priùs illos appetiit, sed ad stationem unde se moverat est reversus.

Erat autem circa partes illas quidam locus eminens, de quo Princeps consideravit, ut sapiens, quod si locus ille caperetur ab hostibus, magnum sibi posset evenire nocumentum; quia loco illo ab hostibus habito, foderum ex illa parte Capitanatæ posset ad suum exercitum pervenire, & in eo loco Princeps castrametatus est, in quo ante, & retrò hostes habebat, ex una enim parte erat Guardia Lombardorum rebellis, in qua erat quædam pars Papalis exercitus, ut prędictum est, ex alia verò parte erat Legatus cum exercitu infinito. Cum ergò post paucos dies prædictus Legatus cum Papali exercitu à loco, in quo erat propè Frequentum recessisset, versus prædictum lo-

cum eminentem venturus, Princeps credens, quod pro occupando loco ipso veniret statim, cum exercitu suo se movit, & contra Papalem exercitum venientem animosè procedens, ut prædictum locum eminentem præoccuparet, & defenderet, contra hostes recepturus pugnam, si illi tanti essent antequam ipsam inferrent. Procedente autem sic Principe, contrà eos illi ad Principis animosè venientis aspectum non venerunt, nisi usque ad nemus, quod est citra Frequentum, ibique se in quodam loco tuto locaverunt, & tentoria sua ibi fixerunt. Videns autem Princeps, quod illi ultrà non procedebant, ipse similiter ultrà non ivit, sed ad stationem suam reversus est. Erat autem locus ille, in quo se fixit tunc Papalis exercitus ex tribus undique partibus naturali Terræ montuositate vallatus, ex quibus partibus nullus in eo de facili poterat haberi accessus, ex altera verò parte ad aspectum principalis exercitus clivositate mediocri in planitiem quamdam locus ille vergebat, sicque ibi exercitus ille collocatus erat, ut ipsis euntibus contra alios esset inde descensus, aliis verò ad eos accedentibus esset ascensus. Ex illa ergò parte mansionis illius, quæ ad aspectum principalis exercitus erat, & quæ non ita sicut tres mansionis partes naturaliter munita videbatur, facta est quædam clausura de paliciis, tantaque erat ipsius exercitus multitudo, qui ibi tunc collectus erat, quod hastarum solummodò elevata congeries ad similitudinem alicujus nemoris apparebat.

Cum ergò sic in aspectu mutuo uterque staret exercitus, & exercitus Papalis incomparabiliter major, & copiosior, quam exercitus Principis appareret, expectabat Princeps, ut ipse requireretur ad bellum; tum quia ipse ad defensionem Terræ stabat, non quidem oppugnare debebat, sed oppugnantibus resistere satis esse credebat; tum quia, ut dictum est, sine comparatione major erat exercitus ille, quam suus, cum innumerabilis esset in eo multitudo peditum, equitum quoque numerus exercitus sui in septuplum videbatur excedere. Stabat ergò Princeps bellum expectans ab inimicis, nec tamen illi de loco ubi tentoria fixerant, & se circumquaque concluserant, ullo modo exibant. Unde cum aliquos dies in hujusmodi Princeps belli expectatione stetisset, cogitavit, quod ideo illi eum aggredi dubitarent, quod ipse cum exercitu suo in eminentiori parte stare videbatur; propter quod, ut eos ad bellum posset allicere, decrevit de loco illo in planum descendere, & exercitui Papali magis appropinquare; & quia certum gerebat de bellando propositum, & sic suam tunc volebat experiri fortunam, ut solus vincendi amor ipsum ad bellandum impelleret, ut nullam eum expugnationis in se forsitan faciendæ verecundia, vel formido retraheret, effossis de loco illo tentoriis, in tres acies totum suum divisit exercitum, & cum tribus aciebus illis exclaratus descenderet in planum, ecce tres aquilæ super exercitum ipsum apparuerunt volantes in aere, quod omnes illi de exercitu, & Theutonici maximè videntes, ceperunt exultare, lætitia quasi certæ victoriæ signa ex illa aquilarum supervolantium apparitione comprehendentes; unde & si prius ad pugnandum nocivi, & ardentes fuerant, tunc magis, ac magis ex illo signo aquilarum accendebantur ad pugnam. Taliter igitur procedens Princeps appropinquavit parans se sibi ad pugnam recipiendam, ipse enim pugnam eis inferre

ferre non poterat commodè, nisi illi de clausura illa qua circumcingebantur exirent; quia si Princeps eos in illa clausura invaderet, planitia illa, quibus Papalis exercitus se totum clauserat, magnum sibi posset victoriæ impedimentum inferre. Præcedebant autem pedites Principis cum arcubus, ballistisque adeo propè clausuram, ut illos de Papali exercitu ad exeundum allicerent, qui mittebant in eos saggittas, & eos quatenus poterant lacessebant, sed nullo modo de sua statione movebant: imo si quando aliqui sui pedites extra clausuram exire tentabant, equites eos celeriter revocabant, manifesteque ostendebant, quod bellandi animum non habebant.

Videns ergò Princeps, quod ipso taliter bellum desiderante, adversarii sui bellare sic penitus recusarent, cum Principis acies esset in eo loco, ubi si bellum committeretur, melior adversariorum suorum conditio futura esse videbatur, cum per sex ferè horarum spatium Princeps in illo loco fuisset ad bellum recipiendum paratus, ne amplius invanum ibi sic stare videretur, cogitavit ad stationem suam retrocedendum. Sic tamen retrocessionem ipsam sapienter fieri procuravit, nè ipso retrocedente adversarii sui, qui in loco eminenti, ut dictum est, stabant, contra eum in ipsa retrocessione incautè irrumperent, & aliquod sibi, sicut sepè fieri solet, in talibus nocumentum inferrent. Disposuit ergò Princeps, quod prima acies sua, quæ castris hostium vicinior erat, & secunda similiter, quæ propè ipsam in loco suo fixæ, & stabiles permanerent, ipsisque duabus aciebus in loco suo sic stantibus, tertia acies, quæ ultima erat, moveretur, & modestò, ac ordinato regressu ad unum stadium de loco suo retrocederet, & ibi ordinata maneret, quo facto etiam acies subsequenter prior ipsa de loco suo similiter moveretur, & ad locum unde acies tertia recesserat se ordinata retrocessione reciperet, ac deinde prima acies, quæ in castrorum hostilium vicinitate remanserat ad locum, unde secunda acies recesserat, reliquis duabus aciebus non nimis longè ab ipsius tutela distantibus verteretur. Sicque factum est, quod aciebus ipsis gradatim una ante aliam cum prædicta cautela retrocedentibus, adversarii non minùs de sapientia, & prudentia Principis obstupescentes, quam de suæ armatæ potentia trepidantes, nullo modo contra ipsum in ipsa etiam hujusmodi exercitus retrocessione exire ausi fuerunt: & Princeps composito, & inoffenso regressu ab hostium suorum, facie ad stationem suam, ubi priùs steterat, regressus est.

Post recessum quoque principalis exercitus facta sunt de ingenio Marchionis Bertholdi quædam lignea instrumenta triangulata sic artificiose composita, quod de loco ad locum leviter ducebantur, & quocumque modo revolverentur semper ex uno capite erecta constabant. His ergò ligneis instrumentis Papalis exercitus ex illa parte, qua erat exercitus principalis aspectus se circumcinxit, & sic se ipsorum compositione vallavit, ut non de facili ex illa parte posset irrumpi. Mirum autem valdè, videlicet quod Papalis exercitus etiam provocatus ad bellum non exivit; cum dictum est, exercitum Principis in immensum excedere videretur; additus enim erat ipsi exercitui diebus illis, quidam alius Papalis exercitus, qui sub Archipresbytero Paduano prædicti Legati Vicario per partes Principatus ad invadendam, & conquirendam Calabriam dirigebatur. Eo etenim tem-

tempore magnus Papalis exercitus sub prædicto Octaviano Legato Apostolicæ Sedis in Apuliam venire dispositus erat. Ordinatus etiam fuit prædictus Archipresbyter cum magna comitiva equitum, & peditum ire in Calabriam, & prædictus Petrus Ruffus de Calabria, qui ut supradictum est, de Calabria pridem fugiens ad Romanam Curiam se contulerat, ordinato navilio constitutus fuit ire per mare cum Archiepiscopo Cusentino noviter à Papa creato. Itaque fuerat inter ipsos cognitum, ut simul eodemque die Archipresbyter ille, cum exercitu, quem ducebat per Terram, & prædictus Petrus de Calabria per mare, in Calabriam invaderet. Dumque in Calabria utrinque procederetur, Archipresbyter prædictus, qui jam ad duas ferè dietas cum prædicto exercitu Calabriæ finibus appropinquaverat, à prædicto Legato Apostolicæ Sedis ad subsidium magni Papalis exercitus, qui contra Principem stabat, in itinere Calabriæ revocatus est; cujus revocationem prædictus Petrus, cum per mare proficisceretur, ignorans de illo, quod cognitum fuerat à se simul cum prædicto Archipresbytero ex diversis partibus invadendam esse Calabriam, ad castrum Sancti Lucidi de Vallegrata cum navigio prædicto pervenit, & in castro cum prædicto Archiepiscopo, & armatis, quos duxerat se recepavit. Statimque autem sparsus est in Calabria, & præsertim in Civitate Cusentiæ rumor, quod prædictus Petrus cum duodecim galeis, & infinita multitudine armatorum per mare venisset, & quod Papalis exercitus per terram veniens ex duobus partibus, videlicet prædictus Archipresbyter per introitum Morani, & Oddo Marchio de Honebrunch, cui Comitatus Catanzarii per Papam concessus erat, per introytum pontis Roseti, Vallisgratæ fines intrasset; & quod Gervasius de Martina, multique cum eo armati, qui apud castrum Vallis ad defensionem finium Vallisgratæ stabant, à Papali exercitu capti essent. Item quod duodecim galeæ Brundusinorum venissent ad maritimam Cutroni, ad partes Terræ Jordanis, pro parte Ecclesiæ oppugnandam, & quod Princeps apud Guardiam Lombardorum à Legato Apostolicæ Sedis, & Papali exercitu, qui ibi erat, foret expugnatus in campo.

Dum autem rumures hujusmodi per Calabriam, & præsertim in Civitate Cusentię ducerentur, & diversorum narratione hinc inde venientium firmarentur, magisque verisimiles in eo viderentur, quod prædictus Petrus de Calabria ad prædictum castrum Sancti Lucidi, quod à Civitate Cusentiæ ad quindecim milliaria vicinatur, sic audacter, & securè cum uxore sua, & aliis mulieribus, quas pridem fugiens de Calabria secum duxerat, descendisset, quod non videbatur ab eo potuisse acceptari, nisi cum multitudine armatorum magna venisset, & nisi rumores illi, qui dicebantur dę ingressu Papalis exercitus in Vallegrata, & de captione prædicti Gervasii, & suorum, & de expugnatione Principis in aliquo veri essent:, venit quidam Nuntius dicti Petri Cusentiam cum literis ejus, & Archiepiscopi Cusentini, per quas universitati ipsius Civitatis ex parte Apostolica firmiter, & expressè mandabant, ut incontinenti Nuntios mitterent ad eorum præsentiam pro parte totius Universitatis ipsius mandatum per eos Apostolicum recepturos; alioquin in sequentem diem essent cum toto eorum exfortio ad ipsius Civitatis excidium. Cum autem tunc tem-

temporis quando hæc fiebant omnes ferè meliores homines Civitatis Cusentiæ ab ipsa Civitate abessent, quoniam cum prædicto Gervasio de Martina ad defensam finium Vallisgratæ apud castrum Vallis morabantur, nec remansissent in Civitate ipsa, nisi quidam popula-res, & illi qui vel de personis nobiles erant, nullum armorum exercitium habere videbantur, veniente prædicto Nuntio Petri de Calabria cum literis illis, homines Civitatis prædictæ, qui ibi tunc inventi fuerunt, diuturnitate quietis, & pacis, quam à tempore Imperatoris Frederici habuerant, inexperti, & prorsus ignari guerrarum, cum nescirent, nec per angustiam temporis prævidere possent quid melius esset eis in illo articulo faciendum, cum præsertim Civitas ipsa Cusentiæ propter incendium, quod anno præterito passa fuerat, tam domibus, quàm aliis, quæ ad defensionem competerent, esset immunita; ex illa minaci & aspera prædicti Petri, & Archiepiscopi requisitione providerunt, ut Nuntios ad prædictum Petrum, & Archiepiscopum mitterent, non quidem, ut aliquod mandatum Apostolicum ab ipso reciperent, sed ut ipsorum Nuntiorum missione, & tractatu super instante negotio hinc inde habendo, dictus Petrus, & Archiepiscopus morandi apud Sanctum Lucidum occasionem haberent, donec lateret certitudo de prædicto Gervasio, & aliis, qui capti esse dicebantur, vel si hoc factum esset, dictus Gervasius totum hoc negotium sciret; vel ipse veniret, vel Cives Cusentiæ, quos secum habebat, & alios ad defensam Civitatis ipsius mitteret. Missi ergo Nuntii à Civitate Cusentiæ in Sanctum Lucidum ad prædictum Petrum de Calabria, & ad Archiepiscopum Cusentinum, missi quoque sunt Nuntii, & literæ ad prædictum Gervasium de Martina, per quos sibi totum negotium declarabatur, & petebatur, ut de defensione Civitatis provideret, sicut esset ad eorum salutem, & fidem melius providendum, & ad explorandum etiam de statu ipsius Gervasii, & aliorum, & si verum esset, quod de ipsorum captione dicebatur, & de aliis etiam rumoribus, quæ ut supra dictum est, contra salutem Principis testabantur, procederetur ab eis in antea, sicut esset pro qualitate ipsius procedendum.

Cum ergo prædictæ Civitatis Nuntii profecti essent ad castrum Sancti Lucidi, ubi prædicti Petrus, & Archiepiscopus Cusentinus erant, invenerunt eum cum paucis quidem amicis, quos de partibus Terræ Laboris secum navigio duxerant. Veruntamen quia dictus Archiepiscopus commissionem ab Apostolica Sede habebat cruce signandi homines ad auxilium Ecclesiæ sub ea remissione, & indulgentia, quæ conceditur illis, qui cruce signantur ad auxilium Terræ Sanctæ, multi rustici, & ignobiles de maritima illa, & adjacentibus Vallis, audita tam grandi remissione, & indulgentia, quæ fiebat à prædicto Archiepiscopo illis, qui vellent crucem recipere, ad locum ipsum confluxerant, & crucem ab Archiepiscopo ipso receperant pro timore, & pro servitio Ecclesiæ, & si opus esset sub spe remissionis. Itaque ferè duo millia hominum cruce signatorum cum prædicto Petro, & Archiepiscopo jam erant præter illos, qui cum eis venerunt navigio Terræ Laboris. Statim autem, quod prædictus Petrus, & Archiepiscopus viderunt Nuntios Civitatis Cusentiæ ad se venientes, primò quidem eos læta, & curiali facie receperunt, magna eis, &

Civi-

Civitati Cusentiæ promissa ex parte Ecclesiæ facientes. Intelligentes verò quod Civitas Cusentiæ vocaverat Gervasium de Martina ad defensionem finium Vallisgratæ, statim quidem totus exercitus principalis, qui cum eo erat in castro Vallis, ipseque turbatus est, cœperuntque omnes, & illi præcipue qui partem Principis contra prædictum Petrum animosè tenuerant, valdè timere, & quilibet de se potius, quam de defensione Provinciæ cogitare; timebant enim de potentia, in qua dictus Petrus sic subito erectus esse videbatur ex multitudine hominum, quæ ad ipsum tunc confluxisse dicebatur, longèque plus de eo quam verum referebatur.

Cum itaque sic exercitus ipse titubaret, ex his quæ dicebantur, omnesque ad dissolutionem ipsius exercitus proinde tendere viderentur, Gervasius de Martina, qui Capitaneus ipsius exercitus erat, habito cum Baronibus, & aliis secum existentibus consilio, captis quibusdam de Cusentinis, qui suspecti de ipsius Petri parte videbantur, omnes alios Cusentinos, qui in ipso exercitu secum erant, Cusentiam remittendos decrevit, eisque sub juramento fidei præcepit, ut euntes Cusentiam sic facerent, ut prædictum Petrum, vel caperent, vel fugarent, ipse verò Gervasius eum aliis remansit in exercitu expectans. Venientes ergo Cusentiam invenerunt Petrum præfatum magna hostium multitudine circumfultum, ex quibus licet multi non affectionibus, & armis decentibus armati, alii gladiis, alii verò armis, alii erant, prout poterant licet incompetenter muniti. Licet autem eis competentia arma deessent, animositatem tamen quamdam habere videbantur, se mori paratos pro servitio Ecclesiæ conclamantes, incitantes etiam dictum Petrum, ut illico exirent in Campum, & ipsos ad hostes Ecclesiæ debellandos produceret in sequentem diem contra Gervasium de Martina, ubicumque eum invenire possent.

Statim ergò quod venerunt prædicti Cusentini Cusentiam, & Potentiam dicti Petri viderunt, alii ex eis recesserunt, nec ante faciem ejus apparere voluerunt, alii verò ut efficacius possent operari ea, quæ prædictus Gervasius eis facienda de ipso Petro mandaverat, comparuerunt, quibus mandatum Ecclesiæ jurare fecit, astantibus sibi viris armatis paratis ad capiendum, & offerendum omnes illos, qui ad ipsius Petri jussum mandata Ecclesię jurare fortè reniterent. Compulsi ergo tunc illi mandatum Ecclesiæ ex necessitate magis, quàm corde juraverunt, Videntes autem quod in personam ipsius Petri nihil facere, vel etiam acceptare auderent, propter magnam hominum multitudinem, quæ circa ipsam erat, cogitaverunt, ut id quod per vires eorum facere non poterant, dolis operarentur, ut sicut dictus Petrus per dolum, & falsos rumores per Calabriam seminatos, in Calabria taliter acceptus esse videbatur, sic & inde per dolos, & falsas adinventiones expelleretur. Ordinatum est per Cusentinos, quod Nuntii mitterentur ad maritimam Sancti Lucidi, relaturi rumores per maritimam illam, sparsuri quod gens de Calabria ventura erat ad castrum Sancti Lucidi, ad uxorem dicti Petri capiendam, qui relatores ita fecerunt, quod rumores hujusmodi ad uxorem dicti Petri pervenire possent: Sicque rumores ipsi à diversis concorditer recitarentur, quod credibiles viderentur. Ordinatum est etiam à Cusentinis prædictis, quod submitterentur quædam personæ ex parte aliquo-

aliquorum, qui prædictum Petrum diligere viderentur, afferentes ei se occasione ex parte ipsorum, atque testantes quod se custodiret, quia ab illis, qui magis adhęrere videbantur, sibi proditio tractaretur; sicque positum est, quod Gervasius de Martina de nocte venire deberet, quo antè Civitatem existente, ipse Petrus ab illis, qui in Civitate essent, immisso in Civitate igne, caperetur. Euntibus ergò prędictis Nuntiis, & relatoribus ad maritimam Sancti Lucidi, & prædictos rumores in maritima spargentibus eo modo, quo credibiles dictę uxori Petri de Calabria facti sunt. Statim rumoribus ipsis auditis, & sibi multorum concordi assertione verificatis, misit literas, & Nuntium viro suo apud Cusentiam, quæ literæ ad eum de media nocte pervenerunt continentes qualiter ipsa timens valdè ne caperetur à gente illa, quæ contra eam ventura de Calabria dicebatur, rogabat, & sollicitabat eum, quod sibi succurreret. Ita etiam eadem nocte quidam missi ab aliquibus de parte sua venerunt ad eum, qui tremore simulato, secreta ei confessione dixerunt ex parte illorum, à quibus ad eum missi esse videbantur, quod ipse Petrus se custodiret, & si cautè posset de Civitate recederet; quia pro certo contra eum ab illis, qui sui esse videbantur, proditio tractabatur; itaque nisi se custodiret, proculdubio sic ordinatum erat, quod caperetur, multaque sibi alia figmenta suggesserunt, per quæ dictus Petrus ad ea credenda, quæ dicebantur moveretur: iisque dictis Petrus attonitus intelligens etiam, quod Judex Joannes de Marturano, qui secum de Curia Romana venerat, per Robertum de Archis, juxtà Calabriam apud Marturanum captus fuerat, & dum duceretur Neocastrum, à quibusdam sibi occurrentibus interfectus in via. Audiens, quod dictus Robertus de Archis venturus erat supradicta die cum magna multitudine hominum contra eum, perpendens quoque, quod Cusentini de ipsius captione tractabant, & quod illi, qui Principis partem fovebant, intendebant ignem mittere in Civitatem, habito cum prædicto Archiepiscopo Cusentino in ipsa nocte tractatu, & deliberatione, quæ in illa temporis angustia potuit haberi, summo diluculo fecit edici, quod ipse volebat facere monstram de armatis, qui secum erant aliis, qui ad ipsum confluxerant, & in campo ante Civitatem, factaque ipsa monstra, procedere ad incendendum quoddam Casale prædicti Roberti de Archis propè Civitatem Cusentiæ positum, quod Venera vocabatur, ac deinde prandio ire contra Gervasium de Martina, ubicumque eum inveniret.

Egressus est itaque ipse cum Archiepiscopo Cusentino, armatis equitibus, ac innumera multitudine peditum extra Civitatem, & simulata quadam monstra, ibi cępit procedere contra Casale prędictum, credebaturque ab omnibus Cusentinis, quod ipse ad Casale prædictum iret, & postea reversurus esset ad Civitatem: dimiserunt enim tam ipse, quàm Archiepiscopus coquos, & ministros alios ad prandium. Cum igitur usque ad pertinentias ipsius Casalis processisset, & pedites eum longè retrò sequerentur, cępit statim ipse, & qui cum eo erant tenere viam, qua itur ad Sanctum Lucidum: ex quo facto, & exeundi Festinantia, cognitum est, quod fugeret; reversisque peditibus, qui post eum ibant, cum Cusentini eumdem Petrum fugisse cognovissent, valdè contristati sunt, & turbati, quod sic eos

Ppppp dictus

dictus Petrus eluserat, & à manibus ipsorum evaserat, nuntiaveruntque statim Gervasio de Martina, qui hoc audito cum gente, quæ sibi remanserat profectus est ad castrum Montis Alti, quod propter adventum dicti Petri rebellaverat. Cumque ipsius castri municipes se contra ipsum Gervasium satis animosè defenderent, ita quod aliqui ex suis insultu castri ipsius fuerint lethaliter vulnerati, tandem per fortunam Regis, & Principis potentiam castrum ipsum violenter captum est, igneque crematum. Capto verò, & combusto ipso oppido Montis Alti, processit exercitus ad castrum Rondæ, quod similiter ex adventu ipsius Petri rebellaverat; & licet aliqui de illis, qui cum prædicto Petro venerant ibi essent, & ipsius loci municipes ad resistendum animarent, tamen statim, quod exercitus ante oppidum fuit, & ipsum oppidum dum cepisset, incolæ loci ex timore instantis exercitus omnem animum, & vigorem ad se defendendum amiserunt, solumque illi, qui à Petro prædicto fuerant missi, oppidum regere, & exercitum repellere satagebant. Videntes autem, quod municipes animum, & vigorem amiserant, nec ipsos ad resistendum juvare volebant, in fugam exercitu jam intrante conversi sunt, & cum prædicto Petro apud Sanctum Lucidum se receperunt. Capti autem sunt ibi quidam Neapolitani. Canaymus de Grisagni cum resistere vellet aliis fugientibus apprehensus est, detentusque in carcere; in Apuliam missus.

Capto autem castro Rondæ, cum exercitus pararet se ire versus Sanctum Lucidum contra prædictum Petrum, qui se ibi cum suis receperat. Dictus Petrus hoc audiens galeis, in quibus venerat cum Archiepiscopo, & omnibus illis, qui cum eis venerant, & de Cusentia, & Ronda fugerant, festinanter ascendit, profectusq; est Tropeam; cumque ibi non fuisset permissus ad Terram ascendere, recessit inde, & tentavit ire Messanam. Messanenses autem hoc præsentientes, cum ipse Petrus esset adhuc in ingressu Phari, & ibi quiesceret; miserunt ad eum Nuntios, sibi prohibentes nè ad Civitatem veniret, imò potius de loco illo discederet.

* cusema Recessit ergò Petrus ad Insulam Lipari, ibique aliqua * exenia de pane, & rebus victui necessariis, quibus plurimum indigebat, à communitate, & singularibus personis Liparensibus recipiens, in terram Laboris regressus est G. Licet autem prædicti Petri adventus in Calabriam in offensionem, & damnum Principis attentatus fuisset, magnam tamen Principi utilitatem, & gloriam procuravit, quia cum usque tunc plures de Calabria vacillarent, tamquam in prædicto Petro, quam in viribus Papalis Curiæ fiduciam aliquam haberent, tamen ex adventu ipsius Petri, tam ejus, quam Papalis Curiæ, quæ ipsum misit impotentiam experientes, in Principis fide confirmati sunt, & vanis verbis, atque rumoribus, quæ corda hominum plerumque movere solent, numquam amplius credere voluerunt.

Interea dum hæc sic ad triumphum, & gloriam Principis in Calabria peragerentur, Princeps cum exercitu suo erat in colle illo, qui * Freguentū est inter Guardiam Lombardorum, & nemus * Frequenti, expectans aggressuram Papalis exercitus, qui de die in diem continuum recipiebat augumentum. Exibant quoque aliqui de exercitu Principis in planitiem, & adversarios provocabant ad bellum, illi tamen nullo

modo

modo extra clausuram, quam circumcirca se fecerant progrediebantur: tantusque eos de Principis potentia timor invaserat, quod si quando exire deberent hinc aliqui de utroque exercitu ad aliquid, ut moris est, acquirendum, quinquaginta viri de Legati exercitu, sex, aut octo viri de parte Principis occurrerent, ab eorum aspectu protinus fugerent, & eorum aggressum nullatenus expectarent. Morabatur igitur sic uterque exercitus, alter ad aspectum alterius, nec ullo modo Legati exercitus, ad quem impugnatio pertinebat, movebatur ad bellum.

Factum est autem, quod diebus illis quidam Marescallus Ducis Bavariæ, avunculi Regis Conradi Secundi, ex parte Reginæ Elisabeth matris ipsius Regis, & ex parte etiam ipsius Ducis, venit à Theutonica in Regnum, missus ab eis ad Principem, & deinde ad Romanam Curiam, pro negotio dicti Regis tractando. Cumque Legatus Apostolicæ Sedis, & Bertholdus Marchio de Honebruch, ipsius Marescalli scivissent adventum, & causam, pro qua ipse de Theutonica venerat, occasionem habuerunt tractandi cum Principe treguas, donec de negotio Regis, pro quo ipse Marescallus venerat, posset aliquid cum Summo Pontifice tractari. Mediantibus ergò ex utraque parte viris nobilibus, & magnificis, qui in utroque exercitu erant initæ sunt, & firmatæ treguæ inter Principem, & Legatum utriusque partis, & multorum hinc inde magnatum juramentis corporaliter roboratæ: qualis treguæ talis erat in summa conditio, ut donec dictus Marescallus, & alii Principis Nuntii ad Summum Pontificem irent pro tractando Regis negotio, atque redirent, quinque diebus post reversionem ipsorum, nihil ab utraque parte innovari deberet. Responsum fuit eis, quod in relatione treguarum, quam Legatus Summo Pontifici, ac fratribus fecerat, nihil de adjectione quinque dierum continebatur, & quod totum negotium Legati providentiæ, ac arbitrio commissum erat, propter quod nullum à Romana Curia responsum habere potuerunt, nisi quod redirent, & cum Legato de negotio ipso tractarent. Ex hujusmodi igitur responso conjectum est, quod Legatus, qui in relatione treguarum Romanæ Curiæ, per se facta de adjectione prædictorum quinque dierum nihil expresserat, Principem decipere disposuerat, quod quidem ex postea facto satis clarè, & apertè manifestatum est.

Nam statim, quod treguæ ipsæ firmatæ fuerunt, ut superiùs dictum est; securus Princeps, quod nihil treuguis durantibus innovari per Legatum deberet, recessit à loco illo, in quo contra Papalem exercitum tentoria fixerat, perrexitque cum gente sua versus inferiores Apuliæ partes, ut & Terram illam tamquam bonus Rector perambulando visitaret, & confortaret in fide, & à laboribus, quos in campo passus erat per Urbium amœnitates æstivando quiesceret. Descendit itaque per Cornetum ad maritimam Terræ Bari; quod cum Legatus Apostolicæ Sedis, & Bertholdus Marchio de Honebruch Capitaneus Papalis exercitus intellexissent, contra pacta treguarum firmata cum Principe, processerunt versus Rubum, ac deinde continuato progressu in Capitanatam profecti sunt, Civitatem Fogiæ quasi ex insperato moventes. Cumque Terra ipsa Fogiæ totum Papalem exercitum capere non posset, pars ipsius exercitus in oppido Sancti

Laurentii de * Caraman, quod Fogiæ per tria ferè millia tantum proximatur, se receptavit. Erat enim prędicta Civitas Fogię frumento, ordeo, ceterisque rebus victui hominum, & equorum necessariis abundans, locaque similiter sibi adjacentia, propter quod tunc Papalis exercitus ibi se recepit, ut res prędictas victui necessarias haberet ad copiam, & ut etiam Princeps, qui in Maritima Terræ Bari tunc erat Papali exercitu apud Fogiam existente, cum Luceriam jungi non posset, & facile esset ipsum Principem à Luceria separatum, vel Luceriam ipsius Principis auxilio carentem, superari.

* Camarati

Cum itaque Princeps existeret apud Tranum, venit sibi rumor insperatus, & subitus, quod Papalis exercitus venisset in Capitanatam, & Fogiam occupasset, minimè credibile reputavit, & miratus est, quod si verum esset, quod Legatus Sedis Apostolicæ, vir quidem Ecclesiasticus, & qui magis aliis fidem servare tenebatur, firmata inter se, & Principem treguarum pacta fregisset, cum nondum rediissent à Papali Curia Principis Nuntii, usque ad quorum reditum, & quinque diebus ultra treguę ipsæ durare debebant. Comperto autem, & veraciter cognito, quod Papalis exercitus Fogiæ erat, Princeps moræ impatiens, & Marchionis Bertholdi præcognoscens astutiam, cujus consultu hoc actum esse dicebatur, profectus est Barolum ibique parum moratus, persuasit Barolitanis ut in Regia, & sua fide persisterent, nec propter adventum Papalis exercitus in Capitanatam se de suæ fidei stabilitate mutarent, imo finalem rei expectantes adventum non prius in partem contrariam ire deberent, quam ipsum Principem, si id fortuna daret, victum viderent, quia si usque ad finalem belli eventum in sua fide persisterent, vincente Principe gloriosi reputarentur, vel eo forsitan succumbente sine vitio in partem alteram declinarent. Facta itaque persuasione hujusmodi Barolitanis recessit, & per attinentias castri Canusii transiens, quod Oddo Marchio de Honebruch tenebat, Gaudianum pervenit; inde quoque processit ad Civitatem * Exculi, receptisque de ea obsidibus, Luceriam profectus est. Et licet Papalis exercitus transitum Principis per partes illas, utpotè vicinum perpendere potuisset, non tamen ipsum impedire tentaverunt, sed sine aliquo impedimento Princeps cum gente sua Luceriam intravit, paucisque diebus in Civitate ipsa permanens cum toto exercitu suo egressus est, * juxtà flumen, quod dicitur . . . . . * quod à Civitate Fogiæ per sex inde milliaria distat, mansitque ibi per dies . . . . , cum autem Civitas Sancti Angeli in supercilio montis Gargani ad adventum Papalis exercitus contra Principem rebellasset, misit Princeps partem exercitus sui contra Civitatem ipsam, sicque Civitas ipsa per violentiam capta est, & ad mandatum Principis devoluta.

* Ruilis

* & castrimetatus est.

*Cum autem Civitas S. Angeli staret in supercilio montis Gargani, qui à Civitate, &c.

Cum autem Princeps in prædicta statione per aliquot dies stetisset, & videret, quod Papalis exercitus, qui se in Fogia receptaverat, ut prædictum est ad egressum Principis non exiret in campum, Princeps eorum pusillanimitatem ex hoc prænoscens, aliquantulum magis appropinquavit cum exercitu suo ad Civitatem Fogiæ, ut videretur, si vel tunc ad bellandum exirent: illi autem aliquatenus non exibant, imo inceperant se circumcirca vallare fossatis, & super fossatis sticchatos erigere, destruentes etiam domos, quas Imperator Frederi-

cus

cus construi fecerat in riveria Sancti Laurentii valdè pulchras, quo lignaminibus domorum ipsarum, quæ inde dirumpere potuerunt, facerent sticchatos, sive palliciata circumcirca Civitatem. Non enim licuit eis in totum domus ipsas destruere. Princeps ad obsidionem ipsorum procedens juxtà flumen, quod est ante Fogiam tentoria sua fixit, & super quadam Ecclesia Sancti Bartholomæi, quæ magis Civitati vicinatur speculam unam ad excubias, ut moris est, contra hostes faciendo, ipsis suum vexillum imponi fecit, pro majori exercitus sui cautela, totam castrorum suorum stationem fossatis fecit circumcirca vallari, ne forsitan hostes sui, qui videbantur innumerabiles, subito in ipsum irrumperent, & ipsum offendere possent, fecitque capi, & muniri prædictas domos in Riveria Sancti Laurentii, sicut erant in parte destructæ, quod quidem satis utile esse prævidit, ut illi, qui erant in oppido Sancti Laurentii, ut dictum est ad eos, qui erant in Fogia ire non possent: Quo Princeps, ad obsidionem Civitatis Fogiæ, sicut appropinquavit, ita Papalis exercitus, qui ibi inclusus erat, & pro obsidenda Luceria, & Principe in ea fuerat congregatus, reperit se incarceratum, potius quam obsessorem, & præ timore Principis extra palitia exire nullatenus audebat, nunquam enim credere potuerunt, quod Princeps tanti animi esset, ut equo Luceriam auderet exire: firmumque erat, & certum ipsorum propositum, ipsum in Luceria obsidere; unde etiam Legatus Sedis Apostolicæ, qui Papali exercitui præerat, postquam Fogiam intravit, si quas literas per Regnum, vel ad partes alias mittebat, eas in obsidione Luceriæ subnotari faciebat. Spes autem decepit eos, & animositas Principis, quæ juvenili in ea ætate vigebat, eorum propositum penitus annullavit, & pœnitudinem eis de eo, quod fecerant vehementer ingessit. Bertholdus enim Marchio de Honebruch, statim quod Principem intellexit tantæ fuisse audaciæ, quod Papali exercitu existente apud Fogiam, ipse de Terra maritimæ Bari transivit Luceriam, & exire disponebat in campum, valdè in se turbatus est, & ex tunc cogitare cæpit qualiter ad gratiam Principis recipi posset. Unde autem melius hoc, & liberius tractaretur, qualiter ad ipsam gratiam reciperetur, antequam Princeps Luceriam esset regressus ad obsidionem Fogiæ processurus, assumptis secum octingentis militibus de Papali exercitu, de voluntate Legati Fogiam exivit, & ad Civitatem Trani processit, cujus processus causa, vel occasio fuit, ut idem Marchio Terram maritimæ Bari, quæ melior, & ditior pars Apuliæ est ad partem Ecclesiæ revocaret, & terra ipsa ad partem Ecclesiæ devoluta, congregata de partibus illis multitudine illa, & ea, quæ Fogiæ cum Legato remanserat, Principem, & exercitum ejus non tam vinceret, quàm devoraret. Firmatum est inter Legatum, & Marchionem interpositione juramenti, ut nullo modo Legatus ad bellandum exire permitteret, antequam Marchio cum gente rediret.

Profectus est itaque Marchio ad Civitatem Trani, in cujus Civitatis castro morabatur uxor ejus Isolda filia, Marchionis Lanceæ, quæ Principi ex parte matris suæ proxima linea sanguinis attinebat, cujus studio tractari cæpit, qualiter Marchio ad gratiam Principis reciperetur: Licet autem uxor ejus hoc tractare niteretur, Marchio tamen in duplicitate ambulans, primò Civitatem Trani, deinde Civitatem

Baroli,

Baroli, & subsequenter omnes alias Civitates maritimæ Terræ Bari, ad partem Ecclesiæ revocavit, præter Civitatem Andrensem, quæ sibi obedire noluit: nam Comes Civitatem ipsam contra Marchionem viriliter defendebat, cum enim inter Civitatem ipsam, & Barolum quædam antiquæ inimicitiæ essent, Marchio cum militibus suis, & Barolitanis omnibus, per comminationem contra Civitatem ipsam processit, & cum nihil facere posset propter defensionem prædicti Comitis, & Civium Civitatis ipsius, qui satis animosè resistebant eis, & Civitatem ipsam viriliter tuebantur, Marchio, & Barolitani non sine verecundia expugnati, inde recesserunt.

Intereà verò tractatum est per uxorem Marchionis Bertholdi; quod quidam nepos ipsius Marchionis nomine Bertholdus, quem Marchio valdè diligebat, cum exiret venatum versus Civitatem Andriæ captus fuit ab Andrensibus, & in custodia detentus, quod ideo procuratum est, quod aliqua Principi ex hoc cautela fieret, quod Marchio contra ipsum non esset. Licet ex hoc aliquibus posset videri, & credi, quod captio prædicti juvenis de conscientia Marchionis procurata fuisset, tamen Marchio totum contrarium operibus ostendebat. Intendebat enim omni studio congregare gentem equitum, & peditum per totam maritimam Terræ Bari, quæ jam ad partem Ecclesiæ studio suo conversa erat, & quomodocumque poterat partem Ecclesiæ juvabat.

Misit quoque in diebus illis Legato Apostolicæ Sedis apud Fogiam existenti, pro stipendiis exercitus Papalis, omnia vasa argentea, quæ inventa sunt in camera uxoris in castro Trani, sicque taliter in negotio Ecclesiæ se gerebat, quod nullo modo verisimile videbatur ipsum Marchionem occultè, vel manifestè in partem Principis declinasse: congregata enim magna multitudine armatorum equitum, & peditum multoque fodero pro exercitu tam in rebus victui hominum, & equorum necessariis, quàm etiam in diversis speciebus medicinalibus pro infirmis, qui multi in exercitu ipso apud Fogiam erant, ipse Marchio cum prædicta gente, & fodero per mare ad Civitatem Syponti profectus est, quæ à Fogia per quindecim millia distat: cumq; esset cum tota ipsa gente, & fodero cogitavit, quod si Fogiam ire tentaret, exercitus Principis, qui ante Fogiam erat ipsum, & prædictam gentem impedire posset, misit ergo Nuntium suum ad Principem significans ei qualiter ipse cum quadam gente erat in Civitate Syponti, suadensque sibi, ut ipsum cum prædicta gente Fogiam intrare permitteret, quia ipse erat cum Legato Sedis Apostolicæ tractaturus, quæ ad ejus honorem, & commodum redundarent. Princeps autem astutias, & fraudes ipsius Marchionis agnoscens, respondit ei præcipiendo, quod nullo modo Fogiam cum gente illa venire tentaret. Marchio verò Principem decipere putans, respondit se non intraturum, & per aliquos dies moratus est cum gente illa Syponti. Cumque sic aliquandiù moraretur subito cujusdam diei crepusculo, cum gente illa movit de Syponto, ut nocte tota procedens ante diluculo Fogiam sine impedimento exercitus principalis intraret. Non autem latuit Principem astutia Marchionis, quando cum gente illa movit de Syponto, sed per exploratores cautè positos, processu Marchionis cum gente illa præcognito, missi sunt de exercitu Principis ter-

tercentum inter Theutonicos, & Saracenos equites in occurſum gentis illus. Erat autem nox, Luna tamen lucebat, dum Marchione cum tota gente prædicta, in quadam ſecuritate verſus Fogiam procedente, ſubitò in eos factus eſt clamor nominis principalis, & cum clamore violentus gentis principalis inſultus: cumque gens Marchionis majorem eſſe occurrentis gentis multitudinem crederet, ſubito ſtupore correpti, & ad clamationem nominis principalis vehementer exterriti, terga verterunt, & ſe per aulam prorlpientes in fugam, alii ex eis gladio perierunt, alii capti ſunt, alii cum prædicto Marchione fugiendo ſalvati; fuit enim gens illa tunc equites 2300. & pedites 1500. ex quibus in illo conflictu occiſi fuerunt 1400. vulnerati verò citra mortis periculum, & capti circa 450. Remanſerunt itaque currus foderum, & ſpecies alias, quæ pro infirmis deferebantur, portantes, eorum ductoribus aut peremptis, aut fuga ſalvatis, inter quos currus unus inventus eſt * moſterinis, & flabellis tantum oneratus, quæ pro infirmis deferebantur ad muſcas depellendas, vel ad refrigerium aeris caloris incendii faciendum, & aliis rebus medicinalibus oneratus; multique alii currus cum gallinis, & pullis, & rebus aliis victui hominum, & animalium opportunis, quæ omnia in principalis exercitus uſum commodum ceſſerunt.

* moſternis

Talis autem tempore illo fortuna Principis fuit, quod licet de Papali exercitu in Fogia multi quotidie morerentur, multique infirmi jacerent, Principis tamen exercitus, qui ante Civitatem erat pauciſſimi infirmi, duoque tantum ibi defuncti fuerunt: Civitas enim Fogiæ, quæ licet fertiliſſima eſſe conſueverat, propter multitudinem gentium Papalis exercitus ibi exiſtentis, & propter obſidionem precipuè Principis, quæ nihil illuc permittebat inferri, in tantam jam erat verſa penuriam, quod pro gallina una dabatur equus, & vix ad tale pretium poterat inveniri; ex qua penuria, & ex corruptione aeris propter * ſumum equorum, & immunditias alias, tanta gentem illam invaſit infirmitas, quod etiam ipſe Legatus Apoſtolicæ Sedis, cui abundantius, quam aliis omnia ſuppetere poterant, infirmitate ipſa non remanſit intactus. Cum Legatus Apoſtolicæ Sedis adverſantem ſibi fortunam, & Principis proſperitatem videret, & ex multis argumentis convinceretur, quod ex fortuna neceſſitate erat, ut Princeps victoriam, & dominium haberet, volens conſulere tam ſibi, quàm aliis, qui ibi per obſidionem Principis intolerabiliter opprimebantur, miſit Nuntios ad Principem de concordia facienda; ſicque factum eſt, qud tractatu hinc inde habito ad hanc Princeps, atque Legatus concordiam devenerunt; videlicet, ut Princeps pro parte ſua, & Regis Conradi nepotis ſui Regnum teneret, excepta Terra Laboris, quam Princeps Eccleſiæ conceſſit tenendam, ita tamen, quòd ſi Papa tranſactionem, & concordiam ipſam forte non acceptaret, liceret Principi Terram ad ſuum jus, & dominium revocare. Qua tranſactione ſic facta inter Principem, & Legatum, cautionibus intervenientibus firmata, Legatus obnixè rogavit Principem, ut intuitu divinæ pietatis quibuſdam Regni nobilibus parceret, qui à tempore Imperatoris patris ſui à Regno exulabant, & in præſentiam cum ipſo Legato erant: ad cujus Legati preces motus Princeps præfatis nobilibus clementer indulſit, Terras; quas juſtè amiſerant eis reſtituit, & in

* ſimum

& in Regno eos manere concessit, dummodo sic se in antea gererent, quod preteritas offensas laudabili conversatione delerent, & vindictam ex sola Principis clementia contra ipsorum preterita delicta cessantem recidivo malo non subirent.

Ab illo quoque tàm immensa gratia Bertholdus Marchio de Honebruch, & fratres non fuerunt exclusi: nam licet enormiter contra ipsum Principem deliquissent, & eorum recens culpa pœnam imminentem rationabiliter expectaret, tamen Princeps Divinam imitatus misericordiam, quæ nulli quantumcunque peccatori deest, idem Marchioni, & fratribus pepercit, & omnem præteritam remisit offensam, & in familia sua eos manere jussit, & tenere terras, & alia bona sua, quibus rationabiliter debuerant, & in perpetuum caruisse.

Legato itaque cum toto illo suo innumerabili exercitu à Fogia recedente, & in Terram Laboris eunte, Princeps motis ab obsidione castris ad quemdam locum amœnum, & venationibus delectabilem, qui Sanctus Gervasius vocatur, habiturus de obsidionis labore solatia profectus est: & qui in planitie Fogiæ inter calores æstivos, & continuas pulveris nebulas, dudum prædictæ obsidionis tempore sanus, nullaque tactus infirmitate permansit, tamen in prædicto loco Sancti Gervasii inter venationum solatia, & nemoris refrigeria discaldatus aliquantulum ægrotavit, non tamen propter illam discaldationem animus ejus ex vana virtute corporis languescebat, sed in illa tali ægrotatione Nuntios dimisit ad Papam, ut si placeret ei prædicta compositio facta cum Legato; acceptaret eam, alioquin ipse ad recipiendam Terræ Laboris potestatem procederet. Nuntii autem Principis ad Papam profecti invenerunt in Papali Curia Comitem Guaserbuch, per quem Comitem intellexerunt, quod prænominatus Bertholdus Marchio de Honebruch, & fratres, qui pridem ad gratiam Principis recepti fuerant, conspirationem, quamdam contra Principem cum quibusdam Regni nobilibus tractarent, quod Nuntii ipsi statim Principi significaverunt, ut Princeps sibi ab ipsa conspiratione caveret. Quo audito Princeps, de tractatu prædictæ conspirationis certa plura habuit inditia, quibus violenter præsumpsit verum esse, quod dicti sui Nuntii significaverant sibi, sicque prædictum Marchionem, & fratres capi fecit, & in carcere retineri.

Prædictis autem Nuntiis à Papali Curia negotio infecto reversis, indixit Princeps Curiam generalem Baroli celebrandam in festo Purificationis Beatæ Mariæ; & ne imperfecta remanere videretur acceptatio prædictæ compositionis, quam fecerat cum Legato Sedis Apostolicæ, interim alios Nuntios misit ad Papam, requirens adhuc prædictæ compositionis acceptationem, quam cum Papa negasset, redeuntibus ad Principem Nuntiis, celebrata est Curia generalis apud Barolum, dicto anno Incarnationis Domini 1256. Mense Februarii 13. Indictionis, in festo Purificationis Beatæ Mariæ, in qua Curia Gualvanus Lancea Principis avunculus, factus est Comes Principatus Salernitani, & Magnus Regni Siciliæ Marescallus, deposito per sententiam Comitum, & Baronum Petro de Calabria, tam ab honore Comitatus Catanzarii, quàm ab officio Marescalliæ Regiæ, Regni Siciliæ, propter proditionem suam. In eadem quoque Curia receptus Lancea Principis avunculus, prædicti Gualvani frater, factus est Co-

mes

mes Squillacii, & Henrico de Spernaria concessus est Comitatus Marsici. In ipsa Curia Bertholdus Marchio de Honebruch, & fratres ejus patefacti, & legitimè probata conspiratione, quam contra Principem facere tentaverant, per Comites, & Barones Regni concordes sententialiter fuerunt condemnati ad mortem; pœna tamen mortis commutata est eis ad pœnam carceris perpetui, in quo miserrimam, vitam fatalem finierunt.

Hæc quidem, ut prædiximus in Apuliæ partibus gesta sunt; qualiter autem in Calabria, & Sicilia res interim gerebantur, enarrandum est.

Eo sanè tempore, quo Papalis exercitus in Apuliam descendebat, ut supra est memoratum, Princeps Manfredus constituit Fredericum Lanceam avunculum suum Vicarium generalem in Calabria, & Sicilia, misitque eum in Calabriam, quæ in fidelitate Principis erat, ut in statu pacifico gubernaret, & Siciliam, quæ adhuc in rebellione durabat, quocumque ingenio, ac virtute posset, ad mandata ejus revocaret. Profectus itaque prædictus Vicarius in Calabriam à Calabriensibus devotissime receptus est, totamque terram invenit in pace, & in fide Principis manentem præter duo castra, videlicet Sanctam Christinam, & Bubalinum, quæ Fulco nepos Petri de Calabria tam situ loci, quàm omnibus necessariis, & viris armatis munita tenebat: contra quæ castra prædictus Vicarius obsidionem constituit, machinas ordinavit, & ea viriliter oppugnare cœpit. Licet autem Vicarius in Calabria corporaliter per præsentiam maneret, tamen animus ejus in Sicilia versabatur, & ad obtinendam eam tota sua cordis virtute fervebat: ordinavit etenim dum in Calabria morabatur per Nuntios frequenter, & cautè in Siciliam missos, quod magna pars Principis, per diversa Siciliæ loca facta est: ita quod ex pluribus Civitatibus Siciliæ Nuntios ad Principem mitti procuravit, per quos hinc inde tractabatur qualiter Provincia illa revocaretur ad mandatum ejus. Erat autem in Sicilia quidam Apostolicæ Sedis Legatus nomine frater * Rosinus de Ordine Minorum, qui nomine Ecclesiæ Romanę Sicilię prępositus erat, omnesque ferè Siculi ei tamquam Domino nomine Romanæ Ecclesię obediebant, pręter quosdam, quorum aliqui apertè Principis partem tenebant. Sic enim prędictus Vicarius in Calabria manens procuravit studio suo, quod Principis pars jam in manifesto in Sicilia erat, sicque factum est ipso Vicario procurante, quod crescente parte Principis, & invalescente captus fuit in Panormo prædictus Legatus, & alii sequaces ejus, sicque Civitas Panormitana, capto Legato, & aliis rebellium fuga lapsis, aliis captis, ad mandatum Principis conversa est, pluresque aliæ Civitates, in quibus pars Principis usque tunc in occultò erat, propter prædicti Legati captionem in aperto ad mandatum Principis redierunt. Factus est in Sicilia exercitus pro parte Principis hac illac discurrens, & cum timore exercitus multi cohactè ad partem Principis reversi sunt, quidam etiam voluntariè venerunt.

* Rufcius

Erat illis diebus in Sicilia Rogerius Pimetius, qui à tempore Imperatoris Frederici à Regno exulaverat, & mortuo Rege Conrado in Siciliam studio Petri de Calabria reversus erat, qui Rogerius eo tempore Lentinum tenebat, & omnium rebellium Siciliæ caput erat;

hic congregata rebellium multitudine contra exercitum Principis in plano Fabariæ stare præsumpsit: & licet longè plures ex parte sua essent, quàm ex parte exercitus Principalis, tamen facto utrinque congressu, ab exercitu Principis, expugnatis pluribus rebellibus de parte sua, aliis captis, aliis verò interfectis, ipse se in castro Lentinii receptavit. Exercitus autem Principis talis prosperatus de die in diem augebatur, ut nomen Principis in Sicilia nimis magnificari cœperit: ordinatoque prædicto Frederico Lancea Vicario generali, dum adhuc in Calabria moraretur exercitus Principis roboratus satis, & augumentatus direxit se contra Messanam, in qua erat Potestas quidam Romanus nomine ab ipsius Terrę communitate constitutus, sub quo Civitas more Civitatum Lombardiæ, & Tusciæ vivebat; sub cujus regimine communitas ipsius Civitatis jam egressa bis fuerat exercitu congregato in offensionem illorum, qui Principis partem tenebant, pluresque Civitates Principi obedientes ab ipsius obedientia coegerat declinare, & secum tenere in sua rebellione. Procuratum est itaque per prædictum Comitem, ut exercitus Principis Siciliæ, ut dictum est, satis roboratus, & augumentatus contra Messanam procederet: quo exercitu contra Messanenses directo, Messanenses de statu suo satis dubitare cœperunt, aliquibus eorum de resistendo consulentibus, aliquibus verò saniori consilio suadentibus, ut se ad Principis mandatum converterent.

Civitate itaque sic inter se titubante, imminente sibi terrore Principalis exercitus, qui contra Civitatem ipsam directus erat, prædictus Potestas, qui Civitatem ipsam regebat, videns meliores, & majores Civitates libenter velle ad Principis mandatum redire, videns etiam populum Civitatis ipsius nimis timere de exercitu Principali, qui jam Civitati appropinquabat, de Civitate ipsa navigio recessit, cum jam qui partem Principis occultè in Civitate ipsa tenuerant, vexillum signo Principis insignitum aspexerunt, Nuntios ad Comitem Fredericum in Calabria miserunt, ut Messanam transiret, & Civitatem ad mandatum Principis reciperet. Qui confestim . . . . . transiens, Civitatem Messanam pro Principis parte recepit, & inde revertens, cum Messanensibus aliquibus ad obsidionem castri Sanctæ Christinæ, in quo prædictus Falco nepos Petri de Calabria se tenebat, adeo castrum ipsum machinis oppugnavit, sicque introitum, & exitum ejus circumquaque vallavit, quod prædictus Fulco, qui magnam spem in Sicilia, & preter in Messanensibus habuerat, videns totam ferè Siciliam, & Civitatem Messanam ad Principis mandatum conversam, videns etiam se ita Comitis Frederici obsidione arctatum, quod nullo modo amplius tenere se poterat, se, & castra Sanctę Christinæ, & Bubalini, Comiti Frederico dedit, & sic tota Calabria in pace, & quiete remansit.

Cum hæc itaque in Sicilia, & Calabria studio Comitis Frederici gererentur, in Apulia Princeps, ut prædictum est, morabatur; qui certificatus per Nuntios suos à Papali Curia redeuntes, quod Papa compositionem inter eum, & Legatum Apostolicæ Sedis in Fogia factam acceptare nollet, versus Terram Laboris sua vexilla direxit, ad Terram ipsam in suum verum dominium revocandam, quam ex forma prędictæ compositionis Ecclesiæ Romanæ dimiserat, si Papa compositionem

posi-

positionem ipsam acceprare voluisset. Cum autem esset in via procedendi versus Terram Laboris, in via ipsa recepit Nuntios solemnes à Civitate Messana transmissos, exponentes qualiter Civitas Messana ad sua mandata redierat, & quod omnibus ipsius Terræ Civibus, de omnibus offensis præteritis, quas à rebellione commiserant misericordiam à Principe flagitantes, quos Princeps clementer admittens, omnem eisdem Civibus remisit offensam: & procedens ad fines Terræ Laboris cum fines intrasset, & esset in quadam villa, quæ dicitur Sanctus Petrus de Cancello, recepit ibi Nuntios Neapolitanorum offerentes sibi Civitatem pro parte Concivium suorum, à quibus fuerant, ad hoc specialiter destinati, sicque Princeps recta via processit Neapolim, & ingressus Civitatem, recepit ibi Nuntios Capuanorum similiter offerentes sibi Civitatem Capuæ pro parte suorum Concivium, tanta ibi erat multitudo armatorum, & peditum, qui Principis vexilla sequebantur, quod non videbatur aliquibus tutum expectare ipsos ad bellum; & ideò prędictæ duo Civitates Neapolis, & Capua spontè sua se ad mandatum Principis converterunt. Similiter autem fecissent Aversani, sed erant in Civitate Aversæ multi milites, & armati alii ad stipendia Ecclesiæ constituti, qui Civitatem ipsam nè rediret ad mandatum Principis cohibebant.

Procedit itaque Princeps in obsidionem Civitatis Aversæ, datoque insultu nihil à principio fieri potuit, propter magnam resistentiam stipendiariorum Ecclesiæ, qui erant in Civitate: Principe igitur ab insultu dato retrocedente ad castrum, subitò magnus in Civitate clamor factus est, partes enim illæ videlicet, qui partem Principis ibi erant cęperunt inter se confligere, in quo conflictu, pluribus stipendiorum Ecclesiæ interfectis, pars Principis, quæ intus erat favorę Principalis exercitus, qui etiam obsidionem foris instabat, contra partem Ecclesiæ prævaluit, & sic est habita Civitas ad mandatum Principis, pręter castrum, quod tenebat Riczardus dę Avella, vir quidem strenuus, & potens, qui usque ad dies illos in tota ferè Terra Laboris pro sua potentia, & virtute dominari videbatur, nullusque quantumcumque potens in Terra Laboris ei resistere poterat, vel obesse; qui postquam Principis adventum in Terra Laboris novit, se in Civitate Aversa ad resistendum ibi eidem Principi receptavit. Et licet Civitas ad mandatum Principis conversa esset, ipse tamen castrum tenebat, donec se videns ultra tenere non posse castrum, ipso clanculum exire disposuit, sed dum exiret, & dum fugeret in ipso egressu castri cognitus est, & percussus interiit, habitaque sic Civitate Aversæ, Princeps se Capuam contulit, processurus inde ad alias partes Terræ Laboris, sed cum adhuc ibi moraretur audita potentia ejus, non expectaverunt aliæ Civitates, ut ad eas Princeps personaliter conquirendas accederet, sed singulæ Civitates, & castra, quæ sunt ibi ultrà Vulturnum Nuntios ad Principem Capuę commorantem, miserunt, offerentes se spontè ad mandatum, & beneplacitum ejus, & sic tota Terra Laboris ad ipsius dominium versa est præter castrum Soræ, & Rocca de Arcis, in quibus erant Castellani, quidam Theutonici, statuti per pręnominatum Bertholdum Marchionem de Honebruch. Statuto autem in partibus ipsis Comite Henrico de Spernaria per Principem Capitaneo, castra ipsa ad mandatum Principis habita sunt.

Pridem autem antequam hæc omnia sic essent, erat Villa quædam circa partes Sancti Germani, quę vocatur Sancti Petri, cujus municipes miserant ad Comitem Bonifacium de Anglono, qui erat Capitaneus in Comitatu Molisii, ut de gente sua mitteret ad Villam illam recipiendam, qui quidem missam ipsius Capitanei gentem in Villa, ipsam receperunt, sed postea expulerunt,& ex eis aliquos occiderunt. Capitaneus verò assumpto exfortio,Villam ipsam aggrediens, violenter cępit, & in pœnam commissi facinoris, & proditionis ipsam cremari fecit.

Habita autem sic tota Terra Laboris,Princeps in Capitanata redilt, & tamen in Siciliam se conferre disponens, voluit divertere per Civitatem Brundusii, quæ adhuc in rebellione durabat, cum quibusdam aliis Civitatibus Terræ Idrunti; cumque fuisset ante Civitatem illam, voluit ibi moram trahere, sed statuta obsidione, terra, marique processit Tarentum, & ab inde in Siciliam profecturus. Cum autem adhuc esset Tarenti, intellexit ibi, quod Brundusini volebant se dare eidem Principi: nam quidam de ipsa Terra Civis, nomine Aytoldus de Ripaalta, attendens Principis potentiam esse in continuo incremento, stultum reputans illi resistere, quem Dominus exaltabat, volens & Principi complacere, & se, & Civitatem ab errore suæ rebellionis revocare tractavit, & ita in Civitate Thomas de Oria, qui caput erat rebellionis, & ipsi Civitati dominabatur cum suis Comitibus captus est, quibus captis, Civitate Brundusina ad mandatum Principis redeunte, habita est Oria, & Idruntum, quæ cum prædicta Civitate se tenuerant, & sicut ipsam in rebellione sequebantur, sic & in conversione sequutæ sunt.

Usque ad illos autem dies Civitas Ariani, tam situ loci, quàm populo invictissimo satis animosè contra Principem se tenuerat, quia cum in excelso monte posita esset, & difficiles nimis, & angustos haberet ascensus, non poterat aliquo modo, vel obsidione claudi, vel viribus invadi, sed quantum difficile erat exterioribus ad ipsam accedere, tantum facile erat interioribus omnes quantumcumque illuc accedere volentes ab ipsius ingressu propulsare. Cum ergò vires contra ipsam Civitatem nullo modo valerent, Fredericus Maletta Principis avunculus, qui tunc temporis in Capitanata, & Luceria Capitaneus erat, ad prædictam Civitatem evincendam totas animi sui cogitationes, ingeniumque convertere cępit, arbitrans non esse inconveniens militari disciplinæ contra suum hostem sive dolo, sive viribus pugnare. Tractavit itaque dictus Capitaneus, quod sub specie cujusdam confœderationis initæ inter homines Ariani, & quosdam de Luceria, qui contra Principem se occultè esse finxerunt, illi de Luceria quasi de Terra fugientes, & se in Arianum in auxilium Arianensium receptare volentes,Civitatem Ariani noctu ingressi sunt; qui postquam in Civitate fuerunt, infidam fidem fregerunt, & fidelem perfidiam direxerunt; nam statim occurrentes sibi quadam securitate Ariani Cives trucidare cęperunt, & nocturno tempore nullum inter hostes, & Cives fieri patiente discrimen, facta est magna inter se Civium cędes; sicque Civitas capta est, atque destructa, multis eorumdem Civium in illa nocte cęsis, multis fuga captis, & aliis majoribus Civitatis, qui caput rebellionis fuerant, capitibus, & sententia-

liter

liter damnatis ad mortem, aliis mediocribus,& vilioribus, qui cędem nocturnam casualiter evaserunt, & qui à condemnatione mortis pro eorum nu merositate, & vilitate exempti sunt, de loco illo ejectis, & per alia loca Regni ad habitandum transmissis.

Usque ad idem quoque tempus, Civitas Aquilæ, quæ à quondam Rege Conrado in confinibus Regni condita fuerat magna populi numerositate plena, etiam in rebellione duraverat, ad quam terram evincendam multum laboris hactenus fuerat, exactum, nec ullo modo poterat expugnari. Statutæ autem erant circa Territorium Civitatis ipsius multæ familiæ militum, & aliorum armatorum, quibus Civitas ipsa aliquantulum arctabatur, non tamen adeo, quod non possent Cives quocumque vellent ad suas necessitates exire. Audientes autem ipsius Civitatis incolæ victoriam Principis, & præsertim qualiter Terram Laboris de facili recuperavit, qualiter etiam tota Sicilia ad suum mandatum redierat, nec inconsultè considerantes, quod difficile erat eis ultra resistere Principi, cui tota Sicilia, & Terra Laboris resistere non potuit; miserunt Nuntios ad Principem, per quos se, & Civitatem ipsam ad mandatum Principis humiliter obtulerunt.

Infra id quoque temporis, quædam Civitates Siciliæ, videlicet Placia, Aydona, & Castrum Joannis, in rebellione duraverant, & licet tota Sicilia ad mandatum Principis rediisset, & prædicto Comiti Frederico Lanceæ Vicario Principis Generali obediens esset, illæ tamen tres Civitates in naturali locorum munitione confidentes, prædicto Vicario obedire nolebant, qua de re Vicarius exercitu fidelium congregato contra Civitates ipsas armata manu procedens, Placiam ipse obsidere decrevit, cumque Civitatem ipsam ingenti obsidione circumdedisset, incolæ Civitatis nimis animosè resistere cęperunt, adeo quod penitus difficile,& quasi impossibile videbatur Civitatem ipsam violenter haberi: tanta in ipsa Civitate multitudo populi erat contra exercitum, qui ipsam obsederat, præparata. At verò Comes magnanimus moræ longioris impatiens, indignum existimans obsidionis cępisse negotium, & vires suas non ostendere per effectum, animato prout decebat, exercitu, & aciebus decenter instructis, Civitati appropinquavit, nec mora facta dato instanti insultu, nulla resistentia, licet magna, & violenta fuerit,Civibus profuit, quin Civitatem exercitus violenter intraret, multis ex parte Civium, nullis verò ex parte exercitus cęsis: sicque Civitas ipsa per vires evicta est, punitis paucis, qui caput rebellionis extiterant: omnibus aliis, quos ad sequendum majores minoritas traxerat, eximia sibi benignitate Comes clementer indulsit, eosque in Civitate sub pace Principis habitare permisit: Civitate autem ipsa sic violenter capta,Cives Aydonæ, quę ab inde ad quatuor milliaria distat, in clementia verò Comitis, quam erga Placienses Cives audiverant, valdè confisi, Nuntios ex parte Universitatis suæ miserunt statim ad Comitem Placiæ morantem, veniam pro omnium Civium suorum parte petierunt, & se, & Civitatem ad mandatum Principis humiliter offerentes; quibus Nuntiis clementer Comes receptis, processit Aydonam, eamque ad mandatum Principis recipiens pœnam eis ex rebellionis pręteritæ culpa debitam, ex devotionis eorum humili oblatione remisit. Quod factum,

& rcli-

& reliquos rebelles excrevit, & fideles alios in devotione, & fide Principis solidavit. Licet autem prædictæ duæ Civitates ad mandatum Principis sic habitæ essent, tamen Civitas Castri Joannis, quæ ab eis viginti millibus distat, in sua rebellione manebat: hæc enim Civitas in excelso monte posita, lapideis rupibus, circumquaque vallata, populi multitudine plena, aquis in Ipso monte currentibus abundans, de nulla sui parte aggressionem timebat; & ideo sub quadam securitate à dicti Comitis obsidione sibi ponenda manebat. Fuerat autem in ipsa Civitate Castrum à tempore Imperatoris Frederici constructum, quod eo tempore, quo Sicilia sub Legato Apostolicæ Sedis manebat, Castellano ipsius sub promissa fidei securitate egresso, & primo clam crudeliter interfecto à Civibus ipsius Terræ dirutum funditus est: ex quo tempore Civitas ipsa, quasi ab ipsius castri freno liberata, cœpit libere agere, quod volebat; & tam loci situ, quam multitudine munita, omnibus aliis Civitatibus, & castris ad Principem reversis, ipsa solum in rebellione durabat. At Comes magnanimus cum exercitu suo versus ipsam procedens, obsidionem circa eam constituit; adeoque ipsam arctavit, depopulationem circumcirca faciens vinearum, & arborum, & nullum de ipsa Civitate exire permittens, quod Cives ipsi tędio obsidionis affecti, antequam damna majora paterentur, Nuntios ad Comitem pro pace miserunt, & fidelitatem Principi juraverunt, sicque tota Sicilia in pace posita est. Nec minùs omnes aliæ partes tam in Apulia, quàm in Principatu, & Terra Laboris, à tumultibus quieverunt.

Toto itaque Regno sic in pace stabilito, Princeps Manfredus in Siciliam ire decrevit, ingressusque Siciliam, paucis diebus Messanæ moratus, ad Civitatem Panormitanam proficiscitur, viam faciens per Civitatem Castri Joannis, in qua Civitate cum esset, vidit ruinas castri, quod à Civibus ipsius Terræ destructum fuerat usque ad solum: attendens autem, quod Civitas ipsa nullo modo bene regi poterat sine castro, ipsum statim castrum rædificari pręcepit; & quia magnum opus erat, nec poterat sic citò, ut expediebat, per homines ipsius loci tantum rædificari, omnibus simul Civitatibus Siciliæ onus reparationis ipsius castri distribuit, ut onus ipsum per omnes divisum, levius à singulis pnrraretur.

Interim autem dum in Siciliam Princeps iret, venit rumor in Regnum, quod nepos ejus Rex Conradus, filius quondam Regis Conradi Primi in Alamannia obiisset: quo rumore audito Comites, & Magnates Regni, Prælati etiam Ecclesiarum in Sicilia ad Principem profecti sunt: singularum quoque magnarum Civitatum Nuntii ex parte Civitatum suarum ad eumdem Principem perrexerunt, unanimiter omnes petentes ab eo, ut ipse Princeps, qui usque tunc pro parte prædicti Regis Conradi, & sua, Regnum rexerat, & in tanta pace constituerat, ipsius Regni gubernaculum, & coronam tamquam Rex, & ipsius Regni verus hæres acciperet: qua petitione unanimiter sibi facta ab omnibus idem Princeps per concordem omnium Comitum, & Magnatum, ac etiam Prælatorum Regni electionem in Regem electus, Coronā Regni Siciliç in Majori Ecclesia Panormitana, juxtà consuetudinem, & ritum prædecessorum suorum Regni Siciliæ solemniter accepit, Anno Dominicæ Incarnationis 1258. die 11. Mensis Augusti, primæ Indictionis. Digni-

Dignitatis autem Regiæ celeriter honore suscepto, novus Rex partes Apuliæ feliciter reperit, sed cum ubique per Regnum bellorum seditio tumultuosa quiesceret, & spes jam probabilis quietis gratæ delicias propinaret, generale colloquium apud Barolum celebravit, multis ibi per eum decoratis honore militiæ, & nonnullis per Investituram vexilli ad Comitatus excellentiam sublevatis. Posthæc solemnem Curiam apud Fogiam universis citrà portum Rossetti nobilibus, & Baronibus convocatis indixit ubi, ad honoris Regi clarificanda fastigia, tam de conservatione justitiæ, quàm de aliis publici boni compendiis, statutis utilibus publicatas, de diversis partibus diversorum generum gaudia festiva conveniunt, ludentium *choros, & agmina distinctio purpurata lætificat. Quamplures ibi regenerantur honore cinguli militiæ,nonnulli magnificantur excellentiũ fascibus dignitatum. Dies totus solemniter agitur,& post diei cursum flammificis facibus hinc inde lucentibus, ponderosa ceræ coacervata compagine, in agone ludentium convertitur nox in diem. Ne autem quietis, & pacis longis laboribus quæsita utilia compendia occasio temeritatis exterminans infrigeret, Rex Manfredus curas exercituales aggrediens, cum magnifico, & potenti exercitu versus Regni confinia consilio deliberato procedit.

Hic incipit Liber Secundus Sabæ Malaspinæ.

* choros

Erat enim in extremis Regni partibus olim Rege Conrado favente Civitas Aquilæ,in odium Baronum illius contratæ,per eorum Villanos de novo constructa, ab inde videlicet Anno Domini 1252. in qua de diversis circumadjacentibus incolis, non absque complurium comprovincialium jactura nobilium,cohadunata congeries,in tantam jam multitudinem populosam concreverat, quod de suarum virium temeritate superbiens, se vicinis exhibebat horribilem, & Domino Regi suis operibus indevotam.Quin potiùs velut pars universo non congruens, generalibus Regni statutis repugnabat, contemnens colla submittere, & singulares sibi vivendi formas confìcere præsumebat. Sperabat enim assumpto libertatis statu,contra nobiles de contrada Ecclesię auxilio consoveri. Et ideo contra Manfredum,etiam post tempora coronationis suæ, pertinaciter rebellione durescens, sub velamine devotionis Ecclesiæ, Regi parere contumaciter contemnebat. Ad hujus utique domandã protervlam,& per hæc restituenda læsis jura sua Rex victoriosus accingitur: sed antequam Civitatis mœnibus ejus se vicinaret exercitus, tamquam opulorum difformibus erecta particulis maceria ruinosa dispergitur,& dum volare supra se nititur Aquila, plumis nudata solo deprimitur. Universis habitantibus, quibus in personis, & rebus tutelæ veniam clementia Regalis indulsit,subitò vacuata deseritur, & quæ dudum plena populo stare nesciebat, in combustionem, & cibum ignis illico tradita sola sedet, & sic itaque redacta ad nihilum,Rex in Apuliam exercitu dissoluto revertitur,ut membra bellicis fatigata laboribus quietis gratæ dulcedine, solatiisque placidis restauraret. Acta sunt hæc anno Domini 1258.

Intereà Regem omnium Imperialium sanguinis fastigiis Comitatum, & à primis naturæ vestibulis assuefactum desideriis magnis, de remotis partibus honoris, & gloriæ cupido sollicitat; & dum posset ejus affectibus tam nobilis Regni possessio blandiri, & copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad curas negotiorum Italiæ, ubi dignita-

gnitatis paternæ præfulfit auctoritas, mentis fuæ dirigit intellectum. Extendit enim potentiæ fuæ robur ad Ligures, dilatat ad Tufcos, & vicinitate fuarum virium concutit Marchianos. Per diverfas namque Provincias, de antiqua extranea confuetudine, cœtus hominum divifi in partes remanferant. In Liguria Ubertus Marchio Pallavicinus utique prudens, & nobilis, qui propter fidem, & fervitia fua de Imperiali munificentia beneficia multa receperat, & Cęfaris, quoad vixit, ac pofterorum fuorum honorem prędicta cordis affectione zelabat, remanferat. In Tufcia pars Gibellinorum, & Civitas Senarum pręcipuè, quæ Gibellinitatis fenefcens in fide, tunc temporis femper erga Imperatorem, & hęredes fuos in fervitiis juvenis, & devota manebat.

Erat quoque in Marchia Anconitana partium obftinata diffentio, quæ dum hęc unum, illa verò aliud appetunt, inter fe rediviva femper altercatione concertant. Ab iftarum itaque regionum partibus cum ob fidem, quam erga Imperatorem habuiffe prętendunt, tum ad ultionem injuriarum, quàm de hoftium depreffione concipiunt, Rex Manfredus inftanter requiritur, * oblatis fibi pręnunciis, eorum antiqua devotio, & vires auxiliares ipfius Regis ad regionis eorum poftulat favorem; favet iis inter diverfa confilia Regis affectus, & fucceflorem fe paternæ dilectionis exhibebant: & ne oblatæ fibi victoriæ gloriam negligenter abnuere videretur, ad provincias ipfas vires fuas porrexit in fubfidia devotorum. Habita itaque deliberatione confilii, Marchionem Pallavicinum in Lombardia Capitaneum ftatuit. Jordanum de Anglono Comitem Sancti Severini confanguineum fuum in Tufciam, Percivallum de Oria affinem, & familiarem fuum in Marchiam, generales loco fui Vicarios deftinavit. Deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica, quibus ftipendia menftrua providit, affiduè de ęrarii fumptibus eroganda. Sub horum itaque Vicariorum manibus, & arduis pręfecturis cępit continuò Regis honor augeri, pavorque concrefcere, ut rumores profperi fucceffivè de fingulis cor ejus exhilurarent, & potentię fuę vires illuftrarent. In Lombardia namque fub Marchione pędicto, magnificentię Regię viribus ampliatis, fic ejus arrifit profpera fortuna fucceffibus, quod in eodem quoque loco ubi olim Parmenfium audacia Imperialia caftra combufferat, ignominiofæ cladis excidia, amiffionem carrocii, & expugnationis validè pertulit detrimenta: ficque interdicta viriliter injuria patris à filio locus ille, qui nominatus nuncupatione victorię vifus Imperatori fuerat illufiffe, grandem Regi prędicto ex hoftibus victorię gloriam refervavit. Civitates enim Cremonę, Papię, Placentię, Brixię, & plures alię ei reverenter obediunt, & nomen ejus ultra quam credi poffet triumphaliter exaltatur. Sub ejus quoque felicitate cecidit peftifer ille Tyrannus Ezelinus de Romanis, cujus impietatis rigidę, feveritatis horridę, & vindictę execrabilis acta defcribere, longum per fe tempus exigeret. Sed priùs neceffarium videtur armatę fucceffum profequi, quam rebus, atque perfonis, tam nefandis, tamque triftibus apponere calamum, vel auditorum animum applicare. Hic fiquidem ab Imperatore Frederico ditatus, & promotus in altum, ejus nutibus tota ferè Tervifina Marchia ferviebat. Poft infinita, & inufitata pœnarum genera, quorum narrari poteft

*offertos fibi per nuntios

poteſt à poſteris nefandę crudelitatis exemplum, jam Regi Manfredo devotionis ſolitæ ſigna non exhibens, dum collectis undique viribus contra Mediolanenſes infeſtis anguſtiis proceſſiſſet, propè caſtrum Caſſiani in manibus Cremonenſium, qui ſub præſidiatu Marchionis prædicti in auxilium Mediolanenſium potenter exierant, propè flumen Adæ miſerabiliter cecidit, ubi lethaliter vulneratus, ductuſque Sinthinum morti ſuccubuit, qui raptor fuerat vitæ multorum.

Eodem quoque tempore Civitas Florentina cum parte Guelforum, non minùs vitiis, quàm divitiis affluens, ſic ſuperſtitioſa jam cęperat tam multitudine populi, quàm ſuperbiæ vento plena conſurgere, quod de ſuorum Civium temeritate laſciviens, & de elati ſpiritus ſuperfluitate confidens, dedignabatur pacificare ſe aliis, ſed ſuppeditare ſibi vicinos multipliciter ſatagebat. Hujus itaque temeritas actibus faſtuoſis incumbens, nec futuros eventus debita circumſpectione præmeditans, ſuis omnibus, & fautorum viribus ſuorum congregatis, ad obſidionem Civitatis Senenſis, commorante ibi momorato Jordano Comite cum ſtipendiariis Regiis, viriliter præſumpſit accedere, factaque ibi mora, quam voluit, & uſque ad Civitatem eamdem ingenti depopulatione peracta exercitu numeroſo, qui armatorum triginta millia continebat, ad muniendum caſtrum Montis Alcini victualibus, & aliis opportunis, quod Florentini prædicti, tunc in eorum poteſtate tenebant, per territorium Senarum propè Civitatem eamdem, ad duo ferè milliaria ſuperbè proceſſerunt, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuiſſent: contingit quod dictus Jordanus Comes cum Theutonicis ſecum morantibus, & Senenſi populo, cum parte Gibellinorum, Regis auſpiciis, in Florentinos eoſdem, & fautores eorum viriliter irruentes, ipſos commiſſis hinc inde conflictibus expugnaverunt. In cujus expugnationis eventu ſic potentia Florentina defloratа commarcuit, & defecit, quod ex eis, eorumque complicibus præter occiſos gladio, quorum non fuit numerus præſcriptus, captivorum ſolummodò, quos Regius carcer aſtrinxit, quindecim millia, & ultrà numero computantur. Verſi ſunt itaque ſubito dies ſolemnitatis ejus in luctum, ſublatis in opprobrium honotis inſignibus: itaque eorum ſuperſtitione depoſita, qui dum in honore eſſent non intellexerunt, jam ſumentes annexationis vincula, intellecta Regis ejuſdem mandata devotè ſuſcipiunt, & reverenter ejuſdem placitis colla ſubmittunt.

Medio autem tempore, Papali Curia morante Viterbii, ibique Alexandro Quarto Summo Pontifice viam univerſæ carnis ingreſſo, dum Collegio Cardinalium, in quibus velut in Montibus Sanctis Eccleſiæ fundamenta ſunt poſita, habere incęperant de Paſtoris ſubſtitutione tractatum; & cum inter eos vertiginis ſpiritu, & invidiæ livore ſuffuſo, non poſſent in aliquo de gremio convenire, contigit, quod Hieroſolymitanus Patriarcha natione Burgundus, qui tunc ad Curiam ipſam pro Eccleſiæ ſuæ promovendis negotiis acceſſerat, concorditer ad Apicem Apoſtolicæ dignitatis aſſumptus ſit. Itaque factus de petitore conceſſor, de ſubdito Dominus, de filio Pater, Papa Urbanus Quartus meruit nominari, anno Domini 1260. Cumque poſt hæc viderentur jam omnia Regni negotia, ſic firmiter, tutèque diſpoſita, ut ex nullo videretur angulo dubitandum, Rex deliberato

consilio Fredericum Malecta, Bizani Comitem, consanguineum suum cum quadam quantitate Theuthonicorum, ad gubernandam Siciliam in Capitaneum destinavit, qui dum in partibus illis contingentia quælibet prudenter, & cautè disponeret, dum se versùs Montem Trapani, de cujus habitatoribus aliquid fortè contrarium fama referente præsenserat, se cum sua familia vicinaret, & moraretur in campis, accidit, quod descendentibus ad eumdem Comitem decem viris ex incolis dictæ Terræ, qui pro parte Terræ totius universitatis verba devotionis offerrent, cum ex longa, sed vitiosa potius consuetudine nullum officialem libenter ad Montem Incolæ paterentur accedere, dum Comes ipse familiaris inimicitiæ (qua nulla pestis occurrit proclivior ad nocendum) præcavere non posset insidias, quidam insolens juvenis nomine Gelbus natione Theutonicus, qui Marchionis Bertholdi familiaris, & intimus fuerat, quem etiam dictus Comes Comestabulum Theutonicorum ex confidentia præfecerat, & ad familiarium negotiorum consortium admiserat, capta tunc forsitan occasione, qua posset per contemptum malitiæ suæ motum jam in actu producere, proditoria temeritate tentatus, cum quibusdam sequacibus suis in eumdem Comitem sub tentorii velo jacentem inopinanter insiliivit, ipsumque temerariè interemit. De cujus obitu cum rumor veniret in publicum, homicida prædictus, & complices ejus ad montis ejusdem excelsa una cum prædictis Nuntiis confugerunt, frustrà credentes inter eos commissi facinoris invenisse tutelam; sicque montis ejusdem habitantibus, suæ rebellionis malignitate detentis, ne scelus hujusmodi remaneret inultum, & montis perversitas in sua obstinatione persisteret, Fredericus Lancea Comes Squillacii, qui insolentias regionis ejusdem ab experto calcare prænoverat, de beneplacito Regis Capitaneus in Sicilia subrogatur, qui sub fortuna Regia viribus instauratis, perurgens obsidionis instantia, superbiam montis ejusdem per extremæ desolationis, & exhabitationis excidium potenter edomuit: & ejusdem facinuris patratores convenientis supplicii pœna, quam justè meruerant, cęde confecit; de cujus montis incolis jussit Rex construi Civitatem novam, quæ vocatur Regalis, propè Scapellum in loco, * ubi antiquitus Civitatis Apollinis vestigia subsistebant.

* dicitur vetus

Jam in tota Sicilia pacis reformatione disposita, & Frederico prædicto domesticis restituto solatiis Richardus Filangerius Comes Marsici ad ejusdem regionis regimen deliberatione provida destinatur. Dum autem Richardus idem officii sui partes impleret, & Rex in Apulia feliciter ageret, credens sic omnia in Regno disposita, ut ex nulla timeri posset parte turbatio, novus, & inopinatus in Siciliæ partibus ignaviæ morbus invaluit, & mirabilis stupor irrepsit. Dum enim quidam pauper Joannes de Calcaria nomine, infimæ conditionis, & abjectæ fortunæ mole depressus, ac inopiæ squallore discurreret, ex concordibus forsitan vultus, ac ætatis indiciis, per quæ fallax opinio in uno eodemque subjecto diversas, plurimasque formas similitudinis conformitate mentitur; audivit pauper ab aliquibus, qui eleemosynarum sibi suffragia porrigebant Imperatori præmortuo se fore consimilem, cumque videret inopinato ore verba crebescere, mutavit repente mendicus animum, & quæsitus hactenus super his respon-

responsa negantia dissimulat, quatenus verisimilia faciat, quæ dicuntur. Oritur ex ipsius negatione suspicio, & cum nutriatur hominis appetitus,inventis eo magis insurgebat de ipsius ambiguitate credulitas, quo major inficiatio tradebatur. Jam rumor de verbo in verbum in fabulationem dispergitur, discedit pauper à frequentia populi, barbam nutrit, ut inventa liberius valeat fabricare mendacia, loca petit vicina silvestria, firmat in monte Gebello latibulum, Imperiales sibi mores, & verba, quæ veritas, & natura non dabant, adulta fictione componit. Jam falsus per Siciliam rumor increbuit: visitatur pauper in tenebris, honoratur plus solito, & rerum victualium, quarum ipsi prius inopia fuerat,copiosa per aliquos opportunitate fulcitur. Ad hoc plures exules, quos perfidiæ macula de naturalibus terris vicinis abjecerat, & in nemoribus latitabant, ad simulatum ipsum audito rumore currunt, falsitates tantas explorant, quæsitas inveniunt, & velut, qui fluminis impetu prolabentis apprehensa jam stipula credunt undas evadere, adhærent exules Magistro mendacii, & quas solus forte formare non poterat, jam plures sibi addunt semitas, falsas robborant fictiones. Ecce jam plenum falsitatis Imperatorem titulant, colunt ut præsidem, venerantur ut Dominum, & in securitatem Principis excelsum Montem Centurbii, quem olim exhabitari fecerat Imperator, pro tutiori statione conscendunt; per quos Imperiali sigillo vitiosè conflato, sub consueto titulo Cęsaris literas per diversas partes Imperator phantasticus subdola firmatione conscribit, & ut faciliùs audientium animos novæ fraudis adinventione corrumperet, indicat se olim habitu simulatu, divinæ permissionis oraculo, ad expianda delicta nonum annum peregrinationis exercitio peregisse; ita sullicitat, & sub isto colore requirere non formidat.

Hæc quippe fraudis, & erroris intemperies multa confinia loca Sicilię callida machinatione corrupta,& remota etiam,nisi necem prevenisset antidotus, morbus assiduus infecisset, cum essent quamplures, quos ad credendum simplicitas tanta conduceret, & nonnulli quos & si super hoc scientia certè non falleret, simulantes se tamen nescire, quod noverant, ad aliquorum sequelam violatæ jam mentis perfidia cogebantur. Cumque super hoc Regis amicos relatio inopinata perstreperet, & ad longinquas fermè provincias figmenti hujusmodi novitas pervenisset, ad evertendum idolum, & cultores ejus dictus Richardus Pręses Provincię instanter accingitur. Et cum ad summitatem montis ipsius,in quo jam perversorum quantitas magna convenerat, tum ex prædictæ saxosæ rupis objectibus,tum ex viarum arctissimis intervallis sibi, & suis impugnare volentibus facilis non pateret ascensus, obsidionem ibi satis ingentem exercitu congregato firmavit, inclusosque coercuit, ut nulla victualium quantitas, quibus miseram regere possent, inediam ad eos more solito portaretur. Cum autem nimis esset inelegans, nec Regia etiam fortuna permitteret, ut ejusdem perniciosa temeritas, quæ turpe nimis habuerat in sui fictione principium, non absque multorum jactura concresceret, & hujusmodi figmenti convitium ulterius transiret, ac multorum comitiva sequacium per devia Montium procederet, & honorificè fuisset ibidem à Civibus in illa vana pomposìtate receptus, dum frustrà crederet tempus in antea servire versutiis, dictus Richardus Comes illuc

cum suorum equitum comitiva procedens, conflictu cum hostibus violenter præhabito, præfatos senem, & complices ejus ibidem prudenter, & strenuè capere procuravit. De quorum captionis eventu Rege consulto, licet in spectaculum servari eos, & opprobrii causa petiesit; quia tamen dignus non erat reus, qui tam sibi, quàm pluribus aliis fuerat causa mortis, pœnas dignè sortitus, quas justè meruerat, furcarum patibulo suspensus, quos intimos sequaces sui figmenti participes, & collegas habuerat, ejusdem supplicii non dimisit expertes.

Ad hæc Rex præfatus post prædictorum supplicia, firmato consilio, partes Siciliæ personaliter repetit, ut Provinciam ipsam ab omni contagio perversitatis expurget, & in statu pacifico suæ præsentiæ visitatione confoveat, pergensque Panormum multis fuit, & variis denariis præsentatus.

Sic igitur Regione ipsa disposita Rex ad consueta solatia lacus Pensilis, quæ copiosa venationis habilitas, originalium fontium amęna frigiditas, & placidi situs nemorosa temperies grata reddunt, æstate succedente revertitur. Dumque toto jam Regno in statu tranquillo salubriter stabilito Regem ipsum de remotis, & exteris, ad quæ jam suarum virium habenas extenderat, studium debitæ curiositatis attingeret, parentelam cum Rege Aragonum tractatam hine inde per Nuntios, præmisso primordio contrahit, & filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice, filia quondam à Sabaudiæ Comitis, Imperatore vivente susceperat Dño Petro primogenito dicti Regis Aragonum matrimonio copulavit.

Post hęc ipse Rex Manfredus, quem Papalis Curia, ut sic exaltari non valeat, diffamare contendit; cui qualitas temporis, & rerum eventus, invidię zelo quotidie crescente, felicitatem concumulant, citatur ad præsentiam Summi Pontificis, citatione videlicet publica, in colloquio tantum Papalis prędicationis expressa, & inscripta cedulis affixis pręforibus Ecclesiarum Urbis veteris, ubi tunc Sedes Apostolica morabatur, quæ ad eumdem Regem, nec litterarum, nec Nuntii visione pervenit. Cumque nollet super hoc Rex ipse de arrogantiæ, seu contumaciæ culpa videri notabilis, quem Papalis Curia satagit in quantum potest infamię nota lacessere, Nuntios suos ad Sedem ipsam consulta deliberatione præmisit, humiliter, supplicans, ut ex quo ipsum illuc personaliter juberet accedere, de securo, & habili loco, cum familia decente sua posset commodè, juxtà suę dignitatis exigentiam hospitari, sibi Pater Apostolicus provideret. Tamen Rex ipse magnificè usque ad Regni confinia cum magna, qua decuit equitum comitiva processit, ut ex vicinitate locorum posset habilius super his Nuntiorum expectare responsa, & de ulteriori processu, vel mora, sicut sibi melius expediret, consulta deliberatione pensare. Excusatorum itaque prędictorum allegationibus non discussis, ipse Summus Pontifex cum vinculo excommunicationis astrinxit; cumque super hoc nihil sibi devotio demonstrata profuerit, quem conabatur Ecclesiastico jure omni, qua posset occasione concutere, repetit Rex partes Apulię, ut circa alia negotiorum studia curas debitas, & visitationes impendat.

Interea Conradus de Antiochia Comes Albę Regis ejusdem nepos, qui pro Capitaneo fuerat destinatus in Marchiam, dum ad castrum Mon-

Monticuli habitatorum copia, & montuosi situs eminentia munitum, sub confidentia solita, & spe securitatis accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus suis per incolas loci subita, & inopinata proditione detentus, in cujus subsidium ad mandatum Regis, magno & praepotenti exercitu congregato, Gualvanus Lancea Comes Principatus, & Fundorum, Marescallus Regni, Socer ejusdem Conradi, cujus cordis intrinseca generi captio violenta pupugerat, pluribus aliis Comitibus, aliisque Regni Nobilibus sociatus accessit; sicque per eum circa castrum Monticuli exercitus obsidione firmata, & ingenti depopulatione peracta, ibique protracta mora usque ad vigesimum hyemis instantis tempestatis, dimissa quoque in Macerata magna equitum comitiva, ad expugnationem Monticuli processit, & captis quampluribus regionis nobilibus, qui factionis ejusdem capita dicebantur, dictus Gualvanus, & alii de comitiva sua, soluto exercitu, cum castrum ipsum habere non posset, nec mora sua esset ulterius necessaria, inde discessit. Contigit autem, quod idem Conradus, quem proditores ipsi ante depopulationis illata stipendia liberare noluerant, procurante solertia quorumdam devotorum suorum, qui circa custodiam assistebant, intempestivae noctis silentio de carceris compedibus evasit, & restitutus beneficio libertatis.

Cum autem Regi undique ad votum universa succederent, Romani Cives de more nobiles, quos ex hoc in illud exilis de facili versat occasio, illius modicae libertatis reliquias, quas ipsis praescripta veterum transfundit auctoritas, temere distrahentes, exclusis pro magna parte nobilibus, Carolum Provinciae Comitem elegerunt in Dominum, & Senatorem Urbis perpetuum, & evocaverunt. Hunc etiam Summus Pontifex, ut habeat operarium, per quem temporalem gladium seculariter exerat, non absque jactura multorum Regi Manfredo procuravit opponere, dum Regni Siciliae, cujus Rex ipse possessione pacifica fruebatur, verbosas, & scriptas dirigit responsiones.

Intereà Dominus Carolus ad requisitionem, & instantiam Romanorum Vicarium suum misit in Urbem, ut Civitatem ipsam in ejus absentia regat, & dirigat loco sui. Cum autem Vicarius ipse rector in Urbe praeesset, & Nobilibus, quos abjectos invenerat, Civitatis introitum denegaret, nobilis quidam Urbis Proconsul, nomine Petrus de Vico, qui in maritimae partibus Urbi vicinis plura castra tenebat, & qui Regi Manfredo jam dudum ex zelo multae devotionis inhaeserat, guerram cum quibusdam adversariis suis, & specialiter cum Panduipho Comite Anguillariae quotidianis conflictibus agitabat. Hujus autem Comitis pater multum fuerat Imperatori Frederico devotus: sed hic à paterna devotione degenerans, Regi Manfredo, per quem forte multa vitasset dispendia, signa reverentiae non ostendit.

Iliis quoque diebus Jordano Comite Sancti Severini exercente officium Vicariae dum in obsidione Monticuli potenter existebat. (*Hic deficit.*) Post paucos autem dies ad petitionem, & instantiam dicti Petri liberalitas Regia, quae devotis proximis, & remotis opportunè porrigit de more suffragia, quamdam quantitatem Theutonicorum sub praesidiatu cujusdam familiaris sui nomine Francisci Trevisii in ejusdem Petri subsidium destinavit. Cum autem dictus Petrus tàm

gentis

gentis ejusdem auxilio, quàm partis suæ favore confisus, contra hostes suos animum roborasset, Civitatem Sutrinam, cujus idem majorem partem habere videbatur, violenter intravit, eamque Regio dominio subdidit, ac fidelitatis fecit Sacramenta præstare.

Medio autem tempore Rex, intermissis solatiis suis, profectus est in Terram Laboris, ut de negotiis spectantibus ad pacificum statum Regni, tam de resistendo viriliter Comiti Provinciæ, si veniendi per eam, sicut communis tenebat opinio, casus incideret, quàm de obstando quibuslibet aliis, qui Regni vellent turbare quietem, deliberationis debitæ consilio provideret. Generali propterea apud Neapolim celebrato colloquio, Comitum, & Baronum, aliorumque Regni Nobilium animos, & vires examinat, & servitium, quod eorum quilibet deberet & posset singulari discussione requirit. Jam vocatis singulorum servitiis, & feudatariis omnibus apertis, provida deliberatione statuit, ut Percivallus de Oria familiaris, & affinis Regis ad partes Ducatus cum magna militia, & Saracenorum quantitate procedat.

Intereà Vicarius Urbis populusque Romanus pro recuperanda Civitate Sutrina communiter exeunt, & cum Civitatis mœnibus appropinquasset, priusquam ad impugnationis conflictus signa perveniant, Civitatem ipsam propter subitam, & mobilem revolutionem Civium ad manus suas, & dominium revocarunt: discedentibus inde cum fuga supradicto Petro de Vico, & aliis de fuga comitiva sua; qui non potuerunt sic omnes illęsi discedere, quin plures Theutonici de stipendiariis Regiis cum eodem Petro morantes, equis, & omnibus armis amissis evaserint, & quin nonnulli etiam ex eis in Romanorum manibus in carcere remanserint, ac in castro Vici, in quo se receptaverunt dicti Petrus, & sui Romanorum ipsorum obsidione circumdantur, & machinis, caveis, & multis impugnandi generibus instanter urgentur.

Cumque Rege morante Capuæ hæc omnia ad ejus notitiam pervenissent, in melius mutato consilio, incontinenti Percivallum de Oria, qui versus Ducatum gressus direxerat, cum exercitu suo versus partes Urbis, in ejusdem Petri subsidium propere mandavit accedere. Alium quoq; exercitum in Regni confinibus sub Magistratu Richardi Filangerii Comitis Marsici jussit illico congregari, ut Romanis eisdem, nisi à prædicti castri obsidione discederent, omni quo possent hinc inde conanime detrimenta continuæ offensionis inferrent. Romani verò saniori usi consilio, audito, quod exercitus ibat contra eos, & Rex etiam dicebatur iturus, & tempus recolligendarum frugum instaret, procedentes ab ejusdem castri obsidione discedunt, & in Urbem propere revertuntur. Vel forsitan Romanorum innata dissentio, & natura semper ad dissentiendum proclivior, quæ numquam commune commodum, sed privatum dumtaxat affectat, cum jam expugnationis ipsius castri diem cerneret esse propinquum, nutantibus animis illorum de illo exercitu, & divisis, rei cęptæ, & jam votivæ depopulationis partę non expectat eventum. Sed Vicarius Urbis Jacobus de Gualtebino, * de Provincia oriundus, qui jam pro Domino Carolo venerat pridem à Gallia, maturè debitum exolvens exercitus vota divisa præsentiens, & majoris partis exercitus ejusdem mentes,

* de Gualterio

tes, quæ non libenter ad finale dicti Petri exterminium accedebant, sic intra se cognoscens quasi quadam machinatione corruptus, quando Theutonici intra clausuram Burgi morantes, qui de Tuscia venerant ad defensionem ipsius de se videbantur victoriam polliceri; discedendi licentia popularibus data cohortibus, & militantibus in dictis catervis scilicet dissoluto exercitu cogitur ab obsidione recedere.

Deinde cum de mandato Regio Percivallus præfatus gressus suos versus partes Ducatus repeteret, & ad cujusdam aquæ transitum, quę dicitur Nigra, de Marchia propè Ayronem cum exercitu pervenisset, & in ipsius aquæ passagio, quamquam gens prævia illesa pertransisset, dum quemdam alium procedentem sibi relevare vellet, occisus fuit ille solus equo succumbente permersus: substituto sibi in Capitaniæ officio juxtà Regis edictum Joanne * de Manerio, ut ejusdem exercitui præsideret. * de Manaejo

Post modicum verò temporis, Rege Apuliam redeunte, dum Petrus de Vico, & Franciscus Trevesius cum stipendiariis Regis in quodam castro ipsius Petri, quod * Bremum dicitur morarentur, & Comes Anguiliariæ cum comitiva sua, & alia copiosa multitudine equitum, quam sibi Summus Pontifex, & Vicarius Urbis transmiserant, apud castrum ventillæ, quod tribus ferè millibus distat à * Bremo, pervenisset, dum non possent se hostes præ nimia oppositione collium rectè respicere, nec alter in alterum insilire, contigit, quod cum dictus Comes, & sui de multitudine confidentes, in quadam media plana procederent, memorati Franciscus, & Petrus, cum Theutonicis secum morantibus, qui pridem ab ipsis hostibus fuerant lacessiti, & ultionis tempus promptis animis expectabant, in eos viriliter irruerunt, conflictuque magno inter eos hinc inde commisso, quodam Pippione Lombardo, quem Capitaneum 400. militum illuc destinaverat Ecclesia, pusillanimiter fugiente, captus est dictus Comes, & plures alii nobiles Romani, cum ipso multis ex suis, quibus maximè Theutonicorum gladii non parebant, occisis, multisque in æstus ardore, & armorum valida oppressione peremptis, ubi Stephanus Attancia vexillifer exercitus Comitis, vir in bellorum exercitatione strenuus, & famosus, æstuans siti, ut referunt, oppressus & suffocatus interiit: quamquam fortassis ex multis percussionum concussionibus expirare potuisset. Cum eodem occubuit Palamedes ejusdem vexilliferi nepos, cujus animositas in armis juventutis multa probitatis industria se probavit. * Pirenum * Beronio

Ad hæc nemorato Vicario Caroli Romæ prosecutionem sic benignius agente feliciter, non solus Rex Manfredus ad impediendum adventum ipsius Caroli, sed Cives Gibellini Romani vigilanter intendunt, parati undique sollicitè bellari, jam per maris excubias multitudo galearum invigilat, & voluit parata æmulis classica numerosa concertare. Jam Theutonicorum voluntas strenescit effrenis, & eorum signa velut ex eventu forent futuro victricia, in partibus Tiburtinis propè Celias circa Regni confinia pompose descensa, præfulgent.

Intereà tamen cum per Romanam Ecclesiam Domino Carolo, ad prosequendum Regni negotium, esset in ipsius Regni concessione omninò stabilitum, quod saltem ipse personaliter Romæ deberet adesse;

Rex

Rex prædictus principiis ſollicitus obſtans, tam per mare, quàm per aridam ipſius Caroli niſus eſt adventum precidere; ut per lapſum temporis Carolus idem ab acceſſione hujuſmodi caderet, & dictus Rex poſtea ejuſdem Eccleſiæ reconciliare ſe poſſet affectibus. Vnde ſub ipſius Regis toto conamine quoſdam fovebat honoribus in Urbe, qui cum quibuſdam aliis Gibellinis, conſilio inito priùs cum ipſis Gibellinis ad impediendum memorati Vicarii, & Caroli dominium diverterent, quibus cum ſuorum equitum comitiva per certas Urbis portas certa hora repentè intrent, ut non ſolum contra eumdem Vicarium, ſed contra Guelſam Urbis, qui Caroli promovebant excellentiam, toto poſſe confligerent. Apud caſtrum Cerveteris quantitate quadam equitum congregata, verſus Urbem tota nocte deproperat, ita quod in auroræ titulo Urbis mœnibus appropinquat, & dum ſolus cupit dona prævenire fortunæ, vel potiùs infortunii calicem preguſtare, ne ſibi fortè mora poſſet imbecillitatem animi imputare, protinus ſubintrat Urbem, domos quaſdam, quas tenebat, & quas faciebat tunc Vicarius cuſtodiri, animosè invadit. Eſt enim Romæ locus ab utroque Tyberis latere circum ſe poſiti diviſus, ad quem præſtant aditum pontium munitæ conformiæ Inſula Licaonia ex antiqua nuncupatione vocatus. Hinc abſque montuoſa eminentia, & ſine munitione murorum eſt per ſe valde tutus, & fortis, ita quod longo tempore poteſt ab inſultatione quorumlibet defenſari. Ad hunc autem cum idem Petrus cum ſuorum equitum, comitiva procederet, præſentitus à loci ejuſdem cuſtodibus, ita ſecreto nequiens ſe, ut credebat reducere, ſe & ſuos juxtà eumdem locum, qui * Piſcinula dicitur receptavit, quaſdam domos inibi muniens, & communis viæ fortificans paſſus, ut imminentem inimicorum incurſum, qui jam erant contra eum venturi, ſubcautè poſſet evadere. Cumque Vicarius prædictus cum quibuſdam ſuis commilitonibus de Provincia, Romanorum Guelforum non expectato ſubſidio, ad expellendum dictum Petrum, & gentem ſuam decenter accinctus armis, & equis accederet, conflictus primordia reportavit diverſa. Licet enim utraque pars provincialis videlicet, & Gibellini Romani, qui cum prædicto Petro aderant, durè ac fortiter conflixerint, in ipſo tamen principio Vicarius cum ſuis repellitur, ſed occurrente ſibi per Inſulam ſupradictam Domino Joanne de Savello, homine ſecuri cordis, qui honorem ſupradicti Caroli tota mentis affectione zelabat, eodemque ab alia illius contratæ parte cum gente dicti Petri viriliter confligente, dictus Vicarius contra hoſtes reſumit vires, & animum, & belli perurgens inſultum, eumdem Petrum convertit in fugam, hos milites ejus perdit, illos capit, & carceribus mancipat, & tam glorioſiſſimum, & victorioſiſſimum ex ipſius hoſtibus triumphum conſequitur, quod hoſtes omnes prædictos, excepto eodem Petro cum tribus tantùm ſociis, fugæ preſidio ab hoſtili tempeſtate ſubductis, vel crudelis gladius excidiosè contrivit, vel Capitolii carcer adſtrinxit.

* Piſcinula

Ex hac itaque debellatione quampluriorum Gibellinorum fuerunt corda concuſſa, & eorum adeo perterriti animi, quod ad turbandam Urbis quietem, quam demoliri moliebantur externis, non acceptant ulterius requirendam; ſed in Urbis circuitu tamquam aper à venatore confuſus per eorum anxii caſtra diſcurrunt; cumque tota ferè

Gallia,

Gallia, & Provincia pro dicto Carolo, qui de Regni dominio perpetuam jam à Sede Apostolica receperat cessionem, ad mactandum vitulum saginatum, quem ejusdem Regni Siciliæ deliciosa nutrierant, provida foret sollicitatione commota, quibusdam mellisflua coactione perversis, nonnullis stipendia magna recipientibus, quę de mandato Summi Pontificis de provëtuum Ecclesiasticorum decimatione acceperant, contra Regem dictum mirificè venire paratis, jam per Montes Etrurię fulgentia illorum signa vernarunt. Jam pro conservatione Vrbis ad præparandam Carolo viam, quamplures milites præmittuntur; & dum favet huic Dominus Clemens, Ecclesiæ universalis Antistes, qui cum esset de Provincia oriundus, erga Carolum multa teneritate cordis accensus, & de statu suo, tamquam Pater de filii honore sollicitus, ipsius quasi Ecclesiæ dumtaxat negotium, indefessa sollicitudine vocis, & operis ferventer assumpserat: Omnia quæ sub cęli reguntur regimine, & quæ ambitus terræ claudit sereno, & votivo lætitiæ jubilo Carolo militant, cum quidam miles cognominatus * Ferrerius, qui statura magna corporis ferri verisimiliter nomen æquabat, hic Romam primitus veniens, versus partes Tiburtinas ad loca, quæ Cellas nominant, cum quodam promptitudinis fervore procedit: Ibi Dominus Jacobus Neapolion caput Gibellinorum Urbis, propter Gibellinitatem ab Urbe dejectus, habebat propè ipsas Cellas castrum Vicovarii, valde forte, qui erat Dux, & ductor quorumdam Theutonicorum, quos ad partes illas in ipsius subsidium Rex ex callida provisione transmiserat: cum quibus dictus Ferrerius sperans in illo sui fervoris impetu de Theutonicis, & Romanis exulibus promereri triumphum, ex improviso bellum durissimum inchoavit: licet à quibusdam militibus Campanis, quos Summus Pontifex stipendiari fecerat, in ejus subsidium fuisset inchoatum bellum fortiter diffusum. Verum non sine misterio Caroli volebant auspicia, ut propinquum campestre bellum perderetur à suis, quia fortuna plurimum actibus humanis illudens, nonnumquam per præcedentia signa victoriæ ultra mentitur cum felicitate futura, & cum quosdam favores primordialiter exhibet, omine jactans votivo primitias, ut incautos postmodum in abyssum finalis exterminii liberius demergere valeat: hoc continuo ludo ludendo, volens Regi prædicto saviffe videri, dat sibi, ut ita loquar, morsellum cerebri, ut non possit amplius ex aliis deglutire; & sic dictum Ferrerium, quod incautè incęperat in precipitii discrimen adduxit, & bello totaliter perdito captum inibi hostium suorum conclusit in manus; quem Ferrerium memoratus Dominus Jacobus Neapolion ex novo triumpho novo repletus gaudio, captivum ad Regis præsentiam sub fida custodia destinavit. Hujusmodi captionis diem, Rex ipse quasi felicium successuum gloriam, & mysterium, solemnitas festiva celebratione commemorat. Veniunt augures, adstant astrologi, adsunt aucelli, currunt aruspices, divini festinant, ac veluti, qui sua dicta, ut volentibus applaudant Dominis, & dissimulantibus adulentur soliti, sunt adornare mendaciis, certam spem Regi de prosperis successibus pollicentur.

Intereà terminus peremptorius, qui Caroli exaltationi, tamquam fatalis instabat, ex temporis decursione paulatim serpens appropinquat, & dum de adventu ipsius vota hominum quodammodo despe-

* fermerius

 rarent

rarent, subito juxtà fauces Urbis galearum stolium cum gente in mare pugnabili, ad impediendum Carolo marinas semitas destinatur. Hoc postquam fauces Urbis conspicuas trabibus, & palis, & magnorum lapidum mole replendo turbavit in tantum, quod galeis aditus de facili non patebat, ruina credens per hoc Caroli galeas naufragium sic intercipere, quod nullatenus potestatis suæ judicium posset affugere; metuens propter inundantes tempestatem procellas, incassum ad Terram naufragiis deportari, alta petit æquora, & fortè spatiosa pererrat. Galeæ verò, quæ Carolum devehebant ad Terram ab impetu ventorum invitæ fortassis impulsæ, hostium non obviantes galeis, juxtà Romanam plagam fixis anchoris, extensis rudentibus se cohærĉtant, & eadem durante procella, Carolus ascendens quamdam sagittinam, non sine personæ discrimine, terram petit, cupidus fortè priùs in ipso littore mori, quam ignominiosè à Regni concessione repelli. Sicque in descēsu, dum nō crederet evadere, sed omnino submergi, terra Romana ipsum excepit redivivū; & itidem maris impetu trāquillato, Galli sui procedunt ad fauces, quæ objecta fuerunt obstacula submovent, & Tyberis alveos* liberi ingrediūtur, ac deinde, ut moris est, trahuntur ad Urbem. Carolo, qui ad terrā ante descenderat, sicut Deo placuit, qui hominum dirigit vias, & vota, omnes Romani Nobiles veniunt obviam, & cum reverentia multa suscipiunt; & tandem apud Monasterium Sancti Pauli propè Urbem conducunt eumdem, cui turba Romana plebis infinitæ generis utriusque, Senex, & Juvenis, Laicus, & Clericus, ac Religiosi etiam, cum palmis processionaliter circumeundo pronunciant Osanna pium. Atque ex ejus adventu Romanus Populus sumens ex animo festiva tripudia, choreis ludentium, & psallentium cantica noviter exinde ad inventa, de more dispositis plateis, & in eis saltantibus pedibus calcare non cessant, & quilibet nobilis, juxtà suæ facultatis potentiam, secum quorumdam sociorum equitum comitivam signanter inducit ad ludendum; nec est sanè memoria, quod alicui Domino Romani usque ad illa tempora majora ostentamenta gesserint, quæ diserti oratoris officium, nequaquam brevis hora temporis, enarret.

*liberè impediuntur, ac inde sicut

Dictus ergo Carolus, qui mille forte milites electissimos, in exercitio belli viribus expertos per mare traduxerat, dura maris tempestate confractos, quorum fatigata membra Ecclesia prædicta restaurat, exercitum copiosum expectat, qui per Terram de Ultramontanis partibus veniebat, & interim equis opportunis milites suos munit. Sed dum Admiratus stolii galearum Regis, quas usque in districtum Januæ valida tempestas impulerat, Carolum & galeas suas vidisset, quod prospere Romam advenerant, statim turbatus medulliter, & confusus spiritu retrocessit, & repetens fauces Urbis, comperit de faucibus Tyberis omnia obstacula, quæ objecerat provida deliberatione dejecta, & neglecta sollicitudine redargutus, passus est dignè contumelias, & terrores.

Rex itaque Manfredus audito, quod Carolus Romam sub tanto discrimine venerit, cœpit mente fremescere, & dum vix credere posset narrationem rumoris hujusmodi, qui ex continua sollicitudine Nuntii, velut Caldararii malleus, qui ictum ad cudendum socii non expectat, denuo statim perstrepebat auditum, non solum veniendi admi-

admiratur modum, sed qualiter stolium galearum suarum classica Caroli sic preterire potuisset invisa, vehementissime obstupescit. Ex his, & aliis præsagiis, qui Cęlum, Terra, & mare portenderant, intellectum recipiens, quod ex Dei judicio singula videbantur esse talia pręparatoria contra eum. Illis enim temporibus Cometa, qui multos annos clausus sub Cęli volumine in sui apparitione consuevit benignus invitare, & subsistentiæ quassare dominia, velut Solares radios suos usque ad Terras lucidissima Cometa extendit. Sed quamquam dicto Regi de suorum proxima ex precedentibus signis desolatione daretur intelligi, cōsulens tamen augures, & requirens astrologos, mentiebantur sibi quodam palliato solamine, per longa tempora regnatur; sicque generali colloquio apud Beneventum edito, Barones, & Feudatarios omnes Regni Siciliæ, ac quosdam bonos viros de singulorum bonorum locorum districtu evocat, & Theutonicorum cohortes, quas per Italiam sparserat collegit.

Congregatis ergo universis, quos fecerat accersiri, ad Comites tamquam ad electos suos se dirigens, talis sermonis propositiones orditur. Ecce inquit ignis urens de longiquo prę foribus nostris assistit, unusquisque propterea suæ domus aquam sine excusatione manibus suis excipiat, & obsistat, ne dum sine rerum, & personarum exceptione consumit, domus cujuslibet devoretur ab eo. Ecce incurata ulcera, quæ malus noster pudor sub contempta dissimulatione celabat, sine medicorum suffragio parantur ad fistulam; quilibet ergo proprio gladio vias morbi hujus toto posse concludat, ne dum usque ad cordis viscera venerit, & nostras intimas neglectus medullas inficit, deinde incurabilis habeatur. Gens quippe ista, dum Comites, & Barones Regni, & Patrimonium nostrum venit invadere, ferocissima, & austera censetur. Hæc inquam pietatem, & misericordiam dimisit infantia, cor durum, ferocitatem mentis, animum inexorabilem contra nos, ex proposito secum congestat. Audivistis aliquando de benignitate, & mansuetudine illorum de domo Franciæ aliquid enarrari, sed tales non credatis esse, qui nos veniunt aggredi, hos quidem nec amicæ preces, nec affectionis zelus contra nos, & Regnum nostrum concitavere venturos, sed sola cupido auri, & affluentia Regni nostri, quam pompa Regnicolarum fecit esse desiderabilem. Illa violentos prædictos allicit, & rerum alienarum sitibundos attrahit, & ad spolia nostra desiderata compellit; & sicut Comes Provinciæ Carolus filius Regis Franciæ facit, nostram ut personam exterminet, quotidie se contra nostras fortunas parat, sic imo avidiùs illi, qui cum illo associantur, sub illa intentione deproperant, ut bona vestra diripiant, & non dimittant personas. Crudelis impietas, nostris inaudita temporibus. Exteræ, & effrenes gentes, quæ non nisi ad crudelia execrabiles habent aptas ad ferocitates manus, & ad spolia promptas, quærentes semper quid devorent, tranquillum statum Regni concutiunt, & omnia nostra perturbant, dum credunt solo fruitorii impetu subjugare; sed ex quo cum ferocitate festinant, ferocius resistamus eisdem. Firmum enim credere possumus quidem quia pro nostrorum virium defensione, & pro conservatione nostræ Justitiæ dimicabimus, malitiam ipsam justitia non debeat consovere. Unum quidem attendite, quod si venientibus cedamus hostibus, aut lente resistamus,

vel si nos audient aliquo modo trepidantes in aliquo, Gallici de more tunc quantum possunt impellent: animosi enim sunt aggressores, sed si resistatur sibi viriliter, consuetudine superborum, finaliter consueverunt succumbere. Quia igitur hæc injuria tangit omnes nostros fideles, & illum magis, quem Regis copia plus abundare concessit, & qui Terram à nobis obtinet ampliorem. Universi ergo, & singuli, qui zelant nostræ Majestatis honorem, & affectant celsitudinis nostræ gloriam, juxtà suarum facultatum potentiam, armis, equis, & proborum virorum comitiva se muniant; & cum venientium turba nostrorum hostium confinia Regni nostri pulsaverit, quod doleant se in Ultramontanis partibus non fixisse vestigia, & si qui manus potuerunt copiosę nostrę gentis effugere, confusi mox subitò retrocedant.

Postquam igitur Rex Manfredus circumstantibus turmis votum totaliter suæ mentis aperuit, & propositum sui cordis fundo deprompsit, universi quidem, & singuli collocutioni Regiæ annuunt, & parlamento dimisso, à quibuslibet ad propria sub eo colore, ut quilibet juxtà suæ facultatis potentiam contra venientes hostes sua muniant, Redeuntibus jam promissa fides Comitum latenter violatur interea, quam sola imbecillitas animi, ac falsæ mentis incostantia, & non metus violabilem faciebat; nondum enim quemquam timere poterant, sed ejus formidine, quod verebantur accidere, futuri casus premeditatione perterriti, tractatum per Nuntios tam cum Comite Provinciæ, quàm cum Apostolica Sede dolosius ineunt, & eorum vota Comitis ejusdem voluntatibus Nuntiorum destinatione confœderant, ac ipsius mandatis placida significatione arctantur.

Rex tamen Manfredus post hęc in Alamanniā pro duobus millibus militibus equitibus, pro quibus pro sex mensibus stipendia duplicata transmiserat, non sine anxia voluntate transmittit.

Hic incipit L. Tertius Sabæ Malaspinæ. Intereà Carolus Romæ in Basilica Apostolorum per quatuor Cardinales, à Summo Pontifice ad Urbem Viterbio propterea destinatos in Regem Siciliæ delinitur, & Regali diademate coronatur. In cujus coronatione mirabilia festa fiunt anno Domini 1265. per Clementem Quartum, succedentem Urbano, & nova tripudia, & festiva gaudia celebrantur. Ludunt enim generaliter omnes Romani, & quilibet sicut ei plus bonorum copia suppetit, ita miles pariter, & pedes instructus per agmina pomposius se ostendit ibidem, & celebriora constituit solemnia festi hujus, ut diei tanti negotii memoria perenniter memoretur. Jam Gallicorum multitudo numerosa circumfluit, jam totus Regis Caroli sollicitatur exercitus, Romam veniunt quidam inopes, & laboribus fatigati, ac expensis oppressi, & ideo eorum prompti spiritus violenti appetitu ad bella eos accelerant, compellunt & verbo, & opere acerbiores efficiunt, & amicitiæ traditores. Unde extingui celeriter pro prima furia cupiunt, vel cędis occasione, aut spe pretiosorum eorum sacrorum mobilium amplo voto cogitant, & affectant. Contrahit tamen, & ipse Carolus, & alii de exercitu suo mutua à Romanis Mercatoribus, qui desiderabant in Regno Siciliæ libertatis immunitate gaudere, multaque præcedenti pollicitatione recipiunt. Reconciliantur quamplures Gibellini Romani, & ad Regis Caroli gratiam cum quadam promptitudine redeunt, ex quibus Petrus Romanus jam dictus, qui Regis ejusdem quondam pro-

prose-

fequebatur honorem, nunc Majeſtati Regiæ devotus efficitur, & ad ipſius fidelitatem gratioſius admittitur. Hic ut dictus Rex de converſione ſua pignora certa reciperet,contra Manfredum una cum Regis exercitu ultrò ſe offert iturum. Præfectò modica ſuppellex, rerum penuria, & carentia pretii, Gallicos inſtantiſſimè impellebant ad Regnum: ſicque à Dominis Cardinalibus ſupradictis ſuſcepta cum devotione venia omnium peccatorum, quam auctoritate Summi Pontificis poterant indulgere, verſus Ceperanum, ubi Regni, & Campaniæ fluvius quidam confinia dividit, avida voluntate feſtinant. Cardinales verò prædicti extra Urbem tantum Regem traducunt, eumdem ibi juxtà formas ipſum mutuo pacificè oſculantes, & ſignantes eum Crucis ſignaculo, abire licentia data permittunt. Pater tamen ille magnificus Dominus Richardus, Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, natione Romanus, uſque ad caſtrum Moiariæ proprii impenſa peculii, pro ſua, & ſuorum perpetua propenſione, Comitatus eſt Regem prædictum.

Manfredus verò ſtatus ſui hujuſmodi ventura flagella præſenſerat, ac veluti in extaſi, ac alto terroris involucro poſito, ignorat penitus ubi venientibus hoſtibus ſe opponat, ubi eis obſtacula præparet, ubi obſiſtat eiſdem; & dum ad reſiſtendum propterea flumen repetit, ut per ſe facta impedimenta ſint talia, quod hoſtes in oppoſitum conſtituti nequeant ſe manualiter jungere, nunc Capuam, nunc Ceperanum, & tandem Beneventum, feſtinus diſcurrendo greſſus dirigit, & revolvit. Quamlibet enim terrarum hujuſmodi alta fluminis ripa fortificat, ac profundi defoſſum aggeris roborat, ſed præſcitus ad malum obſtinatus Manfredus, qui apud Ceperanum gentis ſuæ reſiſtentiam ordinare debebat, paſſus Regni vacuos, & ſine cuſtodiæ munitione reliquit, ut libet ad Regnum aditus pateat inimicis. Verumtamen in caſtro Sancti Germani duo millia Saracenorum, & mille equites juſſit pro tuitione morari: Sicque Rex Carolus cum ſuo victorioſo exercitu Regnum liberè ingreditur, de cujus amenitate jam aſpergitur nova lætitia, jamque gaudio votivo completur, & diem quamlibet pro anno ſibi computat effluere, donec reſiſtentium adverſariorum poſſet faciem intueri. Venit igitur properè ad quoddam inexpugnabile caſtrum, quod aliquid contrarii videtur habere, cum Rocca Arcis appelletur à Vulgo: hac enim Rocca vix fortior poſſet inveniri, quam rupes montuoſæ circumdant, & quaſi de medio petrarum cofixam, ſaxoſa montium prærupta convallant. Hanc Gallici pedites, quaſi leve quid eſſet, miraculosè conſcendunt, ad quam niſi noviter mutaretur infirmitas, vix crederentur poſſe per longa tempora devenire. Sed ſicut Deo placuit Caſtellanus ibi deputatus, violentis perterritus Gallicorum inſultibus, & præ multitudine copioſa exercitus caſtrametati, per ipſius caſtri, circuitum ſtupefactus, miſericordiæ mercedem implorat; cui mandata Regis Caroli coacta voluntate petenti Rex ipſe perſonæ veniam benignius indulſit, & mobilium rerum ſuarum, quas in eodem caſtro habebat, omnimodam tutelam ſpopondit.

Fama itaque referente per patriam, quod gentes Ultramontanæ tam fortiſſimum, & inexpugnabile caſtrum belli ſubjugaverant inſultu, quælibet terra, quæ ea ſe minus fortem eſſe putabat, & debilius

bilius poterat se tueri, tanto magis diem conflictus, & expugnationis expectare formidat. Unde factum est, quod quæcumque Civitas, castrum, seu casale, situm est in circuitu Burgi Sancti Germani prædicti, abjurato Manfredo Domino, & Regis Caroli mandatis devotè parendo, signa subjectionis, & fidei voce confitetur, & opere. Jam famelicis, & fatigatis gentibus de suorum victualium fœcunditate subveniunt, & quæque pretiosa pro libertatis dono assequendo Regi offerunt, & militibus Regiis.

Sed hæc modica pars Regni, nec tanta, nec talis erat, quæ de substantia sua replere posset vacuum Gallicorum, seu eorum resarcire penurias, vel anxietates extinguere, unde succedentibus eis ad votum undique prosperis, vigorosiores, & magis voluntarios ad spolia, & excidia hostium, requiemque suorum laborum, Princeps iste mendicus suos in his efficit, & velut astur, quæ plumis deformis suscipitur ad capiendos æstivo tempore teneros perdicum pullos, quos debilis volatus nondum defendere rapacibus valet, ab ungulis per doctum aucupem provida incitatione dirigitur, ut capta prçda, & pullorum hujusmodi sanguine prçgustato, deplumare jam discat, & efficiatur postmodum magis rapax. Ita Gallicorum innata complexio, quæ per se speciali ferocitate suffulta, sine pavore mortis infert, & refert exitialia jacula, ad illas rationes occisionis accenditur, & ad spolia prçdicta violenter allicitur, jam pro matura feliciter capta præda, & deliciarum Regni dulcedine prægustata.

Hujus igitur successu felicitatis accensi, ad castrum Sancti Germani ubi magnam partem opponendæ resistentiæ invenire credebanr, propere nimis pergunt, & cum omnes fere machinas, quibus mobilium equorum suffragio uti consueverant, in obsidione castrorum secum fecisset Rex Carolus per multitudinem curruum deportari, ibi apud Sanctum Germanum singuli de curribus deponuntur, & currus pariter, & aurigæ subsistunt. Verum nihil his machinis, & aliis similibus generibus oppugnandi profecerunt, nam quantò invalescebat Gallicorum animositas, tantò in hominibus Terræ crescebat audacia. Insultum igitur manualis pugnæ contra muros à latere fluminis ferventer incipiunt; & quoniam plus latini de more, quam Gallici consueverunt, & industriosius etiam oppugnationes castrorum hujusmodi gerere, quam Ultramontani, nonnulli nobiles animi, & corporis vires, & virtutes eum quadm fervoris anticipatione moliebantur ostendere, inter quos Petrus Romanus, Romanorum proconsul superius nominatus, cupiens Regis ejusdem gratiam redimere mentis, quam apud eum demerendo perdiderat, locum pugnæ cum quibusdam commilitonibus suis anticipans ipsius Burgi muris sine discrimine approximavit impavidus; quem jactus frequens innumerabilium lapidum, illorum videlicet, qui muros tuebantur, eosdem usque ad mediam corporis partem obsedit in tantum, quod se movere non poterant; sed eum quasi perditum Gallicorum, & Latinorum succurrentium promptitudo salvavit, cujus audaciam videntes, corda fortificantes, & animos, & cçptum continuantes insultum, ita fortiter dimicarunt, ut fugatis murorum defensoribus portam occupaverint prçdictam. Profectò tam durissimum insultum Saraceni, & alii, qui pro ingressu exercitus ad custodiam Sancti Germani per Manfredum

fue-

fuerant deputati oculis * intuentes, se fugæ præsidio commiserunt, cum non ad impellendum ex deliberatione potius essent *acti: Sed his fugę remedium usquequaque non profuit, nam majorem ipsorum partem Gallicorum gladius sine misericordiæ venia trucidavit. Occubuerunt inibi fine numero multi, quibus non pepercit Gallicus, vel Latinus, & eorum corpora, quæ præ vulnerum confusione crudelium discerni vix poterant, in esum esurientium animalium jacebant exposita, & famelicis volatilibus derelicta: nonnulli tamen manum Gallicam evadentes, & fugam usque Beneventum continuantes, ubi Manfredus cum magno exercitu Theutonicorum, Lombardorum, & Regnicolarum aderat, satis verè poterant de hujusmodi strage referre. Cumque denuò successus, & prosperitates Gallicorum multiplicantur feliciter, violentius eorum invalescebat audacia, & voluntatis anxiæ promptitudo crescebat, unde nullo quæsito diffugio, sed sublato quolibet morę dispendio, ad Manfredum pervenire desiderant, & cum suis militibus confligere anxiantes usque fores ad validas Civitatis Beneventanæ actu continuo, & impulsu non cessans adversariorum reliquias persequi: & dum nec sibi, nec equis eorum parcerent, qui erant præ longo itinere fatigati, quasi omnes deficere videbantur. Sed tanta erat spoliorum aviditas, succedentibus eis undique prosperis, quod totius laboris, & discriminis onera levia reputabant.

* & majorem illo mentis intuitu recēsentes
* acciti

Postquam igitur Gallici continuò, & veluti Arcerus Siculos, qui de mane ad vesperas clamans sequitur, fatigati ad quemdam Campum de propè Beneventum devenerunt in quodam colle, qui respicit ex opposito Beneventum, cujus distantiam alveus fluminis tantum facit, figunt accelerata vestigia, & dum sic sunt in ipso colle castramentati, Rex Carolus, qui continuo motu per exercitum frendens, sicut aper dentibus discurrebat, multos militiæ cingulo ad perpetuam rei memoriam decoravit, continuo quasi clamore has voces catervis exercitus emittendo. Hic clarius apparebit quales habent Gallici milites: qui militiæ zelant honorem: Sanè post hæc primatibus exercitus congregatis in loco campi, ubi qui voluit potuit interesse, his eos verbis brevibus alloquitur.

Parlamentum Regis Caroli.

SCiatis certissimè Domini Milites, quod de loco isto in Franciam fuga longos habet protractus, ut pugnemus venimus, si succumbamus hostibus sine spe misericordiæ moriemur; fugæ præsidio nullum tutelæ patrocinium nobis impendetur, quia gentes per quas venimus, sicut nos venientes honorabiliter tractaverunt, & reverenter impenderunt nobis gratum obsequii famulatum, ita nos fugientes animis eorum in pravitatem conversis, quadam emulatione, usquę ad mortem persequentur. Resistamus ergo viriliter, & pugnemus audacter, ut vel omnes uno ore diglutiamur, vel speratum triumphum ex hostibus consequamur. Tolerabilius enim est mori, quàm fugere, nam fuga anxia multiplices mortes inter odientium discrimina secum trahit. Nos quidem confidentius possumus dimicare, cum enim adversarii, quos anathemate excommunicationis senten-

tia

tiâ percusit, sub illius nomine sathanæ, cujus manibus per hujusmodi sententiam sunt à Sede Apostolica mancipati,cum æternæ vitæ desperatione confligunt. Nos non solum sub illius celebritate vocabuli, qui pro nobis pati, & affligi usque ad mortem voluit, cum spe, imo cum certitudine misericordiæ ab Ipsius Vicario: solliciti tamen sitis unde venientium ad pugnam prius equos lædatis, quibus succumbentibus sessores ad terram prostratos,& pannorum gravitudine lentos, & hebetes nostrorum peditum prompta manus excipiat, & trucidet. Reguletur taliter providentia vestra, quod singuli juxtà se singulos pedites habeant, vel binos si poterint, etiamsi non possent alios, quam ribaldos habere: tum pro equis interficiendis hostium, tum pro conterendis iis, quos excusserant, vel inacie præ labore continuo quiescere non sinant. Ideo potentes, & fortes, quod nisi taliter juvent, valeant cum equis hostium pari labore concurrere, & longa in bello mora durare.

His igitur regulis præmuniti, velut canis in venationibus, Domini sui vocibus ad prædam quilibet campum passu voluntario colvit, & querens, quem devoret,cibum sicut familicus Carolus lætus expectat.

Intereà nonnulli Barones Regni, quos propter suspicionis causas factos à Regno exules aliena diu patria fuerat castra, & terras innumeras, quarum dominium justis titulis dabat eis licentia Regis Caroli, quam in Regni obtinuerant ingressu, per diversas Regni Provincias occupant, & patrimonia sua recuperant; Propterea Regnicolarum corda cœperunt inter se mutari non modicum, & generaliter minores gaudere. Credebant enim firmiter, quod jam Regnum esset votivæ tranquillitati paratum, & ex adventu Regis Caroli libertati omnimode restitutum. Minantibus itaque Regnicolis, usquequaque per Regnum non cessant, intereà fortes Belli parcere discrimini, & quilibet, ut fortius dimicet, se accingit.

Manfredus tamen,qui semper de instabilitate,& voto contrario illorum de Regno meritò dubitabat,suis Comitibus hos sermones eructat.

Parlamentum Regis Manfredi.

Hostes nostros, quos jam diù fama, & clamatio pronunciavit esse venturos, videtis in oppositum existentes, & per Dei gratiam tantos, & tales esse visa nostra nun judicat, quantos, & quales fama referente credimus: malos equos, & macilentes, & parvos habent; & si sunt ibi aliqui magni equi, extenuati præ labore nimio parum valent. Dum si sunt fatigati, priusquam quæsita requie convalescant, & fortificati aliqualiter omnino invalescant, approperemus horam conflictus, & in media arva ruamus, & si inevitabiliter fuerit, moriamur. Gallici enim in ipso instanti videntur audaces, nec sunt stabiles, nec animum habent fortem: omninò sunt pavidi, quando resistentiam aliqualem inveniunt. O bona posteritas, memoramini gesta progenitorum nostrorum; nonnè Theutonici gentes istas antiquitus vilissimas reputabant? nonnè hos, & alios requirebant Itali, & eorum numero dominio multifariè submittebant: Fortiores sumus patribus nostris, majori etiam personarum, & rerum potentia præditi, quid veremur? quid formidamus? certè nihil aliud cogitemus,

quam

quam in exterminium hostes adducere, & eos à facie nostra delere.

His & aliis Manfredus Gallicorum mores, & facta vilificans suos viriliter animabat, sed Comitum suorum quilibet juxtà magnanimitatem, & imbecillitatem animi, secundum quod magis, & minus fidelitatem sibi servare disposuit, voluntatem suæ mentis aperuit, & suadebat, vel dissuadebat pugnam, secundum quod virtus, & vitium animi miuistrabat. Verumtamen de hora pugnæ Manfredus consilio cujusdam Astrologi regebatur: Sed cum jam deliberatione præhabita, compertum per artem esset, quod felici omine pugnam poterat aggredi, qnidam ex Comitibus ipsis proditoria obstinatione corrupti, & machinationem nequissimam moliti,dissimulantes sibi displicere prælium, solum commodum ipsius Manfredi fore, si configerent, prætendentes ipsum Manfredum fore, si non configeret, pro dignitate Spuril derelinquendum. Quidam etiam, quos idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat accersiri, sumpta causa, vel occasione potius quam quærunt volentes recedere ab amicis, substituerunt in locis primis futuros successus morantes potentię utriusque: sed qui pares censeri poterant in crimine, inde fines simulabant, se ad Terrarum suarum custodiam remanere.

Inter hæc Manfredus cum quibusdam Lombardis Comitibus, & maximè cum Gualvano Jordano, & Bartholomeo, & cum quodam Theobaldo de Anibaldis, Cive Romano, Secretum fecit consilium,& ab eis prudenter an intendant statim contra hostes irruere sciscitatur, an quidem de attentanda pugna videatur eisdem, diligenter interrogat. Hi sanè cum essent homines bellicosi, quibus aliquando famosè triumphus ex bello successerat, & fortuna prospera in eorum aliquando principiis amiserat, quodam motu voluntario regebantur, ut animo videlicet, plusquam viribus crederent, & furore plusquam virtute se vincere posse sperarent. Unde viva, & prompta voce, stupescentes, quomodo de eo, quod Manfredus jam eorum in ultimis probitatem expertus indagabat ab eis, clamant, & dicunt. Et si statim nos oporteat mori tecum non te negabimus; personam tuam, ex cujus vita, & obitu nostræ felicitatis dependet occasus, è vestigio sequimur, & te feliciter vivere, nosque sub militaris honore, fortunæ fideliter pro te mori volumus, & optamus, & ut fidem, quam pro defendenda regalis nominis libertate congessimus statim nostra testificentur opera, primus noster erit aggressus.

Incipit hic Pugna Manfredi.

Cumque in hujusmodi voluntatis examinatione persisterent, & militiæ agmina, nec non agminum præpositi decessérint, clamor æthere tantus insonuit, quod,sicut fertur,usque ad *Aisim ventus impulit murmura, & veluti cum freta fervent valida ventorum concita tempestate, omnium perturbabat auditum. Saraceni namque de Luceria, maximè arcerii numero decem millia, mandati fines furiosè trasgredientes, dum sic Gallicos cogitarent arcuum perterrere missilibus, qnod postea Theutonicis, & Lombardis quominus prædictos Gallicos expugnarent, nullius difficultatis pararetur obstaculum, circa flumen veniunt. Sed Gallicorum ferocitatem plus concitant,& ac- *Alifium

cendunt; quo magis militum cohortibus appropinquant, clamant de more,& qua si cadentes hostes contererent,vocibus clamare continuò invalescunt. His occurrunt Ribaldi, qui congregati de facto ad manus adveniunt, & comperto, quod Saraceni essent, clamant dicentes porci sunt isti, qui ad nos cum tanto clamore descendunt; unde quasi Inermes sine alicujus Magistri conductu, solita conciti furia velut arborum frondes quando in nubilosa multitudine de loco moventur, ad locum venientibus Saracenorum turmis occurrunt. Verum Saraceni more solito priusquam se jungant manualiter hostibus ex peraciis tela projiciunt, & subitò sagittantes Ribaldos sine numerò vulnerant. Emissæ plus, vel minùs prout ex lacertis fortioribus prodeunt, post terga sagittæ, ad instar serpentis inter stipulas progredientis congeminatæ sibilant, & inopinatè, & irremediabiliter ex hoc in illum fulgura ferunt. Sed dum frequentius eructantur, in diversis corporum partibus nonnullæ subsistunt, modo in capite, modoque in facie geminæ residentes, nova figurant cornua, & geminatæ taliter affixæ circum pectus, & scapulas, exornes vitium palmites simulant; Recipiunt hujusmodi simulatos ramos innumerabilia corpora, sed non funduntur, perforantur in nixum, & veluti grege ovium in Campis Apuliæ, quando Boream de Dalmatiæ derivatum montibus patiuntur, quasi caduco morbo confectæ simul, & subito in multitudine concidunt. Sic Ribaldorum Infirmitas, quorum casus parum, vel nihil Regis Caroli tangebat exercitum, exanimis redditur, & expirat. Milites autem Gallici Ribaldorum stragem occumbentium subitò factam noscentes, & dolentes potissimum, ne Saraceni ex hac strage fumant vigoris audaciam, & contra eos fortius invalescant, quamdam servientium aciem deputant, qui Saracenos in campo clamantes invadant. Irruunt quidem equites numero fortè mille in Saracenos prædictos, & ita fortiter percutiunt Saracenos, quod mortificati universaliter cum arcubus, & quodammodo facti exanimes solo metu,se nemine adhuc percutiente, prosternuntur: facti sunt veluti Passeres in sepibus, quando in eos Nibius de aere subitò veniens irruit, & gregales aves, quas audax Aquila quasi de Cœlo corruens prosternit in nemore. Trucidantur canes, & eorum corpora, quæ Gallicus gladius sine pietate aliqua extinguebat laniata, sicut venales carnes carnificium canibus relinquuntur.

Ad hæc Comes Jordanus promptus, & audax, cujus aliquando fortuna juvit adaciam, non expectata deliberatione Manfredi, statim cum mille Theutonicis prosilivit in campum, & dato signo inter Comestabulorum catervas bellum fortissimum cum illis servientibus Gallicis iniit. Ii quidem ex multa Saracenurum occisione fatigati, & quia nec erant tales, nec equis talibus insidentes, quod occurrentibus Theutonicis possent obsistere, succumbunt protinus, & pauci è Theutonicorum manibus potuerunt effugere, omnes ferè Gallicos gladius devorat, omnia objecta agmina lacerat. Erant enim prædicti Theutonici melior, quasi pars totius exercitus Manfredi.

Hoc autem Rex Carolus intuens, fremens, & furens, modo personaliter in Theutonicos volebat irruere, modo usus saniori consilio subsistebat, sed tamen ordinatis banderiis, & magistris militiæ, ac præpositis agminum, qui in campum venerant, mille milites suos ele-

ctos

ctos jubet invadere. Fortes igitur contra fortes fortissimè nectunt, sed Theutonicis finaliter succumbentibus, adsunt Gualvanus, Bartholomeus, & plures Comites cum Lombardis, & Theutonicis, & aliis catervatim bellum submittunt, & confluunt durissimè sicut possunt.

Belli sic durante conflictu, ex utraque parte deficientibus multis, quos vel labor, vel gladius comprimebat, aliam comitivam Rex Carolus initum conflictum durissimè edicit ituram. Hoc quidem adeò fortificavit pro parte Regis Caroli bellum, quod omninò reversi sunt Gallici prævalere, imo potius prævalebant. Ah ah, Manfrede predestinate ad malum. Totamque pugnam, & pugnæ modum oculis intuetur, & corde dividit, jam jam omninò volens irruere denuò sollicitus, & attentus; sicut leporarius, quem tenet venator, sollicitatur bracchettis, & excubiis nemoris laxiatum fremebat, & anxiebatur aggredi bellum: mandat ceteris Capitaneis, & Prepositis sui exercitus, quod illico descendant ad pugnam. Sed cum nonnulli de Regno, qui quosdam falsos Comites, cum quibus Rex Carolus sub colorato Patrimonialis successionis titulo spolia Regni diviserat sequebantur, nollent bellum ingredi, sed proditoriè abstitissent; Manfredus cum suis militibus muri potiùs eligens, quam eis morientibus alieno profugio vitam petere, quasi desperatus cum prædicto Domino Theobaldo Romano, qui eum nullatenus dimittebat, imo quantum poterat suadebat, quod omnino statim aggrederentur bellum, & suis militibus, qui pugnabant succurrerent, & vel sic omnes unus affectus una hora, unus gladius devoret, vel exaltet, inimicorum suorum ruit in medium, pugnat, percutit, percutitur, & expugnatur. Proh dolor! à suis sic proditus invalescit violentia Gallicorum, circumdat astutia totum campum, nulli parcit Gallicus, singulos de Manfredi exercitu necant, & trucidant immaniter, lavant sitientes manus suas in sanguine occisorum. Quampiures quidem, attendentes inhumanitatem hujusmodi, videlicet quod nec prostratis Gallicus percebat gladius, se mergebant armatis cum equis in flumen, demergi sanctius eligentes in flumen, quam sic immaniter trucidari: unde quos gladius non contrivit fluvius deglutivit.

Facta est igitur tanta strages, quod nihil in Campo remansit, undique corpora occisorum equorum super cadavera hominum quiescebant, vix cadaver integrum, imo mutilatum diversimodè poterat inveniri omnia in desertum, & sine prima figura jacebant impiè sic tractata.

Rex itaque Carolus, qui nondum de Manfredi obitu certus erat, conscendit triumphaliter Civitatem veterem Beneventi, & quæ diu anxiè affectaverat spolia, magis anxiè amplexatur: lætus comperit, & lætior excipit gazas innumeras, & pretiosa nonnulla, quæ non solum Manfredus in proprio gazophilacio, sed & Conradus frater, & Fredericus Pater in non modica congesserant quantitate; ex diversis quantitatibus auri compositis magnis acervis sollicitus adunat, quem faciebat sola rerum indigentia, & diuturna penuria sitibundum Thesauros multorum Comitum incautos invenit, & recondit. Ditantur undique Gallici, nec tamen sitis extinguitur, vel repletur exuries. Nam non solum occisorum hostium spolia sua faciunt, sed Civitatem

miſeram ſine perſonarum exceptione diſrobant, & quod peſſimum eſt incolas cędunt, & externis inventis ibi non parcunt; Cedes continua non quieſcit intereà, ſed prædictos magis cędunt tantopiùs fortiter, quantopiùs ardent quoslibet Beneventanos adducere in exterminium, & in prædam. Mittit in Siciliam Dominum Philippum de Monteforte, ac quaslibet Regni Provincias viſitat per officiales, & miniſtros: verumtamen propter Gallicorum multitudinem, quorum frequentia ſingulæ Regni partes complentur, quælibet terra ſua deplorat incommoda, & clades perterritat. Non palpavit incendia exiguo, & continuo tranſitu, attamen violentos ſentit incurſus, & afflictione jactilis offenditur improvisò; namque cum his, qui ſequuntur caſtra, fides, & pietas nulla inſit, naturam ſapiont ignis, & fulguris, ut videlicet omnia per quæ tranſeunt loca contaminent, & quos ita ſubitò nequeunt interimere, ſubactos ad inſtar ignis materiæ denuò partes contiguas comprehendentis adurunt.

Ad hæc Rex prædictus tam glorifico triumpho magnificus, ut de Regnicolarum moribus, Regnique conſuetudinibus ſe informet, quoſdam Regnicolas, quos Manfredus penes officiorum adminiſtrationes, & miniſterla ante serioſè congeſſerat, in ſuam familiaritatem advertit, & receptat, inter quos quemdam Barolitanum præcipuè, nomine Giczolinus de Marra, cujus primogenitores de montibus Amalphiæ traxerunt originem, ad tractus rerum domeſticarum, & commiſſionum regalium officioſitas Regi reddebat acceptum. Hic regiſtra proventuum Regni officiorum, & officialium etiam per diverſa ipſius Regni loca particulariter ponendorum habebat, in quibus non ſolum juriſdictiones, & jura Regni, per quæ felices, contentis dumtaxat eiſdem, ſui feliciter conſervabantur honores, memoriter erant inſerta; ſed omnes angariæ, per angariæ, collectæ, tagliæ, dativæ, contributiones exercituum, immunitatum, quibus Regum nefandorum impietas, & miſeros Regnicolas opprimere, ac vexare didicerat, ſtudioſius fuerunt rubricata. Hujus Giezolini conſilio, & ſuggeſtu Rex, qui Regum prædeceſſorum ſuorum vitæ in vivendo modum ſequi, ac mores eorum probabiles non prætendebat habere, legem ponit Regnicolis, novoſque Secretarios, Juſtitiarios, Admiratos, Protonotarios, * Portuzanos, Dohanerios, & Fundicarios, Magiſtros Scolariorum, & Magiſtros Juratos, Bajulos Judices, & Notarios, ubique per Regnum, & ſuper hos majores Præpoſitos ſtatuit. Hi, religione juramenti, quod in officiorum ſuſceptione conſueverant præſtare, præſumptuoſis ab uſibus violata, ubilibet ſubjectos, gravant indebitè, ac eis importabilia onera imponentes, exigenda plus debito cruorem eliciunt, ac medullas.

* Comites Portulanos

Provocavit Regnicolas Dominus diris oppreſſos flagitiis, & jam mente corrupti violenter inermes, quilibet inter ſe ſpecialis excogitata fraudis machinatione corrumpitur; & præ novi timore Domini plus *gemitibus, quam verbis alter alteri tactus dolore cordis intrinſecus, intentionis ſuæ pandit arcana, & lamentabilibus ſaltem conqueſtibus ſuæ mentis reſerat voluntatem, ac triſtes volvens in pectore queſtus, miſera ejulatione quaſi *Neſtores lupis clamat, ò Rex Manfrede! temet non cognovimus, quem nunc & ter etiam deploramus. Te lupum credebamus rapacem inter oves paſcuæ hujus Regni, ſecus præ-

* manibus

* neſciret loqui

ſentis

ſentis reſpectu dominii, quod de mobilitatis, & incoſtantiæ more, ſub magnorum profuſione gaudiorum anxiè morabamur, agnum manſuetum te fuiſſe cognovimus, jam fuiſſe dulcia tuæ poteſtatis mandata ſentimus, dum alterius & majora guſtamus. Conquerebamur frequentius * noſtram partem, partem in dominii tuæ Majeſtatis adduci, nunc autem omnia bona, quod pejus eſt, & perſonas, alienigenarum convertere debemus in prædam. *ſubjectionis

*Quando Gibellini miſerunt pro Conradino, & Frederico de * Stuffen in Alamanniam.* *de Stufa

REgnicolis igitur ubique per Regnum murmurationes emittentibus, & lamenta, nonnulli de Regno ipſo hęc, & deteriora recepta * Comitibus, Equitibus, & Baronibus exteris, & abjectis, ac profugis, necnon, & univerſis in Lombardia, & Tuſcia Gibellinorum capitibus intimare procurant de aſpero, & anguſto, ac importabili dominio Gallicorum. Quamplures inter * hæc viri magnifici, videlicet Gualvanus, & Fredericus, fratres Comites prælibati Conradus Capicius, & Marinus ejus frater de Neapoli, quibus ad preces B. de Pignatellis Archiepiſcopi Meſſanenſis vitæ veniam poſt eventum præfatæ deliberationis induiſerat, in Alemanniam ad ſuſcitandum Carolum dormientem, qui nondum ætate cęperat adulta penneſcere, propere ſe convertunt. Ibi enim de tota Frederici poſteritate, ſolus Conradus natus quondam Regis Conradi ejuſdem Frederici filii, qui cum Frederico de Stuffen quondam Duce Auſtriæ, ac multis de Theutonica magnis viris, linea conſanguinitatis conjunctus, tamquam quoddam miraculum ſupererat. Ad hunc ſane variis licet alienis ſuaſionibus excitandum non ſolum prædicti exules, & alii quam plures de Regno perveniunt, ſed ab omnibus Gibellinis, & à Civitatibus etiam Imperialibus de Provinciis ſupradictis, quæ quondam ſub devotione Frederici, & filiorum fuerant, ſolemnes Nuntii deſtinantur, qui ſibi tamquam Regi venturo aurum thus offerebat, & myrrham; ac eis de propriis peculiis, & Civitatum ipſarum theſauros promittentes pro expendiis neceſſariis ampliores non tantum ipſum, qui corpus, & cor ætatis puerilis habebat, ſed alios eo majores virtute, & ætate amicos, & conſanguineos ſuos ad delicioſas, & fertiles Regni epulas invitarunt, quos illicò illi feſtinis greſſibus concitaverunt venturos. *divitibus *hos

Quando Conradinus miſit litteras ſuas per Italiam.

COnflato igitur, & ſculpto ſigillo ſub Regis Siciliæ titulo, Conradinus per Italiam literas ſpargit, & Nuntios, & ſuum adventum celerem fore prænunciavit.

Conradus autem Capicius de Generali * Vicariariatu Siciliæ ſubventus, ſub ipſius Conradini ſigillo, literas, in quibus ſe Regem Siciliæ confingebat, ſtuduit obtinere, dicens quod ad præparandas Domino ſuo vias, ejus in Regnum Civitatibus prędicando adventum, volebat, ut præcurſor, ſublato moræ diſpendio properare, ſicque obtenta ſuperioris licentia, Piſis de voluntate quoque Principum Alaman- *Capitaniu

manniæ, ac oblata per eas ipsi Conradino in antea voce prænuncia, promulgavit. Postulat interim hoc à Pisanis per mare subsidium, quod possit ad presens in Tunisium transfretare, & quia Pisani jam disposuerant prosequi factum, & causam favorabiliter Conradini, concedunt Conrado prædicto unam galeam armatam quantum vehatur, suæque subserviat voluntati. Applicans igitur in Tunisium Conradus Capicius, prælibato Domno Frederico, natu Regis Hispaniæ, cogitatu calido de invadenda Sicilia *machinationem, factumque Conradini justificans, & suorum magnificans potentiam amicorum, oblata sibi per magnificos viros Italiæ, ac insignia loca subsidia, plusquam ipsa foret veritas, referebat. Prædictus enim Domnus Fredericus, & Domnus Henricus Germanus ejusdem, quos invidentia, quam habebant de magnitudine, ac prosperitate fraterna, & abjectos, & absentes à propria diu Patria * fecerat, tunc quidem pro se, ac quibusdam militibus de Hispania stipendia recipiebant à Rege Tunisii, qui quotidianis cavalcatis, & assiduæ guerræ sollicitudine angebatur per alios Saracenos. Hi sanè fratres Hispani pro Saracenorum conversatione diutina actibus Agarenorum imbuti, & ferè Christianæ religionis obliti, à Saracenis ipsis vita parum, & moribus differebant. Verum Domnus Henricus à præfato Tunisii Rege habitus ex sua superstitiosa superba, & proditoria machinatione suspectus, ad se ducendum, & concitandum Romanam Provinciam, & Curiam dimissus, ab Ecclesia, ac Apostolicæ dignitatis auctoritate magnæ libertatis, & gratiæ immensa dona poposcerat, ac sua Nobilitate Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ Ministros adeo videbatur inebriasse repentè, ut ei deberet, de Regno Sardineæ provideri, conditum fuit, & factum Consistorium, & tractatum.

* machinatur

* foveat ali- cui pugna pro se

Quando Domnus Henricus factus fuit Senator in Urbe.

Per anni

QUidam Nobilis Romanus Civis Angelus Capucia nuncupatus, seditionem in Romano Populo suscitavit, per quem contra Urbis Magnates ceperunt populi quibusdam viris de qualibet Regione vii electis secum adjunctis, sub pacis specie, viribus Magistratus est erectus. Hic ex contradita sibi per dictum populum potestate, qua quem vellet posset eligere * Senatorē, Domnum Henricum præfatum contra plurium Nobilium repugnantiam, & obstaculum, etiam Cardinalium aliquorum, qui jam aliquid de ipsius Domni Henrici fraudolenta voluntate conceperant, ad Urbis regimen evocavit. Cujus evocationis solemnitas, & si fuisset ante pulicationem à pluribus impugnata, & multorum corda non immeritò durius pupugisset, tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Venit ergo de Romana Curia factus Senator ad Urbem, & aliqua * diù statuta justitiæ sub æquitatis libra * omnibus suæ potestatis appendens, tandem corde, & voluntate perversus, vita, & moribus protinus regulatis abjectis, in arcum repente convertitur inopinabilis pravitatis. Guelphis quidem Urbis, & Amicis Ecclesiæ, ac devotis in abundantia mellis promissi verbo tenus fellicum, & venenorum poculum actualiter subministrat. Concipit iste similiter odia contra predictum Regem Siciliæ, cui gradu attinebat consanguinitatis, & cum de Sicilia

* Senatorem

* deinde

* manibus

cilia, & suorum successuum felicitate invideret, quærebat opportunitatem, ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare, vel cędere, aut in Regni possessione eundem se Regem habere legitimum, & motum sui animi fore justum pro eo, quod eidem Regi, quando primum contra Manfredum inops, & jam substantia tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecunię quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens * pinguiorem sibi, ut bona fide sposponderat, reddere * contemnebat. * meliorē & *contēdebat

De Adventu Conradini in Italiam.

HIS contra præfatum Regem * imo ex cordis iniquitate, Conradino Italiam jam venire disposito, & parato, literarum, & Nuntiorum destinatione * consęderat, & ei posse suum, ac Romanorum potentiam subsidiosè spondens, contra Regem Carolum experiri, multis ipsum inductionibus ad celeriter veniendum reddit attentum, ostendens sibi mendaciter, quod adventum suum Regnicolæ, & Roma, & tota Italia suspirabat, & asserens eidem Gibellinorum saltem subsidia non posse deficere, ac se etiam toto animo hostiliter Gallicis fore armatum obviaturum. Ad hujusmodi igitur grande factum exortatione, ac pollicitatione suggestum, statim Conradinus sollicitatus, omnibus instantissime, quibus ultra se promiserat venturum in Italiam esse, congressus * accinctos magis accelerat. (* Is; * confiderat; * accincto magis applicare)

Intereà perfidus Christianus Dñus Henricus variè excogitans, ac tętans omnes nobiles Urbis Guelfos una hora simul in Capitolio irretiri, ad instar piscīū quādo plures numero uno tractu retiū capiuntur, * facit ad se prędictos nobiles proditoriè accersiri, cumque nobilium ipsorum alter alterius vocationem penitus ignoraret, quamplures intrepidi, sed decepti Capitolium ascendunt. Sunt autem prędicti nobiles, Dominus Neapolion, Mattheus frater ejus de filiis Ursi, D. Joannes de Sabello, Petrus Stephani, & Angelus Malabranca. Hos tamen, qui nihil de excogitata fraude præsenserant ad vocationem prædictam purè, ac simpliciter venientes, statim Domnus Henricus cępit, captosque jussit in Capitolio prisonari; quibus in ipso captionis initio nullam motu, vel gestu formam turbationis, aut alicujus asperitatis ostendit, imo preconceptæ contra eos fraudis patula lenitate verborum, sagaciter temperabat virus, & meritò ne propter hujusmodi captorum detentionem, tam subitò seditiosus contra eum tumultus commoveretur in populo. Postquam verò dictus captos verbis assecuravit mellifluis, perpendens, quod concitata populi corda quieverunt, ex eis aliquos, videlicet Dominum Neapoleonem, & fratrem, apud Monticellum, quod est castrum fortissimum propè Tybur, inibi moraturos in carcere ad suum beneplacitum destinavit; & tamen ut eos de districtu extraheret Urbis, eosdemque posset liberè conservare apud Sarraciniscum, quod est castrum Conradi de Antiochia, nepotis quondam Frederici prædicti, jubet exacta custodia inarcta carcere detineri. Verum ex reliquis in Capitolio sic detentis prælibatum Dominum Joanem de Sabello, de quo cum esset homo probatæ fidei zelans pacem, & tranquillitatem Urbis toto mentis affectu, nulla sinistra peteret suspicio, receptis primo ad cautelam pro eo quibusdam (* fecit)

dam fidejussoribus, & Luca ejus filio dato obside pro excambio à carcere Capitolii relaxavit.

Et quia Raynaldus de filiis Ursi, vocatus cum aliis Capitolium non cõscendit, interim se in castro Marini, non sine audaci promptitudine, receptavit, jam dictus prædo Christianus contra eumdem Dominum Raynaldum duxit copiosum exercitum Romanorum, & castrum ipsum quodquam plures de Urbe strenui milites, & pedites tuebantur, sicut firmiter credidit expugnare, redit ad Urbem furibundus, & fremens.

Quando Domnus Henricus extendit manus per Ecclesias Thesaurum accipiens.

QUI in Urbe commorans, non contentus in viros Ecclesiasticos, & Ecclesiæ Romanæ devotos manus immaniter immittere violentas, ad thesauros innumeros, quos conservabant Ecclesiæ, sceleratas manus execrabiliter extendere non pavescit. Sunt enim Romæ diuturni mores, quibus non solum Romani, qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet congregant, vel habet res pretiosas, quas propter latrones, hostiumque incursus in domibus propriis conservare formidant, sed quamplures exteri vicini libentius petentes Romam Sacris in Monasteriis, & Ecclesiis magna, & multa deponunt peculia, quæ per longum tempus non requiruntur à Dominis, considerato, quod in locis ipsis cum integritate, ac tutela consueverunt deposita conservari.

Ad hæc itaque diripienda deposita, contra ipsarum Ecclesiarum privilegia libertatum, prædictus Domnus Henricus anxiis instat conatibus, totoque incenditur mentis ardore; sicque prædo severus Deum, Ecclesiam, & homines non verens offendere, loca depositorum hujusmodi quadam audet promptitudine temeritatis invadere. Hic confringit sacrilegus ostia, hic Sacristias violat sceleratus, hic fur violentus aperit catenus Clericorum, inde pecuniam, inde argentea vasa, & aurea, inde sacras vestes, & quæcumque pretiosa diripit, & asportat procul. Proh dolor! Lateranen. Sancti Pauli, Sancti Sabæ, Sancti Basilii Aventini, Sanctæ Sabinæ, & aliorum Monasteriorum, & Ecclesiarum loca, & lugent suis disturbata depositis, & altis clamoribus conquerendo pro voce dant gemitum, & per illum doloris ingentia suspiria, & singultus: orant Ecclesiastici viri, & has voces sub incendio lugubris infelicitatis emittunt. O infelix Urbs Urbium Roma, tot Sanctorum Patrum glorificis ditata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in suis venerabilibus Sanctuariis honorata, facta es modo opprobrium, & subsannationis illusio gentibus, quæ circumstant. Venerunt, inquam gentes in hanc Sanctorum hæreditatem, quæ in cordis insipientia, Deum in Sanctis suis non cogitant, & dum Divina Templa polluere non formidant, Ecclesiarum pecunias, & loca desolaverunt ipsarum. Ergo suppliciter nos peculiaria Christi, & Ecclesiæ suæ populus, grex Dominicus, & Pascua, boni Pastoris oves, & tu Deus ultionum Dominus hanc tuam, & Ecclesiæ tuæ temporibus nostris ulciscaris injuriam. In conspectu tuo sic gemitus compeditorum introeat, sicq; oppressorum clamor ad sedem Majestatis tuæ ascendat, ut iniquitates istas,

quas

quas fidelis Populus tuus patitur à gentibus, quæ te non noverunt, provida clementia tuæ propitiationis aboleat, & miseratio tuæ pietatis abstergat.

Jam inter hæc Conradinus una cum filio Ducis Austriæ, comitante sibi equitum Theutonicorum manu, in Lombardiâ de Alamannia venerat, ubi aliquantulum moram trahens fautorum quondam Manfredi Patrui sui tam de Tuscia, quàm de Lombardia cepit tunc quondam per literas oblata subsidia. Sed sedula consideratione attendens, quod ad invadendum Regnum, & Gallicos in Regno morantes, pro illorum comitiva Theutonicorum, qui sequebantur ipsum non possent etiam triplicata sufficere, cosideravit tamen, quod Gibellinorum usquequaque subsidiis, quæ tam à Civitatibus, & locis Provinciarum ipsarum, quarum contra Regem Carolum videbatur pariter agi negotium, quam etiam à personis particularibus, quas vel vicinorum invidia, vel temporalium bonorum cupido concitabat ad arma sumenda, oblata, & destinata demum sibi fuerant, in uno eodemque exercitu contra Regem ipsum unanimiter adunatis, poterant cum Gallicis qualibet succumbendi sublata formidine victoriosè pugnare. Unde contra monitiones mandati, & inhibitiones tandem expressas Romanæ Sedis Antistitis, cum anathemate excommunicationis sententiam mente juvenili temere in hac parte contempsit, Romam quam citius venire festinat, ut & fautoribus, & complicibus suis ejus adventum expectantibus celeriter votum animi sui promat: plus tamen verbosis literis, & preconiis, quam pedibus molitur in jam deliberata vestigia. Eum enim fugientem suasiones, & stimuli fortiùs ad ultima fatorum excidia impellebant, eumdemque in tantum sub delusoria sponsione Arecii trahebant ad nubilum tenebrarum, & sub felicitatis ostentamento futuræ, debilem, & insanum in medium procellarum fluentium addicebant. *Hic incipit L. Quartus Saba Malaspina.*

Fama igitur de prædictis ad Conradum Capicium, & Domnum Fredericum, qui adhuc Tunisium, devoluta, statim sub favore illius Regis Tunisii cum ducentum Hispanis, totidem Theutonicis, & quatricentum Turcis stipendiariis, quos in Tunisio ad Regis ejusdem stipendia commorantes, avidos ad spolia Siculorum, tamquam alias expertos temporibus retrohactis esse compererant, in duabus navibus, in quibus quidem decem, & septem equos induxerant, cum eis, multis tamen sellis, & frenis muniti, in Siciliam transfretant. Hos quadam terra, quæ vocatur Schiacca regalis dominii, sed dehabitata primordialiter receptavit; ipsisque nonnulli Siculi, quos tamquam perpessos successionis occasione exilium, aversos adhuc spes vacua fovebat, grandia exenia præsentarunt, per quę non modicum eorum debilis fortificatur adventus.

Conradus igitur Capicius per totam Siciliam spargit literas, ac se Illustrissimi Regis Conradini Vicarium in Sicilia generalem literali fictione describit, tales literarum tenores inter alia intimando. Ecce Rex noster citò veniet in celebri magnę potentiæ majestate in manu potenti, & brachio excelso nimis, veniet tamquam verus Dominus novus Rex, & naturalis successor ad hereditatem sui regiminis, & patrimonii gentem, quam unanimiter opprimunt exteri, & gregem non suæ possessionis, quo possessor violentus abutitur, liberare dispo-

 suit,

fuit, & te erectam in antiquis felicium progenitorum suorum libertatibus consovere.

Cujus sanè Conradi Capicii Nuntios, & literas, quam plura loca, & nonnullæ personæ recipiunt, ac Conradini adventum gratificant, & acceptant, eò quidem perveniente instabili voluntate, ut ad Conradini nominis, & honoris magnificationem aspirent: sicque tota Vallis Mazzaræ, totaque Vallis Nothi, & ferè tota Sicilia, exceptis quibusdam locis insignibus, ut sunt Panormum, Messana, & Syracusæ, dictorum Conradi, & Domni Frederici beneplacitis, saltem nutibus obtemperare videntur. Cumque quidam Fulco de Podio, Riccardi Provincialis natione Vicarius, tunc in Sicilia Regis Caroli generalis videret Siciliam, tam subitò studiosa machinatione commotam, contra prædictos Conradum, & Domnum Fredericum adhuc in Schiacca propter equitum paucitatem multum debiles existentes, amicorum, & aliorum de consensu, quorum fraudolens voluntati propositum ignorabat, exercitum congregavit. Verumtamen predicti milites convenerunt ipsum Fulconem, & quod multi violata mente conflictum cum hostibus in montaneis inirent, sedula denuò suasione confortant, hac consideratione potissimè, ut ipsum sagacius, & liberius pro voto possint adducere in precipitium, & ruinam, ac eumdem, & gentem suam in cibum, & prædam exercitus hostium præparare, & iis ipsis profectis quampiures extranei proditoriè fabricaverunt bannerias, & vexilla, ut descendentibus hostibus ad conflictum ea in ipsorum hostium auxilium, & exterminium reliquorum terga vertentium exigerent, & banneriis, ac vexillis erectis de amicis nova quadam mutatione facta subitò gladios, & lanceas converterent in amicos.

Factum est itaque, quod dum prælibatus Vicarius propè Schiaccam magnum Siculorum exercitum congregasset, & illi potissimè, qui vocati in partibus illis vexilia ferebant, appellati vulgari linguositate, feventes, fidem Regis Caroli profiteri viderentur, jam dicti Conradus, & Domnus Fredericus cum equis, & equabus, quos, & quas invenire tunc poterant, in illo modico temporis intervallo versus exercitum contra eos adductum, quasi familiares hostes inimicis domesticis appropinquat.

His igitur juxtà ejusdem exercitus ambitum audacter subintrantibus, loca castrorum statim in ipso debili eorum congressu nullius tutela defensionis adhibita, Siculorum agmina fugata finaliter expurguntur, ac Provinciales in predam hostium derelinquunt, ex quibus aliis erectis fabris, & fabricatis hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis, & vexillis post ipsam simulatam fugam, cui se videbantur propter impugnantium formidinem commisisse, post commissionem hinc inde jam factam, intrant suorum agmina pedetentim, conversique repente in arcum pravæ malitiæ convertunt manus, & dimicant contra suos.

Vicarius autem se aspiciens sic subitò proditum, & dolosè deceptum, dimissis pavilionibus, & tentoriis, fractis arnesiis fugæ, non improvidè petit remedia, nec se voluit discriminoso certamini conscientia gravata committere, sed se, suosque Provinciales à manibus invalescentium hostium eripere studuit fugiendo; pauci verò demum

ex omnibus letaliter vulnerati, quamquam, & interfecti, & capti fuerunt multi tam ex Provincialibus, quam ex Siculis supradictis; sed hostes advenientes ad spolia maximè capienda equos studebant habere potiùs, quam extinguere morte totaliter debellatos.

Hic desinit Anonimus. Et Sabas Malaspina prosequitur.

ET quia inter exercituales catervas amicos ab inimicis distinguere non valebant, cum essent in loco ipsius exercitus pariter confusi, & commixti cum aliis, quadam parcentes simulata pietate, prostratos paucos, vel nullos ad ultimum interitum adducebant. Verum ablatis equis, quorum sessores sine personarum acceptione viriliter excutiebant à sellis ad terram, personas abire liberè permittebant. Replentur igitur advenę spoliis, & qui res esuriebant resocillantur ad votum, qui erant pauperes fiunt dites, pedites conscendunt equos ex debellatione sublatos. Jam nomen Conradini apud Siculos præclarum, & celebrè divulgatur, ac ipsius, & sequacium suorum vires virendo cotidie invalescunt. Discurrunt equitum comestabule per montana Siciliæ, & patentes, ac parentes devotè sibi Terras gloriosè subintrant. Inter famosas sanè Terras, & fortes, ac utiles, quas dictus Conradus Capucii subegit dominio Conradini sunt istæ præcipuè Agrigentum, Terra nova, Licata, Notum, Calata scilicet, & Nicosia, Cathania, Augusta, Castrum Sancti Joannis, Conturbium, Placia, & ultimo Lentinum, pro eo quòd Ferracanorum pars se in Turone, ac Castro Lentino in aliis partibus perdito, receptarunt. Qui tandem Turonem ipsum, quod finaliter defendere non poterant, dimittentes, diù castrum jam dictum contra impugnantes exteros defenderunt. Interdum autem propter machinas, & caveas subterraneas, quibus effodiebatur funditus castrum ipsum, aqua perdita cisternali castrum compulsi sunt reddere, salvis personis, & rebus instantibus inimicis. Iis itaque sic victoriosè agentibus, miserisque Siculis non sine dubia cordis perplexitate confusis, gravatisque ab amicis, & ab inimicis oppressis, meritò intra se nutantibus, cum non invenirent, quibus fiduciosè adhęrere possent amicos; nisi quatenus anima peccatrix ad Tartara tendens, & Patrem sub pietatis specie impium diabolum habens, sub amicitiæ simulatione crucianteş eam reperit demones, & tortores.

Pisani intereà Romam viginti quatuor galeas præmittunt armatas in subsidium Conradini, quibus Comes Fredericus Lancea præerat Capitaneus institutus. Hæ quidem galeæ nonnullos Regni Barones, & exules in Regnum devehendos excipiunt; fretaque petentes Gajetam obsident, & circumdant, ac damnificant quantum possunt. Multa enim Gajetanorum viridaria devastarunt, & apud Molas præcipuè arbores finè fine pomificas, & fructiferas securibus, bipennibus, & asciis exciderunt. Tandemque in Siciliam remigantes, quam jam ferè totam prædicti Conradus Capucius, & Dominus Fredericus hostiliter occuparant, apud Milatium primordialiter applicarunt; ibique dictus Comes figens anchoras, rudentibus extensis, ad Terram descendit ad aridam, & quamplura castra in plano Milatii inerce-

tercepit, & munivit pro velle. Sed quia Comes ipse Conradini se Vicarium appellabat, Conradus Capucius, qui ejusdem Conradini Vicariatus nomen usque tunc gesserat, & Dominus Fredericus etiam, inter quos latens invidia ex sociæ potestatis impatientia bulliebat, dolere vehementer, ac invidere cęperunt, & in pugnando tepescere, ac intra se nullius impellentibus, aut prævalentibus contra eos, debilitari segniùs, ac avelli. Cumque prędictos, & gentem ipsorum dictus Comes in sui subsidium peteret adventuros, hac intentione commonitus, ut secum eo in plano Milatii jungerent, & Messanensem Civitatem, ubi Vicarius Regis prędictus cum multis Baronibus Calabriæ, & nonnullis fratribus hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani convenientibus ibi de toto Regno Siciliæ, morabatur, perterritam variis insultibus invaderent, & per mare, Comitis ejusdem vocationem non attendunt improvidi, & invidi plus quàm expediat; se cum eo jungere aspernantur. Intereà Galeæ de Provincia viginti duæ Messanam jam veniunt, quarum Dux, & Rector est Dominus Robertus de Lavena juris civilis professor; cum quibus Messanenses novem alias galeas armarunt illicò, quarum fecerunt prępositum quemdam Matthæum de Riso Civem Messanæ, Nautam audacem, & securum in mari inter omnes alios de Civitate prædicta. Sicque dum in auribus Militum, qui erant Messanæ pro Rege prędictorum Conradi, & Comitis Frederici plurimorum relatibus invidiæ nota jam crebesceret, confortantur Regii contra hostes, aliquali propterea animositate resumpta, qui ferè prę timore facti erant exanimes, dum se perdituros finaliter autumant, & perdendos. Propter quod consilio inito, Milites numerò fortè septingenti, computatis Provincialibus, Calabris, Messanensibus, & fratribus prelibatis, de Messana pergunt ad planum Milatii contra Pisanos, & Comitem memoratum; cum quibus Militibus una quasi hora Galeę Provincialium, & Messanensium supradictæ junctæ simul illuc remo trahente festinant.

Cumque jam utrinque Galeæ Pisanorum, & Provincialium, ac Messanensium per equora plana de propinquo se cernerent, Pisani cursu hostes pręvenientes audaci galeis obviant prędictorum; & ut melius inimicis obsistant, dimicentque securiùs in altitudinę maris supra Galeas adversariorum aliquantulum se impellunt. Contra hos Pisanos, qui videbantur jam fugere galeæ Messanensium fatuè se convertunt. Verum Pisani galearum proras dirigentes ad Terram per continuum, violentumque remorum impulsum, galeis tantùm Messanensium se conjungunt, & ferè illas in ipso lacertorum impulsu confringunt. Messanenses autem credentes, quod Provinciales in hostes animosos irruerent, quamvis concussi, fortiter se tamen conantur defendere, ac resistere sicut possunt. Galeis autem Provincialium nescio, quo vano timore perterritis, petentibus altum mare, ac nulli eos insequentibus ad subsidia fugæ conversis, Messanensium prędicti necessariò terga dant hostibus, & quasi naufragi versis puppibus obici Terræ velut pręcipitio voluntario se committunt. Unde Pisani novem galeas Messanensium personis vacuas, & octodecim in eis tantùm homines abjectæ conditionis, & infimæ capiunt. Ex quo tantam sumunt audaciam, quod non minùs intrepidè, quàm superbè ad Terram cum Militibus adversariis pugnam quęrunt. Milites autem

autem prędicti attendentes, quod Galeæ Provincialium fugerant, Messanenses verò jam captæ erant, non immeritò tremescunt, & dubitant, cum ipsi tantùm de tota Regis parte in Sicilia superessent, uno nequaquam alterum expectante,nec suam banneriam subsequente, cursu continno quasi debellati, Messanensem repetunt Civitatem, mortificatis fugiunt artubus, & Campum hostibus peditibus, & marinariis derelinquunt, plus forsitan de Civibus Messanensibus dubitantes, quàm de Pisanis prædictis, qui eos ausu temerario, & non sano insequi pedites pręsumebant. Demum Pisanis ipsis cum galeis suis trahentibus usque ad Portum Civitatis pręfatę galeas sic captas, Messanenses prędicti, mentibus interiùs jam corruptis, mutuo sibi invicem loquebantur, disponentes in animo firmiter Militum prędictorum spolia, quorum occasione galeas suas fore perditas occasionaliter pretendebant, magnis ausibus occupare. Sed dum Pisani ex improvidi deliberatione consilii Galeas Messanensium pridiè captas in medio Portus tentant igne succendere, ac eas succensas igne acutissimo, & volante unatim impellunt ad Terram ut per hoc naves existentes anchoratas in portu, & domos ligneas, in littore fabricatas comburerent, ac demùm Civitatem ipsam, cujus decor est abjectum levigata lignamina, & constructa, darent facilius in combustionem, & cibum ignis, exiit subitus rumor in Terra, quod Pisani Messanam student, si possint, incendere, ac quod se, mulieres, & quęque pretiosa jactassent de Terra ipsa sublaturos ad Pisas. Propter quod non solum mares,sed & mulieres ipsæ verbo rumoris invalescentis audito, ad portum properè pergunt, quadam ferina furia comitati, & naves, ac domos inchoant sic viriliter defensare, quod ex multis, & variis Pisanorum contra ipsos Messanenses offendiculis pręparatis summo studio non læduntur.

Verùm dum multa turpia, & obscęna, horribiliaque, ac lethalia etiam undique per Siciliam peraguntur, dumque tota Calabria usque ad portam Rosseti rebellat, Conradini nomine invocato, Conradinus ipse jàm per faciem Summi Pontificis, & Dominorum Cardinalium, qui in Tibure residebant, non erubescit cum copiosa Gebellinorum multitudine pertransire. Veniens igitur per Tuscanellam, & Vetrallam, Viterbiensem exercitualiter calcando districtum, cum immensa honoris, & magnitudinis gloria pompose ductus est Romam. Priusquàm tamen Urbem Conradinus introeat, ejusdem Urbis populus, qui naturaliter imperialis existit, adventus Conradini diem constituit celebrem, & solemnem; & Domni Henrici Senatoris ordinata persuasione devictus, eidem Conradino extra Urbem adeo munitus occurrit, quòd contra venientem exercitum velle pugnare, ac ei obviare hostiliter potius videbatur, quàm pacificè intra Terram admittere, seu cum exultationis gaudio introducere, sicut per dictum populum fuerat ordinatum. Ora tamen quilibet relaxabat in jubilum, & in laudem, armata capita herbis, & floribus adornantur. Milites ad hæc omnes se accinctos similiter stimulantes ad pugnam cum Senatore prædicto districti more confligentium, per cohortes ex tunc extra muros, & in pratis Sancti Petri sub monte malo cum dicto populo subsistentes ordinati per acies singuli novis, & festivis tripudiis exultantes Conradinum venientem expectant. Quod autem populus

lus Conradino exiret obviam sic armatus, Senator prędictus non fine premeditata astutia ordinarat. Intendebat enim per populum ipsum militiam Urbis quantam in Urbe posset ostendere, quodque universaliter daret credere, quod Romanos omnes, & paratos fidelibus, & devotis animis habere Senator ipse poterat contra Regem, ac per hujusmodi ostentamenta pomposa, & fallacia Romanorum prędictorum dicto Conradino patefaceret voluntatem. Nihilominus tamen tripudiantium militum agmina vestium pretiosarum, diversorumque colorum desuper arma varius habitus distinguebat. Quodque magnum est, & auditu mirabile, mulierum choreæ ludentium intra Urbem in cymbalis, & tympanis, lituis, & viellis, & in omni musicorum genere concinunt. Volentesque suarum pretiosarum rerum abundantiam, quam plerumque sequitur voluptas, ostendere, de domo in domum in oppositum consistentem jactatis ad modum arcus aut pontis cordis, & funibus, vias medias desuper, non lauro, vel ramis arboreis, sed caris vestibus, & pellibus variis velaverant, suspensis ad chordas stropheis, flectis, destrocheriis, periscelidibus, arbitris, grammatis, armillis, frisiis, & diversorum, ac pretiosorum anulorum appensione diadematum etiam, & fibularum, seu monilium, in quibus gemmæ fulgentissimæ relucebant, bursis fericis, cultris tectis de piancavo famito, bysso, & purpura, cortinis, tovaliis, & linteaminibus contextis auro sericoque per totum, junctis velis, & palliis deauratis, quæ doctus opifex citrà, ultra mare de diversa, & operosa materia, caraque texuerat. His igitur ornamentis omnes ferè Urbis viæ, per quas Conradinus erat vadens ad Capitolium transiturus, taliter adornantur. Nec fuit aliqua illius pompositatis, & gloriæ comparatio, quando Romam Regem Carolum venientem universaliter exceperunt. Nunc enim altera partium ejecta erat ab Urbe. Propter quod ab iis, qui remanserant quicquid factum est solemnitatis, & lætitiæ die ista, & cordis affectu, & ex animi liberalitate, seu mera voluntate processit.

Ecce jam Conradinus in pratis Ecclesiæ. Ecce venalis gens Urbis, plebs Gebellinica non fine impressione fastuosa, & austuoso compulsu ad lora dextrari Conradini festinat, & quilibet in hoc, ut major appareat, nitens alium prævenire, eumdem Conradinum è vestigio pedes dextrare fatiscitur, & eum intra Terram conducere satagit, sperans laudis plus aliquid promereri. Ingressus est itaque cum suis pompaticè Caveam Civitatem, quæ frequenter libertatis antiquæ pudicitiam violando, actu meretricali verisimiliter prostrans adulteranda cuilibet venienti Domino impudenter se exhibet, ac ultroneam se exponit; ibique adversus Regem Carolum de tota Italia convenientibus Gebellinis Conradinus ipse, Domnus Henricus Dux Austriæ, Comes Galvanus, Comes Gerardus de Pisis, Comes Guido de Monteferetro, Conradus de Antiochia, & Capita Gebellinorum Urbis, videlicet Jacobus Neapoleonis, frater, & filii Aniballensis, Comes Alkerucius de Sancto Eustachio, Stehanus Normanni, Petrus Romani, Joannes Arlotti, & Surdi omnes etiam, quorum Raulus per Manfredum quondam Comes fuerat factus Cathanensium, necnon, & multi Milites, & Barones Theutonici, Lombardi, Tusci, Romani, & exules Regnicolæ viri famosi, pluresque, quos fama celabat obscura,

con-

consilium contra Gallicos inierunt. Sed & juvenilis mens casus incauta futuros prævidere, tamquam familiariter decepta, non poterat qualiter ille iniquitatis filius auctor totius sceleris, & nequitiæ perfidus pseudo Domnus Henricus Senator immò verius prophanator Urbis clam, & fraudulenter condita deliberatione proposuerat cum Galvano, & quamplurimis optimatibus fraudulentis, qui hac intentione Conradini sequebantur exercitum, ut Rege Carolo, sicut tenebat firmiter expugnato, & Gallicis juxtà Gibellinorum vana figmenta devictis, infelicem Conradinum, qui per omnem modum tendebat ad interitum, & ad malum, ac Ducem Austriæ, cum quibusdam magnis viris de Alamannia Comitibus, & custodibus dicti Conradini, proditoria insultatione perimerent, & tamquam familiares hostes improvisos, miseros, & incautos immaniter adnullarent: sicque prædictis crudelis ausus improvisa peste peremptis, Domnum Henricum prædictum in Siciliæ Regem inungerent, totiusque Regni sibi traderent dominatum. Hac igitur machinatione dolosis per totum fabricata propositis, habere per Cellas in Regnum Duces exercitus, Conradini primum disposuere congressum. Sed ante quàm rem optatam se obtinuisse lætentur, fiunt in rebus dubiis Barones, & Comites distribuuntur, victoriæ nondum habitæ, vel possessæ fit perpetua Comitatum, & Pheudorum concessio, & in sortem propriam quilibet ex Gebellinis gratiam sibi de Regni possessionibus pragmate concesso receptam, ante horam dinumerat, & recenset. Hæc est ambitio cupida, quæ & exorbitat in virtute propria, & perenniter cruciat quemlibet ambientem.

Egreditur jam Urbem plebeja multitudo, ac nonnulli magnates, & equites alii cum eadem; & per duas dietas, quibus tantus potuit ire conventus plebs Gibellinica exercitum sequitur Conradini. Sed ex condicto, & deliberato inter Duces exercitus majorem partem Romani populi commeat eis data licentia, iis dumtaxat retentis, qui magis videbantur sub Gebellinicæ devotionis zelo fervere de Magnatibus Urbis. Ii secuti sunt usque ad ultima facta casualia Conradinum. Petrus Romani prædictus, qui pridie Regi Carolo adhærebat, nunc verò opportunitate captata magnæ, & apparentis potentiæ Conradini, quæ videbatur ubiquequaque perpetuò valitura, occasionaliter mutato proposito, ac rupto fidelitatis fœdere, quo se Regi connexerat prælibato, ad devotionem fuerat Conradini conversus. Cum hoc quidam Alkerucius de Sancto Eustachio vir animosus, & valdè pugnabilis, Stephanus Alberti, cujus animus nondùm bellica fama claruerat; & Dominus Joannes Caporellæ vir senex, qui jam armis cedere poterat & debebat, Dominus Neapoleon filius Domini Jacobi Neapoleonis, Dominus Richardellus de Annibalensibus, & quidam Petrus natus Domini Joannis Arloti, multique alii milites, & equites cum eisdem voluntariè contra Regem festinant in Regnum, quasi Duces, & rectores Romuleæ multitudinis popularis. Catervis igitur gentium diversarum nationum cum Conradino convenientibus in Aprutio, exercitus totus hujusmodi castrametati sunt per loca districtus Allæ; ibique de prope Rex prædictus cum exercitu subsistit Gallicorum, habens secum Provinciales innumeros, Regnicolas etiam aliquos, & Romanos. Quidam enim miles strenuus de filiis Ursi

Bar-

Bartholomeus nomine, ac Anibaldus, qui dicitur Marchio, vir amabilis, & studens præ cæteris illis de sua progenie bonitati, regium animosè sequebantur exercitum, & juvabant. Sicque præ multitudine hominum, quæ dinumerari non poterat, continuus, & validus in castris clamor aderat hinc & inde; qui adeò per cymbalorum tinnitum, & sonitum tympanorum, tubarumque clangorem invalescere denuò nitebantur, quod voces hominum non patiebatur discerni. Sed omnes omnium voces, & strepituum sonitus, & clangores in aeris suscepta cęlo, nova quadam mutatione in extraneum sonum conflati, non solùm homines, sed & creaturas cęlestes, velut grandia tonitrua reverberationibus inculcatis poterant commovere. Sanè utrinque magna erat aviditas confligendi, & tanta quippè quod modò Milites, modò pedites manualiter singulari concertatione se jungunt, & ut ita loquar frequenter pallocticia faciunt singulariter, & confligunt; quodque quanto magis alter alterum invadendo tentabat, tantoplus crescebat audacia, magisque nitebatur pugnandi voluntas, procliva fervescere, & acui animositas alternatim.

Constituit igitur Rex Carolus non sine magna bellicæ sagacitatis experientia tres Militum acies. Prima fuit Provincialium, & quorumdam Romanorum, quibus primus est inductus aggressus: Secunda Gallicorum quamplurium, qui sub stipendiis militabant: Tertia fortassis octingentorum Nobilium strenuorum, qui totum Regis, si expendiret, exercitum poterant relevare ruentem. Primæ præerat Jacobus de Gaucelmo; Secundæ Regius Marescallus, qui Regis Caroli verisimiliter simulabat personam pro eo, quod ejus receperat coronatoris munimenta, & insignem sedebat sonipidem phaleris more Regio, & coperturis ornatum; Tertiæ, quæ continebat electos, Rex ipse constituerat se ductorem. Prima petit vasta campestria, secunda ordinata collibus curvis insidet, ut succurrat, tertia post colles densis cinctos nemoribus, velut canis catenatus, mugitu bovis, audito fremescens, adversariorum zelabat aspectum; ut si videretur expediens, opportunè prodiret in campum, & improvisos adversarios offensaret. Ex adverso Conradinus duas tantum suorum militum fecit alas; primam, quorũ militum aciem sequebantur Hispani, qui fuerant cum Domno Henrico profecti, hanc etiam, & Lombardi, quorum Dux erat Galvanus, & eandem Tusci sub Ducatu Comitis Gerardi de Pisis. Hæ quidem gentes agrestes ex tribus nationibus sic collectæ, densatim turmã in altitudine facientes, dum sese in cãpis glomerant, constituunt se ipsas inexpugnabiles, & fortissimas ad cujuslibet discriminis prælium sicut murum. Vires enim expertas habebant, & promptos, & audaces quasi animos ad pugnandum. Secundus verò exercitus Conradini manipulus de clamorosis in bello Theutonicis congregatis sub nutibus Conradini, Ducis Austriæ, ac quorumdam Baronum de Alamannia solitæ audaciæ moderabatur habenas. Ex prædictis igitur directis ad bella manipulis non vana resultat credulitatis opinio, quod si cum illis tribus aliis, quas Rex constituerat sepesatus, sola prima Conradini acies conflixisset, sanguis Gallicus, bello totaliter perdito, humum, & herbas desuper faciliter, & absque resistentia finaliter madefacere cogebatur. Sed frustra intentatur aliquid invito Numine superno ...

De-

Demùm ad hæc cohortibus alternatim ad bella dispositis, & certis signis concertantium moribus habitis hinc inde statutis, tubæ vicissim sonitum dant terribilem, concrepant cymbala, cœlum remugit clamoribus, & terra resonat quasi concussa clamoribus tonitruis. Primæ etenim acies stabilitæ sub prædictis signis camporum spatia repentè corripiunt, & effusi per jugera equites sicut nimbi continuò voces cum viribus efferunt, & limites datos per exercitus præsides utriusque transilientes, cum furia pugnam usquequaque lacessunt, & dum ex præconcepta furoris iracundia naturalis vim animus excitat, vires ex ira colligunt, quæ illas nonnumquam, & in debilibus subministrat. Ex iis ergo aspera pugna surgit. Manus enim immiscent manibus, & alterna brachia per aerea jactitant, frequenter auras vacuis ictibus verberantes. Multa inter se vicissim dant vulnera viri compugiles bellicosi, & aliqua lateribus cavis ingeminant, pectoraque faciunt munita, hinc inde sonora. Discunt armatæ genæ frequentibus crepitare sub ictibus, eratque circum aures, & tempora crebra, & instans percussio fortium bellatorum, ac nunc dextera, nunc sinistra vicissim actus sonoros inculcat, nec nulla data mora, vel requie creber miles alter alterum nimborum densitatis ad instar, qui cum ad tecta, & culmina defluunt cum grandine, concrepant ictibus densatis, impellit, & pulsat virosis impulsionibus, atque versat. Indè est quod ex confligentibus hic de equo ad terram excutitur, & in spisso jacet pulvere convolutus; hic caput in sella ex utraque parte rejactans, jam jam sui casum dubiè comminatur. Hujus collapsa cervix pendebat in humeros. Alius cruorem evomit ex ore, vel naribus defluentem; aliusque cum sanguine dentes mixtos emittit. Alterius ad Terram cerebrum, & intestina sparguntur. Et dum utrinque fiunt acriores ex pugna, neque aspectis vulneribus deterrentur, nonnulli vitæ spiramina derelinquunt. Sicque ceduntur Duces, & præsides, ac innumerum sine nomine vulgus cadit. Et dum Provincialium acies, quorum jam multi corruerant, hostibus tergà dedisset, per stipendiarios Gallicos, qui secundam regii exercitus aciem faciebant, manipulo primo succurritur fugienti. Densatur bellum, & bellantes invicem se perurgent. Miscentur sine discretione compugiles, & solum vocis signum hostes discernit ab hostibus, cum facta esset hinc inde commixtorum militum una massa. Rex autem de specula collium, quorum summitatem, ut pugnam cerneret ascendebat, & descendebat, dubius intuendo prædicta frendebat dentibus, & mente tremebat, nec dum in campum pugnæ prodire tentabat, vel equo campo se dare. Sed dum ex mora superbiam colligit, spiritum affectu confligendi fatigat, & asper natura sui concepta verò improbat, castra intuens, absentes arduo cogitatu sæviebat in hostes. Itaque secum ignescente . . . ardens dolore medullitus nondum videt, qua ratione tentet aggressum, quamquam suis electis commilitonibus amor in bella ruere unus esset. Considerabat enim adeò adversariorum acies multitudinis robore fore firmas, quod electorum suorum paucitas hostilium gladiorum illa hora non sufficisset ad cibum. Nondum enim suas direxerant intentiones ad spolia, se adhuc ad pugnandum vivacibus animis intendebant. Hispani adhuc cum ad torquendum hostilia lacertos agiles habere dicantur, nonnumquam la-

certis adductis in girum, vibrando lanceas compellebant hastas ocius volare per auras, quandoque hostium obviantium transfigentes præcordia sine scuto. Sicque dum hujusmodi per diversa camporum loca geruntur omnis multitudo pugnantium frementibus cedit Hispanis, & aliis de prima acie supradicta. Provinciales autem, & globus eorum, quos nequaquam attingere potuit gladius inimicus fugam quantum poterat celebrabant, alii per silvas, aliique per montes, alii ad nota, nonnulli per ignota de via fugientes; & dum quidam extranea petunt divortia, ii per silentia loca errant; illos nigra falvat horriditas, alios incalcata semita calles devehit per occultos: nonnullos verò per ignotam viarum regionem, pavor obduxit. Verum si convertant se aliquando fugientes, dum densitatem insequentium conspiciunt, retrocedunt frequenter actores vulnerum propter manuum spissitudinem non videntes. Fugiens inquam Jacobus de Gaucelmo Aquilæ substitit, & alii per loca diversa excedentes à castris, tuta capessunt receptacula, si qua possunt, plenaque vasis argenteis, armis, tapetibus, & rebus decoris innumeris tentoria Theutonicis derelinquunt; Omni ergo Conradini exercitu per apertos campos effuso, per castra pavida fama volavit, quod primatibus exercitus Regis Caroli una cæde peremptis, Rex ipse Carolus captus erat. Tunc enim Marescallus suus erat manibus hostium interceptus, qui sub eisdem Regiis armaturis eximias induebat, quem Conradinus contra honestos mores pugnantium, qui prostratis, & captis sibi invicem parcere didicerunt, de Comitum Lombardorum consilio infra septa castrorum fecit durante certamine capite mutilari. Ex quo verisimilis fama resultans faciles aures mendacio magno replevit, immò ut publicum, & notorium deferebat, quod Rex capite fuerat mutilatus. His, & aliis vanè replentur castra mendaciis. Ingentique cæde peracta Conradini des . . . . quæsitis spoliis, & tamquam victores spoliis gratulantur, & præda.

Verum legione quasi tota Germanorum sub triumpho campis castrametante, staretque hujusmodi concertatione sopita peditum multitudo hastis in medio castrorum, & campi longis annixa, quibusdam nihilominus, qui fuerant per plana diffusi castra repetentibus hostium propter robam, quidam immani corpore Miles, nomine Erardus de Valerilatos, habens humeros, & membra nervis compacta fortissimis, caput in altum extulit circum colles, Regique proloquitur, & electos, quos collium occultabat curvitas non exclusit. Ait enim: Nunc videndum est nostra si fortis sit dextera, Nunc castra sunt inimica petenda. Ipsa namque res facti nos ad bella vocat. Ad præsens ergo agmina secura hostinm invadamus. Nam campus nobis hodie triumphantibus remanebit. Nulla discrimina video in pugnando. Sed neque in fuga spem vivendi suppono. Tu enim, Rex, hic tot es electis Militibus comitatus, quòd dummodo ampla pugnandi trahamur deliberatè cupidine, leve est audere, quod placeat. In hostes ergo statim medios irruamus. Rex verò novo aspiciens hostes tripudio congaudere, suosque partim cæsos, partim extra castra fugatos, nulla suorum signa superesse discernens, quamquam illius Militis grata voce confotus, mentis robur sub ambiguitatis tantæ perplexitate reciperet; vultum tamen, & ora lacrymis defluentibus irriga-

rigabat, voce orans hoc modo submissâ. Deus, sub cujus numine gens Gallica semper pugnat, non patiaris, nunc Gallicos tuos animo deleri, sed exhibe nobis ex his improbis hostibus hanc tantam miraculosè victoriam, ut jugiter, sicut solemus, in tuis possimus laudibus delectari. Sed ò vos præsentis fortunæ Comites, sine quibus nec volo, nec possum nancisci gloriam, habete pro constanti, quod si nos hostes hos agrestes hac vice superare contigerit, & sceptrorum solitis fascibus repotiri, non solùm ad participium laudis, & gloriæ conquisitæ, sed in virilem sortem vos recipiam obtentorum. Tremefacti sunt igitur nutu Regis astantes, & ajunt. Mori hodie pro Justitia Regia magnum pretium reputamus. Honorem hunc vita nostra benè emi credimus, si contingat. Animos enim habemus pro hac re lucis si expediat contemptores. Te Regem usque ad interitum prosequemur. Verùm si quis, quod absit casus nos præcipitet, rapiat in adversum, te tantum optamus, cujus est vita dignior, superesse.

Confestim igitur jussu Regis, cujus præsentia nimirum Comites urgebat electos, concelerant simul invadere jam securos, Regemque horrifico fremitu consequuntur. Hic in omnem casum pergens audacior, premendo vocem, & fremendo vestigiis ad castra currebat adversa, & fulmineum ensem non segnis educens, veluti lupus impastus, cui famis impatientia jubet fauces sanguine cruentare, plena hædis, & matribus turbat ovilia, ea parte prosilit, & aggreditur hostes, qua ingens adversariorum globus super recensendis spoliis imminebat. Ruunt, & electi cum ipso, ac ingentem molem hostium volvere, & subvertere collectis viribus subnituntur. Cogit ergo Rex socios galeatos in prælia, & galeis coruscantibus cristata capita simul angit in hostes. Tendunt electi quà densissima hostium coastantium agmina juncta vident. Superbum ad hæc Galvanum, cujus aviditas tantum ad spolia intendebat, Rex juxtà tentoria regalia subsistentem, & mirantem varietatem, & multitudinem spoliorum, adducto ense congreditur. Sed quia Rex de casu sinistro denuò metuebat, voce pressâ dicebat ad Comites. Vos autem ne aliqua manus vobis se à tergo possit attollere custodite. Latè igitur Conradinides costernuntur, nec tamen electis sufficiunt sæpefactis, eorumque arma resolvuntur, & tegmina, & terra madet atro ipsorum sanguine tepefacta. Trunci jacent acephali, manante cruore lethaliter singultantes. Ferro gens excinditur scelerata, & transadiit ultra costas. Alterius pectus ad terram tepidum singultibus longis pulsat. Sed dum frustra quidam in excidio fugam tentant, est qui post eos acclamet. State viri. Ad quid venistis, quidve in armis estis assumpti? Quæ fuit causa viæ, & quæ est causa fugæ tam subitæ? Sed fugientes nihil è contra reddunt. Immò celerioris fugæ præsidio se committunt. Relinquunt inviti occupata spolia, & propria non reportant. Fugit, & ipse pseundo Christianus Henricus. Sed frustra tentat in malis fugam. Nam licèt pugna relicta fugerit à facie hostium inermis, tamen latitans capitur per quemdam Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris propè Reatè; quem ipse Abbas tradidit Romanæ Ecclesiæ, quam idem Henricus lacessere vanè studuerat, & turbare. Demum tenendus citrà mortis periculum Regi Carolo assignatur. Galvanum, & filium Conradum etiam de Antiochia, Gallica manus victoriosiùs

Xxxxx 2 appre-

apprehendit. Tandem Galvani filius, patre præsente ac similem sententiam expectante, capite mutilatur, ut filialibus pœnis aspectis, paterna viscera mœroris magis crucientur angustia, majorique cruciamine comprimantur, parque mors, vel sententia expectata sola consideratione paternum animum magis affligat, magisque terreat, & conturbet. Conrado verò de Antiochia post tempus ad magnam Reverendi Patris Joannis Gajetani, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis instantiam vitæ beneficium indulgetur, & pro excambio Domini Neapoleonis, & Domini Matthæi fratrum Cardinalis prædicti, qui apud castrum Sarrascinesci sub uxoris ejusdem Conradi custodia tenebantur, à Gallica potestate subducitur, & Ecclesiæ Romanæ donatur.

Conradinus infelix, cujus ante annos anni virilis satis cura premebat, Ducatu quorumdam de Urbe nobilium levis immò rebus quibuslibet vacuus vel evacuatus potiùs, & exhaustus una cum Duce Austriæ, Comite Geraldo de Pisis, & quampluribus suæ gentis primatibus versùs Romam attonitis sensibus accelerat fugiendo. Ibi enim Comes Guido de Monteferetro remanserat Vicarius ordinatus. Sic itaque post fugatam partim, partimque cæsam legionem Conradini secundam, nonnulli de prima acie, qui Provinciales, & alios de manipulis duobus exercitus Regii fuerant insecuti, ad castra miseri redeunt, vana cogitatione decepti, nescientes adhuc, quod campus Gallicis remansisset. Hos enim catervatim non creditam incautè redeuntes ad mortem, Gallica manus intercipiebat immaniter, nulli vitæ veniam indulgendo, sed extrema æquando, fata repetentis castra cujuslibet pari pœna, & redeuntes quoslibet æquo cruciamine exscindendo. Quosdam verò ex Romanis Achivis, qui nonnunquam delirantibus Dominis varia pœnarum inflictione plectuntur, postquam in ferocitatem concitatam sævæ Gallicam inciderunt, Rex in signum, & memoriale ejus, quod perversis volubiliter animis, fide abjurata, qua Ecclesiæ tenebantur, & sibi, attentaverant temerariè contra eum, fecit obtruncari pedibus. Et tandem considerans, quod ex hujusmodi aspectione opprobrii Romani poterant provocari, usus consilio saniori, glomeratos, reductosque infra septa cujusdam clausuræ murorum fabrica circumquaque vallatæ incendio tradidit, & igne consumpsit. Cœpit igitur de victorioso Regis triumpho fama crebrescere, quæ volando denuò succrescebat. Unde rei veritate Urbis patefacta Magnatibus, & inferioribus etiam reserata, Gebellini suos deplorant amissos, cæsosque recensent, qui fuerunt pridie bello perempti. Hos enim præter alios prædictos cara ulterius uxoria non expectet affectio, nec thorus ultra repetat conjugalis, Videlicet Stephanum de Alberto, Alkerucium, & Joannem de Caporella, cum quibus in bello sine nomine multitudo peditum Romanorum irrevocabiliter est collapsa. Petrus verò Romani Romam rediens non incolumis, sed Gallicorum ingentibus ictibus malleatus, per modica vivens tempora, prætextu receptorum munerum, & illa occasione ante fatalem diem mortis morsibus expiravit. Quidam etiam Cinthius de Cerinis, quem una fides, una perfidia, unaque passio eidem Petro conjunxerat, contusus membra per totum recuperare nunquam potuit sanitatem, sed ex eo lucis omninò factus est expers, continua valetudine maceratus.

Con-

Conradino itaque, cui nullus, post devictum à Gallicis bellum, remansit amicus, Urbis petente tutamina, Dominus Joannes, & Dominus Pandulfus de Sabello, Dominus Bertholdus, qui tunc de bello redierat, intrant hostiliter Urbem, multis paribus, & imparibus sequentibus illos Guelfis, & Gebellinorum trepidantia, & infestis rumoribus corda turbant contra hostes bella, inter Cives verò seditionem studentes ex deliberatione movere; nihilominus tamen Conradinus, qui pridie patenter, & pompaticè cum immensa Urbem occurrentis populi gloria introjerat, & deposita pompa potentiæ, non ut præses, sed ut prædo relicta præda diffugiens, latenter ingreditur mente captus. Sed Gebellinis considerantibus, quod eorum jam posse concusso, de facili Conradinus poterat Romæ capi, quodque ibi vires nullas resumere poterat, suasione suorum, quibus nihil de animositatis virtute remanserat, sed nec de viribus quicquam, marina diffugit ad littora; credens pervenire usque Pisas incolumis, ibique aliquibus viribus restaurari. Sed multos sua fallit intentio, & spes quandoque consuevit evanescere præconcepta. Comes namque Gerardus præfatus in Urbe latitans incidit in laqueum, quem timebat. Hunc enim manus Guelfa comprehendit, & tandem exhibet dicto Regi.

Conradinus ad hæc cum Duce Austriæ sibi fortassis æquevo, quos forsitan, & æquabat justitia, cum quibusdam etiam aliis proceribus, quos à belli discrimine una fuga subduxerat, quamdam apud Asturam Saguntiam, fortuna undique sibi non vetante, conscendit, & vitæ suæ volens experiri residua, remeat versus Pisas. Verum dum quilibet de more struit insidias, & parat offendicula debellatis, ac sicut canis grege præposito cervum sagittatum dumtaxat latratibus impetit fugientem, sic nonnulli, qua nescio ducti cupidine, quove spiritu, vel affectu, dum non absque dolo student semper victricia signa sequi, ardent potius in afflictos ab atrocitate insequentium jam deductos. Inde est, quod infelices, & incauti, jam credentes hostium evitasse sævitiam, quadam extranea pietate, vel impietate potius novos inveniunt denuo inimicos. Sicque quidam de Magnatibus Urbis, nomine Joannes de Frangipanis Dominus prædicti castri Asturæ, credens non rectè fecisse, quod Conradinum sic impunè abire liberè permisisset; dum sibi, & Regi placere desiderat, à quo magna sperabat pro magnis ausibus obtinere, armat aliam Saguntiam, & Conradinum multipliciter fatigatum, multoque metu confectum insequitur, & invadit, capit, & reduxit ad Terram. Sed heu inquam ubique periculum expugnato. Vitans enim terrarum discrimina, in vastitate maris foveam reperit ubi cadat. Joannes itaque prædictus ad Terram rediens, nova sicut venator gaudet lætitia, capta præda, sperans, sive tendat ad dexteram, sive ad sinistram declinet, affectatis in omnem eventum repleri muneribus, & pretio propterea magno dotari, sive Regi placitam, & perquisitam velit prædam assignare, quam ceperat, seu suæ restituere libertati. Verum Robertus de Lavena Capitaneus Galearum Provincialium, quæ pridie sicut vidi, & duraturum, testimonium profero pro loquendi veritate suasus, satis viriliter fugerant, quoniam ad eumdem Robertum captionem hujusmodi prædæ novæ perduxerat, Comites Galearum, totumque stolium cogit

ad

ad terram, volens saltem per vim, si valeat, ab eodem Joanne subducere, & extorquere conceptos. Ipse verò Joannes, qui nec liberare, nec tradere prędam disposuerat, nisi magna priùs foret mercede dotatus, Conradinum, & alios illaqueatos taliter ab eodem ut exhibere prædam hujusmodi dicto Roberto cogi sine grata, & sperata pactione non posset invitus, ad quoddam castrum de propè forte transvexit. Angitur ergo in castris, & angustatur obsidione nautarum. Ad quam obsidionem fortius perurgendam Dominus Jordanus de Terracena Cardinalis, qui officio rectoriæ Comitatus Campaniæ per Sedem Apostolicam fungebatur, cum equitum, & peditum comitiva convenit. Demum verò dictus Joannes, tum pollicitationibus amplis illectus, tum inductionibus, terroreque devictus, nec minùs intereà morem gerens, non propriam restituit prædam venatoribus venantibus prædam suam. Tunc sanè, sicut creditur, dictus Robertus abolevit infamiam, qua de fuga Siciliæ turpiter poterat annotari, tunc maculam infamis, annotationis extersit, & regium meruit rehabere favorem, quem aliter credebatur forsitan perdidisse. Excepit ergo captos fæva manus Regis, & dira cupido manditque pro voto de venatione quæsita, & pro libito vescitur rebus optatis; ac dum omnes reputat inimicos in ejus potentiam jam conclusos, jubilo confunditur gaudiorum. Ut autem sine dilationis mora, quæ parit plerumque periculum, faciat Rex de vitulo superstite victimam, Conradinum recognoscentem sępius contra suam Matrem Ecclesiam deliquisse, nec minùs contra Regem ipsum vehementer errasse, procuravit per quosdam Ecclesiæ Romanæ Cardinales illuc propterea per Sedem Apostolicam destinatos absolvi, & tandem vinctum perducit usque Neapolim, ut ibi secundum legem eum faciat judicari. Conradinus sanè terrore mutus, & metu nihil audet palam temere proloqui, nec secum infelici dolere de casu, sed tantùm pia matris recenset viscera, & futurum in eo gemitum matris deplorat. Ha, ha, inquit, ò genitrix, me missùm ad tanta pericula quasi casus filialis prenuntia deplorabas. O sola mea requies senectutis. O unica vitæ ulterioris fiducia. Me solam qualiter derelinquis. O cara mater. Utinam si supersunt aliqua de avulsa felicitate reliquiæ, misera miseræ simul fandi copia traderetur. Sed heù infelix ex casu tam gravissimo Conradinus oppressus motu, & sensu penitùs destitutus, ejus quod egerat illicò pœnitens, vultu colore mutato, quasi sentiens, sibi vicinæ mortis periculum imminere, dolet se lethiferum recepisse morcellum, quem adhærentem jam gutturi non potuit deglutire.

Rex autem ex generosis Civitatibus Terræ Laboris, & Principatus Syndicos duos bonos viros ex qualibet Terra pro Conradini sententia Neapolim convocavit, ut non suum, quod acturus erat de Conradino judicium videretur, sed potius hominum de contrata. Fortassis enim circa hoc conscientia mordebatur, quòd eum captum de jure non posset ultimo damnare supplicio, qui ejusdem Regis hostis fuerat manifestus. Sed volebat, quod prædictorum periret judicio, & eorum sententia sanciretur, quorum spolia occcupare, & temerariè arripere intentarat. Factumque est ita, quod contra Conradinum, Ducem Austriæ, & Comitem Gerardum de Pisis apud Neapolim mortis est sententia promulgata; ibique in campo fori juxta Eremi-

tarum

tarum locum, cujus à finiftris via media funt cimiteria Judæorum, capitibus obtruncantur. Conradinus inquam ante quàm hujus mortis calice potaretur, exiftens juxta paffionis locum damnatus dum fçva moraretur in manu lictoris, non voce querula . . . . Sed ad cçlum jungebat palmas, mortemque inevitabilem patienter expectans fuum Domino fpiritum commendabat; nec divertebat caput, fed exhibebat fe quafi victimam, & cçforis truces ictus in patientia expectabat. Juvenili ergo fanguine in poculo crudelitatis abforto, ad Terram dejicitur pueritia, & perdita eft juventus. Infignes trunci jacent exanimes, & dilapfæ cervices, & capita fine voce. Madet Terra pulchro cruore diffufo, tabetque juvenili fanguine cruentata. Jacent veluti flos purpureus improvida falce fuccifus. Decori artus acephali non tumulantur, fed humantur corpora fic obtruncata. Lapidum cumulus objicitur loco tumuli, cujus eminentia ufque hodie fubterraneorum oftendit cuilibet fepulturam. Quamquam habet opinio plurimorum, quod fratres illius loci, vel ex devotione, vel pietate materna ducti, feu prece pretiove commoti, offa Conradini clandeftino, exhumaverunt, matri miferabili deftinarunt. Pofteritas igitur Frederici, cujus æmula quafi fuit tranfgreffio genitoris, tamquam fuccedens criminibus avitis, evanuit, nullo de fuo fatellitio fuperftite remanente. Infecerat enim fuæ prorogationis rivulos Frederici dira contagione nequitia, & in traducem generationis fuæ materiam fceleris originale traduxerat, & exquifitæ malitiæ incentivum. Pereunt aquilæ pulli, & eorum pullulatio, locufque confidentiæ perenniter defolatur. Radix non generat ulterius Frederici, nec ferpens ulteriùs fibilat, nec abforbet fuæ commentationis effectum, nec vitiofa cupidus frendet amplius detentione poffeffor. Arbor hujufmodi non facit plus furculos neve floret, nec fructus producit ulteriùs valituros. Ruit irreparabiliter domus, & machina tota convellitur, ejufque fucceffio fuæ perennis defolationis incommoda perenniter deplorabit.

Poft confumationem multi laboris, & utilis poft devictos, & triumphatos Ecclefiæ inimicos, afcita Regis profperitas apud Neapolim fedentis in fuæ follo majeftatis fulgoribus undique victoriæ gloriofo ipfius fidelitatis devotione totum jam relucente per Regnum, novis victoriis, novis ac gratis fucceffionibus eft adaucta. Urbis enim ftatim recuperat fine grandi fatigatione Senatum, & in Senatorem victoriofus affumptus, Senatoriæ titulum cçteris fuarum dignitatum infcriptionibus aggregat, & confcribit. Verum inter alia æquitatis opera hoc fui principio temporibus in Urbe potiffimum actum fuit, quod cum inibi adeò latronum audacia pullulaffet, adeò manus invalefcerent denuò prçfumptrices, quod & Romipetas, & quoslibet etiam viatores audendi taliter nequiter fibi præfumpta licentia latronica fecuritas depredaret, & dormientium quieta filentia, qui exercitiis fatigati diurnis fomno jam cçperant fepulti quiefcere, avida eorum anxietas perturbaret; & non folum confringere oftiorum repagula nocturno tempore molirentur, fed tectorum ad interiora domus aditum intentarent; latrunculos hujufmodi provida Regis juftitia, quam rectitudinis manus tunc in ftatera libræ geftabat appenfam, fic compefcere ftuduit, ficque pœna media caftigare, quod plufquam ducen-

ta

ta frusta funium suspensorum in superiori ligno patibuli anni revoluto circulo sunt comperta. Sic ubi res taliter agitur, & felicitati Regiæ totus orbis applaudit, nonnulli Barones de Calabria, quorum rebellionis error obduxerat, cùm jam non possent fidelium de contrata validæ instantiæ repugnare, nec squamas vellent ab oculis abjicere cęcitatis, nec ad Regiæ lucem fidei de sui erroris nubilo redire curarent, apud quoddam castrum in Apulia, quod Gallipolis dicitur, eâ intentione præmoniti, ut quando vellent valerent in Romaniam, cujus montes castrum illud respicit, convolare, pro suarum personarum tutamine se receptant; quos demum dura obsidione fidelium circumseptos, & tandem sicut lupus in subterranea cavea captos puteus ille judicii, & interitus, qui consuevit alios absorbere consimiles ad se traxit, & illorum cuique numero XXIV. mortis supplicium intulit, & ingessit. Hinc est quod geminatur ubilibet subditorum fidelitas, & dum ubique per Regnum quilibet nititur per fidelitatis officia, concusso rebellantium capite, complacere, ultro se contra nondùm reversus ad fidem parat, & in eos, quos modica infidelitatis infamia fortè notabat usurpat sibi gladii potestatem; quo imprudenter assumpto, vel præsumpto potiùs, quilibet habens, vel resumens jam potentiam aliqualem abuti non metuit, sed hos absque prolatione sententiæ damnat, & perdit, illos exorbat, alios mutilat, motu proprio voluntatis, quosdam spoliat, quosdam revendit, & fugat audax præsumptio plurimorum, omnesque sibi jus in propria causa dicunt, & bona fugientium, & cęsorum quasi licenter occupant, & usque hodie nonnulli taliter ita detinent occupata. Proinde Majestas regia diù quondam, & varia infidelium persecutione jactata, considerans, quod ad laudem trahi non poterat vindicta mediocrium, & minorum, tum pietatis remedio, tum indulgentiæ beneficio, & lenitate jussionum revocat ad se, si valeat, usquequaque rebelles; ac volens dignitatis suæ potentiam parere humanitati, & justitiæ, non dolori, ne odiorum livor edax, qui totam contratam sedula corrosione vastabat, luxuriaret ulteriùs insolenter, subjectos, quos spontaneos poterat sine bellico labore subigere, ad misericordiæ gratiam admittebat. Contra eos verò, qui erroris in cęcitate contumaciter, & voluntariè persistentes, corruptæ mentis experiri conabantur proclivem ad pejora prioribus voluntatem, quosque non poterat benignitatis mansuetudine cohibere, taliter suæ magnificentiæ resistebat objectu, quod rebellium obstinata protervia, & furor ferventium animorum denuò in suis cautibus tundebantur.

Destinat regalis providentia Capitaneum in Siciliam quemdam Guillelmum dictum Standardum cum electa comitiva equitum Gallicorum. Talem enim exigebat Prælatum Siculorum docta nequitia, quibus jam inest à natura rebellio, & facilitas querelarum. Hic enim Guillelmus vir erat sanguinis, Miles atrox, ferox, pugil, sevusque pugnator, contra infideles regios omni crudelitate crudelior, & totius pietatis, & misericordiæ vilipensor; cępitque hiante gula, velùt lethifer hydrus lacus ranarum Siciliæ circuire. Sed & si meritò infidelium sanguinem sitiebat, nonnullos tamen immeritos, vel non demeritos sine discretione sexus, & ætatis ultimo immaniter supplicio comprimebat. Postquam sanè in Sicilia dictus Guillelmus multitudinem

dinem fidelium adunavit, Augustam quondam Cæsaris Civitatem, quam inter Cathaniam, & Syracusiam juxtà maris littus instructam, undique aquæ marinæ angustat circuitus, ea parte dum obsidione perurget, qua per modicum terræ spatium patet aditus ipsi Terræ, ubi castrum quoddam intercidit aditum ipsum, adeò quod ad Terram ipsam accedi non potest, juxtà muros ejusdem castri, vel per postem seu posterulam partis posterioris ejus, per quam ad castrum ipsum quis ingreditur, & ad terram. Hanc quidem Civitatem plùs quàm mille bonis viris incolis habitatam, ducenti equites Tusci, ex iis, qui cum Domno Frederico, & Conrado Capucio de Tunisio venerant, pervigili custodia conservabant. Verùm quidam ex majoribus terræ prædictæ, qui se infra ejusdem castri, quod jam expugnabatur ab exteris, munimenta reduxerant, dolosè fraudis excogitantes commentum, quo vitam suam, multorumque possent mortibus sub grata pactione redimere, cùm foris vastaret eos gladius, intus timor, tractatum de aperienda hostibus posterula supradicta, & de concedendo eis per castrum ipsum liberum ad Terram ingressum cum exteris habuere. Recepta igitur firma de personarum salute, ac rerum conservatione ab obsidentibus sponsione, Tuscis, & aliis miseris ignorantibus, sex majores de recollectis in castro in castrum ipsum aliquos animosos de exercitu exterorum reserata posterula introducunt; illisque animosis taliter introductis, singuli de castro, & omnes alii infra terram, qui arma sumpserant, vel poterant se armare, proditione hujusmodi jam detecta, per diversoria Terræ diffugiunt, & fugientes per vicos Terræ cum grandine disperguntur, latitant armis depositis sub stillicidiis, in foveis, & cisternis. Frequenter tamen nonnulli cum omnibus jam deessent Terrarum omninò remedia, quæ non poterant aliter petere nisi per medios hostiles gladios pertransirent, maris præcipitia intentabant. Sed frustra, dum latitant, vitæ quærunt sub quadam prorogatione diffugia. Nam in omnem eventum erant necessariò morte crudelissima perituri. Nihilominus tamen ibi se quilibet in fugam præcipitat, ubi casus levior apparebat. Aggreditur ergo castrum, & Terram, dato taliter aditu, totus exercitus, & Standardus. Hi inquam tamquam leo furens, qui feritate præconcepta superbiam, prævisam ardens in prædam, postquam eam sævis unguiis tenet, anxiè laniat, & trucidat; totam discutrentes fremendo per Terram, omnes, quos in biviis, aut quadriviis, vel in domibus inveniunt seu palantes, seu nondum etiam latitantes, sine qualibet pietate dilacerant, & extinguunt. Cumque majori parte incolarum, ut præmittitur, latitante, paucos obviam gladius Gallicus inveniret, Gallici non aliter quam canes ad cervos odoratibus eruditi latitantium, hauriunt sicut aquas homines, ex cisternis, & de foveis sicut granum; hosque compertos ad locum judicii, ubi supra ripam maris sæva lictoris manus ense lato, & curto singulos adductos contingere non pavescit, binos, ternos, senos, & quandocumque denos, nullos vestitos vestibus, sed tantum propria indutos coria, vel potiùs quemlibet, sua pelle coopertum, secundum occurrentium numerum conducebant, quos prompta lictoris atrocitas unatim adducto gladio comprimebat. Et si quando uno ictu caput non statim labitur à cervice, immanis lictoris audacia caput recipit cum sinistra collapsum;

cum dextera verò latum cultrum accipiens, & acutum, tamdiù nervos secat, & corium non incisum, donec avulso capite à cervice fiunt à corpore duo frusta. Caput, & truncum æris lictoris jactus sub ripam ipsam in arenam maris dejecit, & acervat. Sed equitatis ad hęc & rectitudinis dignum audite judicium. Quando dictos sex viros, qui pro comparanda Patriæ salute tot excidia concivium proditoriè procurarant, quasi procurati amaritudinis calicis prærogativa donatos gladiatoris ensis, cujus aciem inibi nondum rubigo sanguinis macularet, vivos excipit, & excidit, ac restituit obtruncatos, sicque una die sub eodem Carnifice pereunt cum proditis proditores. Sicque pereat omnis ille, qui fraude vel dolo prodere nititur Patriam, & Concives. Æstuat inquam Lictor in cęde tot immanibus ictibus fatigatus. Sed nondum cęde peracta, tribus stomachum æstuantem magnis potibus humectavit. Non remansit in Terra vir, quia omnes Terræ incolas, & Tuscos prędictos unus ejusdem lictoris gladius interemit; exceptis quibusdam, quos una sagittina XXIV. remorum ereptos ab hostium gladiis vivos excepit. Tandem cum multorum confluentia gravaretur, nec molem posset confugientium reportare, illos Neptuno, & piscium agminibus commendavit. Quæ autem mors reputari possit immanior, & pestilentior, aut gratior, vel acceptior, aut quam hostium infert sevitia, vel quam maris habet improvisa turbatio, scilicet, ut loquar breviùs, mori sub gladio, vel sub aquis, non mecum sed cum aliis disceptate legentes. Ego vanis frequenter utrique vicinus, & exterus utriusque pericula, per ejus gratiæ misericordiam, qui cuncta creata conservat, usque nunc per discrimina multa infelicitatis evasi. Augusta itaque ubique angustatur angustia, ut non ulteriùs ab augendo, vel à Cęsare Augusto, sed ab iis quibus angustata est angustiis nomen trahat. Hæc Naim usque hodie caris habitationibus desolata, ne tamen locus fertilis, & amęnus omninò redderetur incultus, & inutilis Regi suo, rehabitari cępit ab antiquis inquilinis.

Augusta in viduitatis vestibus lugubre commorante in vastitate mesta, tantorumque mortes deplorante concivium, Standardus prędictus ex præterita cęde superbus, de modo felicis successus elatus, versùs castrum Conturbii, quod frequenter propter inhabitantium incostantiam, & volubilem voluntatem rebellionis contra quemlibet Regem Siciliæ calcaneum erigens, jam pluries decorem habitationis amisit, cum toto exercitu memorato anxius ad ulteriora festinat. In dicto namque castro Conradus Capucius, certus jam de interitu Conradini, cum quatuor Tuscorum Comestabulis, & aliquibus Theutonicis propter loci fortitudinem, qui nec aggressu, nec obsidione faciliter expugnari poterat, se reduxit. Quo quidem valida hominum instantia seu densis sepibus angustato per girum, cum jam interiores obsessi de omni succursu, & subsidio desperassent, nec haberent vires perdito capite de cętero valituras, Comestabuli Tuscorum, & duodecim majores castri de prodendo Conrado prædicto, & tradendo Gallicorum judicio machinationis fraudem invicem cogitarunt, ac conspirationis inter se fœdere roborato, tractatum cum Standardo pro personarum suarum salute, quarum nullam misericordiam expectabant, si eos aliter manus Gallica comprehendisset, se pefato Conrado inscio per dies aliquos tenuerunt. Demum quibusdam pa-

ctis,quibus nonnumquam fides infringitur,vel pollicita nō servantur, hinc inde vallatis prędicti conspiratores ad porticum Ecclesię,ubi memoratus Conradus pro eo stupefactus animo, & corpore morabatur, quod jam omnimodā certitudinem de conspiratione receperat, & machinatę presagia proditionis habebat,ac casum gravē imminere sibi ex indiciis autumabat, succincti gladiis accesserunt. Verum Conradus prædictus antequam sui conspiratores in eum manus injicerent,videns eorum mutatas facies, quibus mos est preconceptum crimen saltem pandere vultibus,dum iidem conspiratores vellent eum quibusdā verbis excusationis in peccatis excusandæ perungere, & Tyndiaca palliationis frustra propinatum abolere venenum,non passus eos præloqui, surgens ait. O socii, ò Domini, verbis, ut video, non est opus ultra. Scio quid in me cogitaveritis, scio quid estis acturi. Unum oro, quod pro exhibitione personæ meæ tantum omnes potestis evadere, & de personarum vestrarum, & rerum salute promissa cautum est vobis, ecce in mortem statim ibo libentius. Sed debetis firmiter credere, & tenere, quod si ego Dux, & caput excidio peream, vos sine dubio peribitis una mecum, nec vos fides promissa tutabitur, nec servabuntur vobis stipulata fœdera pactionis, sed rupto libello polliciti experta fraus Gallica cętera violabit. Nescitis quoniam ii, quibus favere multiplicium triumphorum fortuna jam cępit,cum denuo expectent ulterioris incrementa victoriæ, sive dolo, sive fraude, cum possint, amplis seducunt pollicitationibus inimicos. Non enim refert quocumque modo suum ex hostibus habere quis possit intentum. Vestris ergo cautè providete compendiis. Et si ita est, quod omninò credatis mihi mortuo supervivere, ac propter unius mortem salutem redimere plurimorum, iterum dico, de persona mea ordinate, quod placeat, & de me vestros exequimini cogitatus. Illi ad hæc. Domine licet nos tædeat, inevitabile tamen est, quod sumus acturi. Vobis autem displicere non debet, si per quamcumque viam salutis nostræ remedia procuramus. Forsitan, & vos ipsi salvi eritis Domino favente, quia Standardus multa nobis cum benignitate promisit; si absque labore soi exercitus nos suis beneplacitis supponamus. Equitetis ergo, si placet, & cum humilitate ad eum nobiscum descendite, nec de ejus gratia disperetis. Considerans igitur dictus Conradus, quod sic eum pati necessario oporteret, & attendens, quod omnes stipendiarii sui, pro quibus similiter inita pacta erant, mentis & juris jurandi religione violata intendebant ad Comestabulos, & ad alios factionis actores, adductum sibi roncinum metu hebes ascendit, & mutus incedit, & ad tentorium Standardi, veluti quando bos unicus eligitur de toto grege mactandus, & cum ipso grege ad macellum, qui aliàs solus non accederet comminatus, sic idem Conradus conducitur non ligatus. Hujus itaque oculos statim Standardus absque ullo judicio mandavit evelli; evulsisque oculis, Cathaniæ in altis pręter morem furcis juxtà littus maris solitarius alligatus dimisit in aere vitam suam. In signum autem ejus, quod fuerat militiæ cingulo decoratus, scutum suum splendescens coloribus fulgorosis vitri perlucentis ad instar suppenditur cum eodem. Martinus quoque, ac Jacobus Capucii Milites fratres ejusdem Conradi,pulchritudine, ac statura decori apud Neapolim via Capuana eodem supplicio per Regis senten-

tiam perierunt. Sicque illus unus uterus, una fides, & passio verè fecit esse germanos. Cumque inter hæc Domnus Fredericus, qui unus ex principalibus Impetitoribus Siciliæ tum supererat, nondum tamen expurgata Sicilia tribulis Hispanorum, cautelosè sibi, & suis providens apud Agrigentum ea intentione relictis terris, quæ sibi adhuc respondebant sine munimine, & custodia personarum, cum omnibus Hispanis, & superstitibus Theutonicis confugisset, ut cum vellet posset per mare fugere in Tunisium, unde venerat, Standardus prædictus non sine Regis connivencia cum eo habuit absque ulla suæ gentis fatigatione tractatum, Ultimò inter eos ventum est ad hanc pactorum concordiam, quòd Domno Frederico prædicto una de pacto tantùm galea conceditur, & donatæ sunt ibi ducentæ unciæ pro expensis. Sed istas forsitan uncias pro equis receperat, quos de pacto ipsi dimisit, & cum iis rebus, quas potuit asportare, assumptis sibi Theutonicis, & Hispanis, in ejus nomine cui præstabat obsequia in Tunisium remeavit. Tandemque Regis Hispaniæ fratris sui damnatus judicio morte crudelissima expiravit. Tendebat enim vita sua semper ad malum. Et ideo fuit ejus, malis eum insequentibus, malus finis.

Sed dum undique grata Regi felici prosperitate luxuriant, & Civitates, & loca nonnulla totamque Siciliam motus spontaneus ad devotionem Regiam absque bellico labore convertit, Regina Neapoli cursum naturæ consumavit, & terminum dierum suorum attingens, debitum humanitatis exsolvit, & utriusque sexus decora prole relicta, in majori Neapolitana Ecclesia tumulatur. Ex filiabus sanè suis una tradita est filio Comitis Flandriæ in uxorem. Secunda demùm Philippo nato Imperatoris Cōstantinopolitani matrimonio copulatur, Cumque Nobilium Gallicorum sint mores, quod unica contenti, non suæ pudicitiam non intentant, nec se ut plurimùm cum aliis mulieribus dehonestant, statim Rex prædictus, quamquam de cara Consorte nuper conjugali deperdita tamquam in carnis abscissione doleret, considerans tamen, quod Regina dies ejus in fœcundæ sobolis propagatione compleverit, & vitam in sobolis fœcunditate dimiserat, funerum uxoris oblitus, per Nuntios firmat, cum Duce Burgundiæ parenteiam, & de filia Ducis regio copulanda conjugio fœdera per litteras invicem roborantur; quam prædictus Burgundiæ Dux multis in subsidium Regis associatus equitibus, postmodum Regi personaliter transduxit in Regnum. Intereà Sanctissimus Pater Dominus Clemens Papa Quartus, cujus favor, & gratia in omnibus actibus Regem Carolum tutabatur, apud Viterbium vitæ chirographo resignato, creditum naturæ reddidit, quod mutuò receperat ab eadem. Sub illius sanè tempore creverunt facta Regis denuò sub triumphis; & eo victoriæ palmam ex hostibus Ecclesiæ feliciter consecuto, fuerunt ejus primordia prospera, secunda, finis variis, & innumeris felicitatibus usque ad multa tempora gloriosus. Eoque sublato, de medio, qui Regis negotia prosequebatur affectione paterna, cum adhuc nidus, & cavea Saracenorum Luceria in rebellione persisteret, ac totam ferè Apuliam subitis, & improvisis cursibus molestaret, Rex prædictus demùm personaliter Civitatem ipsam obsidione circumsepsit, & angustat, & obsidione firmata, tot aggressibus, tot instrumentorum

rum generibus, totque impugnatoriis machinis tamdiù, tam dirè, & tam durè Saracenos coercuit, & restrinxit, quod eorum majori parti victus, & ferè vita defecerat. Sicque dum multi ad colligendum herbas frequenter, quibus sicut bestiæ pascebantur, exirent, nonnullos, qui præ jejuniorum, & famis squalore jam hebetes infra terræ ambitū se non poterant pedibus præpetibus receptare, trucidabant insidiæ Gallicorum, nonnullos etiam, ut eos pro servis venderent conservabant. Verum dum aliquando occisorum viscera studiosæ invadentium manus immaniter rimarentur, plena tantùm herbis reperiebantur corporum intestina. Tandem cùm pauci juxtà consuetum numerum, quem docta manus exercitus cotidie defalcabant infra Civitatis ejusdem mœnia remansissent, & iis extantibus victualium rerum, & personarum etiam non crescerent, sed deficerent semper exforcia, qui superarant per vim, & metum, qui satis potest constantes afficere, se omnimodis Regis beneplacitis commiserunt. Mittitur postmodum Vicarius in Siciliam Dominus Philippus de Monteforti, homo bellicosus, & statura placibilis. Adhuc enim eo in Siciliam properante, Comes Fredericus Lancea germanus quondam Galvani castrum Sali, quod est in Calabria situ fortissimum, contra fideles regios defendebat; quod demum multitudine fidelium exacta obsidionis instantia circumseptum Comes prædictus fidelibus regiis sub pactis restituit, & dimisit, & ad mare incolumis de pacto conductus in Romaniam postmodum transfretavit.

Incipit Liber Quintus.

MEdio verò tempore, cùm nondum esset Ecclesiæ Romanæ de pastore provisum, Ludovicus Rex Francorum, vir inclitus, dotatus bonitatibus multis à Deo, Regum candela fidelium, signo ab olim vivificæ crucis assumpto, collectis Christianorum undique viribus, generale in Terræ Sanctæ subsidium passagium stabilivit. Hic namque pro tuitione, & exaltatione fidei, pro conservatione obedientiæ Sedis Apostolicæ, quę persecutionibus Deo volente non minuitur, sed augetur paratus semper ad acerrima sustinenda pericula, potentiam suam terra, marique distendens, alias barbaras nationes fidelibus odiosas impetere consuevit. Nunc autem idem Rex, quem solum Dominus pro Ecclesiæ suæ custodia collocaverat, ad inimicos crucis denuò se convertens geminatis viribus,& multitudine fidelium congregata pro libertate illius Terræ Sanctæ, quam Redemptor humani generis propriis calcavit pedibus, pro redemptione quoque sepulchri ubi fuit Redemptor ipse reconditus, mari se cum navigio copioso commisit: qui dum freta circuit classibus fidelium numerosis, & cæptum iter principio secundo concelerat, exercitu toto felici dato navigio vota multitudinis versùs orientalem plagam, ubi Terra Sancta caninis manibus ancillata comprimitur, suspirabant. Sed contra omnium vota, contra cęptorum facta perverso numine versùs meridionalem axem fatigat exequi votum suum. Sicque fideles inviti tendentes ad Arabes, non ad Indos, dum cæptum superandi consilium potestas nulla conceditur, illius dispositione cujus nutu res eunt, fatis fatigantur adversis, & procellis fluctibus feriuntur. Collecti tamen

men undique apud Tunisium coeunt; ibique cępto Marte frustra fatigantur & bello. Dum enim multa circa hæc dementia eorum animi erant capti, non sentientes primas vires mutatas, nec advertentes perversa jam fore numina contra ipsos, nec cedentes numinibus provocatis, accensos insano Martis amore, cum nullam possent prosperam ex laboribus deferre fortunam, animos fatigabant. Fama igitur Regi Carolo deferente, quod classis Regis Franciæ, totusque crucesignatorum exercitus jam in Tunisium tota convenerat, quodque propè Tunisium castrametati fuerant Christiani, Rex ipse Carolus, solutis moræ vinculis, cum moderato numero galearum, non qualem Regem fortè decebat, sed qualem illa imminens necessitas, ac festinantia requirebat, illuc alis prepetibus convolavit. Res enim agebatur sua, ejusque pretextu, seu eo suggerente, vel dante causam, Rex Franciæ tantum Christianorum exercitum contra Barbaros, & Arabes compulerat sub tanto discrimine laborare. Rex quidem Tunisii propter proximam rebellionem Siciliæ multis mortibus consopitam, quemdam annuum redditum sive censum, quem Regi Siciliæ pro eo exhibet annuatim, ut victualia in Tunisium liberè comportentur, & mare Siculum remigare licitè valeant Arabes quando volunt, quodque barbari per Siculos piraticis non vexentur insidiis, Regi Carolo per tres annos subtrahens denegabat. Ideoque Rex Carolus affectans visitare, ac visere partes illas, & herentem profundæ caveæ colubrum virtute aliena convellere, tantùm exercitum coire Tunisium sagaci studio procuravit. Verum dum Gallici tunc frustra invito numine cõfidunt totis cotidie căpis densantes agmina clypeata, & armis populos instruētes instant cotidie assiduè, ac cũ infidelibus bellum ducunt, sepe certatim Tunisii muros circumstant. Sed canina progenies, nescio numine quo ia vente, velut pelagi rupes immotę resistentiā adhibent undequaque. Cumq; omnia superna dispositione regantur, & Regis ęterni cętera beneplacitis obsecundet, Ludovicus prędictus eatholicę legis amator, propagator fidei, custos fideliũ, & defensor Ecclesiasticę libertatis, peccatis nõ suis forsitan exigentibus, in quo secundum quod potest circa hoc humana fragilitas contemplari, vix peccati labes fecerat stationem, soluto interea vitę fędere, datoque mundi pompis libello repudii, dę valle miserię ad celestem Patriam transmigravit. Per talem quidem obitum culpam ejus, qui tantorum sancta proposita fecerat, & pia vota suspenderat plurimorum, omnipotens misericors Dominus forsitan abolevit, pro votorum irritatione pœnam inferens temporalem, expiavit æternam, ut ulteriùs propterea spiritualiter non plectatur, ut pœna temporalis hujusmodi pro tantæ transgressionis incuria gravior inferretur, & nec culpa, nec pęna traducatur ad posteros, sed perenniter expietur, quidam ex filiis ejusdem Ludovici nimis properè cruda morte devictus fuit, intempestivè paterna funera subsecutus. Nec minus cum eo nonnulliæ Procerum, & Magnatum, ignotæ quoque multitudinis animæ infinitæ mortis impellente violentia naturalis, propria corpora frigida diviserunt.

Extantibus ergo duobus liberis ex Ludovico prædicto, videlicet Philippo primogenito, qui Patri successerat in onere, & honore, ac Petro Comite Alansonis, Rege Carolo cum eisdem, cęterisque Primatibus exercitus cum Rege Tunisii in amicitiam coeuntibus, & fœdera

dera jungentibus similiter pacis crucesignatorum exercitus dispendio sè dissolvitur, & facit rimulas, & scissuras Turris tantæ fortitudinis Christianorum columna concussa, ex auro bibit Arabico, qui sitivit, & venundatis fidelium laboribus, ac opprobriosè distractis, turba multa, quæ dinumerari non poterat, præparata juxtà littus navigia repetens, ponto proris exhibitis, cum Carolo, & Philippo littoribus applicuere Siciliæ remeando. Verum Odoardus Rex Angliæ volens adimplere quod voverat, & Terræ Sanctæ spe frustratæ totius succursus, & auxilii subvenire, quamquam venerit juxtà Drepanum, sua tamen tantum classica, quæ de procellarum periculo evaserat recollecta, ad Aconensem Civitatem, quæ Christianorum fota subsidio in illis partibus sola respirat in fide, remigio tuto festinat. Sed ut pro tantæ saltem damnosæ prævaricationis assensu aliquid de pœna juxtà culpæ modulum potissaret, apud Trapanum, quando in Siciliam venit, maris naufragio penè periit ex procella. Sed eo propter vicinitatem Terræ personam è naufragio educente, omnibus ferè tum naufragio facto rebus, multi de conserva seu de caterva sua confectis abjetibus, & cottis apertis è quovis inundationum concussionibus perierunt, pro eo videlicet forsitan, quòd excessu exigente culparum, autumnus asperæ hyemis jam vicinus eos ibidem introcluserat austro flante.

Philippo itaque, qui post Patris obitum jam fuerat Regalis magnificentiæ titulis decoratus, exercitui dissoluto, & disperso præstante, tota gens de Sicilia petit citra fretando. Sed instante hyeme uxor ipsius Philippi filia Regis Aragonum, quæ licet vir suus non esset inunctus, Regina tamen Franciæ dici poterat, volens sub Marturanensi Civitate super excrescentem pluvialibus imbribus fluvium utero gravido pertransire, præsumpta quadam virili audacia percundi, equo corruit procumbente de sella, prævia tum multitudine militum occurrente submersa non extitit; sed propter metum casus offensa lethaliter, & in ipso casu confracta, læsusque fuit uterus antequam perveniret ad lucem, & offensus graviter partus nondum à maternis visceribus segregatus. Ajunt enim partum fuisse semestrem, & ideo genitricis alvum à conceptionis hora semestri tempore laborantem ex casu gravius fore læsum. Quapropter Cusentiam semivíva traducitur, ubi tandem masculino abortivit in partu. Nam viro cum multitudine suorum Procerum convalescentiam ejus ibi studiosiùs expectante vel mortem, Regina ipsa demum persolvit, quod à natura receperat post aborsum, & cum partu à maternis visceribus casus violentia fecerat non completum in majori tumulatur Ecclesia Cusentina. Ossa tamen elixa prius, & qualibet carnositate mundata more majorum in Franciam relictis in tumulo putribilibus, quæ servando servari non poterant, demandantur. Fit sibi sepulcra digna memoriæ, materiæ, ac artis concertatione, juxtà quod est hujusmodi regalis sepultura constructa, ordinatur perpetuus Cappellanus, centumque uncias auri dictus Francorum Dominus pro emendis possessionibus, de qua usufructu possit idem vivere Cappellanus, Cusentino Capitulo elargitur. Transiens post hæc Philippus prædictus per Romanam Ecclesiam, quæ adhuc erat in viduitatis solitudine constituta, gressus in Franciam properat, ut Francorum corda Ludovici obitu

forsi-

forsitan alterata confoveat, & sacram Regis recipiat unctionem.

Iam requie data certa laboribus, Rex Carolus bellorum cura nequaquam, sicut videbatur, ulteriùs fluctuans, cùm jam infinito congervato Thesauro, & pretiosis, quibusque compostis cotidie cerneret regales redditus ampliari, ut filios militiæ unda renasceret cogitavit, & ramum verisimiliter olivæ paciferæ manu gestans, & viam studens subjectis variis laboribus aperire, Regali mandat edicto, ut officiales ubique per Regnum merita causarum in statera justitiæ metiantur, & exhibens singulis gratum sermonis exenium, & dulce verborum omnibus blandimentum, quasi modo Regni coronam acceperit, eminentioribus contextam titulis dignitatum, se totum in alveum Sanctæ meditationis includit. Æstuantibus ergo regiis ad digna precordiis, & flagrantibus votis ad justa, dum omnia quodam jucunditatis applausu secum felicitatis auspicia sortirentur, ex nobilioribus totius Regni deligit juventutem, cui subserviat aptitudo militiæ, & quæ dignè possit cum filiis honore tantæ militiæ decorari. Sicque apud Neapolim celebrandæ per totum Regnum de tantæ solemnitatis indicto, & multa propterea pecunia recollecta, quam in militiis, & conjugis filiorum Regum, Regeque movente bella contribuere consueverunt Regnicolæ, in apertis campis juxtà Monasterium Sancti Petri ad aram fit apparatus solemnis, qualem decet Dominum triumphantem. Ambitus enim ampli spatii circularis murorum vallatur sepibus, & structuris, fiuntque diversa spectacula circumquaque, variæque sedes, & stationes in gyrum dignitates distinguentes, & sexum, & in statu magnificentiæ suæ quemlibet annotantes. Convenientibus igitur ad novam tripudiorum lætitiam ceteris Regni Nobilibus, per multos dies militiæ tempus gaudia festiva percurrunt, multæque vigiliæ, non in jejuniis, sed in parilitate solatii, præveniunt diem festum, & eum anticipata solemnia solemnizant. Rex autem magnificentiæ corona sublimis, aureo verò diademate coronatus, ad troni fastigium, ad apicem excellentis dignitatis assumptus, sublimiora spectacula insidebat, qui omnem joculatorum aspectum in jubilatione transcurrens, ad singulos respicit, & officiosa notat obsequia singulorum. Et dum stat super tribunalia Comitum, super fastigia Nobilium, & Baronum, propter magnificentiæ titulos solemniùs collocatus, sedet aliunde à dextris suis Regina in vestitu deaurato circumamicta varietatibus; & non solùm Maritatæ, sed Virgines, quas insimulabant gemmata serta Reginæ, in speculam Regis quandoque adducuntur in lætitia, & exultatione post eam. Frequenter enim disposita processione psallentium, in medio campi, & circuitus tota suo jure Curia præcedente, Rex, Reginaque sequuntur cum multis agminibus, quas vestes tegebant splendidæ, ac diversis coloribus radiosæ. Cum nobilissima etiam, & præclara familia Rex ipse nonnumquam psallentibus festivus occurrit. Exeunt in campum nunc Proceres, nunc Barones, & æquati euntes numero Regem canunt, totaque obviat multitudo distincta gemmis, & auro, purpura, & bysso suscipiunt indumenta. Nonnulli fanè Nobiles singulis diebus solemnitatis hujus exuunt vestes, quas ceperunt histrionibus donatas, aut relictis exuviis in ipso tripudii strepitu, magis pretiosa denuo sumunt, & nova mutatoria indumenta. Sicque redimitus uterque sexus occurrit, per joculatorum quoque

varia

varia obsequia cantus ubique concrepant. Modulantur, & organa. Ibi lituus, cietaria, & viella, omniumque genera musicorum hymnum concinunt triumphalem, & cujuscumque cetilis officium jubilationis cantica modulatur. Verùm dum omnium jucunditatis, & lætitiæ specie totus ambitus murorum applaudit, quorum intrinseca facies nihilominus sericis pannis erat operta per vicissitudinem graduum omnium, si fuisses, mirareris incessum. Hæc sunt vexilla victoriæ insignia titulorum, & gloriæ certitudo, quorum abyssu Rex, Reginaque adeo velabantur, quod ipsa tripudii magnitudo Regem, & Reginam cantus movebat in vocem sibi invicem complaudentes. Celebrantur ergo dies in jubilo, & sumptuosi defluunt gaudiorum, ac quicquid potest gaudii mens discreta conjicere, totum hic cogitet, totum hic arbitretur impendi. Cingitur demum militiæ cingulo post tyrocinii lavacrum Carolus, velut annis majusculus, prius cum centum juvenibus subsequentibus, Carolo quidem, tamquam decoro, & excrescenti filio, qui cum esset elegantioris formæ juvenis, ad tenendum fuerat locum patris ascitus, Rex prædictus Principatum Salerni extra fraternæ sortis funiculos peculiari liberalitate concessit. Qui cum crevisset in annos mansuetudinis, & innocentiæ bonum de fontis puritate conservans, mentis juvenilis hospitium virtutum denuò studuit familiaritate replere. Nutrivit animum rebus honestis, & fœcundatus est adeo bonitatibus, quod ejus dotes virtutum claudi sub numero nescíverunt.

Ut autem Regiæ propaginis funiculus extendatur in ævum, & sua crescat in ramos propagnatio successura, filiam Regis Ungariæ Principis connubio Rex conjungit, & in Thorum procurat filialem adduci. Sicque Princeps, & filia Regis Ungariæ individuis nexibus connectuntur, cum vix egregius sanguis in orbe tunc esset, qui non eumdem ex derivatione . . . linea contingeret aliquali. Igitur Reges absentes hac de causa se invicem honore præveniunt, & gratis hinc inde sibi muneribus blandiuntur, Regique Ungariæ, qui bellorum sollicitudine premebatur, aliquando Rex Siciliæ propterea militum subsidia destinavit.

Verum Ecclesia Romana nondum suæ viduitatis consolata gemitibus, cum sua quisque regat diverso flamina tractu, quin lanient mundum, tanta est discordia fratrum, dum metuit velut navis in pelago sine remige, quamvis aura tranquillitatis aspiret, constituit Regem Carolum Vicarium Imperii in Tuscia generalem. Hic nempè sedatis cujuslibet amaritudinis fluctibus, Regnoque disposito in statu summe tranquillitatis, & pacis, ad reprimendos Gebellinos Tusciæ nondum domitos, sed contra partem Ecclesiæ solito plus superbos suæ sedulitatis vota direxit. Gebellini namque in Tuscia, Monachorum ad instar Abbate carentium capite perdito, extra suos limites crassabuntur, & evagantes sine correctore per Tusciam adhuc extranea conventicula faciebant. In tota enim Tuscia Civitas Lucana sola supererat, ubi erat fortior pars Guelforum. In aliis verò locis adeo invaluerat Gebellinitatis gibbus, adeo iniquitas abundarat, quod Gebellini denuò in expectatione novi temporis exardentes, nunc ingeniosa virtutum, seu vitiorum potiùs assiduitate non modicarum coacervatione virium, nunc dolo, vel fraude sub pacis, &

treugæ specie perquisitis totam Tusciam malorum operum crepitantibus flammis igne consumptionis bellicæ subvertere nitebantur. Verùm inscrutabilem divinæ Justitiæ libramentum Ecclesiam suam non patiens radicitus omninò convelli, sed disponens eam taliter, quod semper radices contrahat in temporis amaritudine firmiores, Ecclesię athletam, & fidei pugilem destinavit: Misit Carolum sicut fulmen, qui montes constructos ad demoliendum Ecclesiam, & gigantes etiam constructores cum viris Ecclesiasticis bella moventes, una hora fulminet, & subvertat. Rex ergo Carolus copiosam ex suis eligens comitivam, Principe in Regno Vicario tamquam primogenito, & herede dimisso, Romam primò repetens, rupem Tarpejam, & Capitolii saxa victoriosus ascendit; fungensque vice Senatus quosdam contra Gebellinas Urbis dignas ultiones illatas gratificatione Regia comprobavit. Jacobus namque Neapoleon Dux, & Magister Gebellinorum sub favore Domni Henrici quamdam fortericiam in campo de flore construxerat, quæ Arpacata vulgari eloquio vocabatur. Hanc quisdem fortericiam turrificatam circulariter per ejusdem Regis Vicarium Guelfi Urbis dirui funditus procurarunt. Quædam etiam Turres, quas Petrus Romani in capite pontium Judeorum, & trans Tyberim pro fortificatione Insulæ Licaoniæ fecerat, similiter ejusdem Vicarii sententia, Guelfis sibi assistentibus corruerunt. His, & aliis modis multæ Gebellinis fuerunt illatæ jacturę, quas Regis providentia conniventibus oculis pertransivit. Sed volens statum Urbis post Gebellinorum verbera tranquillare, cum de more faciat pactum post verbera stolidus, Gebellinos ipsos sub pactis ad mandata recepit, & eis de Regia benignitate pepercit. Tunc etiam consideratione Reverendi Patris Domini, R. Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, quemdam Richardellum Militem Civem Romanum nepotem Cardinalis ejusdem, qui tempore dispendiosæ viduitatis Ecclesię castrum Ariani, quod est Sedis Apostolicæ occuparet, & sub castro illo in nemore famoso Algiarii multos jugulaverat Gallicos, & per quosdam suos latrunculos, quos fovebat, fecerat jugulari, suis parentem omninò mandatis Regia mansuetudo recepit.

At demum Rex prędictus ad Gebellinos Tusciæ se convertens, corda partis ejusdem adeò in ejus terrefecit accessu, adeò Guelforum animos roboravit antequam Rex fines attingeret Tusciæ, Guelfi de Florentia de adventu Regis propinquo securi animorum fortitudinem assumentes, resumptis contra Gebellinos viribus eos ejecerunt à terra, & per totam quasi Diœcesim fugaverunt. Tandem Regi sub vexillo Ecclesiæ in Tuscia Vicarię aggredienti officium tota ferè Tuscia tamquam Vicario Imperii se submisit. Pisana etiam Civitas, quæ per triginta sex annos, & amplius inobediens, & indevota Ecclesiæ Romanæ perstiterat, & in infidelitatis devio, & cęcitatis errore per tempora multa duraverat, coacta quodammodo rediit ad Ecclesiæ unitatem, ac tandem Ecclesiæ Romanæ beneplacitis se subjiciens, quamdam societatis confœderationem cum Rege prędicto, variis pactorum vallatam fœderibus, & solemnibus stipulationibus compromissam. Pacem verò seu treugam cum Lucensibus, quibus post Regis triumphum fortuna contra Pisanos jam triumphaliter arridere cęperat, celebravit. Venatore interea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per

saltus

saltus, & nemora Tusciæ inobedientium vestigia passibus agrestibus insequente, nonnulli Gebellini de diversis partibus Tusciæ, quos Delphinus noster Imperii mare famelicis faucibus, gulaque hiante discurrens, velut agmina piscium ex diversis vadis in unam coeuntia massam fugitivos, & pavidos coegerat glomerari, in castro Podii Bonizi tamquam in vase firmo sua receptacula firmaverunt. Qui cum propter castri fortitudinem, necnon & propter Senensium favorem, quibus castrum ipsum vicinum existit, nidum Gebellinitatis inibi componere studuissent, palliare suę superstitionis errores, si Rex Carolus in Tuscia moraretur, sub temporis expectatione credebant. Contra hos itaque sic collectos Rex prædictus, ut totius Gebellinitatis finaliter bellantia vasa retunderet, quodque castrum ipsum fiat ultimum talis generis pręcipitium, & voragο, nec fictitię superstitionis caligo suis ulterius tenebrescat erroribus, totius partis Gueifę, Lucensium scilicet, Florentinorum, & aliorum de Tuscia nomen Ecclesię profitentium exercitum innumerabilem coacervat. Obsidione sanè hujusmodi per sex menses, & ampliùs continuè non sine sumtuosis laboribus perdurante, cum jam illius castri populus stolidus rerum victualium penuria premeretur, nec expectaret aliunde subventum, pręter alias sponsiones, & pacta, de pacto quod satis habitatoribus loci, qui non poterant ulterius se tueri, potuit esse grata montis illius habitatio, in habitantium pœnam facta est omninò deserta, & podium suis Civibus desolativum; suitque edicto perpetuo stabilitum, quod in colle illius podii, qui quanto mons se eminentem erigebat in tumulum, tanto in vanum tumorem supercilii vehebantur resumere quoquo modo habitationes in ipsò podio, perpetuò non valerent, sed sub montis collibus, & in plano novum pro se, & successoribus suis facerent incolatum. Igitur Rex prædictus Gebellinis usquequaque devictis, & dura recipientibus fręna maxillis, totum Italiæ Regnum in Ecclesiæ redegit imperium, & Sedis Apostolicæ districtioni submisit.

Pluribus ergo temporum curriculis divina potentia, quæ suis incircumscripta finibus omnem intellectum transcendit humanum, volens perituri mundi, quæ præcurrerant mala devincere, hac sedavit fratrum unitate discordiam, quod quemdam nominę tunc Theobaldum Leodiensem Archidiaconum, qui ultra mare in Terræ Sanctæ favorem peregrinus accesserat, & cum Domino Odoardo inibi morabaur, ad summi Apostolatus apicem, ad Sanctitatis fastigium, beatitudinis solium, dicti fratres per electionem concordem unanimiter evocarunt. Hic namque singularitatę virtutum, & spiritualibus vitæ stipendiis Deo militans, nomen ex re complevit, ut ex officio nominis sequeretur titulus dignitatis. Ex theo namque Grecé, Latinè Deus, & daldus, quod sequitur, prodit interpetratio gloriosa, ut videlicet Theodaldus dicatur ex sanctæ voluntatis fragantia Deo datus, vel ad Dei servitium dedicatus. Ecclesiam enim Dei, contra quam denuò tyrannidis novo satellitio ex humana fragilitate pugnatur, & extraneis vexata stimulis semper invenit contra quos pugnet, in multis laudabilibus beneficiis restauravit. Quæ cum propter Pastoris diuturnum defectum divinis quodammodo extenuata doctrinis, necnon & propter cognatam humanæ imbecillitati malitiam in suis

concussa parietibus vacillaret, dum Sanctus de Terra sanctitatis advenit, quem devota fidelium desideria suspirabant, ex hostibus occultis, & patentibus feliciter triumphavit. Sub ejus namque tempore, qui fuit non sine Dei ministerio Gregorius Decimus nuncupatus, id est, Gregis Dominici Rex, & Pastor, sæcula ferè facta sunt aurea, latèque per universum orbem fidei religio coruscavit. In eo sanè qui tamquam nitidus puritatis rivulus de fonte sordium primi parentis arida mundi climata rigaturus advenit, quamdiu in Apostolatu vixit, nihil torpens otiositas vindicavit, nihil suo tempore inanitas curiosa præsumpsit. Hujus etiam Patris Sanctissimi favor Regi prælibato non defuit, sed semper affuit gratiosus. Nam cum inniteretur nimium strenuitati Regiæ, Lugdunum accedens ubi Concilium generale, in quo Papa maiorum consilia multa solus poterat prævenire, maximè pro succursu Terræ Sanctæ per universum Orbem Christianitatis indixerat, totam Regiæ providentiæ commisit Italiam, & sub ejus directione dimisit, ut impleret totum sibi commissum Vicariatus officium sicut priùs.

Incipit Liber Sextus.

CUm autem inter hęc crederetur, quod Regi, qui ferro tot dierum millibus dimicarat, totum sui desiderii pondus circa reparationem Regni, & suorum fidelium immineret, illudque in libra utilitatis appenderet, armisque deinceps justitiæ concertaret, ac sedatis fluctibus subjectorum sub juris tramitibus in pace conquiesceret, duo secum bella durissima, & inexpugnabilia inchoavit. Ex quorum altero, cum non sit tam sanæ mentis aliquis, aut adquisitæ probitatis, quem tenebrę cęcæ cupidinis non confundant, se suis non contentans assisis, factus est cupiditate prompta, & in extorquendi promptitudine cupidus, & avarus. Sicque affectu tesaurizandi forsitan ardens manus ad exactiones illapsat, & flagrore concupiscentiæ inexplicabilis necessariò tyrannizat. Habet enim hoc secum illa sitis hydropica, illa famis abyssus, ut quantò plùs bibat, tantò ampliùs stomachus insatiabiliter æstuet ad bibendum. Quid enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Ex altero verò, dum quadam permissiva licentia, seu licentiosa permissione Gallicorum opera, officialium maximè, quæ pro eo, quod tot simul bellorum fuerant experti discrimina, sub dissimulatione transibat, correctionis adhibitæ moderamine non mordebat, quamquam deferret accusatio quærula veritatem, torpore negligentiæ pręmitur, & crassa supinaque lentitudinis circa hæc ignorantia diffamatur. Jam tota sedulitate vis, & violentia refertur impunè Regnicolis; & dum sola vis quæque litigia terminat, parum pacis expectata tranquillitas videtur à proxima bellica confusione distare. Verùm cum in ipsis initiis sit subditorum comprimendus excessus, ne fœda imitatio quasi turpis scabies paulatim reliquos comprehendat, istę triumphans ex hostibus, nec in ipso tantæ corruptionis initio, neque medio, neque fine Gallicorum mentes jam omni cessante adversitate dementes, debitarum illatione pœnarum aliquatenus coęrcebat, & ne præsumptionis antiquæ corruptio Regnum iterata fœdaret, varios, & non æquos excessus officialium

non

non compressit. Igitur dum totum anxiè sollicitudo subripit sumptuosa, totamque curiosa vexat anxietas bonę spei, clauditur aditus, & desudantium quęrela satisfactionis compensatione non tollitur, sed malis cotidie ingravescentibus augmentatur. Cumque de juratæ promissione totius Regni reparatio deberetur, & crederetur firmiter quod prodesset, si quando quis meritorum suorum cuneis inter tot angustias triumpharet, labores omnium Regius sibi vendicat potentatus. Super possessionis suæ titulo antiquus possessor impetitur, & cuilibet interrumpitur extranea vexatione possessio, quantavis præscriptione longi temporis, & justo titulo sit vallata. Ex hoc enim secutum est gravamen arduum, & nephandum, quòd vix Baroniam, seu Feudum aliquod diversorum inquisitorum pertransivit oblivio, quod non semel aut bis, & ter aliquando merces extorta redemerit possidentis. Rex enim, & Gallici, quos fortassis illorum de Regno malitia blandiebat, quibus quotiens de commodis agebatur aures faciles, & ad mala dociles commodabant omnium ubique felicitate repleti, nullam sibi viam difficilem esse credebant, nullum aditum intervallo vel obstaculo iter interclusum, totum astruebant suis accrevisse laboribus, totumque proprium reputabant quicquid alii possidebant; Auferunt ergo pro voto, quæ volunt, & quæ nolunt dimittunt.

Ipsæ quoque Ecclesiæ, pręter omnia, quæ Clericis, & eorum familiis, ac Ecclesiarum vassallis nova cotidie novæ exactionis adinventio imponebat, sub servitutis insolitæ calcaribus angustatæ magnam rerum jacturam temporalium lamentantur; quasi non minus illas conterat impressio dominii urgentis eas ad onera insueta, quam olim filios Israel inclementia presserat Pharaonis. Verùm ut de persona Regis, qui tamquam à communi lege viventium meritorum eminentia sequestratus per colles totius rectitudinis, & justitiæ finaliter incedebat, vanè non inficiatur auditus, nec de ipso aliquid fœtidum credi possit nisi quatenus Regnicolarum quorumdam pravis consiliis, qui denuò coram ipso prava officialium opera defendebant, ex multo voluntatis hęrebat lubrico, & fructus contemplatione futuri talium consiliariorum consilia sequebatur, nova contra Terras Ecclesię interdicti, & excommunicationis species per ipsos Regios Consiliarios est inventa, hęc videlicet, ut in portubus Terrarum Ecclesiasticarum Regni nullum applicet lignum, nullaque barcha, vel vas marinum aliud oneretur; horumque portuum auxiliaria littora censuit odiosa districtio in sua solitudine remanere deserta, & inapplicabilia navigantibus ordinavit. Pactensis, Cathaniensis, & Cephaludensis Ecclesiæ, quibus in Sicilia jura portuum Civitatum ipsarum ex privilegio competunt felicium Augustorum, necnon & quibus Civitates ipsę temporaliter, & spiritualiter sunt subjectæ, spe fructus dictorum portuum sunt privatæ. Cusentina etiam in Calabria, & nonnullæ aliæ, quæ habent castra aliqua juxtà mare, seu in littore maris navigabilis eisdem dominantur, gravaminibus, & jacturis similibus opprimuntur. Nec potest tam pravi consilii deliberatio excusari ex eo, quod interdictum hujusmodi fuisse dicitur generale, cum sit similiter ardentium par incendiorum, & malorum ardentium similiter incendia non ad imparia judicentur. Magistros quoque Juratos, qui ma-
lesi-

leficiis præsunt sanguinis in Terris Ecclesiarum usque ad ultimam desolationem affecit.

Ad exponenda ergo in pleno Concilio hæc, & alia gravamina, quamvis plures Prælati Regni animositatis promptitudine viderentur ardere, illos tamen pejorum consideratio, quibus affici postmodum metuere poterant, compescebat, eligentes potiùs mutis labiis fustibus increpari, & oppressionis virga mente silentiosa contundi, quam gladiis trucibus lingua murmurante perire. Verùm, ut taceatur de laicis, quorum nullus tantæ audebat delationis inferre clamorem, inter ceteros Regni Prelatos, quos premebat similis morbi moles, Marinus Capuanus Archiepiscopus, vir facundissimus, & elegantis sermonis fœcundus scientia, & hominum mores expertus, quędam Capitula, in quibus singulariter omnia Regnicolarum exprimebantur gravamina, summariè eliciens, magis prejudicialia recollegit, & tandem ea Lugduni in plena concione Concilii voce querula propalavit. Quibus solemniter nuntiatis, quamquam audientium horresceret animus, & mentalis obstupesceret intellectus, nullum tamen successit propterea lenimentum, nec adhibitum fuit remedium competens, nec morbo crescenti obviavit opportunæ repressio medicinæ. Fuit tamen pro repalliatione tam gravis excessus de mandato Domini Gregorii ordinatum, quod duo ex Prælatis Regni soluto Concilio redeuntes in Regnum Regem super corrigendis oppressionibus, quas continebant Capitula supradicta requirerent, & monerent. Obfuit tamen, & Regni negotio nimium absentia Domini. M. Salernitani Archiepiscopi, qui temporibus istis postquam deliberaverat ad Concilium properare vocatus, eo videlicet animo, ut oppressiones Regni singulas firma voce depromeret, ac Regni statum ipsius instanter peteret reformari, ultimum amaritudinis diem clausit. Tunc audita est vox ploratus, & ululatus multus. Salernitana enim Ecclesia voce turturea laniata clamabat. Quò progrederis pater, quò Sacerdos sanćte properas, à dilectis Regni filiis ulteriùs non videndus? Pater mi, Pater mi Regnicolarum currus, & Prælatorum auriga. Quid facient oppressi Regnicolæ, quid Ecclesiæ ancillatæ, quæ fortem perdiderunt pugilem, & athletam securum, cujus industria, cujus animositate servitutes indebitæ, oppressiones insolitæ, angariæ, & perangariæ insuetæ, quæ viduis, & maritatis Regni Ecclesiis, ac personis Ecclesiasticis irremediabiliter infliguntur, in conspectu tanti Concilii providè fuissent præpositæ, ac expressæ robustè?

Sanè Dominus Gregorius Papa ad Concilium Ecclesię Lugdunum properando Regem Carolum in Tuscia super Regni gravaminibus affectu Patris alloquitur in hęc verba. Super oppressione multiplici, & innumeris novitatibus, fili carissime, quibus sub tuo felici dominio Regnicolas opprimi fama clamat, validus frequenter clamor perculit aures nostras. Profectò credimus per te illa debitis restaurationibus emendari, statumque illius Regni brachio tuo commissi promptè in meliùs reformari. Revoces igitur pro Deo talia, quæ Regi Pio non congruunt, sed potiùs Regiam celsitudinem dehonestant, ita quod tua grandis adeo felicitas adaugeat, non minuat subditis libertatem. Ad hæc inquam cum regium Rex non fecisset in hac parte responsum, cujus animus videbatur ad ulteriora proclivior, di-

ćtus

ctus Dominus Gregorius subdidit. Veniet, veniet illa dies, qua super te, tuosque filios, & heredes tyrannus inopinatus adveniet. Rex autem ad Papam mente provocata quodammodo, spirituque turbato tunc replicat. Nescio quid sit tyrannus. Scio tamen quod ille Deus, qui semitas ceptas, pedumque meorum sumpta vestigia huc usque direxit velut auxiliator, in posterum mecum erit. Post hæc cum Rex prædictus quasdam naves Hospitaliorum, & Templariorum oneratas frumento in Sicilia, & transfretare paratas fecisset exonerari, frumentaque deponi, pro eo videlicet, quod preter jura fundicaria, & duanæ pro extractiva cujuslibet salinæ perpetuò edicto statuerat unum augustalem aureum Fisco Regio componendum, quem augustalem dicti fratres, cum contra eorum immunitatem, & Regni libertatem, ac consuetudinem peteretur, immò extorqueretur, exactè, contendebant secretis Regiis exhibere; fama de iis ad Dominum Gregorium Lugdunum usque perrexit, quasi Rex prædictus Terræ Sanctæ, quam idem Dominus Gregorius Apostolico zelo, puraque mentis intentione fovebat auxiliaria victualium subsidia, quibus plurimum indiget, impediret. Propter quod conscientia mala gravatus, considerans quod Paterna, & caritativa monita non possent penes Regem Carolum in revocatione tantarum novitatum adinventarum in Regno proficere, doctrinam in hoc evangelicam servans, Regi Franciæ Philippo presenti hec voce lugubri, mestaque mente denuntiat dicens, quod significatio prædictorum sua & fratrum suorum, si vera sunt, ledit viscera; nimirum cum statum illius Terræ Sanctæ Christi sanguine consecratæ jaculo verisimilis læsionis offendat. Quare rogat, & mandat, ut Rex Franciæ dicto Regi Siciliæ hujusmodi premissa significet, ac quicquid in parte hac responderit ad notitiam Sedis Apostolicæ perferat, quæ circa talia intendebat apponere Consilii remedium opportuni. Pieterea super eo, quod Greci Nuntios ad Concilium miserant, per quos se velle redire ad unitatem Ecclesie, ac commutatis in melius ritibus unionem cum gente latina facere astruebant, Pater Apostolicus similiter Regem Francie consuluit memoratum dicens, quod Grecis ad mandata Ecclesie redire volentibus, & parere, non videbatur gremium debere Apostolice Sedis claudi, sed recipiendi erant, ut prima facie videbatur, ad misericordiam Romanæ Ecclesie gratiosè, ut de cetero, juxtà evangelica vaticinia, unus in mundo sit pastor, erroris cujuslibet abdicata caligine, unumque ovile fidei orthodoxæ. Sed nescio quis, Deus scit, qui novit occulta, tantam Grecorum, & Latinorum paratę, ac petitę unitatis concordiam zizania damnosæ dissolutionis infecit, & fermento malitię, ac excogitatę nequitię impedivit. Ad ligandum sanè Prælatorum alas decurtandumque volatus, ac clericorum passus novis Constitutionibus compescendos, & per consequens jurisdictionem Sedis Apostolicæ ampliandam, ut quæ cuncta potest cuncta operetur immediatè, qui viderit, aut videre poterit, sola totaque sit in omnibus perangendis, quæ mater est omnium, & magistra, quamplures decretales, seu decreta, vel sanctiones pœnales valituras perpetuò promulgavit. Pro subsidio autem Terræ Sanctæ prædictæ, ut de redditibus Ecclesiasticis generalis passagii sumptus abundè, ac liberaliter fieri valeant, decima sex annorum universaliter de omnibus Eccle-

siarum

ſiarum proventibus edicitur colligenda in toto Orbe Terrarum, & demum collectores per ſingulas Provincias ſtatuuntur.

Concilio igitur diſſoluto, de quo nulla vel modica univerſitatis fructuoſitas eſt progreſſa, niſi quatenus Sedes Apoſtolica devotionem confluentium ad Synodum generalem, & evocatorum obedientiam eſt experta, Dominus Gregorius redit in Italiam Romam feſtinans, imo ad paſſagium celeri feſtinantia devotè ſuſpirans. Sed quia non ſunt in homine viæ ejus, immò Deus tantùm, qui moderatur, & vota dirigit greſſus humanos, dictus Dominus Gregorius apud Civitatem Aretinam ſqualore itineris fatigatus adveniens, moleque propterea tandem morbi febrilis arreptus, viam omnis carnis ingreditur, nomenque Sanctitatis apud homines indelebile promeretur. Huic autem celeri proviſione ſubſtituitur in honore Dominus frater Petrus de Burgundia Epiſcopus Oſtienſis, qui mutato Petri vocabulo, cujus adeò plenitudinem poteſtatis aſſumpſerat, Innocentius Quintus voluit nominari. Hic volens Epiſcopatum ſuum viſitationis debitæ præſentia honorare, ſedique propriç reverenter, & devotè ſua viſitatione deſerre, abjecta mora Romam itinere continuato ſe dirigit. Tempore autem Domini Innocenti Quinti Rex Carolus Regnum Hieroſolymitanum ex conceſſione cujuſdam Domicellæ, quæ filia I. quondam Regis Hieruſalem dicebatur, & hçres ſive pretio, ſive amore, aut permutatione, ſeu compenſatione alicujus excambii eſt adeptus, Regemque ſe Hieruſalem, & Siciliç poſtmodum titulavit. Infra ſex autem menſes Dominus Innocentius apud Lateranenſe Palatium Romç fatalibus devictus viribus, diffinitivą mortis ſententia, reſignato vitç chirographo, ceſſit mundo.

Cum prçdictus Dominus Gregorius Papa bonç memoriç attendens gravia dictç Sedis diſpendia, & probroſam infamiam, quç propter vacationem diutinam Sedis ejuſdem, quam vota contraria Cardinalium, & in electione Summi Pontificis omninò diviſa trahebant, univerſali proveniebat Eccleſiç, quamdam conſtitutionem contra Cardinalium duritiem edidiſſet, per quam rectoribus Civitatum, & locorum, in quorum diſtrictibus Summum Pontificem obire contingeret reducendi Cardinales ipſos ſub unius clauſurç conclavi, & eos certo modo ad electionem celerem compeſcendi plenam ex rationibus tradiderat poteſtatem; Rex prçdictus, qui erat tunc Urbis Senator ad vitam, Cardinales prçdictos in Palatio Lateranenſi prçdicto adeò coartavit, quod contra voluntatem, & repugnantiam majoris, & ſanioris partis collegii obturatis quibuslibet foraminibus, muratiſque feneſtris, altiſſimis per quas ſolum animal pennatum apertis remanentibus, ingredi poterat ad concluſos, multa, & dura fecit perſonaliter inſtans coertionis, & coactionis operibus, per quç nonnullos ex ipſis Cardinalibus provocavit, & ſe ſuſpectum eis reddidit, & pariter odioſum. Credenſque per coertionem hujuſmodi habere Summum Pontificem forſitan ſicut vellet, non incedens per viam regiam; ſiniſtram declinavit in partem. Poſt octo namque dies ipſi ſubtractis cibariis, panis, & aqua tantùm debebant, ſecundùm prçdictam conſtitutionem, Gregorii, Cardinalibus omnibus in recluſorio miniſtrari. Cardinales Gallici diverſitatem ciborum, ac varietatem potuum latenter in abundantia per Miniſtros Regios porrectorum gula ſtoma-

ſtomachante faſtidiunt. Tunc ſanè Dominus Joannes Gajetanus Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, Argus, & argutus in Eccleſia Dei, omniſque ipſius Cardinalis ſequela contra Regem Carolum non immeritò cauſam, & materiam conceperunt odii, & rancoris pro eo quòd erga conſtrictos, reductoſque infra murorum ambitum compulſa inæquali, & impari ſuperbè non minùs regere ſe ſtudebat. Demum ille cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, non paſſus longè vacationis Eccleſiæ ſuæ Sanctæ ſtipendia, qui voluit eſſe Dei mediator, & hominis, diſcrepantes Dominorum Cardinalium ſpiritus ad illius reduxit monachordium unitatis, quod properè nimis ultra quam tunc credi poſſet Dominus Ottobonus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis ad Summi Apoſtolatus apicem, conſulto priùs Rege à Cardinalibus Gallicis, præter jus, & conſuetudinem, concorditer evocatus, mutatoque proprio nomine vocari voluit Adrianus. Hic, pro eo quod æſtiva tempora imminebant, quibus neſcio qua ſuſpicione de aere corrupto concepta, Romana Eccleſia vitare Urbis Romanæ didicit incolatum. Viterbium ſtatim pergit, quaſi præſcitam feſtinantiam ad mortem; ibique infra quadraginta dies debitum naturæ perſolvit invitus. Poſt cujus obitum Domini Cardinales reducti more ſolito in Palatio ſub conclavi in cordis duritia, & animi obſtinatione præterita validiores effecti, ſed diverſitatem corporum notis utriuſque diverſis diverſitatem induunt animorum. Nihilominus tamen ex induſtria, & ſagacitate prædicti Domini Joannis Gajetani Magiſter Petrus Hiſpanus Tuſculanus Epiſcopus ad apicem Apoſtolicæ dignitatis aſſumitur, & Joannes XXI. mutato nomine proprio nominantur.

Sub iſtius tempore Carolus Rex præfatus allàs impreſſo gravi pondere onus addens, & de perverſorum ſuorum conſilio novos novorum gravaminum modos invenit, & impoſuit. Quidam enim ex ſuis ſubdola ſuggeſtione ſuſurrant, & aures Regias vento nitentes adulationis implere, dum nil aliud cogitant niſi cum alterius Regi placere jactura, dicunt in aures. Domine mi Rex, foreſtas innumeras, campoſque diverſos, & nemora ſubdefenſa, necnon alia infinita hodie Regium habet dominium; è quibus, quod eſt ſatis mirabile, conſideratis expenſis, quas pro iis curia veſtra ſubit, nulla provenit, ut deberet utilitas fiſco veſtro. Totum forſan commodum, omniſque fructus, & uſus eſt magiſtrorum Maſſariorum, aliorumque Cuſtodum, & Credentiariorum Curiæ. Unde Maſſarias veſtras, Domine per Terras Regni cum bonis viris, qui Maſſariis utuntur communicetis in totum, & ſocietates inite cum eiſdem. Multiplicabuntur enim ſine ſumptibus Curiæ tunc Regiæ Maſſariæ; ſemperque, ſalva rerum ſubſtantia, multa cameræ veſtræ emolumenta provenient. Dividantur animalia veſtra per ſubditos opulentos, & eis imponatur reddendum Curiæ veſtræ, ſalva ſemper ſorte, certum quid annuatim. Subditi quippe veſtri, propter conſequendam in bonis, & animalibus ſuis prætextu ſocietatis Regiæ libertatem, & habenda paſcua libera, libenter ad participium fructuum recipient, ſub ſuo periculo, & fortuna qualibet Maſſariam. Falſa igitur, & fallaci ſuaſione recepta, & pariter approbata, per totam Siciliam, quæ terra eſt

fertilis, & fœcunda, fegetibus apta, & accommoda Maſſariis, vires habentes aliquid, maximè archivillanos locorum, & protorufticos, eligit ad hujuſmodi officiorum onera officialium docta malitia. Huic invito ſues in numero, alii renitenti boves, illi compulſo vaccas, alii repugnanti pecora ſive oves, & equas cuſtodiendas aſſignat, legem ponens cęteris, ac ſi naturæ dominaretur, & aeri, aut eſſet humana virtus ſuper omnipotentia Deitatis. Hæc eſt enim lex, hic eſt modus impoſitus cęteris talibus, hoc ſtatum Curiæ Officialium mala fraude vallatum; ut ille videlicet cui ſocietatis nomine ſues cuſtodiendæ traduntur, aſſignet Fiſco Curiæ anni circulo revoluto parturiſſe ſuem quamlibet bis quinque Capita fœtus, duos ſcilicet fœtus maſculos, & tres fœminas, fœtuſque primos fœmineos eodem anno quinque ſimiliter quamlibet generaſſe, ita quod de qualibet porca in omnem eventum viginti capita in univerſo poſt annum, velit nolit, de bona & æqua, ut ajunt, ratione reſignet, ſecundo verò anno, & deinceps quolibet xxx. ſalinas frumenti, & totidem ordei magiſtro Maſſario Curiæ repræſentet, receptis pro expenſis, & mercede ſervitii, & laboris duobus tantum auguſtalibus per ſingulos duos boves. Alteri verò, cui bidentes ad participium fructus dantur, talis eſt rationis compulſio ad tapetum, ut pro ſingulis centum ovibus ſibi dotis, de decem cantariis caſeis, & de duobus reccoctæ, ac quatuor cantariis lanæ, venditoque caſeo, de duodecim tarenis auri pro quolibet cantareo caſei, & de ſex tarenis pro cantareo, ſoluta omninò integrè pecunia Curiæ anno revoluto faciat rationem. Si quæ ſint oves fœtæ portantes, nonaginta. Saltem ex quolibet centenario fœtus, ſexaginta videlicèt fœminas, & triginta maſculos anniculos, eoſdemque fœminas ſecundo anno ſuos pariter fœtus habere in ſui tempore ratiocinii omninò deponet. Pro ſtercoribus verò bidentium de terris inpinguatis ab eis, in quibus die ſtabulantur, & nocte duas ſalinatas pinguis novalis procuret haberi; ex quibus duabus ſalinatis duodecim ſalinas victualium de ſuo, ſi novalis caſu pereat, Fiſco componat. Equarius verò per ſingulas duodecim equas ſuæ cuſtodiæ aſſignatas quolibet anno decem fœtus, quatuor maſculos, & ſex fœminas, neceſſariò ſub omni ſuo periculo repræſentet. His & aliis gravaminibus, præter collectas, & exactiones . . . . *Cætera deſunt.*

Poſtea legendus eſt Nicolaus ſpecialis editus in appendice Marcæ Hiſpanicæ. Et quem nos dabimus Tomo II. hujus Bibliotecæ.

MAN.

MANFREDI SICULI

EPISTOLÆ

AD CONRADUM IV.

REGEM ROMANORUM

Ex Libro Primo Miscellaneorum Stephani Balluzii.

Regi Conrado Manfredus per Nicolaum de Rocca, de morte Frederici Imperatoris.

Ann. 1250. Urbinis calicem, quem nuper de Patris, & Domini nostri casu non minùs mentis, quàm oculorû infusione transumpsimus, vellemus libenter à poculis vestris excipere, velut qui mensam vestram gratia concupimus dulcorare deliciis, & præcordia vestra placidis anxiamur gratificare pulmentis; Sed ut dolor quem exinde gustare vos novimus nuntiantia sit contemplatione remissior, licèt forsitan id famæ velocitas, quæ pennas consuevit in adversis essumere, magnitudini vestræ prædixerit; nuntiantes tamen alios elegimus prævenire, ut eò sit casui medela proclivior, quò nuntiatio nostra maturior ad vestram notitiam deducatur. Scimus etenim quòd si Patris virtutes attenditis, si ejus quem multipliciter natura dotaverat complementa pensatis, nedum vos, qui caro de carne ipsius, & os de ossibus descendistis, lugere cogimini, sed & oculi omnium universaliter ad lacrymas convertantur. Cecidit quidem sol mundi, qui lucebat in gentibus, cecidit sol Justitiæ, cecidit auctor pacis. Credimus tamen quòd si circumstantias ejus consultè revoluitis, consolationis vicinæ remedia sentientis. Vixit enim Dominus Pater noster feliciter, & victoriosè, dum vixit: & divinæ Majestatis auctoritas, quæ processibus ejus viventis astiterat, * morientibus finibus voluit non deesse. In ipsis quidem mortis indiciis, præter dona mirifica, & beneficia gloriosa quæ in testamenti seriè fidelibus gratanter indulsit, sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito, velut fidei orthodoxæ zelator, humiliter recognovit, & damna quæ dudum Ecclesiis invitus forsitan vel potiùs provocatus intulerat, integrè restauranda sancivit. Mirabiliter etiam Deus ipsum beavit in exitu, quòd liberis fœcundatus adultis, sed persona vestra præcipuè Domine, in cujus humeris honorem, & onus regiminis glorificatus appendit, ad Patriam, quò iter est omnibus feliciter utinam victurus accessit. Ex quo pulchra spes, vel precaria certitudo, & certa fiducia datur in gentibus, ut licèt occasum sol ille petierit, per cujusdam tamen continuationis ordinē relucescat in vobis, & licèt fructificus cultor ille justitiæ, magnificus auctor pacis, operas, & culturas suas moderantis omnia mortis severitate suspenderit, pacem tamen, & justitiam semper excolat & operetur in vobis; & sic Pater abesse non creditur, dum vivere speratur in filio, nec creditur tam pretiosa hereditas amisisse patronum, dum ejus confidit invenire dominium tam suave, tam placidum in herede, immo si salva Patris reverentia loquimur, satis consueto salubrius fideles vestri, scilicet regnicolæ, potissimè sperant sub umbra vestri dominii protegi, & sub vestro regimine confoveri. ex eo sumentes efficax argumentum, ut qui nostis paternos mores naturæ generositate portendere, regnantis officium, quod ætas in vobis & natura consolidat, vel confibulat, gerere velitis in subditis, & sciatis. Vos igitur gloriosissime Domine, cujus adventum universorum mentes expectant, vota suspirant, sic vestrorum fidelium expectationibus consulatis, ut spes quæ consuevit animam plus debito dilata conterere, ipsos in tam votiva præstolatione reficiat, & status pacificus Regni vestri, quod majestatis vestræ præsidium affectuosè desiderat, ex tam gravi Regis præsentia revirescat, vel reviviscat.

* morientis

Vide Odor. Raynald. ad ann. 1250. §. 33.

LITERA SECUNDA.

GLoriosissimo Domino suo Conrado Regi Manfredus pedum oscula, & grata devotionis obsequia. De obitu felicis memoriæ, Domini patris nostri, quem præmissæ pridem vestræ serenitatis auditibus litteræ nostræ prætulerant, ex eo præcipuæ cõsolationis informatæ remedia cum quadam animi gratificatione porrigimus, quòd totum Regnum Siciliæ vobis humiliter parere desiderans, sub vestris jussionibus vivere promptissima devotione disponunt, ita quòd nobiles omnes, & Terræ, ac Civitates famosæ præcipuè in vobis, & heredibus vestris fidelitatis, & homagii juramenta, tanquam eorum Domino, libentibus animis præstiterunt, & nobis pro parte vestra unanimiter obediunt, & intendunt. Vos igitur, felicissime Domine ad subditorum vestrorum statum pacificum observandum, nobilibus, & Civitatibus Regni vestri, quos interclusa præsentibus cædula continet, speciales litteras vestras dirigi jubeatis, per quas significetis eisdem quòd ex insinuatione nostra ipsorum fide & devotione pleniùs intellecta, parati estis observare tenaciter, quæ pater vester in testamento suo constituit observanda, & gratiam, ac benevolentiam vestram ad eos favorabiliter extendetis, & quicquid in vestri absentis contingerit nos gerere vice vestra rata, & firma tenebitis, & servari inviolabiliter facietis. Nihilominus Civitatibus, & Nobilibus Regni Hierosolymitani litteras vestras exhortatorias destinari mandetis, ut eos qui nunc umbram vestri dominii subire desiderant, & vestris jussionibus obsecundare, ad vestra servitia pulchra spes animet, & benivolentiæ futuræ præsagium libenter inducat. Præter hæc tamen ad memoriam vestram reducimus, ut si negotiorum, & temporis qualitas vel habilitas suggeret, quòd de adventu vestro, qui ab omnibus tam libenter, quàm hilariter expectatur, Regnicolarum vestrorum fidelium animos recreare possitis, quod exinde honori vestro magis expediat, regalis provident celsitudo. Nobis verumtamen, qui prosperum adventum vestrum inter viventes alios desideranter appetimus, mandare dignemini quid per nos fieri serenitas vestra velit, ut vestræ magnitudinis cognita voluntate, super omnibus juxta vestrum beneplacitum procedamus.

CONRADI ROMANORUM

ET SICILIÆ REGIS

EPISTOLÆ QUATUOR.

Ex eodem Balluzio Libro citato.

I. Proconsoli Almæ Urbis.

Ann. 1251. PLenè scimus, nec extraneas testium probationes exquirimus, quanta sit erga nostri honoris augmenta tuæ procurationis intentio, quantusque refloreat erga nominis nostri fastigia tuæ devotionis affectus, dum, sicut ipsa rerum experientia docente collegimus, quæ nostri honoris sunt sollicitus expetis, & factus quasi jam nobis de nostræ felicitatis promotione domesticus, negotia nostra magnificè sed prudenter ubilibet placido cordis affectu, & fructuosa operis attentione procuras. Ex hac igitur causa facti nos jam tibi, & tuis quasi per debitum ad commoda quælibet amplianda benivoli, nuntios providos, & solemnes ex parte sua, & Senatus populique Romani nuper ad nostram præsentiam destinatos gratanter recepimus: qui dum suæ legationis officium sollicitè, diligenter, ac providè coram nostræ serenitatis aspectibus implevissent, ecce super capitulis omnibus quæ ipsorum relatio detecta continuit expediti gratiosè per nos ad propria revertuntur. Cumque tam nuntii, quàm cætera ex parte tua & Romanorum omnium nobis successu temporis offerentur, immò quæ tanquam negotia propria gerimus, gratissima sensibus nostris accedant, circumspectionem tuam, de qua toto corde confidimus, requirimus, & rogamus attentè quatenus firmam fabricans in nostræ munificentiæ liberalitate fiduciam, sic strenuos actus

tuos

tuos ergà honorem nostrum prudenter accommodes, sic industriæ laudandæ principium laudabiliori semper in antea continuationis ordine prosequaris, ut tuæ sollecitudinis opera tanti actoris fulta suffragio ergà te, & tuos amplissimè dexteram nostræ liberalitatis invitet.

II. Illustri Regi Navarræ.

INvitat nos antiqua patris nostri dilectio, ergà vos dudum habita de vestra speciali dilectione confidere, & vos ad succedentium serenitati nostræ processuum participium evocare. Scimus enim, ut non improperando præterita, sed suaviter referendo loquamur, quòd adhuc in teneris annis vobis sub matris tegimine positis, ejusdem genitoris nostri continua sollicitudo non defuit, quin potiùs arduis imperii tunc, & Germaniæ negotiis intermissis, caussam vestram viriliter assumpsit in propriam, & contra persecutorum suorum incursus pro restauratione vestrorum jurium multis personæ laboribus, ac rerum impendiis laboravit. Propter quod vos tam carnis unione conjunctos, quàm speciè necessariæ gratitudinis obligatos nova de nobis libenter audire felicia credimus, & in causæ nostræ subsidium paratas invenire confidimus vires vestras. *Reliqua desunt.*

III. Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ.

COnradus &c. venerabilibus in Christo patribus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Conscientiam vestram, si salvo pudore justitiæ diligenter exquiritur, latere non credimus qualiter hactenus ad honorem Dei, & Sacrosanctę Romanæ Ecclesiæ matris nostræ, cujus velut Christianæ legis, & orthodoxæ fidei zelatores, devotum fatemur non filium, & specialem recognoscimus defensorem, cujus etiam sacra mysteris catholicè credimus & tota cordis ac corporis reverentia veneramur, grandis humilitatis, & plenæ subjectionis signa monstravimus, ut istam inter nos, & Summum Pontificem Patrem nostrum dissentionis horrendæ materiam, quam sine dedecore partium, & universali discrimine populorum vulgus, proh dolor, ludibriosè jam loquitur, sedare possemus. Nec adhuc coram vobis, qui positi tamquam luminaria supra montem lucetis in gentibus, & velut cardines fidei regitis domum Dei, referre nos devotæ satisfactionis pudet insignia, quæ salvis juribus, & dignitatibus nostris nostrorumque fidelium tam in imperio, quàm in Regnis nostris fuimus eidem Domino Patri nostro, & sumus humiliter offerre parati, si tamen Ipse nos filium caritatis paternę debita relatione cognoscat. Dubitantes verumtamen ne vel res inter alios acta contra jus scriptum juri nostro præjudicet, vel de præteritis conjecta suspicio causam exasperet successuum futurorum, timentes nihilominus, ut loquamur ad litteram, ne sedens in solio Christi Vicarius Venerabilis Pater noster, cui legatum pacis hominibus erogandę commissum est, diebus istis, quibus non solùm paschalem agnum communicare Christicolis, sed exorare pro persecutoribus etiam teneretur, voluntatis suæ arbitrio plus debito laxatis habenis, dum credat sibi licere quod * liceat, spiritualem contra nos gladium temporaliter exerat, & procedat in aliquo, si dici liceat, minùs justè, ecce . . . fideles nostros ad vestram præsentiam duximus destinandos, concessa eis ab excellentia nostra potestate plenaria, ut à gravamine, & injusto processu Patris ejusdem coram tam venerabili cœtu Patrum, primò ad Deum vivum, cujus nutibus attribuimus quicquid sumus, & deinde ad futurum Summum Pontificem, ad generalem Synodum, ad Principes Alamanniæ, & generaliter ad universos Reges, & Principes Orbis Terræ, ac cæteros Christianos, pro parte nostra liberè valeant appellare.

* libeat

IV. Henrico Regi Anglorum.

NOllemus auditus vestros, vulgaris fortè famæ præloquiis stupefactos, illis pulsare rumoribus, quorum & nostram exageraret relatio lacrymosa memoriam, & cordis nostri præsumitur corruptura quietem. Sed ex eo præcipuè non his casibus personam elegimus relatoris, quòd dum acerbitatem doloris nostri silentio cohibere vix possumus, in vobis mœroris impetum persuasionis nostrę remedio faciliùs credimus mitigandum. Nec mirari vos volumus si de iis quæ saviti referimus, ad notitiam vestram nuntiatio sera perveniat, cùm hactenus ex recenti vul- Ann. 1254.

nere

nere mœstitiæ prævaleret immensitas, & ex oculis nostris naturæ suggerentia imperium fluxum emungeret lacrymarum, sicque fluctuabat mentis nostræ turbata tranquillitas, ut ad extinguenda doloris incendia necessariò solatoris alterius lenitivis liquoribus egeremus. Jam verò dato tempore luctibus, quod eventus tam turpidi qualitas exigebat, lugubrem obitum Henrici carissimi fratris nostri nepotis vestri vobis infectis rumoribus nuntiamus; de cujus casu tam horrendo licèt ex decisione carnis nostra satis amaricata sint pectora, dum pretiosissimam pectoris nostri partem perdidisse dolemus, ex eo tamen turbamur amariùs, quòd dum ad regiminis nostri gubernanda molimina viriles animos habere non expedit, nunc ad deplorandum fratris nostri decessum mollitiem, quasi subivimus muliebrem: quia dum ejus jam esset ætas provecta virtutibus, in cujus humeris curas nostras confidenter appendere poteramus, metentis æqualiter omnia mortis austeritas, flore juventutis suæ, præmativa nimis falce præsecuit, & quasi prædonis sagacitate subrepens, sic impravisè, sic subitò naturæ magistras manus elusit. Verùm cum ad hæc reparanda discrimina artes, & opes humanæ deficiant, quę potiùs dispositionis supernę provisio, & facti generalis æqualitas consolatur, doloris ejusdem, cujus vix de corde nostro cicatricis occiduę signa transibunt, vobis affectuosè providimus porrigendum. Nec credat unquam dilectio vestra, quòd affinitatis nostræ per hoc debilitata sint fœdera, quæ in eo nobis convivente memoriter remanserunt, & in M. carissima sorore nostra superstite consorte nobilis viri Marchionis Messanensis solidata perspicimus, & in hæredes ejus partu gratifico perpetuata sentimus. Quocirca non minùs quàm fratre nostro vivente de nobis puro corde confidite; & si qua sunt in Regnis nostris, quæ serenitatis vestræ grata sint usibus, vel affectui blandiantur, nobis exinde vota vestra exauditionem omnimodam relatura nobis per litteras vel nuntios aperite.

MANFREDI

REGIS SICILIÆ

Epistola ad quemdam Doctorem Decretorum:

Ex Balluzio Libro citato.

MAnfredus &c. Magistro N. Decretorum Doctori. Inter alia decoris insignia, quibus Regni nostri possessio præclara tripudiat, desideramus ibidem liberalium artium condimenta concrescere, & litteralis scientiæ munimenta florere; ut sicut Regnum ipsum pacis & justitiæ complexione nunc fruitur, & rerum opulentia naturaliter gloriatur, sic ejusdem incolas, quos ingeniorum nativa fœcunditas ad consilia reddit alta conspicuos, per doctrinale commercium articulus vivę vocis efficiat utili transfusione peritos. Ad quod laudabiliter peragendum, scholis ubique per Regnum particularibus interdictis, universale studium in Civitate Neapolitana consulta deliberatione præhabita providimus reformandum. De tua igitur fide, & sufficientia laudabili testimonio perhibito coram nobis, te ad hujus operis participium invitamus, fidelitati tuæ prçcipiendo mandantes quatenus ad Civitatem ipsam docturus in scientia Decretorum, & nobis exinde placiturus, personaliter studeas te conferre, de munificentiæ nostræ liberalitate securus quòd prçter fructum favoris, & gratiæ, quem à nobis propterea specialiter consequeris, cōsuetudines omnes & bonos usus, quibus unqnam temporibus felicis memoriæ Domini genitoris nostri Doctores, & scholares in studio ipso morantes uti & gaudere sunt soliti, faciemus tibi, & aliis moraturis ibidem inviolabiliter observari.

Ejusdem Epistola ad Justiciarum Neapolitanum.

MAnfredus &c. Justitiario &c. Ad Regiæ præfecturæ fastigium providentia divina vocati, more con-

re consulti patris familias, cui debet inesse de subditis inter sollicitudines alias nostris sensibus inhærentes continua reddimur cordis pulsatione pervigiles qualiter Regnum nostrum, quod præter turbationis præteritæ tumultus innumeros non sine multis personæ nostræ laboribus, in plurium siquidem injuriam populorum, omnimoda pacis tranquillitate nunc fruitur, & ubertate rerum vitalium naturaliter gloriatur, prudentum fulcimento virorum, per quos curæ rerum geruntur officia, nostris artificiosè temporibus ampliare possimus, ut fideles Regnicolæ ad artium erudimenta famelici, per aliena, ut assolent, studia mendicare suffragia non coacti, paratam in Regno mensam refectionis inveniant, & tamquam domesticis fulta dogmatibus eructantis ex hoc in illud eorũ promptuaria plena fluant.

Vide Petr. de Vineis l. 3. epist. 11. 12.

Ad hoc enim nos progenitoris nostri clara prioritas laudabilibus invitat exemplis, qui virtuosæ mentis argumento compositus sic statuit in Regni pomœrio scientiarum virgulta concrescere ut viros ibidem in qualibet facultate peritos, non solùm ut incolas filios, gratia propriæ suavitatis imbueret, sed ad remotas, & exteras nationes de cisternis suis aquas effunderet labiis sitibundis; sicque dum contigit in iis causæ munimenta deficere, cœperunt causata diminui, & tot Regnum ex cultorum inopia sentire jacturas, ut impudenter rogare cogatur ab aliis, quod abundanter solebat aliis erogare. Cupientes igitur super hoc, paternis inhærendo vestigiis, tam prædictorum gratam renovare memoriam, quàm Regnum ipsum gratis novitatis nostræ primordiis decorare, universale studium in Civitate Neapolitana, consulta nuper deliberatione præhabita, providimus reformandum, ut Civitatis locus profectò maris, & terræ fœcunditate præclarus, ubi studendi congruentia se quævis habilitant ædificata in sapientia sibi domo, & repletis in doctrina cellariis, docentium & addiscentium oculis se præbeat liberalem, ac velut mater fœcunda gignasii, quæ videbatur jam ex desuetudine pariendi senescere, per doctrinale commercium ad puerperium juvenescat, particularibus scholis ubique per Regnum generaliter interdictis, excepto studio medicinæ in Civitate Salerni, quod exercari nobis placet ibidem, sicut prædicti patris nostri temporibus extitit consuetum. Ad quod tam celebre, quàm solemne concivium magistros quoslibet, & scholares in qualibet facultate studentes libenter, & hilariter invitamus, firmiter promittentes eisdem, quod privilegia, libertates, & bonos usus, quibus umquam temporibus felicis memoriæ Domini patris nostri uti, & gaudere sunt soliti, faciemus in studio ipso morantibus tenaciter observari. Quocirca sinceritati tuæ firmiter præcipiendo mandamus quatenus sicut gratiam nostram diligis, & honorem, statim præsens nostræ jussionis oraculum per Civitates, & loca singula jurisdictionis tuæ, ut nullus de ignorantia supradictorum materiam excusationis inveniat, studeas publicare.

Vide Raynald. ad ann. 1256. §. 33.

Ejusdem Epistola ad quemdam Castellanum.

Fidelis noster sua nobis assertione proposuit quòd dum pridem cum hominibus de .. ad locum quemdam extra ipsius terræ mœnia in festo Beati Petri, cujus ibi vocabulum in die illo solemniter colebatur, accederet, casualiter, accidit quòd tantisper in ipsum fortuna ludente homines ipsi jocosi, tunc solatiis resoluti, volentes memorabile aliquid festivis donare tripudiis eundem ... in fontis cujusdam balneo sub novæ militiæ solemnitate lavarunt, & per duos milites ab inde transeuntes, ut * tyrocinii decus celebriùs ageretur, procuravere balneatum eumdem militiæ cingulo decorari sub veste rubea, & aliis gaudiorum insignils, ipsum in terram eamdem militariter, & exultatione plurima reducentes; sicque, ne facti hujus nova solennitas beneficiorum liberalitate careret, quamplures ex dictis hominibus habuit ad plura, & diversa pollicita liberales. Sed quos sentiit ad verba tunc faciles, ad facta nunc reperit contumaces. Super quo eo supplicante sibi per nostram magnificentiã in favorem militiæ provideri devotioni tuæ præcipiendo mandamus, quatenus si præmissis veritatem repereris suffragari, ne honoris tanti mysterium, quod laudabilem habuit in sua prosecutione congressum, ludibriosis proventibus evanescat, promissiones quaslibet quas eidam ... propterea constiterit fore factas, eidem efficaciter facias observari.

** idest, torneamenti seu hastiludii. potius videtur hic agere de ãtiquo more instituendi in Militem, seu in Equitem Regiũ per balneũ, et alias cæremonias, quæ tunc tẽporis in usu erant.*

EPI-

E P I S T O L A
CONRADI SECUNDI
V U L G O
CONRADINI REGIS
AD CLEMENTEM IV. PONT.

Ex M. S. Codice Bibliothecæ Aloyſii la Farina Baronis Aſprimontis; primùm impreſſa in Tomo Tertio Annualium D. Auguſtini Inveges.

EX abundantia cordis os loquitur, & injuriæ nobis illatæ violentia referat hoſtium labiorum, quam nequivimus nullatenus ulterioris patientiæ ſilentio præterire, ſalva tamen in omnibus, & per omnia Catholicæ Eccleſiæ Sanctitate, quam Cultu Sacro, & debita reverentia toto corde, & corpore quod ad noſtram cautelam ulteriùs inſidias, & verſutias auctas, faſtuſque partis alterius meritò formidantes; coram Deo, qui corda ſcrutatur omnium, coram nobis Chriſtianis omnibus publice proteſtamur. Cum n. Magnif. Rex Conradus D. memoriæ chariſs. Pater noſter Teſtamento ſolemniter condito quondam tempore mortis ſuæ Nos tenellum Infantem in cunabulis vagientem, non dum nutricis ab uberibus ablactatum in manibus S. Matri Eccleſiæ reliquiſſet t ſperans, ut nos benignè ſuſciperet in brachiis charitatis, ſuſceptum tractaret benigniùs, & tractatum fideliter honoribus promoveret. Audite qualiter Summ. ille Pontifex, qui tunc erat Dom. Innocentius, qui nocuit Innocenti t nam repentè pluſquam decuerit Papam currens, & ardentibus deſideriis æſtuans, quod à Patre nobis in pace remanſerat, & pro nobis pacificè tenebatur, Hereditarium Regnum noſtrum, quodque dudum antiquitus * Primogenitores noſtri propriis aſperſis ſanguinibus, quæſitum poſſedere diutius, & poſſeſſum variis decoravorunt ornatibus, & diverſis decorationibus ornaverunt; ipſum eripiens de manu Manfredi, tunc Principis Tarantini, invaſit qualiter cum exercitu numeroſo, & ſub prætextu liciti, qui ſe noſtrum Balium prætendebat, totum ſuo dominio vendicavit confeſtim. Verum tamen apprehenſa poſſeſſione pravum intentionis nefariæ propoſitum manifeſtans, & dicti Regni, tamquam in ejus Regem totam in ſe præcisè transferens poteſtatem, paulatim nomen ibi delere noſtrum, extinguere fidem noſtram, & jura Pupilli Regii ſuffocare perpetuò ſatagebat; adeo quod jam ibi non ſinebatur fieri de nobis mentionem omninò, terras noſtras magnificè diſtribuere cœpit in ſuos conſanguineos, & nepotes, velut qui corrigias partitur amplas in corium alternum. Ecce qualiter. Proh dolor. Nobis exercuit pietatem, ecce quomodo noſtræ tutelæ decenter officio ſatisfecit. O ſevera Patris acerbitas, qui filium ſine fraude doli ſui, filium ſuis curis expoſitum, ſire cura poſtpoſuit; qui filium innoxium ſcil. obnoxium potiùs exhæreditationis pœna perperam condemnavit. Poſtmodum cum ille noſter patruus Manfredus Princeps Tarantinus, qui forte bona fide pro nobis à principio laborabat, ſufferre diutius tantam nequitiam nequiviſſet, potenter reſumpſit denuo cauſam noſtram, & ſub ſpecie fidelitatis noſtræ; ſub noſtri nominis. Titulo Baliatus, pen. multos bellicos ſtrepitus poſt diros conflictus, poſt altercationes innumeras Regnum ipſum, non præter eorum injuriam Directorum ab Eccleſiæ manibus violenter eripuit; & illud aliquandiu noſtra pro parte rexit, qui tandem ſuccedentibus ſibi proſperis, quæ frequenter hominum animos ſolent ad inſolentias alterare,

* Progenitores

re, oblitus sui sanguinis; oblitus Domini naturalis, fidem in perfidiam permutans, reciprocavit ad se negotium dicti Regni; mentitus est Regnicolis mortem nostram, & sophisticans in eo dominium, pseudoregem se fecit; ubi nobis ex hujusmodi fraudolentia supplantatis, & ita fuit error pejor priore, nam graviorem fecit, in eo nobis adversitas præterita, & recidiva. O dolor; ò nefas: ò misera conditio pupillorum, quibus inde plus offensio nascitur, unde defensio sperabatur; ò cæca cupiditas dominii temporalis, qua Summi Pontifices, & cõsanguinei leviter, ad iniquam fallaciam secundantur. Excessu prædicto taliter à prædicto Manfredo temerè perpetrato, licet B. memoriæ Dom. Alexander, qui in Sede Apost. præsidebat, contra illum graviter indignatus, non quod à nobis iniquè Regnum nostrum subtraxerat, sed quod ab eis extorserat; Regnum nostrum in ejus confusionem intendere voluit, & pio spiritu motus, (ut credimus) ad nos super ipso tractatu venerab. direxit Spiritum Verulanum: nihilominus tamen eodem præsente nobis cum ad sugestionem fortè Fratrum, de nobis gerentium contra nostram voluntatem, per Nuntios suos, & litteras. Reges, & Principes alios ad idem Regni nostri commercium invitabat, sive quia non erat datum à Deo desuper, & prædestinatum à fatis, ut per eos nanciceremur, gratias, & honores; quod quidem apertè patuit per effectum operum subsequentium; Domino Urbano, qui nobis extitit Inurbanus, ad Pontificatus officium elatus: nam dum inter eum, & ipsum Principem de pace diutiùs ageretur, ventumque foret ad punctum finaliter, confirmanda concordia credebatur: profecto secundum ipsius formam idem Apostolicus, æquus Pater ad Jus nostrum prædictum sibi, & suis Hæredibus concedebat; ultra quod stipulabatur eidem, ut contra nos in Regni defensione juxtà posse suum Ecclesia non deesset, ut oh ita ligatam simul geminam nostrorum potentiam fidelium Baliorum ad ejus Regni solium resurgere non possemus. Ah Deus: non sufficiebat eisdem Baliis Pupillum exheredasse solummodo; nisi conjurati sic invicem perpetuò deprimerent exhæredem. Cum ergo tractatus ipse (sicut Domino placuit) caderet imperfectus, seu incompletus: & idem Summus Pontifex in excidium dicti Principis exardesceret, non personam nostram, cui Regnum nostrum rationabiliter debebatur; quæ magis accommoda, magis apta, magisque sufficiens extitisset, unde sopita discordia quievisset pace tranquilla populus Christianus, ac velut qui non venit mittere pacem, sed gladium, delectatus scandalis, ex quibus effusio sanguinis sequeretur. Hominem extraneum, & à Regno præced. penitus alienum, Carolum scil. in nostri præjudicium, ad nostrum negotium invocavit, & animans ipsum consiliis, & auxiliis contra illum, quem post ejus felicem obitum, iste Sanctiss. P. N. Dom. Clemens, (non clementiam, sed inclementiam operatus) in nobis erexit in Regno præc. nequiter nostrum temerarium Antiregem, qui demum per omne nephas Regnum ipse obtinuit, ut nobis incognitum non extit. Sed audite. Proh Deus perfidiam per Deum, & homines detestandam, nam Carolus Sarscenos Noceriæ, contra quos Dom. Papa sumendam Crucem fecerat prædicari, in quorum gentem excidium seducti fuerant, & adducti; salvos, illesosque servavit: & Christianos Regni præd. miseros non solùm exhausit rebus; sed occidit innumeros cum mille generibus tormentorum. Aperite oculos, & videte qualiter isti sub specie recti mundum decipiunt, & eludunt. Videte si eis iterum in eodem negotio sit credendum: videte quomodo Cruce Christi fallaciter in Christianorum perniciem abutuntur. Heu, heu quantis injuriis, quantis fraudiabus, quantis dolis hæreditas nostra conversa est, ad alienos, & Regnum nostrum transiit ad indebitum possessorem. Postquam autem in ipsum Manfredum irruit ira Dei, propter in nos commissum peccatum, ut firmiter opinamur; fuit per ipsum Carolum superatus, & etiam interemptus, Regno prædicto nobis, & sibi cum sua persona prodito culpa sui, dum nos intra sepem Imperii lateremus jacentes humiliter attoniti, & asconditi sub oscuro; factis, & dictis neminem offendentes; tamquam Pupillus ferè desperatus ab omnibus, & etiam inhonorus; idem Pontifex Generalis rimatus est, ad instar solliciti venatoris, & ubi nos in Germania viventes invenit, ferens abominabilem vitam nostram, & verens, ne aliquando caput altius levaremus,

velut qui quærit in ovo pilum, ut habeat nocendi materiam, & occasionem invenit malignandi, pro eo quod nobis in litteris Regni nostri Siciliæ Titulus scribebatur, intendebat (ut audivimus, licet tantam malitiam non crederemus) in nos Puerum innocentem, inculpabilem, insontem de pharetra sua sagittam mittere, & excommunicationis sententiam fulminare, non reputans esse satis, quod contra Deum, & omnem justitiam ablatum fuerat nobis Regnum, nisi Titulus tolleretur. Ah Deus, quomodo sic universi Pontifices in nostri juris injuriam juraverunt, Ah Deus, quomodo nullam in eis justitiam, nullam misericordiam potuimus invenire. Ah Deus, si hoc in viridi in arido quid fiet? si hoc in nostra pueritia passi sumus, qui ab eis hinc in antea præstolabimur? Ah huc etiam idem Pater à persecutionum instantia non desistens, sed omnem viam, & modum excogitans, quibus nos posset perpetuo conculcare, si dici liceret, extendit ad illicita manus suas, & falcem mittens in nostram messem, præd. Carolum per totam Italiam Rom. Imperii Vicarium statuit in nostram injuriam manifestam, ut commodius vires nostras opprimeret, & accessum nostrum ad Regnum facilius impediret, sed dum ad id deficit in potestate auctoritas, & in auctoritate potestas, inane pro certo redditur nomen, & officium Magistratus. Quid inquam mali fecimus Sancta Mater Ecclesia? quid in nos tuum devotum filium, olim Pupillum tuæ tutelæ commissum per suos Rectores sic aspere novercaris? in quo te unquam ò venerande Pater læsimus, quod ita conversus in novercam, nos multimode persequeris, & injustè fortè gravem offensam reputas, quod vivimus super Terram. Denique nõ vivere nequiremus, nullatenus contra tot molestias, & pressuras ignorantes penitùs, quid facere deberemus: ille Deus qui non relinquit in se sperantes, ecce suam nobis aperuit viam: nam multi, & innumeri nostri fideles, tam de Imperio, quam de Regno zelo nimiæ fidelitatis accensi in nostrum auditorium surrexerunt, reponentes pro nobis non solùm bona, sed etiam personas, ut nos ad recuperationem nostrorum Jurium magnificè incitarent: qui apertis thesauris suis pretiosa nobis munera obtulerunt, aurum sicut Regi magno pro stipendiis gentis nostræ nobis ad affluentiam ministrantes nos, itaque cognito, quod omnimodè necessarium erat nobis, apprehendimus arma, scutum, & gladium ad bellum, & militum copiis armavimus justitiam causæ nostræ, & magnificum genus nostrum, quod jam longis, & antiquis temporibus imperavit, nostra non degeneret in persona, & injuriosè taliter ipsum pessundari contingat, sed alta potentia domus nostræ, Deus annuerit temporibus nostris relevetur, non ut adversus eumdem Pont. Generalem contrarium aliquid cogitemus, quem Patrem reputamus, ac Dominum, ut nos filium, & devotum relatione debita recognosceret, ut deceret: sed in Carolum charum amicum nostrum, nostrorum Jurium injuria detentorem, nostram omninò volumus potentiam experiri, machinationibus, secum pro justitia nostra ludere, & de nostris cum eo Juribus in gladiis disputare. Deus n. respiciens de Cœlo justitiam abhominetur superbiam, ferens de S. suo throno sententiam, judicet æquitatem. Vestram igitur dilectionem deprecamur attentè, quò ad possumus, quatenus super his amodo, quam vobis nudam, claramque describimus cognitam veritatem, penes vestram conscientiam habeatis nostram innocentiam incusatam, & ad falsam suggestionem forsitan aliquorum de nobis contrarium aliquid (asseratur) non credatis, imo nobis in hac justissima causa nostra dare velitis auxilium, consilium, & favorem: eumdemque Sum. Pont. prodesse nobis, utinam per vestras speciales literas exortantes, ut ergà nos se gerens benignè, furorem suum mitiget, & intuitu nostro mitigans metas suos, conreptam contra nos iram indignationis indignè dignetur nobis intercedentibus disarmare.

ANONYMI
HISTORIA SICULA

A NORMANNIS AD PETRUM ARAGONENSEM.

EX BIBLIOTHECA VATICANA.



ANonymi Scriptoris istius notitia latuit Augustino Inveges; nullam enim in apparatu ad Annales Siculos ejus Auctoris mentionem habuit. Hujus Opusculi cognitionem præbuit Illustrissimus Dominus Joannes Filingerius, Panormitanus, non minus generis nobilitate, quam eruditione clarissimus, SS. D. N. Clementis XI. Pont. Max. honorarius Cubicularius; Ejusque operà diligentissimè ex Vaticana Bibliotheca exscriptum est. Exorditur Auctor Historiam à Nortmannis primùm armata manu in Italiam ingressis, & post ejectos Saracenos Siciliæ Dominis, eamque producit usque ad Vesperas Siculas, & Petri Aragonensis adventum, anno 1282. & Seminaræ expugnationem. Omnia nimis compendiariè narrantur; Regumque Siculorum gesta vix summis digitis pertractata: Ideoque prætermittendam aliquis ejus editionem putasset. Attamen nè Siculæ Historiæ cupidis innotesceret, indeque Opusculum hoc desiderarent, in lucem prodit, tamquam Appendix, sive Breviarium Historiarum in hoc primo Volumine editarum. Exscriptum damus ex supradictæ Bibliothecæ Codice 6206. Variæ lectiones, & prætermissa ex alio Codice 4936. suppleta sunt.

ANO.

ANONYMI
HISTORIA SICULA
A NORMANNIS AD PETRUM ARAGONENSEM.

Ex Codice Vaticano 6206. Variæ Lectiones ex Codice Vaticano 4936.

V. Fazell. Poster Decad. lib. 6.



UIt in partibus Normanniæ non longè à Civitate 1 Constanciæ miles quidam nomine 2 Tranchedus genere nobilis,& morū honestate præclarus. Eratq;3 uxor nobilissima Muriella nomine, nec minus facie, quam vitæ integritate formosa. Horum sanctissima conversatio cum tota in perpetuum digna memoria, & laudis admiratione apud homines habebatur, istud tamen præ ceteris apud omnes Christianæ Religionis cultores dignum celebri 4 percunctatione recensetur, quod 5 Terra Normanniæ, cui maximè credendum est de hoc 6 generaliter, & sine aliqua contradictione, & refert, & testatur. 7 Scribitur, quod numquam in sua vita carnali commistione se cognoverunt, nisi prius cum flexis genibus in terra, facta ad Dominum oratione, ut eis soboiem dignam, & sibi placituram præstaret. Quorum justissimam petitionem, sicuti 8 ipse 9 per innumera deinde 10 ostendit exempla, Dominum, qui justa poscentium vota non despicit, certum est exaudisse. Siquidem nati sunt 11 ei quinque filii, quorum Primogenitus vocatus est Guilielmus, qui post 12 cognominatus est Ferrabrachia. Secundus 13 Decius. Tertius 14 Henfredus. Quartus Gaufridus. Quintus Serlo. Mortua verò 15 Moriella,duxit aliam genere insignem, cujus nomen fuit 16 Freessenda, de hac autem genuit septem filios, quorum primus fuit Robertus 17 Biscardus. Secundus 18 Malgertus. Tertius Guilielmus. Quartus 19 Alvendus. Quintus 20 Vibertus. Sextus Tancredus. Septimus Rogerius, qui postea fuit Comes Siciliæ magnificus. Hos autem non sine admiranda Dei dispensatione duodenarium complentes numerum, 21 quippè Sanctissimos Apostolicæ Ecclesiæ futuros defensores, & Saracenicæ pravitatis fortissimos extirpatores Pater 22 Tranchedus honestissima Sanctitate, quas eo ipse pollebat, informavit. Ut verò Gulielmus, & Drogus, qui priores natu habebantur in ætate 23 idonea pervenerunt, multiplicatis in eis tam viribus corporis, quam virtutem animi, arma militaria à Patre suo acceperunt, & ab eodem honorificè, ut tales, & tanto viro genitos decebat, milites ordinati sunt; Ex illo tempore probitatis illorum immensitas, quæ adhuc succrescentibus annis, & patris diligenti commonitione elucescere, & per totam Normanniam famosissima, atque laudabilis cepit evagari. 24 Nec multo post ipsi nimiæ laudis avidi,

cum

1 Constantiæ
2 Tanchredus
3 &
4 remuneratione
5 tota Ormānia
6 generaliter deest
7 Scilicet
8 ipsa
9 per deest
10 ostendunt
11 eis
12 agnominatus
13 Drogus
14 Ninfridus
15 Muriella
16 Fictesseuda
17 Viscardus
18 Malcherius
19 Alveredus
20 Umbertus
21 quippè Sanctissimos extirpatores *reliq. desunt.*
22 Tanchredus
23 ad eam idoneam
24 Nec multo desunt

cum eisdem amplificandi nominis ulterius potius locus, quam vires, aut strenua animositas deficeret, quippe felicissimo, & gloriosissimo Comite Gullielmo Longoense in tranquilla pace temporis Normanniam obtinente, ne virtus eorum, aut fama per otium torpesceret, & priori laudi sua gloria nova non supervenerit, silentio obscura haberetur, magis probitati suæ, quam 1 patrio, aut parente 2 lachrimis consulentes, 3 quibusdam parentelæ suæ ex aliis probatissimis Viris, 4 quamplurimis sibi associatis, divina 5 ducente gatia, quæ de eis, & per eos mira, 6 & enarrabilia 7 futura esse prævideral, & multis, & magnis in via perpessis laboribus usque in Apuliam devenerunt, & primum cum Capuano Principe 8 non multo tempore commorati, relicta ejusdem avaritiæ ignavia, ad Gaymarum Principem Salernitanorum profecti sunt. Ille verò qui tunc temporis Capuanus Princeps terram suam violenter inquietabat, gavisus de adventu eorum, ipsos honorificè, & cum maxima donorum munificentia retinuit. Quorum fideli, & audacissima protectione non mediocriter 9 adversus Capuanum Principem, qui prius totam terram suam sibi velle, ac posse eripere videbatur, ita in paucis diebus versa fortuna coegit, ut præmissa rogatione, & multa munerum oblatione, juxtà voluntatem suam cum eo pacem pluribus Sacramentis innodatam firmaret.

10 Conformata verò pace 11 inter Principem Salernitanum, & Capuanum, Salernitani, qui prius Normannorum nomen ferè cœlestibus laudando coæquabant, eorumdem virtute, & audacia à sæva Capuanorum oppressione liberati, immutato animo 12 simul cum fortuna alienæ probitatis parum sibi de propria 13 confidentes in 14 honore malorum hominum plurimique detrahendo cæperunt invidere. Quorum primus venenosa 15 detractio, quam privatis, & publicis consultationibus pusillanimitatem ipsius Principis 16 sollicitando, ne diutius in Terra Normannos retinere auderet, effecerunt, quippe quos sapientes, & bello probatissimos ipse indubitanter esse cognoverat, ne si eorum ad hoc moveretur animus Principatum sibi eriperent, suis non multum confidens 17 metuebat. In iisdem temporibus divina flagellatio, cujus occulta sunt 18 judicia, totam Apuliam, atque Calabriam Constantinopolitano Imperatori 19 non regnandas, sed lacerandas reliquerat; ad quorum liberationem Deo 20 miserante certum est Normannos advenisse; erat enim tanta, & tam miserabilis 21 utriusque gentis oppressio, quod præter importabile onus servitii, & infinitos redditus, & tributa, quæ prædicto Tyranno ipsos oportebat solvere, non minus Saracenis per singulos annos tributariæ pro redemptione suorum capitum indefensi à suis Græcis cogerentur reddere, vel sine dubio mortem, aut captivitatem perpetuam sibi, & uxoribus suis, & liberis expectare. Et quia jam ad 22 tantam calamitatem res ipsa pervenerat, quod necesse erat Imperatorem, vel Terras illas omninò Saracenis relinquere, vel acrius, quam 23 solitum erat ab eorumdem incursibus defensare, apud Regium Civitatem Calabriæ maximum exercitum Græcorum, & Longobardorum per Maniacum, quem ipse toti Apuliæ prefecerat, die 24 determinato jussit covenire. Ad quem locum cum Princeps Salernitanus, sicut & alii Longobardi ex præcepto Imperatoris cum mul-

1 patriæ
2 lachrymas
3 quibus
4 cōplicibus
5 Duce
6 nimia
7 futura esse p. e. m. e. *desunt.*
8 sub
9 adjuti
10 Confirmata
11 inter Principem S. e. C. *desunt.*
12 scilicet
13 confcientes
14 ore
15 additur nō cessarat
16 sollicitudo
17 metuebat deest
18 hic habet metuebat quod super deerat
19 regendas
20 insistente
21 utriusque deest
22 tantum calamitatis
23 solitus
24 decima

multitudine Militum 1 atque peditum convenisset, Normanni in quibus semper 2 confidebat animus virtutis suum nomen magis, & magis extendere, nullo coacti Imperio, sed 3 delendæ pravitatis Saracenicæ, & Sanctæ liberationis Ecclesiæ accensi desiderio, omnes unanimiter convenere.

Congregatis agminibus undique, & navibus 4 peractis favente aura omnes in Siciliam non longè à Civitate Messana applicuerunt, deinde assumptis armis, & juxtà preceptum 5 Maniachi, qui in eodem 6 negotio vicem Imperatoris obtinebat, Legionibus ordinatis paulatim, uti mos est bellatum ad Civitatem ceperunt accedere 7 Et contraria parte 8 Saraceni insolitam Grecorum audaciam, de quibus semper triumphaverant admirantes, & quod numquam in terram suam nisi pro tributis afferendis, & pace 9 oranda venire presumpsissent indignantes, parumque aut numero pre multitudine eorum perterriti, apertis portis, & ordinatis agminibus 10 ipsis festinant occurrere, atque uti exercitus ambo 11 conveniunt, ferociter ibi impugnatur. 12 Mox à principio fortuna Grecis 13 adversante, que numquã eis in bello nisi rarissimè solita est prospera accidere, multiq; occisi fuerunt, jamque ipsi pœnè superati, fugam inire 14 parabant, cũ 15 Dominus Princeps Normannorũ more longioris impatiens, ne aliquis casu superveniens datam sibi opportunitatem pugnandi eriperet, primam socios ad audendum viriliter cohortatur, dato signo, & 16 laxis habenis 17 inter ferocissimos hostes, tamquam leo inter feras velocissimus 18 duxit, quem sui Normanni nullo tardati timore cũ festinatione maxima in uno glomerati agmine consequuntur, ibique dextra, & sinistra 19 more virorum audacissimè pugnando innumeras hostium catervas interficiunt. Sicque factum est ut Saraceni feroces incursus Normannorum nequaquam diutius sustinentes, nullamque ulterius nisi infra muros salutem sibi expectantes, in fugam convertuntur, quos Guilielmus, & socii sui 20 plenam de iis victoriam habere cupientes, concitato cursu per apertas portas (21 ut preceptum Maniachi, qui in eodem negotio vicem Imperatoris obtinebat, Legionibus ordinatis paulatim ultimo est bellatum, ad Civitatem ceperunt accedentes,) quas non licuit claudere. Semper undique 22 feriendo comitantur, deinde Grecis, & Longobardis sequentibus; & Saracenis omnibus interfectis, preter eos, quos servitio retinere placuit, audaci 23 virtute Normannorum capta est Civitas. 24 Capta verò Urbe, & presidiis in ea ordinatis, 25 pugnandi Maniachus cum exercitu suo apud Syragusiam 26 iter aggreditur, cui Civitatem appropinquanti Syragusani obviam occurrerunt, & convenientibus utrinque exercitibus 27 maxima vi inter se tentatum est. Erat autem ex parte Saracenorum quidam vocatus 28 Archaydus, idem legis Doctor, vel Princeps, cui 29 tantæ vires, tantaque animositas inerat, quod nullus Græcorum, vel Longobardorum ei 30 numquam 31 impunè occurrebat; cumque jam multos occidisset, magnamque eorum partem, ceu lupus oves, in fugam convertisset, Guilielmus Ferabrachia, cujus virtus semper tendebat ad ardua, 32 damna suæ partis diutius non sustinens, 33 deducto 34 accitus in eum equo per hastam, quam ipse gestabat, 35 solita virtute per medium pectus illius contorsit. Itaque mortuo jam illo, in quo 36 tota salus Civitatis nitebatur, casu subi-

to

1 atq; deest
2 fervebat
3 de laude
4 paratis
5 Maniaci
6 Regno
7 & deest
8 Saracenorum
9 ordinanda
10 in ipsis
11 convenerunt
12 moxque
13 adversatur
14 sperabant
15 Guilielmus
16 lassis
17 inconfertissimos
18 devenit
19 more deest
20 planam
21 quæ hac parenthesi inclusa sunt desunt & bene
22 serviendo
23 ut tunc malè
24 Capta vero desunt
25 pugnandi deest
26 tunc egreditur
27 maximum intus se certamen commissum est
28 Archadius
29 tantum
30 unquam
31 in pugnã
32 damnum
33 reducto
34 acriter
35 solitam
36 tanta

to conterriti Saraceni infra muros se recipiunt, & clausis portis, telis & lapidibus potiùs quam mucrone, vel lancea eminus se tuentur. Sed quia Civitas natura loci, & artificio, & defensoribus munita satis habebatur, Maniachus, ne plus eum ibi amittere, quam prope lucrari contingeret, ea relicta versus Trajanum agmen deducit. Erat autem Trajanum in supercilio 1 montis constitutum, tantoque naturaliter ex omni parte præcipitio munitum, quod nullum gentis, quantumcumque foret, timeret accessum.

nunc Traina
Troyna
1 montis altissimi

Ex tota 2 Sicilia plusquam 3 xv. millia Saracenorum, non causa defendendi, sed contra Christianos pugnandi convenerant, quorum maxima pars cum eos 4 adventare cognovisset, ipsis obviam processit. Normanni quorum audaciæ fortuna semper favebat, neque pre eorum multitudine, neque pre loci difficultate morati, acerrimè ipsis occurrunt, & sine mora multis eorum interfectis alios infra mœnia retrudunt.

2 Siclana
3 xx. millia
4 advenire

Cum Normanni ita viriliter hostes fugarent, Greci, quibus 5 erat studium potius aliorum facta à longe 6 aspicere, quam propria ostendendo se periculis objectare, maximam prædam 7 aliunde, quæ in partibus illis relicta sine custode pascebat, nullo vetante ad castra deduxerunt, quam inter se dividentes partem nullam Normannis fecerunt. 8 Hic autem Maniachus ex perversissima intentione ita fieri præceperat, erat enim jam Normannorum probitas valde sibi formidosa; & quidquid de eis Salernitanus Princeps, dum secum morarentur, timuerat, idem sibi 9 ao Domino suo, 10 non multum Grecorum probitati confidens, posse accidere verebatur. Hac de causa, & maximè ex invidia, quæ raro à gente sua 11 removetur, impulsus, pre tantis 12 actorum meritis non minùs, quam mortem sibi fallaciter moliebatur. Putabat siquidem eos, quos ultrà 13 mundum audaces, & semper ad vindicanda 14 paratos esse cognoverat, partibus prede sibi negatis, citò ad iracundiam, deinde ad minas posse provocari, sicque ex justa causa cum multitudine Græcorum armata illos paucos, & inermes ex improviso 15 detruncare. Misso itaque à Guilelmo quodam milite pro parte prede repetendæ, Maniachus non solùm partem non misit, sed ipsi Legato priùs verberibus afflicto in despectum Normannorum barbam propriis unguibus depilavit, quod apud Grecos pro summo 16 habetur opprobrio. Hoc Normannis audito (17 quidnam Concilii caperet diù incerto habuere) alii namque continuò arma sumere, & pre ulciscenda injuria mortem contemnere suadebant, 18 Alii autem, qui majori pollebant audacia, & quæ ex nimia festinatione solent accidere, subtilius prævidentes, ultionem differre, & sapienter ad præsens injuriam dissimulare, & monent, & præcipiunt. Tandem animis ad hoc 19 confortatis, insequente nocte relicto exercitu, & Maniacho nesciente, apud Messanam gressu expedito proficiscuntur, deinde transcurso Faro, postquam Calabriam intraverant; quantum de illata sibi injuria doluissent, predationibus 20 infinitis, & Castrorum, atque Urbium 21 subversione, & vinearum extirpatione, manifestè ceperunt ostendere, & sic terram Grecorum quocumque transitum faciebant modis omnibus vastando, pervenientes in Apueliam, Civitatem, quæ dicitur, Melfium ibidem constituere, ubi Guilielmum Ferabrachium, utpotè

5 erat semper
6 prospicere
7 alias tum
8 Hoc
9 à
10 non deest
11 rumor male
12 ac tot
13 modum
14 peritos
15 de tractasse
16 habebatur
17 quę parēthesi inclusa sunt desunt
18 Alii autē, qui majorem sapientiā nō tamen minori pollebant audacia
19 contrimatis
20 infestis
21 submersione

utpotè hominem moribus omnibus prętantiſſimum ſibi, ac Civitati Comitem, ac Dominum unanimiter elegerunt.

Cognito Gręcis Normannos contra dignitatem ſui Imperii non ſolùm Civitatem in terra, quam ſuam eſſe dicebant conſtituiſſe, 1 verum & ad totius Apuliæ dominationem animatos eſſe, congregato maximo exercitu apud Melfium feſtinant accedere, quibus accedentibus, priùs aliter quam bello fortunam placuit tentare. Nuntiaverunt itaque Normannis, vel ipſi infra diem 2 tertium relicta omninò Apulia, numquam amplius reverſuri, ad terram ſuam ſecuri 3 diſcendant, aut incraſtino ſine dubio belli fortunam expectarent. Normanni verò reſponderunt plus 4 ſibi ad præſens bellum, quam fugam inhoneſtam placere, 5 ac Gręcis 6 quamquam famâ probitatis Normannorum maximum 7 timorem incuteret; 8 tamen 9 eorum paucitate, & 10 ſua multitudine confiſi, armis parant contendere. Sequenti ergo die Comes Guilielmus, ne diutius bellum protrahendo Gręcis animus augeretur, paucis ſuorum ad cuſtodiam in Civitate relictis, 11 cęteros omnes milites, ac pedites armatos inſtructis ordinibus in quâdam planitiem prope hoſtium 12 agmina deducit, poſtea invocato Dei auxilio Græcis audaciſſimè occurrentes 13 à primo congreſſu eos in fugam converterunt, quos dum nimis acriter proſequuntur, multis gladio interfectis, maximam aliorum multitudinem fluvius 14 Clivetus, qui tunc fortè aquis abundabat, 15 ſubmergit. Græcis itaque ſuperatis, & tota Apulia timore concuſſa, 16 multitudo Longobardorum, & maximè illi, qui non multum remoti à Melfio habitabant, ſeipſos, & Civitates, & Caſtra dominationi Normanuorum 17 ſubdiderunt, quorum multi, quibus armorum doctrina potiùs, quam vires, aut animus olim defuerat, poſtquàm virtutem Normannorum 18 magnam imitari, quam invidiare ſtuduerunt, optimi milites, & eorum in ſuis acquiſitionibus fideliſſimi adjutores poſtea facti ſunt. Malliebant etenim, ut ſapientes, ipſorum probitate, & prudentia regi, & conſervari, quam ſub Græcorum inertia quotidianis Saracenorum depredationibus exponi. Poſtquam 19 belli eventu, & multiplici Normannorum acquiſitione, Regi Conſtantinopolitano indubitanter relatum eſt, 20 ipſam infinitam multitudinem militum, atque peditum ex diverſis partibus congregatam, per 21 Ducheonum Præfectum ſuum in Apuliam tranſmiſit; qui adjunctis ſibi Longobardis illis, qui nondum paati Normannorum conſenſerant, uſque 22 Melphim moram nō fecerunt; illas autem, ut Melfium Comes Guilielmus adveniſſe cognovit, ne diuturniore morâ 23 poſſet aliquid 24 innovari, licet ipſe tunc temporis quartanæ febris incendio moleſtaretur, cum armatis cuneis eis obvius à Civitate deſcendit.

Cumque jam more bellico pararet hoſtibus incurrere, febris, venturæ ejus gloriæ invida, quia tunc forte & hora, & dies ſuæ acceſſionis advenerat, ſubito eum corripiens, ferè omninò à viribus eum deſtituit, undè quoniam ad præſens bello intereſſe non poterat, primitus ſuos multum in audaciam cohortatur, & bellicoſiſſimum fratrem ſuum Drogum in loco ſuo conſtituens, juxtà vicinum montem undæ ſibi facilis erat gentis, utriuſque proſpectus, aſcendit: at Græci multum de innumerabili ſuorum multitudine confiſi, minus molliter, quam in ſuperiori bello diù Normannis cęperunt reſiſtere,

1 verum & ad t. A. l. a. e. *deſunt*
2 unum
3 pace diſcederent
4 eis
5 ut
6 quicquam
7 timorem deeſt
8 tantum
9 ipſorum Normānorū
10 eorum
11 certos bonos
12 contubernia
13 ſtatim à
14 Johurrus
15 deglutivit & ſorbuit
16 multi
17 ſe dederunt
18 magis
19 de belli
20 ipſe inęſtrenatam
21 Dacannm
22 Melphiū
23 contra
24 incurrere

ipsosque mutatis ordinibus undique circumveniendo, non mediocri-
ter fatigare, quod inclytus Comes à monte, ubi jacebat, prospiciens,
1 adjutoriam indignansque, quod sui tandiu 1 ad victoriam retardarent, fervore
2 quam, deest animi omninò febrilem superante calorem, equum 2 quam velocis-
3 invocato simè armatus conscendit, 3 & vocato Dei, de quo multum 4 sperat
4 sperabat auxilio, ad locum ubi maximus erat utriusque partis conflictus, ra-
5 flumen pidus tamquam 5 fluvius occurrit, & mox per sui præsentiam 6 multi-
6 duplicata plicata sociis audacia, & fortitudine de Cœlo eis adveniente, Græco-
7 non, deest rum multitudinem, in qua belli victoria speranda 7 non erat, 8 Du-
8 Ducanoq; cheanoque 9 potenri dextra Comitis Guilielmi interfecto, in fugam
9 potētissimo coegerunt. Græcis itaque secundò, egregia virtute Normannorum
10 coacta superatis, ferè tota Apulia partim 10 tracta, partim propria volun-
tate Guilielmo Comiti se subjiciebat; cujus gloriosissima fama jam
ferè per totius mundi terminos elucescens, transmontanas partes, &
11 referendo præcipuè Normanniam, 11 referendo de suis successibus lætificaverat;
deest fratresque suos omnes, duobus relictis, quorum ætas militiæ nondum
conveniens erat, congregatis sibi consanguineorum, atque vicino-
rum probis quamplurimis, & viæ labore contempto in Apuliam ad
se vocaverat, ipsisque Civitates, & Castra, & alia hæc omnia,
prout quisque sibi dignus, & prævalens videbatur, larga manu distri-
buerat, diuque sub eo, & Normanni, & Longobardi beatè, & paci-
ficè regebantur; cum mors totius prosperitatis humanæ terminus ine-
vitabilis, nullique unquam dignitati, aut potentiæ parcere consueta,
12 Deus admirabile egregium Comitem, militiæ 12 decus, 13 super hostibus triumphato-
13 semper rem, cui nulla virtus ad perfectionem deerat, 14 vita præsenti eri-
14 vitæ prę-sētia tribuit puit.

15 Drogus melius Mortuo Guilielmo, & sepulto honorificè, ut tantum decebat
virum, frater suus 15 Drothus, qui post ipsum nativitate secundus
16 sublimatur habebatur, communi assensu Normannorum ad Consulatum 16 su-
17 à blimatus est. Iste tempore suo, 17 & fraterna probitate in nullo de-
generans, ejus acquisitioni multa, & maxima adjunxit; unde Longo-
bardorum multi, quia semper in omni regione malorum, quam bo-
norum majorem constat numerum esse, virtutibus, & prosperitati
18 perniciem ipsorum Normannorum invidentes, in 18 perniciem pluribus locis per Apu-
liam occultè conjurarunt, & quamvis de aliis nunc prætermittam,
quoddam facinus, & detestabile, & propter sui magnitudinem in
19 eventu omni 19 ævo memorabile, quod apud 20 Montallium excogitatum,
20 Montellū & perpetratum fuisse constat, placet mihi 21 efferre. Erat autem ibi
21 referre quidam sævissimus proditor 22 Risus nomine, 23 totus ex vitiis
22 Risius compositus, & ut efficacior esset ad nocendum, Comitis Compater
23 totis est effectus. Hic dum fortè venerabilis Comes nefandæ conjuratio-
nis ignarus, apud prædictum Castrum cum paucis militibus morare-
tur, quamplures sceleris sui participes in Ecclesia quadam, ad quam
Comes singulis diebus summo diluculo causa orationis solitus erat
24 occultè, deest venire, armatos secum 24 occultè inclusit, & Comitem introeuntem
Dominum suum, & Compatrem ignarum, & inermem propriis ma-
nibus à tergo lancea penetravit, & multiplicatis in eum sociorum
25 extitit interfectus ictibus subitò 25 interfecit, idemque factum est de paucis, qui
cum Comite ingressi fuerant, reliqui vero post eos venientes subi-
26 percussi to timore 26 concussi, sub umbra adhuc vicinæ noctis ad diversas
partes

partes 1 effugerunt. Tali modo, & à talibus egregio Comite interfecto, Normanni ex diversis partibus Apuliæ congregati ad ultionem festinant, & priùs elevato in Consulatum Humfrido, qui cognomine 2 Abjerlandus vocabatur, Montelliam 3 circumdatam obsidione cinxerunt. De Riso tamen Principe conjurationis, & sceleris inventore, abscissis sibi singulis membris separatim per intervalla temporis, ut diu vivendo diu cruciaretur, supplicium sumptum est, ad ultimum amissis omnibus membris, adhuc vivens, terræ infoditur; ceteri verò solo suspendio nequitiæ pœnas dederunt; tandemque funesti proditores inde violenter extracti, non quantas meruerunt pœnas, sed scelere suo multo majores sustinuerunt. Ex eo tempore 4 Normannigenæ, post viri perfidiam, invidorum solertius quam antea devitantes. 5 Odium quo poterant: & quia quo plus ad virtutem 6 nitebantur, tanto magis ex atiqua consuetudine numerus eorum augebatur, Primates Apuliæ, 7 quibus Normannorum benignitas multas divitias, & 8 multissima Castra relinquerat, non priùs 9 auri Romani Pontificis falsis pollicitationibus, & ipsi de Normannis maximum timorem 10 incutiendo, 11 neque eos omninò festinaret expellere, non minùs quam 12 excidium Romano Imperio per eos esse venturum mentiendo, quievere sollicitare, quam ipsum cum maximo 13 Normannorum, & Theodonicorum 14 exercitu adversus Normannos in Apulia adduxerunt. At Comes 15 imperterritus, ut primum de adventu eorum cognovit, 16 congregavit agmina, quanta habere potuit, in exremis Apuliæ finibus eis occurrens, multis 17 Normannorum, & Alemannis gladio interfectis, omnibus ipsum Leonem Papam, hoc autem erat ei nomen, cum paucis sibi relictis in Castrum, quod Civitas appellatur, fugam arripere coegit, quem ibi tandiu circumdata multitudine obsedit, quod ejusdem Castri habitatores, partim 18 timore necessariorum indigentia coacti, eum per muros, desuper emissum voluntate Comitis tradiderunt. Sed Comes Venerabilis pietate, & justitia effulgens, quæ numquam à genere suo 19 recesserunr, Deumque semper in actionibus suis proponens, quanta honorificentia, quantaque supplicationis devotione, etiam usque ad lachymarum effusionem, Ipse, & Normanni sui, & eum susceperunt, nec etiam illi quibus hoc præsentibus oculis licuit, pre magnitudine rei ad plenum verbo 20 non potuerunt explicare. Quibus Papa commotus, & de honestissima virtute Normannorum omninò, quam quæ sibi à perfidis falsa relata fuerant certissimè intelligens, atque ut Pius, & Sanctissimus Pater discretè, 21 ut subtiliter utilitati Sanctæ Ecclesiæ previdens, totam Apuliam, atque Calabriam à finibus 22 Guarnerii usque ad Farum Comiti Humfredo, & suis Successoribus, nequaquam coactus in aliquo, sed sola spontanea voluntate, & suorum communi consilio Cardinalium regendas, semperque possidendas permisit, & non solum cum eo pacem perpetuam 23 fœdavit, verum, & ipsum Romanæ Matris Ecclesiæ signiferum, & defensorem ordinavit, 24 quę sapienter, atque ex paterno affectu constat fecisse, & tali modo prędictas terras à præsentibus, & futuris calamitatibus liberasse. Pro certo enim habebat, tunc demum humanas res beatas fore, si à tantis, ac talibus viris universam Regi Monarchiam contigisset.

His peractis Romanus Pontifex multa, & pretiosa munera, quæ sibi

1 aufugerunt
2 Albelando
3 circumducta
4 Normannigenere
5 ut odii quibus poterãt
6 intẽdebant
7 quod
8 munitissima
9 Aures
10 injiciendo
11 nisi
12 exercitũ
13 Romanorum
14 ad expellendos
15 perterritos
16 congregatis agminibus
17 Romanorum
18 timore Normannorum partim
19 recepit
20 non, deest
21 ac
22 Gameni
23 desideravit, seu fœderavit
24 quem

sibi, & omnibus suis benignitas Comitis largè distribuerat secum deferens, ad Romanam Sedem regressus est. Comes verò cum suis Normannis Melfium 1 revertens, scilicet & Longobardorum maxima 2 cura, duos fratres suos Malgerium, & Guilielmum eodem Patre genitos, eademque morum honestate conspicuos, Consules ordinavit; & Malgerio Capitaniam, Guilielmo Terram illam, quæ Principatus dicitur, distribuit; sed Malgerius post paucos annos moriens Consulatum suum fratri suo Guilielmo reliquit, 3 quem postea Guilielmus Gaufrido fratri suo dedit.

Cum Comes 4 Humfridus tranquilla pace regebat
Apuliam, 5 Valligratenses 6 in arte premebat.
Optimus ille Ducum, Normannæ gloria gentis,
Miles militiæ decus, exemplum probitatis,
Viribus expertus validis animoque Robertus
Bisiardus, cunctis animosior, atque secundus
Nulli, quem solum timuit super omnia mundus
Totus, & audacem stupuit Mars ipse, sagacem
Pallas, facundum Cyllenius, optima cujus,
Ut breviter brevibus 7 possit comprehendere verbis,
Nec primum similem potuit, nec habere sequentem, additur in alio Cod. sequ. Versus, qui habetur infr. Lin. 11.
Regibus exceptis, eadem quos 8 dixit origo,
(Per quos 9 diluerit fax, & pagana caligo.)

Hic jam Sanctum Marcum firmaverat, & Petro 10 Cyrreno in vinculis posito 11 Brisimanum possidebat. 12 Cusentinos omnes, & multos alios in partibus illis servire sibi coegerat. Jamque mortuo Humfredo venerabili Consule dominationi totius Apuliæ successerat, & Rogerio fratri suo, qui postea Siciliam acquisivit, de ultra montes * partes servandas, aliasque dextera, & sinistra acquirendas commiserat: cum 13 suggerente invidia inter duos fratres, ubi minimè decebat, maxima orta est dissensio, & ad tantum malum perducta, ut se invicem nimis acriter inquietando famæ pœnitus, & dignitatis suæ obliti, 14 cępta suæ acquisitionis postponerent, & magis iræ, quam rationi, aut consilio amicorum concedentes, Græcis eorum infestissimis inimicis lætandi occasionem, (15 per quos diluitur fetum, & pagana caligo) præberent. Quæ res inde maximè videtur mihi sumpsisse initium, quia tanta in utroque viro erat magnanimitas, quod alter nullo modo sibi parem habere volebat, alter plurimum sibi confidens, super se majorem esse nesciebat. Nec credendum est avaritiæ venenum inter tantos viros potuisse aliunde discordiam seminare. Contigit igitur, quod utroque damnis alterius graviter insistente, Græci etiam quasi in audaciam permoti, intempestæ noctis silentio 16 Nicastrum ceperunt interfectis LX. Normannis ibidem ad Civitatem servandam constitutis, quæ res maximè ambos fratres, causa celerius, & uberius ulciscendi 17 illatum dedecus, ad concordiam provocavit. Concordati igitur, & divisio inter se 18 Anchesolio, usque ad Regium Calabriam, & concesso 19 Rogerio ut Castrum in monte Meliti firmaret, & reddita 20 Scylla Civitate Roberto Biscardo, quam Rogerius diù eo invito tenuerat, iterum à Nicastra expu-

1 revertens congregata sibi utriusq; gentia Normannorum scilicet, & Longobardorum.
2 cura. forte copiis
3 quē postea Gāfrido fratri suo dedit & dimisit
4 Unfridus
5 Vallegratenses
6 marte
7 possim
8 duxit
9 diluitur vid. infr.
10 Catheno
11 Bisimanū
12 Cosentinosque
* alter venientī Cosentiam & Marturanū, et vicataces partes serviendas aliasq; d. e. s. a. c.
13 surgente
14 serie
15 desiderātur in altero Cod. vid sup.
16 in crastino malè
17 in altum Deus
18 Athefelio
19 Regno
20 Ascala

expulerunt. Quo facto Biscardus in Apuliam rediens, in eodem anno copiosam hominum congregavit multitudinem, 1 atque junctoque 1 adjuntoq;
sibi fidelissimo fratre suo cum gente quantamque potuit congregare, usque a Regium perveniens, eam, licet natura, & arte virisque ar- 2 Regiam
matis munitissimam, non dubitavit, obsidere. Sed Cives, & si fama Normanni nominis jam ferè per totum Orbem divulgata 3 eos 3 eos valdè
terruerat, tamen de fortitudine Civitatis suæ non parum confidentes, & à Rege Constantinopolitano frustra venturum sibi auxilium expectantes, diù 4 seditionem protraxerunt, tandem verò longa obsidione, & quotidianis 5 insultibus fatigati, 6 viribus atque animis jam pœnè languescentibus, & spe auxilii omninò evacuata, voluntati Normannorum, & se, Civitatem suam 7 tradiderunt, Dedita Urbe, & Biscardo in Ducem solemniter elevato, post Legum statuta, & præsidia ibidem ordinata, ipse cum parte exercitus 8 reversus est: ceteri verò excellentissimum Comitem Rogerium, cujus animus semper in ardua tendebat, ultra Farum in Siciliam secuti sunt, qui apud Messanam applicantes, sola prædatione, & multa hominum interfectione contenti in Calabriam redierunt, In iisdem temporibus 9 Bentadus cum Domino Cathaniæ, cui nomen 10 Bothum erat, pro interfecto ab eodem sororis suæ marito graves inimicitias exercens, eumque inquietando maxima parte suæ terræ fecerat expertem, cujus potentiæ quibus 11 Barthum per se minime resistere poterat, pro implorando auxilio ad Comitem Rogerium transfretavit, promissoque ei, quoniam in acquisitione totius Siciliæ opibus, viris fideliter adjuvaret, atque Castris, atque hoc Sacramentis, qualia fuit apud gentes 12 confirmato, 13 Venerabilis Comes ea, in quibus agendis 14 animus suus non mediocriter exestuaverat, at rogatus, & adjutus more prudentis agere non recusat; congregatis Cohortibus suis in Siciliam juxtà locum, qui dicitur tres 15 lacus, applicuit, quo Messanæ habitatoribus cognito, armis assumptis nocturno tempore eum secuti sunt, illisque ademptis, unus Messanensium, ut erat stolidissimę audaciæ, dolore interfecti fratris adhuc ejus animo imperante, & 16 Senetani oblitus proverbii, quià in judicando criminosa est celeritas, dum Bithumen ante omnia quærit occidere, infelix impari virtute in operibus, armis sine lorica, & clypeo, ut mos erat illius gentis inertiæ, tamquã cervus leoni, Comiti Rogerio incautus occurrit, quem Comes accepto ense suscipiens, & quasi de hoc, quod ei occurrere præsumpsisset indignans, mirabile dictu, fide tamen plenum, una percussione, per ambo latera inter pectus & renes dimidiavit, & superiori parte humi cadente, reliquam partem effrœnis 17 sonipes per campi aperta disportavit: quod factum æterna memoria dignissimum, omnibus ante illa tempora incognitum, nostris audaciam, aliisque timorem multiplicavit, statimque omnibus in fugam conversis, & juxtà maximam partem gladio interfectis; laudabilis Comes victoriam adeptus relicto, Bithumine apud Cathaniam ad debellandos Siculos, in Calabriam 18 convertitur.

4 deditionem
5 assultis
6 viribusque animi
7 dederunt
8 revesus seu proversus est
9 Berganetus
10 Bitumen
11 Bitumen
12 cõfirmatis
13 Veneran-dus
14 dudum animus
15 latus
16 Senecæ
17 hostes
18 revertitur

Eodem anno Dux gloriosissimus Biscardus, una & frater suus Rogerius, paratis 19 manibus in Siciliam devenientes contra Messanenses pugnaverunt, & iis devictis bellico 20 insultu Civitatem pariter ceperunt, Urbe capta, & ad voluntatem eorum ordinata, paucis diebus 19 navibus 20 assaltu

ibidem

1 commorati ibidem 1 commorantes, apud Castrum Joannis iter arripiunt :
2 Bertaneus Quibus 2 Venthavetus cum multis Arabicis, & Africanis, preter
3 pretendens eos, quos de Sicilia habuerat milites, obviam 3 procedens, contra eos
armis parat decertare. Erat autem ejus exercitus quindena complens
4 tantum millia, & noster exercitus inter pedites, & milites septingentos 4 tunc
Christianos obtinebat, qui quoniam non in multitudine victoriam
belli esse, sed de Cœlo fortitudinem advenire, jam dudum sepe in
5 extiterunt simili negotio 5 experti fuerant, in duas acies divisi juxtà flumen
6 Gaudentũ 6 Gadentum multitudini Saracenorum occurrunt, moraque omni
7 cõsuetudo remota, nostris 7 consueto more dextra, & sinistra viriliter insisten-
tibus, tandem multis eorum, & paucis nostrorum interfectis, sicut
fuit Dei voluntas hostes Christi in fugam conversi sunt, quos Nor-
manni cum summa audacia persequentes, decem millia gladio truci-
darunt, cæteri quinque infra Castrum Joannis fugiendo vitam ser-
vavere. Nostri itaque adepti victoriam & multa preda onerati jux-
8 Calatasabet tà 8 Calotachibech, quia ibi optimi erant fontes, somno, & cibo se
reficiunt, in crastino preda generaliter omnibus distributa, Comes
Rogerius ad depredandas Agrigentinas partes proficiscitur, unde ma-
ximam predam reducens, totam fratri suo dividendam commisit;
deinde ambo Castra sua moventes Castellum, quod Sancti Marci
appellatur constituere.

Et constituto ibidem, & apud Messanam relictis optimis defenso-
9 ad inquietandum iterum ribus, & Bithumine 9 ad intendendum in Terra, in Calabriam regres-
si sunt, qui una sola nocte apud Regium morati, Dux in Apuliam,
10 post, deest Comes Mellitum proficiscitur. Nec multo 10 post Comes 11 Roge-
11 Rogerius decente rius quinquaginta militibus congregatis Saracenici avidus exercitii, in
Siciliam revertitur; factisque multis per diversa loca depredationibus,
12 Trajanum cum ad 12 Tratatum perveniret, Greci ejusdem loci habitatores,
13 idem vertunt sibi jam 13 de virtute illius, & audacia cognito, quod inviti facturi
14 & essent, sponte sua se 14 in Civitatem suã dominationi illius subdide-
runt, ubi nativitate Domini celebrata solemniter, & audito quoniam
Legati sui de Normannia quæsitam sibi uxorem adduxerant, Melli-
15 juncta tum veniens, cum dilecta sibi 15 nupta Regio apparatu nuptias cele-
16 juncta bravit. Erat autem 16 Jucta nobilissimis orta natalibus, facie pulcher-
17 postquam rediens in Siciliam rima, moribusque honestis informata. Celebratis nuptiis 17 post-
quam Pistrelium Bithuminis auxilio ceperat, ad Ducem Robertum
pro parte illa Calabriæ, quam sibi promiserat repetendam tendit in
18 per partes Apuliam, quem 18 postquam solummodo inefficacibus promissis
tempus producere cognovit, remissa via apud Mellitum, & optimis
militibus coadunatis, alio modo quam pace Calabriam cum fratre suo
parat dividere. Sed Dux invictissimus, ne longiori mora aliquid sibi
ad malum mutaretur, paucis diebus congregato maximo exercitu
Mellitum festinat obsidere: itaque illo Urbe appropinquante, Comes
19 tamẽ perterritus 19 imperterritus, qui in nullo negotio fortunam sibi adversantem
cognoverat, armatis cunctis per apertam portam pugnaturus ei obvi-
am procedit. Igitur utrisque convenientibus, jamdiu alii aliis viri-
liter, & impetuosè, ut mos est militum, occurrerunt, & fugando
sæpè, atque iterum fugiendo sola virtutem ostendendi gratia non
20 Ernaldus nocendi, pari adhuc fortuna certaverant, cum 20 Henaldus frater
advenisset, miles ferè omnium, qui convenerant probatissimus, lan-

cea

cea cujusdam sibi occurrentis 1 loricam penetrante interfectus a occubuit. Et quia ipse omnibus, & præcipuè Normannis utriusque partis notus, & valde dilectus fuerat, mors ejus tam suos, quàm hostes & maximè ipsum Ducem, atque Comitem ad lachrymandum provocans, certamen sine dubio adhuc aliquid simile commissurum 3 diremit, 4 dimisso itaque certamine, Comes & sui maximo fletu miserandum corpus infra mœnia deferentes, piè illud, atque honorificè, 5 ut tantum, ac talem decebat militem; sepelierunt. Dux verò Biscardus, licet mors 6 Henlandi valdè displicuerit, & Normanni sui non parum de fraterna discordia conquærentes pacem quærendam, & deinde redditum persuadent, ipse tamen nihil inceptum volens imperfectum relinquere, duobus Castellis ligneis compositis Civitatem ex utraque parte, idest sursum, & deorsum obsedit, nec prius inde recedere, quam fratrem famæ aut siti coactum in vinculis habere intendit.

Dum sibi fratres, nominis ac dignitatis sui obliti, graviter adeo minitarentur, Bithumine de Cathania, qui parti Normannorum in Sicilia 7 favebat, sub deditionis nomine ab habitatoribus cujusdam Castri, cujus nomen Ancilion dicebatur, proditus, & interfectus fuit: neque idcircò Geratiani præ morte illius, qui maximum Normannis præstare videbatur auxilium, neq; pro Mileti obsidionem dimiserunt, 8 quando apud Mellitum Comiti Rogerio litteræ pro proditione sui Castri mitterentur. Unde magnanimus Comes suorum 9 fidelium satis confidens, centeno eum 10 sequente milite, aliis verò ad custodiam relictis, festino itinere in Siciliam tendit, & Giracium spontanea voluntate Græcorum ibidem habitantium redditum, & Sacramentis innodatum gaudens, & lætus accepit. Quo Duce audito, ipse de utroque Comitis absentia, & Castri deditione vehementer iratus, dimissi ad obsidionem militibus, quotquot fuerunt necessarii, aliisque secum deductis, remota omni mora 11 finem insequitur. Sperabat, & ipse cui nihil arduum, nihilque difficile videbatur, aut vi, aut ingenio, quo multum ipse prevalebat, in eodem infra Castrum 12 vel extrà capiendo se fortunam invenire. Quod Dei disponente gratia in contrariam postea partem sibi relapsum est. Comes namque Mellitanis suis subveniendis avidus, statim post Castri deditionem per aliam viam Duci non obvians, Mellitum reversus est. Dux verò ubi ad præsens capiendi fratrem spem omninò amiserat, ne in tanto labore nihil fecisse 13 videretur, vel diceretur, ad Castrum quoquo modo capiendum animum intendit, sed quoniam natura, artificioque, & defensoribus adeo munitum erat, quod neque bellica manu, neque ullis machinis posse capi videbatur, alio modo placuit sibi fortunam tentare. Militari ergo habitu deposito, Græcum se Monachum simulare non contemnens, solus, & inermis diurno itinere inimicum sibi 14 Gerachium ausus est ascendere. Erat autem in eoque Castro Grecus quidam nomine Basiliscus, genere & opibus præpotens, cum quo Dux, quoniam, & amorem, & notitiam habuerat, circumspecta, & explorata Civitate, tandem ad domum illius, ut eum de quæsito negotio consuleret, pervenit; qui dum satis hilari vultu, & honorificè ab eodem susciperetur, à quodam ejus servo compertus, 15 intimæ continuò revelatus fuit. Nec mora, rustici undique Civitatis convenien-

1 lacerat
2 occurrit
3 direxit
4 commisso
5 ut tanti, & talis militis
6 Ernaldi
7 fovebat
8 quia
9 fidelitati
10 frequente
11 fratrem
12 vel extra desunt
13 videretur vel deest
14 Geratium
15 viciniæ

nientes, armati omnes insimul domum Basilisci impetuosè irrumpunt, quorum subita accessione ipse conterritus, fugiendo ad Ecclesiam ab eisdem comprehensus, & crudeliter occisus est, uxoremque ipsius, & si immerita videri poterat, indigno tamen eam supplicio crueiarunt. Quod nisi Divina clementia immodicæ Duces audaciæ pepercisset, in eadem hora ab eisdem rusticis turpiter, & sine omni honore Vir tantus occubuisset. Ipsi ergo omnes non minus quam mortem uno ore promittentes, ligatum & benè custoditum, nihil ejus Majestati deferentes, in carcere posuerunt. Hæc ubi militibus ejus qui cum eo Castrum obsederant, cognita fuerunt, plorantes, & omninò quidnam consilii caperent ignorantes, cum summa festinatione per unum militem, quid de Domino suo apud Gerachium minus contigerat, nũtiaverunt Rogerio, qui fraterna pietate motus, & quod erga se non satis justè egerat penitus postponens, deductis secum militibus, & suis & illis, quos apud Mellitum Dux in obsidione reliquerat, ad liberandum fratrem in Siciliam festinabat, positis itaque extra Civitatem tentoriis, Geratiorum illos, quos potentiores sibi seu prudentiores esse cognoverat, ad se convocatos eum eisdem talibus verbis usus est: Quoniam fidelitatem, quam nullo cogente, sed sua sponte oblatam vestra mihi dilectio promiserat, præclaro opere, & famosissimo manifestare studuistis, ideo universorum conditioni, & vobis filiis, & amicis meis fidelissimis grates desero debitas, & in omni vita referre, ac retribuere conabor. Hostem enim meum quamvis fratrem, tamen omnium, quos usque ad hæc tempora habui, in festissimum, eorum quæ strenuè acquisiveram raptorem avidissimum, cujus avaritiæ totus Orbis vix posset sufficere, sanguinis mei super omnia sitientem, vobis ipsis perpetuum exilium manifestè, & occultè machinantem, fidelis vestra prudentia cępit, ligavit, atque ut dignum erat sua nequitia in carcere posuit, cruciandum usque ad adventum meum reservavit: præclarè quidem omnia; ex quo uno opere quot, & quanta mihi in vobis commoda perveniant, licet sint manifesta, prę magnitudine tamen relatu sunt difficilia, primum siquidem Mellitum Civitatem meam, quam injustè obsederant liberastis ab obsidione, terram, quam mihi pœnitus auferre parabat, liberam, atque quietam mihi restituistis; mihi vitam, vobis libertatem, opes reservando summam gloriam, summum honorem ab hominibus, à Deo, & à meipso maximam retributionem, à multis amicitias, & à nullo inimicitias pro tali facto meruistis. Ipse namque, omninò à nostris moribus degenerans, nulli amicus, omnibus, & suis odiosus, neminem, qui de suo malo doleat invenit. Præterea milites sui, quorum fretus auxilio in tantam superbiam efferebatur, læti de ejus infortunio, me, quem sibi inimicissimum cognoverant, Ducem elegerunt, de quo si dubitetis, licet ut hoc ab eis præsentibus inquiratis: quare agite, ipsum, quæ mihi a minatus fuerat sine dubio passurum, festinando in præsentiam meam adducite, parva enim, aut nulla mihi esse supplicia viderentur, quæcumque ejus iniquitas me non vidente pateretur. Quod autem de Basilisco, & ejus uxore absente me fecistis, nequaquam mihi displicet. Iste verò, qui in multis multas offendit, multis præsentibus diversis tormentorum generibus puniendus est; neque enim lex ulla justior esse videtur, quam necis artifices arte pe-

a in jure

rire

rire sua. Hæc ubi piissimus Comes coram 1 gentibus, longè aliter in animo habens, captando eorum benevolentiam, protulerat, ipsi multum de ejus commendatione & promissis congaudentes, confestim Ducem in præsentiam ejus adducunt, quem Comes fusis lachrymis præ gaudio suscipiens cum magna veneratione, tamquam Dominum, & fratrem dilectissimum, secum in Calabriam reduxit. Ex eo tempore Dux fraternâ concordiâ omnibus in vita sua habitis 2 anteferens 3 alteram partem Siciliæ, atque Calabriæ possidendam, alteram custodiendam Sanctissimo Comiti fratri suo permisit. Ipso deinde in Apuliam proficiscente, Comes cum uxore sua in Siciliam regreditur, cumque apud 4 Tranquinum per aliquot dies moraretur, quodam die Ipso apud 5 Gitosiam causa prędationis pergente, Trajanenses communicato consilio, Comitissam cum paucis relictam, à Civitate tentarunt expellere. Qui tota die pugnando 6 plus quam nihil profecerant, 7 immodicam fossam inter consulare Palatium, & reliquam partem Civitatis, Consulis adventum metuentes, tota nocte fabricaverunt; Sed adveniente Comite, ubi multoties inter se debellando graviter, neque Gręci Civitatem reddere volebant, neque Comes eam relinquere volebat. Jam multis diebus consumptis, & nostris 8 hyemis frigore, & ciborum indigentia vehementer 9 acetis, contigit Deo volente, ut Gręcis quadam nocte dormientibus, invictissimus Comes explorata 10 continentia, & Civitatem, & 11 Turrim, quæ in ea erat fortissima, custodibus interfectis caperet, & sic victoriam obtinuit, & die crastina Glotinum, & alios, qui Principes conjurationis fuerant, suspendium, & alias pœnas scelere suo dignas coegerit sustinere. In eodem anno, Comite adhuc Trajani 12 immorante, Castri Joannenses qolngentos probatos milites Africanorum, atque Arabicorum pro expellendis Normannis infra mœnia sua receperunt; quorum Comes audito adventu, illuc cum militibus suis 13 profectus est, cumque adhuc à Castro illo duobus 14 adhuc milliaris distaret, missis triginta electis militibus, quibus 15 Serlonem nepotem suum Serlonis fratris filium præfecit, ut de prope portas prędam adducendo illi indignantes eos persequerentur. Ipse omni bellorum industria 16 edoctus, in nemorosa vallecula propè viam, per quam redituri erant, cum aliis, quos secum retinuerat se occultando remansit, & jam collecta pręda Saraceni nostris insistentes ultra prędictam Vallem fugaverant, cum magnanimus Comes, invocato summa 17 voce Dei auxilio, hoc enim semper fuit signum Normannorum in bellis incipiendis, 18 ejus terga viriliter aggrediens, Serlone jam eum suis revertente, omnibus ibidem interfectis, certissimo experimento docuit, quam stultum, quam miserum sit Africanos, sive Arabicos Normannis in pręlio 19 occurrere. His, & similibus Normannorum successibus licet Saraceni valdè 20 attoniti redderentur, tamen Dominum contra suam nequitiam pugnare pœnitus ignorantes, & in persecutione Christianorum magnum se Deo præstare obsequium arbitrantes, congregatis ergo triginta millibus equitum, & peditibus infinitis, numerositate suą Normannorum paucitatem tentarunt extirpare.

Tanta ergo congregatione in audaciam elevati, pugnandiq; locum invenire cupientes, apud Teranum causa illud obsidendi 21 iter expediunt,

1 Geracinis
2 *alter Cod.* auferens, *et in margine manu Zocagni*: præferens
3 alteram Siciliam, atq; Calabriam
4 Trajanum
5 Metrosim
6 postquam
7 modicam
8 hyemali
9 corruptis
10 eorum cõtumacia
11 Terram
12 morante
13 provectus
14 fere
15 Serlonem *ita semper*
16 eductus
17 nocte
18 eos à tergo
19 cõcurrere
20 accorati
21 tunc experientur

1 flumen 2 hoſpitalis — diunt. Jamque ipſis non longe à Caſtro illo juxtà 1 fluvium 2 hoſpita-
tis, de adventu eorum Comiti nuntiatum eſt, qui miſſo Serlone cla-
riſſimo nepote cum triginta militibus, ut Ceramenſium animos con-
fortaret, ſe illuc in craſtinum promiſit venturum. At magnanimus Ser-
3 amiſtere — lo, probitatem generis niſi propria effulgeret parum ſibi 3 attinere re-
4 attribueretur — putans, aliquid dignum memoria, quod propriæ laudi 4 adſcribere-
tur ante adventum Conſulis perpetrare feſtinat. Mane itaque facto
ſequentis diei cum triginta ſociis ſuis armatis à Caſtro deſcendens, de
divino confiſus auxilio, hoſtilem exercitum auſus eſt invadere, ſtatim-
que omnes ſubito timore percuſſi, ſeu quia ipſum Comitem cum
multis ex improviſo forſitan adveniſſe putabant, ſeu quæ certiſſima
res eſt, divina ſic favente potentia cujus eſt, & dare, aut auferre
5 pugnatores — victoriam, tamquam maximus contra eos 5 pugnaret exercitus, in fu-
gam converſi ſunt; quos noſtri virili audacia inſequentes, poſtquam
multa occiſione fatigati fuerunt, per Caſtra eorum revertentes, ſpo-
liiſque pretioſioribus onerati, infra Caſtrum ſe recipiunt. Eadem die
6 militari — Comes ſicut promiſerat, centeno 6 milite Comitatus, apud 7 Ceramum
7 Teranum — accepit. 8 At Saraceni poſtquam noſtris revertentibus fugati reſide-
8 de Saracenis plutquā — runt, undique collecti, & multis aliunde venientibus multo plures
9 prius deeſſ — quam 9 prius in 10 Caſtra rediere, tantaq; illorum 11 videbatur multi-
10 Caſtro — tudo, ac ſi 12 tota gentilitas ex diverſis partibus Orbis conveniſſet,
11 videbatur eſſe — quantam nec ipſe Comes, nec aliquis ſuorum ſe vidiſſe recordabatur.
12 intra — Nocte ergo tranſacta, & ſole jam tertiam partem 13 ſui 14 curriculi
13 ipſius — aſcendente, Comes invictiſſimus, ne propter hoſtium multitudinem
14 circuli — ſuis 15 cor langueſceret, convocatos illos hujuſmodi oratione con-
15 animus — firmare intendit. Utrum in multitudine exercitus ſit belli victoria,
an de Cœlo victoria tantum veniat, neminem veſtrum credo ambi-
16 enim — gere. Licet 16 ſibi ad præſens veterum exempla prætermittam, quod
veſtra retinet memoria, in multis, & graviſſimis bellis, quibus hic, &
ultra Farum, Deo jubente, lætam ſemper victoriam habuimus, num-
17 certiſſimū — quam niſi pauci contra multos certavimus, iſtudque 17 certiſſima fide,
18 concuſſa — & 18 inconcuſſa credendum eſt, Deum univerſitatis auctorem poſſe
dare, vel auferre victoriam: qui quoniam quæcumque multorum
19 oratione — eadem, & paucorum 19 operatione, vel etiam nullo miniſtrante ſine
dubio poteſt efficere, nequaquam dubitandum eſt nobis, qui pio af-
20 infeceritis — fectu ejuſdem ſervitio inſiſtimus, cum paucis tentare, quod cum 20 in-
finitis nullatenus poſſemus impetrare. Quare, ò fortiſſimi milites, re-
mota omni inertia ſecuri de triumpho viriliter ad pugnam acceda-
mus, ſi enim hodie, quod minimè dubito, tantam hoſtium multi-
tudinem ex diverſis partibus congregatam ſuperare poterimus, pa-
rum nobis in Sicilia deinceps erit inſudandum; in fuga ſiquidem,
quod Deus omninò à genere noſtro prohibeat, nulla ſalus eſt ſperan-
da, quam ſi omni ſummo opprobrio, & maxime vitæ noſtræ peri-
culo inire tentaremus, certè neque hoſtium undique circumfuſa mul-
21 in pugna — titudo, neque ipſa locorum aſperitas nos 21 impune tentaviſſe pate-
22 aliunde — retur. Si vero vobis hic turpiter incluſis, nullaque 22 alia auxilia ex-
pectantibus, dum magis, magiſq; eorum exercitus augeatur, pugnam
differre placuerit, cibariorum indigentia iſtud omnino prohibet, ſo-
lo enim ferro ſalus cum victoria nobis hodie quærenda eſt. His, &
ſimilibus poſtquam ſuorum animum ad pugnandum ſatis animaverit,

omni-

omnibus uno ore ejus persuasioni assentientibus, ipsos protinus armari jubet, deinde ex omni suorum numero duas tantum acies instruens, elevatis signis paulatim de monte in vallem pugnaturus descendit.
Quem ubi hostes armata manu contra 1 aciem suam 2 convenerunt 1 spem
accedere, læti de oblata pugna, circumductis undique manipulis, ne 2 cognoverunt
fugiendo posset evadere, cum includere 3 festinantes; sed nostris nil 3 festinavit
tale cogitantibus, cum jam dato signo ex præcepto Consulis eis pararent 4 occurrere, in prima acie, quam Seilo magnanimus ducebat, 4 incurrere
miles quidam incognitus cum niveo equo, & niveis armis, & albo vexillo crucem habente rubeam, statura immensa, facie admodum
reverendus, cum nostris visus est incedere: qui 5 summo impetu in 5 sumpto
confertissimos hostes prorumpens, mirabilis ipse mirabiliter eos perturbare videbatur, quod nostri cernentes in eis ultra modum audacia, atque viribus augmentatis, celsa voce Dei auxilium invocando, omnique tarditate remota, viriliter hostibus incurrendo ipsum insequuntur. E contrario Saraceni virtute, atque animis omninò destituti, jamque Panormitano 6 Archadio, quem mala sua fortuna illuc 6 Arraido
deduxerat, lancea gloriosissimi Comitis interfecto, projectis armis in sola fuga montis inducias requirunt. Sed Christicolæ non prius ipsos funestè occidendo persequi dimiserunt, priusquam xx. millium animas in solis militibus ad visenda tartara coegerunt. Reliqui verò
quibus fortuna, & 7 res superveniens pepercit, fugiendo fastigia mon- 7 non
tis 8 ascendentes, nocte illa vitam lugubrem sine somno, & cibis du- 8 ascendendo
xerunt. Normanni verò multa 9 interfectione fatigati, cum gau- 9 multos interfecerunt.
dio tamen ad 10 tentoria recurrentes, præda æqualiter inter se divisa, 10 tentoria hostium
artus labore 11 inanitas cibis, & quiete reficiunt. In crastinum verò
ad montem ubi hostes reliquerant summo mane venientes, aliis eo- 11 inanimatos
rum gladio interfectis, alios in Calabriam, atque Apuliam 12 ven-
dentes transmiserunt; Trajano taliter obsidione liberato, venerandus 12 vendendas
Comes apud Agrigentum cum ducentis militibus iter expediens, cum infinitam prædam à partibus illis reduceret, septingenti milites Arabici à Civitate progrediuntur occultè per compendiosam viam nostrorum, illos, qui prædam ducebant, inter duos montes, ubi via erat arcta, & cavernosa, & nostris ibidem transitus, pervenerunt. Cumque illi in latere utriusque montis supra viam se occultarent, Comite cum majori parte equitum retro à longe veniente, & jam illis, qui prædam ducebant in prædictas cavernas introeuntibus, repentino clamore, atque jactu lapidum, & telorum creberrimo nostris armigeris interfectis, alios fugientes montem ascendere coegerunt. At Comes audito clamore, cursu celeri superveniens, vix suos à monte, in quem fugerat revocare poterat, tandemque omnes hostes viriliter insequens, excussa preda satis lætam de iis habuit victo-
riam. Quia ibidem 13 Gualterus de Cullejo miles optimus, nimis au- 13 Gauterus de Simellio
dacter hostibus incurrendo interfectus est. Post paucos dies dum Comes à Panormitanis partibus prædam reducendo prædam remearet, ex improviso maxima hostium multitudo superveniens sinistro omine bellum cum Normannis ausa est incipere, quos nostri adeo omnes in ore gladii posuerunt, quod nec etiam unus, qui miserabilem
eorum fortunam Panormi renuntiaret, 14 aliquis superfuit. 14 aliquis superfuit desunt

In iisdem temporibus Dux Apuliæ Biscardus Agellum in Calabria obse-

1 Agellani obsedit, qui tandem 1 Agelli feroces ejus insultus diutius non sustinentes se dederunt, interfectis ibi Rogerio 2 osculant, & Guiberto
2 extoblant ejusdem Rogerii nepote, viris bello probatissimis, quorum corpora apud Sanctam Euphemiam sepulta sunt. Dedito Agello, Dux ma-
3 appetendis gnanimus, mens cujus, numquam in audendis, & 3 perpetrandis majoribus hæsitabat, Normannis, atque Lombardis per Apuliam, atque Calabriam publico edicto universaliter congregatis, Barum Civitatem maximam natura, & arte, & viribus bellantibus munitam omninò ante illa tempora latinæ subjectionis ignaram, super omnia Normanni
4 superno nominis invidam, undique, & terra, & mari 4 fraterno confidens au-
5 circumdata xilio non dubitavit assidere. Ipso igitur 5 circumducto exercitu Ci-
6 egressum vibus à Terra omninò 6 egressis prohibente gloriosissimo fratre suo
7 Bussanorū 7 Mellicanorum Consule navali prælio non mediocriter ipsos urgente, ut facilius alter alteri laborantium bello posset conferre subsidium, & utroque latere Civitatis à terra usque ad naves funibus, vineisque suppositis geminum pontem placuit ædificare. Barenses, & si virtus egregia Normannorum super omnia sibi formidabilis esset, tamen quia pœnitus timorem dissimulare, & spem capiendæ Civitatis hosti-
8 volebant bus imminere 8 nolebant, quid quid auri, & argenti, seu pretiosarum rerum possidebant, de primo, quo nostri ad obsidionem venerant, in Cytharis, aliorumque instrumentorum Musicorum generibus modulantes, super propugnacula murorum videnda hostibus exponebant. Sed Dux omnium, quos terra sustinebat prudentissimus, co-
9 imo quasi gnita eorum astutia, non 9 ideo nisi magis, ac magis ad Civitatem expugnandam animum intendit. Brevi itaque spatio ligneis turribus, aliisque machinis diversorum generum compositis, omni die terrifico insultu muros hostiles non cessat concutere. Cives ex diversa parte, & jactu lapidum, atque telorum creberrimo, & vinearum oppositione satis audacter in principio Civitatē suam nituntur propugnare: neque tamen unquam, sicut in tali casu solet contingere, præsumebant
10 cōtendere apertis portis equestri, sive pedestri agmine cum Normannis 10 ma-
11 licet num conserere. 11 Sed ubi Ducem doctissimum præter spem suam
12 pugnatione in 12 expugnatione vident persistere, quod multitudine sua posse facere diffidebant, per manus unius dolosè, atque latenter tentaverunt
13 igitur opportuno efficere. Noctis 13 ergo optime silentio, cum Dux in tentorio cum militibus cœnaret, Barensis quidam, cui ingens avaritia perniciosa præstabat audaciam, pacta sibi pecunia jaculum in manu accipiens, solus è Civitate progreditur, cumque per Castra ambulando, si quibus ob-
14 viz viabat nomen, & causam dissimulando 14 vuæ, tandem cum ad Ducis tentoria perveniret, quasi unus ex ministrantibus esset, introgrediens, jaculum, quod occultè deferebat, in aspectum Ducis contorquere præsumpsit, quod Dei miseratio à persona sua avertens, vestem incisam corpus illæsum servavit. Immisso jaculo perfidus ille veloci saltu in fugam prosilens, noctis umbra sibi favente capi non potuit. Dux itaque tam repentino facto stupefactus, tantamque perfidiam licuisse Barensibus indignans, ut deinceps eorum fraudes, & insidias posset vitare facilius, domum sibi lapideam in castris brevi tempore
15 Argerioso jubet ædificare. Tempore illo quidam 15 Agereces nomine sub Dio-
16 triennio gene Imperatore Græcorum Civitatem Barensem 16 triennio transa-
deest cto custodiebat, quam postquam vidit neque dolis, neque viribus, quas

quas apud se præsentes habebant ab oppugnatione Normannorum posse, liberari Legatos Constantinopolim pro implorando auxilio 1 mittit, qui euntes, & cum navibus multis viris, & dapibus oneratis redeuntes, postquam usque Durachium pervenerunt, 2 Gerolinus quidam Normannigena Dux Corinthiorum, quem Imperator Navibus in Apuliam ituris perfecerat, eos cum litteris hujusmodi Barum præmisit.

1 mittit *deest*
2 Goccheli-nus

Gerolinus Dux Corinthiorum Archerio Duci Barensium salutem.

Pro certo habeas me cum magno subsidio in quarta sive citius ad te venturum, quare monitum te facio, ut nocte illa ignes, atque lucernas plurimas, ne fortè à retro cursu deviemus, super muros Civitatis vestræ facias accendere. Nos verò iterum, ut de nobis certiorem habeas fiduciam, in navibus nostris lucernas accensas habebimus.

Barenses in nocte illa, qua venturum sibi audierant subsidium, cum cantibus, & Musicis instrumentis insolitam agentes lætitiam, faces, atque ardentes cereos mœnibus suis supposuerunt, quod nostri cernentes, nec sine causa tam repente talia fieri arbitrantes, rem ut futura erat non pœnitus ignotam habuere. Armatis itaque navibus venerandus Comes Rogerius, ut primum naves Græcorum accensis luminibus, quasi stellas cognovit accedere, tranquillo cursu eis obviam progrediens, similem lucernam per unamquamque navium jubet accendere, deinde paulatim, & sine tumultu hostili navigio se immiscens, ipse subito clamore dato signo aggrediendi primus omnium 3 Gerolini navem ingreditur, ipsumque captum, atque ligatum sociis servandum reliquit. Idem ferè de omnibus aliis actum est. Barenses ubi se frustra à Græcis expectasse auxilium viderunt, versa in luctum lætitia, in crastino Duci suam Civitatem reddiderunt, Baro dedito, & navali exercitu apud Ydrontum congregato, Dux, & Comes in Siciliam ad expugnationem Panormi profecti sunt.

3 Gothelini

Erat autem Panormum Civitas dives, & populosa totius Siciliæ Caput, & principalis Sedes Tyrannorum, magisque opere, quàm natura munita, juxtà mare delitiosa planitie non longe à 4 Pelero monte, longo circuitu sita, nullius bonæ rei indigens, præterquam quod Christiani nominis erat aliena. Circumsedentibus ergo eam ex altera parte Ducis, ex altera parte Comitis exercitibus, navibusque omninò maris iter prohibentibus, omni die graviter utrinque pugnabatur; tantaque inerat Civibus audacia, quod plurimum de sua multitudine, & Civitatis fortitudine confidentes, nostris, licet acerrimè invadentibus, portas claudere dedignarentur. Contigit itaque die una, dum quidam Arabicus miles audacissimus, qui jam de nostris multos interfecerat aliquem sibi in portam occurrentem expectaret armatus, quod unus Normannigena Ducis, atque Comitis nepos strenuæ animositatis equum acriter urgens per medium pectus illius lanceam acriter contorsit, & cum hoste interfecto ad socios redire festinaret, porta subito clausa, & præsens hostium congeries reditum sibi per eamdem viam prohibuit. Mox ipse impiger per medios hostes, quam velocissimè longum iter arripiens, 7 tamen per appositam partem sævos insequentium manus Christo ducente illæsus evasit; 6 quem

4 Peloro *malè lege-Pelegrino*

7 tandem
6 accipiens

quem ad socios pro morte ipsius sperata lachrymantes redeuntem, ipsi quasi redivivum admirantes deosculari non cessant. Quadam alia die Normannis partem illam Civitatis, quam Comes obsederat acerrimè cum multimoda oppugnatione aggredientibus, cum Cives universalius solito ad defensionem ejus partis convenissent, Dux omnium sapientissimus, cui ab astutia nomen inerat, ex alia parte cum trecentis militibus viriliter aggrediendo portas frangit, & maximam partem Civitatis usque ad interiores muros occupat, & retinet. Quo audito, ne collecti in unum Cives viribus retroducem expellere præsumerent, Comes ad eumdem locum cum parte sui exercitus se transtulit. In crastino autem Cives, cum nullo modo virtuti Normannorum se posse resistere viderent, communicato consilio, missis, & remissis utrinque nuntiis, & pactionibus, quales adhuc in eadem Urbe tenentur, conformatis, Panormum Urbem Regiam totius Regni Dominam, atque Metropolim Duci, atque Comiti Fratribus, & viris invictissimis regendam, & possidendam tradiderunt. Qui, ne Cives immutato animo, & temeritatis legibus aliquando bella de integro auderent, ad removendam injuriarum licentiam, duo fortissima

1 Galgi.

Castra, alterum juxtà mare, alterum in loco, qui dicitur 1 Galca, brevi tempore constituerunt. Demum verò, quia in eadem Civitate ad sacrificandum Idolis composita ingens, atque pulcherrima ædificiis habebatur, expulsis Idolis in honorem Dei Genitricis, ac semper Virginis Gloriosæ Mariæ, Archiepiscopali Sede ibidem constituta, consecrari fecerunt. In iis peragendis dum fratres invictissimi adhuc Panormi morarentur, Seilo eorum nepos clarissimus apud Ceramum probitati suæ confidendo, Saracenorum insidias omninò superare non poterat. Quadam enim die quidam Castri Joannis notus sibi, &

2 familiaribus
3 fraternam
4 nimis audacem.
5 insequente

2 familiaris inimicus, tamquam plurimum de ipsius utilitate curaret septem Arabicos milites tantum pro præda ante Ceramum equitaturos ei nuntiavit; & cum 3 facta mandatis fidem adhiberet, ipsum 4 audacter cum paucis 5 insequentibus multitudo hostium occultè in subsidio collocata, sociis, jam amissis, & equo deficiente, vicinam rupem coegit ascendere, unde securus à tergo, tamquam aper inter latrones sævissimus, quot quot sibi occurrere præsumebant, impunè accessisse non permittebat. Cumque jam multis virili dextra ejus interfectis, tota multitudo in eum circumfusa convenisset, missis eminus jaculis corpus ejus in mille locis perforatum, tandem 6 felicem

6 felicem animam e. e. c. e. t. a. q. desunt.

animam ejus exhalare coegerunt: & tunc accedentes, quia animositatem à corde procedere audierunt, aperto corpore, cor illius, quod ferè omnium audacissimum fuisse cognoverant, per singulos divisum sibi incorporare festinaverunt: Caput verò abscissum ad Regem suum nomine Terveruum pro magno munere, & valde placituro transmiserunt. In iisdem temporibus Gusolfus Salernitanorum Princeps

7 causa talis quod
8 Amalfi ab eisdem

cum Amalfitanis bellum habebat, cujus erat 7 causa Pater suus in obsidione 8 Amalfi interfectus. Hi postquam viribus propriis ejus oppressioni nequeunt resistere, Duci Bisardo se, & Civitatem suam regendos, & defendendos committunt; qui quatuor Castellis in vicinis Collibus ædificatis, postquam Gisolfus pacem cum eo intemeratam servare non voluit, non amplius cum Du . . . . quæ erat soror Principis retinente, congregato exercitu Salernum obsedit; tandem-

que

que ipsius diuturna obsidione, & victualium penuria vehementer coacti, 1 Abealardus nepos Ducis, filius Comitis 2 Biscardi, qui in auxilio Salernitanorum, quoniam 3 duo 4 minitabantur, à Principe intro receptus fuerat, postquam tempus deditionis instare videt, 5 montano itinere hostilia castra apud Sanctam Severinam, quæ est in Calabria, cum paucis profectus est. Post cujus recessum Princeps omnium auxilio destitutus, Civitatem suam reddere non distulit. In eodem anno Dux apud 6 Rogerium Comitem Hermannum fratrem 7 Abealardi, quia pacem suam turbare nitebatur cœpit, & apud Melitum 8 incarcerandum transmisit, pro cujus liberatione 9 Abealardus, castrum quod eo invito possidebat Duci reddidit. Tali inter eos habita pactione, quia quam citius Dux Gargantum visitaret, fratrem suum à carcere liberaret, jamque aliquot mensibus transactis 10 Humano nondum liberato, 11 Abealardo, prout fraternus amor suadebat, moras juratæ pactionis increpanti Dux respondit, se neque infra annos septem Gargatum esse perrecturum, neque prius Humanum esse liberandum. Tali responsione 12 Abealardus vehementer in iram accensus, castrum quod in Apulia rupes S. Agathæ nuncupatur ingrediens, Terram Ducis viriliter inquietare non cessabat. Sed Duce illuc ad obsidionem veniente, missis, & remissis utrinque pacificatoribus, Castrum Duci redditur, & Humanus à carcere liberatur. Quo facto utrique fratres ad Regem Constantinopolim se transferentes, postquam ipsum ad pugnandum contra Ducem nequeunt impellere, nimium dolorem causam mortis dicuntur habuisse. Nondum eodem anno 13 finito, Africani apud 14 Vicotrum in Calabriam navali exercitu venientes, senibus interfectis, aliorum partem pro pretio reddiderunt, partem verò in Africam ad Regem suum deferentes, augmentato navigio apud Macariam in secundo anno iter habuere, & violenter navibus portum introgressi, Civitate depredata, Castellum, quod in ea Comes construxerat, per octo dies non cessant oppugnare; sed qui infra erant audacissimè ipsis resistentes, à prima die applicationis 15 eorum ad Comitem Legatum unum, qui talia nuntiaret, transmiserunt; quo ex improviso cum suis Normannis accedente, absque mora Saraceni ferè omnes interfecti sunt, pauci verò ad naves, & deinde in Africam fugiendo, non satis 16 lætos rumores de sociis in patriam retulere. Habita victoria Comes apud Melitum per Cathaniam proficiscens, Hugonem de 17 Brachio generum suum, quem Dominum Cathaniæ præfecerat, nulla admonitione Saracenorum insidias, & maximè Syracusanorum vitare jubet. Quo recedente Hugo immodicæ suæ audaciæ magis, quam prudentissimi Comitis persuasioni acquiescens, vocato sibi in auxilium Jordano egregio milite, & Comitis filio, Syracusanos ad pugnam non cessat invitare. Quadam ergo die 18 Benervetus eorum Princeps, congregata multitudine, non longe à Cathania in Valle se abscondens, triginta electos milites ante Civitatem pro extrahendis Civibus delegavit. Quibus Hugoni, & Jordano compertis, missis post eos statim ad faciendam moram triginta aliis militibus, ipsi deinde glomerato agmine, & tardiori gressu prodeuntes, ultra hostium insidias sinistro omine prosequi non dimiserunt, ex tunc 19 Bennieto cum multitudine à tergo eis insistente, Hugo statim à primo 20 concursu occiditur: Jordanus verò hostiles ma-

1 Aborrādus
2 Humfredi
3 Duci
4 invitabatur
5 nocturno
6 Cennas
7 Abachardi
8 incarceratū
9 Abachardus
10 Hermāno
11 Alvelardo
12 Alvelardus
13 firmato
14 Africam Comit
15 eorumdē
16 lętos, *deest*
17 Brachia
18 Beneuētus
19 Beneuēto
20 congressu

manus cum paucis vix evadere potuit. Triginta, qui in primo agmine hostes insecuti fuerant, apud 1 patmonum per divortia fugiendo vitam sibi servavere. Hæc 2 ubi venerando Comiti relata sunt, ipse multum de interfectione suorum 3 dolens, Castrum quoddam opulentissimum, quod in partibus Syracusiæ 4 Bervento 5 sonuebat festinat 6 invadere. Cujus summa audacia, & virtute insuperata, fractis mœnibus, & contritis quoscumque ibi viros pugnæ idoneos invenerat, omnes nemine excepto mortem 7 subire coegit. Mulieres verò, ac pueros 8 vendentes in Calabriam transmisit, deinde cum exercitu suo per totam Vallem 9 nocte progrediens, Segetes omnes comburendo, & falcibus resecando devastavit, unde in sequenti anno per totam Siciliam fames acerba 10 pervenit. His expletis Comes, & Jordanus filius ejus apud Trabulum Castra promoventes, ipsum circumsedendo oppugnare intendunt. Erat autem Campus juxtà Trabulum in longitudinem porrectus, ferè undique à mare collustratus; 11 huc Trabuienses, quoniam ad 12 alia prohibente exercitu sibi transitus non patebat, omni die boves, & pecora sua pascenda deducebant. Quod ubi Jordanus, paternæ probitatis imitator magnanimus comperit, centeno comitante milite, clam patre suo nocte illuc navigando cum sociis suis in umbrosa Valle 13 latitabat; & jam Phæbo primam diei horam terminante, pastores longè à Castro greges Infinitos ad pascendum 14 compulerant, & egressis à Valle militibus, decem solummodo, ne tota multitudo apparens Cives mœnibus inclusos 15 retineret, pastoralis clamor ferè universos Trabulenses ad 16 fugandos hostes, & greges retinendos veloci itinere compellit. Jamque primi sequentibus aliis usque ad nostros 17 decem pervenerant, cum Jordanus, & cæteri omnes à Valle progredientes, hostibus, & Civitati se interponendo, unumquemque, aut repugnantem interficiunt, aut ligatum cum gregibus ad naves, & inde ad 18 Castra reducunt. Quo facto cæteri, qui in Civitate remanserunt, ultra diem illum deditionem non differunt, Comite à Trabulo revertente, Castrinovenses idem faciunt.

Post superatam omninò Apuliam, atque Calabriam, cum admirabilis Ducis Biscardi magnanimitas exercendę virtutis ulterius loci opportunitatem non habens, in acquisitione Constantinopolitani Imperii, non deficientibus, 19 & honestis causis, miro modo affectatur. Altera causarum erat, quod Græcorum gens infidelissima debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam exhibere contemnebat; altera erat injuria, quam 20 sibi turpiter, & perfidè intulerat ulciscenda. Contigerat namque, 21 Michaele Græcorum Imperium sapientur gubernante, cum super omnia egregiam virtutem Normannorum sibi posse fieri nocituram prævideret, perpetuam cum illis pacem voluit fœderare; modisque ergo quibus potuit filiam Ducis filio suo primogenito dare perquisivit. Quo impetrato, Græci non solum Normannigenæ, verum & totius latinæ gentis semper execrabiles 22 inimici, invidia Dominum suum Michaelem, 23 pessimum scelus à Sede Regia 24 expulit longè à Constantinopoli Monachum fieri 25 coegit, filiumque ejus, qui etiam simul cum uxore in Palatio fuerat coronatus, ne si in filia Ducis, & latina muliere filios procrearet, Normannis, & omnibus aliis latinis in Regnum suum 26 ingressus pateret,

ceri-

- 1 patrinoniū
- 2 Hugoni
- 3 condolens
- 4 Benerto
- 5 servabat
- 6 evadere
- 7 subire, *deest*
- 8 vendendos
- 9 noti
- 10 supervenit
- 11 hunc
- 12 alia loca
- 13 delitius
- 14 cōtulerant
- 15 retinere, *deest*
- 16 in''andos
- 17 autem
- 18 in Castro
- 19 justis &
- 20 sic
- 21 Michaele, *deest*
- 22 inimici antiquius eis imperante
- 23 potissimū *in margine alia manu*: per summū
- 24 expulsum
- 25 coegerunt
- 26 ingressus liberior

1 erimithaverunt, uxorem verò ejus clausulam tenuerunt. Time- 1 eunuchaverunt
bant enim, quod si illa, quæ 2 semel apud illos coronam gestaverat 2 fere
ad patrem suum rediens alicui probo, & forti viro nuberet, ille ex
consueto jure Græcorum Imperium sibi vellet acquirere. Præter hoc
Græcus quidam 3 pater veneno, & arte simulatoria non mediocriter 3 Patris
instructus, Michaelem se esse, & forte perfidus suorum manus evasisse
se mentiendo, pro implorando in sui Regni restitutionem auxilio
4 probari dedictionem, ad Ducem nostrum se contulerat, quem Dux 4 post banditionem
omnium sibi 5 contemporaneorum prudentissimus, licet & multorum 5 eam Francorum
judicio mendacia sibi proferre non dubitaret, quia tamen hujus mo-
di 6 commentum sibi apud Græcos in deditionem Castrorum per- 6 comeatum
utile 7 futurum esse putabat, secum honorificè, tamquam suis men- 7 facturum
daciis fidem adhiberet per duos annos retinuit. Talibus de causis,
8 & admiranda Ducis audacia justitiam suam corroborans, post Duca- 8 &, *deest*
tus sui pacificam ordinationem, anno ab Incarnatione Domini
MLXXXX. navalem exercitum apud 9 ydiotum congregavit, cu- 9 Idrentum
jus partem pro exploranda Græcorum continentia, & si fors tulisset
Castri, aut Civitatis alicujus occupationem trans fretum delegata. Illi
euntes, & nihil proficiendo redeuntes, se magnam Græcorum mul-
titudinem in Insula Corphoe invenisse, minimè tamen eam posse
Duci resistere retulerunt. Tunc sine mora cum exercitu suo Dux
paratas naves ingrediens, favente aura, brevi tempore ad hostilem ter-
ram Græcorum juxtà 10 Ericho applicuerunt. Quædam verò na- 10 Corinthū
vium, vento 11 cogente, apud 12 Bausum cursum tenuere; sed 13 po- 11 cogerant 12 Vesosam
stea ipsis ad Ducem revertentibus, & Cassiople, & 14 Corphoe aliis- 13 prius ea
que Civitatibus, & Castris Ducis, potentiæ solo timore subjugatis, 14 Corphot
usq; 15 Libaniam ventum est. Tunc primum Greci Normannis frustra 15 Lavenoniam
resistere tentaverant, Duce verò paratis machinis 16 ibi semel insul- 16 ubi
tum faciente, nihil ampliùs morantes, & se, & Civitatem suam domi-
nationi ejus subdiderunt; similiter, & qui vicinum Castrum habita-
bant faciunt, & deinde nostri Dorachium venientes, positis extrà ten-
toriis, ipsum circumsedendo viriliter omni die 17 oppugnare non ces- 17 expugnare
sant: è contrario Cives multa lapidum, atque telorum immissione,
Civitatem suam, in quantum eis naturalis permittebat inertia, defen-
sare intendebant, & quod viribus, atque animis eorum deficiebat, 18 numerus situsque l.e. C. m. & *desunt*.
18 numerus, situsque loci, & Civitatis munitio supplebat.

Jam de hostili adventu Normannorum, & terrifica ipsorum ad
quemcumque locum venerant oppugnatione 19 allecti, Constantino- 19 Alexio
politano Regi diversis nuntiis indubitanter relato, ipse innumeras acies 20 Venetici *ita semper*
sui Imperii ad resistendum eis congregaverat: jamque 20 Veneti
multa 21 largitione munerum, & majoribus promissis ad auxilium 21 largione
ejus convocati, usque Durachium navigaverant. Sed Dux, cujus 22 in exemplum exploratum
potentia nihil remissum, nihilque prorsus 22 inexploratum relinque-
bat, eis à 23 late cognitis partem suorum contra eos pugnaturam ante 23 longe
24 portum Ysdroti præmisit, quibus more solito bellum audacter inci- 24 ante in introitu Portus
pientibus, 25 Veneti postquam 26 feroces eorum ingressus non 27 va- 25 Venetici 26 post
lerent sustinere, terga vertentes, usque in crastinum pro pace 28 cum 27 valent
nostris fœderanda inducias requirunt, nostri datis utrinque induciis 28 confederanda
ad castra redeunt. Sed Veneti, & frequenti Græcorum cohabita- 29 assuetis commerciis
tione, & 29 assumptis convicus satis in 30 fallaciam instructi, tota no- 30 fallacibus

ctæ naves suas lapidibus, & telis, & acutis sudibus muniendo supra 1 malos earum lignea 2 propugnacula 3 machinaverunt, in 4 crastino pro confirmanda pace 5 promissa ad eas 6 immittere, non solum ipsi pacem denegant, sed contumeliosè minas ingerunt. Nocte ergo sequenti Durachianos sibi adjungentes, Luna, & vento faventibus, contra nos certamen 7 inituri maris iter expediebant. Quorum cognito accessu, 8 protinus obviam eis navigantes, 9 audacter cum ipsis bellum incipiunt. Tandemque una Venetorum navi cum omnibus submersa, aliis versis in fugam bellum, dimittitur. Veniente autem diluculo, cum 10 nostri armigeri ad remota loca pro efferendis victualibus iter haberent, à supercilio montis in Valle prospicientes, armatam hostium multitudinem infinitam, ac si totus Orbis convenisset, Alexio eos ducente, viderunt accedere; 11 qui summa festinatione ad castra redeuntes, rem uti cognoverant Duci invictissimo retulere. Sed ille, cujus animositatis experientia 12 tot plena successibus, nihil arduum, nihilque formidabile reputabat, ne fortè suorum aliqui tanta multitudine perterriti spem salutis in fugam ponendo, minus 13 audacter contra hostes decertarent, naves suas extracta ab æquore animato igne jussit omnes illicò concremare. O admiranda 14 prudentis audacia, ò sapiens, & memorando semper 15 animo Ducis 16 providentia! Ne casu aliquo consuetam sibi victoriam posset amittere, id quod eam in bello frequentius timidis solet auferre, spem fugiendi videlicet, 17 omninò ab exercitu suo festinavit 18 removere. Crematis navibus, & spe saluris tantummodò ad pugnandum viriliter confirmata, cum Alexius fortè adhuc duobus milliariis à nostrorum exercitu remotus jam castra posuisset, quia maxima pars diei præcesserat. 19 Dux noster tamen, & ordinatione suarum rerum, & hostium exploratione intentus, licet jam venturam sibi palmam lætus conciperet animus, tamen usque in crastinum cum hostibus pugnare distulit, & nocte præsenti ipse cum Beamundo filio suo 20 excubandi vices suscipiens, manefacto, & missis devotè celebratis, & priùs peccatorum confessione, & Dominica Eucharistia reverenter ab omnibus accepta suos, ante dignitatis suæ præsentiam convocatos 21 diligenti exhortatione in virilē audaciam confirmat. Demum ex præcepto ipsius, armatis omnibus, & aciebus ordinatis, tranquillo itinere apud hostilia Castra eos triumphaturus deducit. At ex alia parte Alexius Legiones suas multipliciter instruens, Anglicos suos, quos viribus, atque animis Græcis præstare cognoverat, in prima acie collocat, cæteros verò ubi alii aliis in pugnando prævalebant, 22 alios in dextra parte, alios in sinistra, alios in medio, alios in postremo agmine curare jubet; sed ipse, quam velocissimo equo invectus, jam præ timore congelato sibi animo inter postrema agmina sibi previdens, qualis futura esset fortuna Anglicorum prospiciebat. Postquam exercitus ambo covenerant, datis signis utrimque bellum violenter incipitur, Anglici in principio cum bipennibus suis fortiter feriendo, primis nostrorum incursibus audacissimè resistunt; sed quia neque clypeis, neque lorica utebantur, postquam Dux insuperabilis cum sua acie tamquam 23 Leo, & audaciam multiplicavit, ipsis oppositis clypeis 24 mucronibus, atque lanceis eos per latera transfigendo multos eorum interficiebat. Cumque jam

1 malos
2 propugnācla
3 machinatione
4 crastino Duce verò
5 promissa, deest.
6 immittente
7 intueri
8 protinus, deest.
9 audacissime
10 nostrorū
11 quod
12 tota
13 accuratè
14 prudentia prudentis
15 animosi
16 facundia
17 animo
18 rumor
19 duxerunt contra ordinationem
20 excubādus
21 diligentur exercitatione
22 alios in dextera p. a 1. s. desunt
23 Leo sevissimus occurrens suis, & vires, & audaciam m.
24 inde crosibus

supe-

superatis Anglicis, Ducis magnanimitas per media hostium agmina ad locum ubi Alexius trepidabat festinaret, ille audito terrifico nomine Biscardi, quo totus sibi aer resonare videbatur, 1 urgendo cornipedem, quam velocissimè in fugam convertitur. Idem facit totus exercitus, 2 quos diù nostri persequendo aliis in vinculis positis, 3 alios innumerabiles interficiunt. Erat autem in campis illis Ecclesia quædam S. Nicolai, ad quam tanta, multitudo victorum 4 confugerat, quod etiam secus tectum ascendentes, fractis trabibus ipsam ruere coegerint, & quotquot infra, & superius continebantur suffocare coegerint. Postquam Dux adepta victoriæ lætitia fugientem Alexium manus suas videt evasisse, suos ulterius persequi prohibet. Inde ad Castra hostium redeundo, ex 5 intemato ipsius præcepto, quod 6 quicumque 7 tentorium seu pauper, seu dives contingebat, illud idem cum rebus intra 8 repertis quietè possidebat. Hoc tamen solum generaliter omnibus 9 edictum fuit, ut prima 10 vita Alexii tentoria soli Duci 11 Victori glorioso contingerent. Nocte illa & sequenti die 12 triumphantibus gaudiis solemnibus ibidem celebratis, omnibusque divitibus Græcorum spoliis abundantur locupletatis; 13 sollempnia, ut securus in eisdem partibus hyemare, & Durachianos ad deditionem cogere posset, in colle una juxtà 14 unum fluvium, castrumquod dum fortissimum, quod postea mons Biscardi appellatum est, brevi tempore constituit. Cumque diù in oppugnatione Durachii persisterent, quidam Veneticus negotiator, Dominicus nomine, Græcorum familiaris amicus, turrim quamdam, quæ in Civitate erat fortissima custodiebat. Cum eo Dux noster nocte una secretum habens colloquium, ut infra turrim milites suos armatos clam reciperet, pacta sibi pecunia impetravit. Quibus receptis, & vexillo clarissimi Ducis superius elevato, Cives non mediocriter terrore percussi, ultra triduum deditionem. 15 differunt Urbe dedita, & 16 fourmento de Rossano ibidem ad custodiam deputato, Dux infatigabilis ad 17 Casteriam expugnandam exercitum suum deducit. In hac Civitate Alexius, quia pusillanimitati Græcorum diffidebat, trecentos Anglicos ad defensionem posuerat, qui Duce ad obsidionem veniente, cum se minus ad protegendum paratos esse ostenderent, ubi paratis hostibus diversorum generum machinis plus facto, quam verbis opus esse compererant, immutato animo pariter omnes, & Græci, & Anglici, ipsos, & Civitatem Ducis voluntati subjiciunt: quibus benigna ejus liberalitas, sicut & alios omnes, quos in Græcia subjugaverat, eadem liberalitate possessiones, quas sub Alexio renuerant habendas permisit; unde jam ipse in tanta amicorum amicitia devenerat, quod multæ Urbes, & Castra munitissima absque ulla oppugnatione sponte sua ejus dominationi se subjiciebant.

1 in rgēte cornipede in quem
2 quos diù nostri p. desunt
3 aliorum
4 conjunxerat
5 intemerato
6 cuicūque
7 ipsorum
8 receptis
9 adjectum
10 invicto &
11 triumphalibus
12 Ducis solertia
13 deurinam
15 non differunt
16 frumento
17 Castoris

Anno quo Ducis Biscardi magnanimitas Castoria oppugnavit, Henricus Imperator Theotonicus Orbis Papam Romæ in Turre Crescentii reclusum obsedit, & Romani plus livori suo, & avaritiæ, quam Apostolicæ Institutioni, Ecclesiasticæ Unionis servandæ consulentes, Gilbertum Ravennensem Episcopum ponere in Sede Apostolica præsumpserant. Ob hæc nuntianda Legatus quidam Romanus ad Ducem Biscardum transfretaverat ex parte Gregorii, festinum ab eo implorans auxilium. Quo rem sibi referente, Dux noster fidelitatis

constantia plenissimus, anxius non mediocriter habebatur. Dubitabat siquidem ea, quæ tanto labore acquisiverat, tam recenter alieno regimini intus Græcorum multiplices dolos relinquere; at contra ipse sibi, & suæ fidei puritate prorsùs alienum videbatur in tanta necessitate Domino suo roganti non subvenire. Boamundo ergo filio suo, in regendis terra, & exercitu præfecto, una sola nave contentus Ydrontum festinus applicuit; inde missis per omnem Ducatum suum expeditè litteris, ubique generale edictum habebatur, ut quicumque milites, seu pedites armis deferendis erant idonei, remota omni mora Ducem gloriosum apud Romam sequerentur. Universis itaque Normannis, atque Longobardis inexcusabiliter apud Campaniæ fines convenientibus, cum jam ad locum unde Roma videri poterat perventum fuisset, admiranda Ducis integritas, cujus nec audacia, nec providentia animositatem unquam minuebat ordinatis, aciebus, & semper ad pugnandum paratis, tranquillo gressu agmina conducebat: sperabat enim sine dubio Alemannos cum 1 Normannis collectis in unum viriliter sibi obvios cum armis esse processuros, nec tamen idcircò minus audacter inceptum peragebat. At Romanus Imperator, ubi de hostili ejus accessu per exploratores indubitanter cognoverat, 2 Normannorum levitate cum insuperabili Ducis fortuna non parum incutiente timore expeditè Urbem relinquendo, quæ incomparabili Biscardi probitate audierat, manifestius præsens experiri non curabat. Jam fugientibus Alemannis, Dux noster cum exercitu suo appropinquans, mœnibus violenter dirutis, Romam ingressus fuerat, & Romanis victis Papam Gregorium à Turre Crescentii, summa exercituum audacia, ad Papalem Sedem Laterani reduxerat, cum Cives tanta & impune licuisse indignantes, die tertia ex improviso Ducem egregium frustrà bello tentaverunt superare. Dux namque impiger suis festinando in arma convocatis, modo solito viriliter eis resistens, per diversa loca Civitatis miscere jubet incendia, quibus intenti Romani, nostrorum aggressibus minimè possunt resistere. Ipsis ergo superatis, & Civitate in magna sui parte collisa, eadem die Legatos ad Dominum Papam, & ad Ducem invictissimum pro pace oranda miserunt, quia vix vioque volitate multiplici Sacramentorum innodatione fœdata; Papa tamen liberalitatem suam sibi à fidelissimo Duce suo restitutam, 3 Normannorum incostantiæ metuen eam recentur amictere, cũ triumphali eodem Duce nostro in Apuliam iter habuit. Dum fugiente Henrico Alemannorum Rege Dux Normannigena tanto apud Romam triumpho potiretur, 4 Boamundus proles ejusdem clarissima, Civitatem quandam apud Græcos Arsen nomine 5 circumducta obsidione viriliter oppugnabat, ad cujus liberationem cum Alexius 6 Tancredi Ducis absentia invitatus, cum innumera gente accessisset, Boamundus miles egregius, plurimumque in se paternæ 7 probitatis retinens relicta obsidione cum instructis agminibus obviam ei pugnaturus 8 cucurrit, belloque inito, & Græcis consueto more fugientibus, læta super eisdem victoria potitus est, sicque factum est, ut eadem, & 9 singulari die, geminos mundi ferè totius Imperatores ditissimos, & potentissimos Dux Biscardus, & 10 Boramundus Dux filius ejus, 11 alter in Græcia, superarent. Quod de aliis contigisse numquam apud historias reperitur. Relicto apud Bene-

1 *forte*: Romanis

2 *melius* Romanorum

3 Romanorũ

4 vaga mundus

5 circũdata

6 horrenda

7 bonitatis

8 occurrit

9 singula

10 vagamũdus

11 alter Romæ, alter in Græcia

neventum Apostolico, Dux insuperabilis cum militaris animus numquam poterat 1 gestaret, ad Terram Græcorum jam ex maxima parte suam festinus remeavit; cujus solemnis reditus ingentem suis lætitiam, Alexio verò timorem anxium, atque mœstitiam generavit. In hyeme illa multas Urbes, & Castra, numquam deinceps 2 Alexio sibi occurrente, expugnando acquisivit. 3 Sed æstate veniente cum jam propè Constantinopolim solo itinere trium dierum remotus acquirendo pervenisset, cum jam Alexius bis superatus Imperium potius omninò relinquere, quam pugnam denuò tentare decrevisset: Cumque jam dies, Civitas Constantini nihil aliud erga ipsum quam deditionem cogitaret, XII. Kal. Augusti, Sole movente Leonem, mors semper lætorum invida, Ducem invictissimum, singularem militiæ Leonem, totius mundi terrorem, & futurum dominatorem, cujus clypeus numquam declinavit in bello, vicit, domuit, 4 tenuit, superavit, vitam simul, & Imperium ejus terminavit.

Anno, quo apud Ydrontum congregatis navibus Dux admirabilis Græcorum deduxit exercitum, venerandus Comes Rogerius XXII. extra compositis 5 Travirmenium obsedit, cumque die uno de Castro Castris ad Castrũ, uno solo Comitatus milite, cui nomẽ 6 Casaldus pro ordinandis rebus equitaret, Saraceni, qui propè viam inter densitatem veprium latuerant, eis ex improviso curtellis incurrentes fidelissimum, 7 Causaldum, hostibus, & Comiti se interponentem, interfecerunt. Comes, qui solus, & inermis contra multos armatos pugnare non sufficiebat, vix eorum insidias potuit evadere. Tandem ipsi longa obsidione, & necessariorum indigentia coacti, Civitatem 8 obsessam Comiti reddiderunt. Dedita Taurimenia, & Comite in Calabriam redeunte, 9 paganus, quem ipse Custodem Cathaniæ præfecerat, magna corruptus avaritia, Beneto multa sibi danti, & compromittenti, cum summa fraude tradere Cathaniam non erubuit. Quo audito Jordanus filius Comitis illuc festinabat, quem secuti sunt Robertus de 10 Surdavaile, miles egregius Normannigena, & Helias, qui priùs fuerat Saracenus, sed 11 tunc fide Catholicus, & gentilis gentis extirpator magnanimus, 12 usum militiæ juxtà morem Normannorum, 13 cuilibet 14 electus. Hic postea in partibus Castri Joannis à Saracenis compræhensus, quia 15 ipsum negare noluit, ab eisdem minutissimè 16 trucidatus, vitæ integritatem cũ Christo suscipere promeruit. His cum Jordano Cathaniam venientibus, Benevertus ingenti suorum multitudine 17 elevatus, apertis portis hostiliter extrà Civitatem occurrit. Sed nostri quibus ex diuturno usu pugnandi, & prosperis successibus jam nulla multitudo formidabilis habebatur, glomeratis agminibus hostes, quam audacissimè aggrediuntur, & dum Jordanus jam multis virili ejus dextra cadentibus sibi inter cæteros Beneverto quærit occurrere, Benevertus solius Jordani occursum, tamquam Cervus Leonem, per agmina fugiendo quçrit effugere. Quod quia multum fortuna suis adversante diutius in apertis campis sibi non 18 jacebat, infra muros se recepit, suis idem facientibus, portæ clauduntur, multi quibus introire non licuit à nostris interfecti sunt. Hostibus infra mœnia receptis, Jordanus prius recedere, quam Civitate potiri recusat. Ipso ergo tamquam cum maximo exercitu eum circumsedente, Benevertus neque suorum viribus, neque Civitati

1 quiescere
2 Alexi sibi occurrerunt *reliq. desunt*
3 Sed æstate *desunt*
4 terruit
5 Tauromenia
6 Ansadus
7 Anraldum
8 obsessam..., *deest*
9 Pagonus
10 Sordavallis
11 nunc
12 versum
13 curialiter
14 edoctus
15 Christum
16 detruncatus
17 in superbiã elevatus
18 licebat

tati fatis confidens, in nocte proxima paganum proditorem secum ducendo apud Syragusiam refugit, ubi eum quasi ex merito promissa repetentem, Syragusani pro munere sibi mortem non promissam, tamen sceleri suo debitam intulerunt. Insequenti tempore Benevertus multa rabie in persecutione Christianorum insaniens, apud 1 Incotrum nocturno 2 tempore navibus deductis ipsum funditus evertit, senibus, & lactantibus utriusque sexus universaliter interfectis, alios in captivitatem duxit: inde remisso itinere propè Regiam Ecclesiam quandam in honorem S. Nicolai, & aliam in honorem S. 3 Gregorii consegratam furibundus devastavit, deinde apud Squillacium navigando, destructo ibidem quadam Cœnoblo, Sanctimoniales mulieres, quæ in eodem habebantur, turpia, & inhonesta à suis prædonibus pati violenter coegit, quas redeundo secum apud Syragusiam captivavit. His auditis venerandus Comes 4 pius Fundator Ecclesiæ, & Defensor egregius, ipsis pauperibus compatiendo lachrymas non retinens, oratione, & jejuniis trium in hebdomada dierum, & multa eleemosynarum largitione per 40. dies omnipotenti Deo ultori scelerum justissimo non cessat supplicare; demum congregatis undique auxiliis, & multitudine navium parata, ipse per mare, Jordanus per terram, apud Syragusiam direxerunt exercitum, tantaque 6 miraculi 6 aperitione 7 Dominus hæc pia vota Consulis exaudisse certificare dignatus est, quod demissis velis nulloque remigante, & pœnitus cessante aura, recto, & veloci cursu naves ad optatum locum advenere. Quod pius Comes, & cæteri considerantes, securi de victoria grates Deo debitas cum laudibus referunt. Navibus, & Jordano apud Rasalinum, convenientibus ex pręcepto Comitis quidam Philippus nomine fidelis ejus, Latina, & Saracenica lingua eruditus, loqui cum XII. sibi electis sociis pro exploranda Syragusanorum continentia, usque infra portum Civitatis parva devectus navicella in noctis silentium navigavit, qui rediens ad Consulem Benervetum navale bellum parantem, & sine dubio pugnaturum nuntiavit. Tali rumore Consul, & Normanni sui magnam agentes lætitiam, Dominum in primis collaudando, ad celebrandum divini ordinem officii Cappellanos invitat. Quo expleto, & post peccatorum Confessionem, 8 Dominico corpore ab omnibus reverenter recepto, Comes Jordanum in agendis rebus, & Urbe obsidenda docet, instruit, & ne priusquam navale bellum omninò finiatur, insultum facere præsumat, & monet, atque præcipit. Deinde Jordano cum ordinatis aciebus Civitatem appropinquante, ipse paratis, quæ paranda erant, vela dari vento, & ad hostilem Syragusiam cursum jubet expedire. Mane quodam die Lunæ, navibus suis cum Benerveto convenientibus, navale prælium utrinque audacter horrifice telorum, & lapidum emissione inchoatur. Sed quoniam nostri 9 in arcu, & balista, quorum nec usus, nec doctrina hostibus inerat abundabant, multos eorum 10 impune vulnerabant, quod Benervetus super omnia damna suis inferre 11 prospiciens, dùm adhuc pugnæ fortuna in incerto habebatur, 12 manum 13 prius conferre accelerat. Itaque celeri navigatione in aspectum Consulis cursum expediens, navem ejus quibusdam uncis ferreis, quos secum detulerat occupare, aut diruptam, etiam undis submergere parabat, quem magnanimus Comes totis

1 invi-

1 Nicoteram
2 itinere
3 Georgii
4 primus
5 mirabili
6 apertione
7 animi
8 directo corde
9 murdi
10 in pugna
11 pręcipiens
12 manus
13 proprias

1 invicendo viribus, 2 gemina licet indutum lorica, per medium pectus lancea transfigens, 3 extracto ense in hostilem navem persequitur. Sed Benervetus, jam sibi mutato animo præ omnibus eum volens effugere, dum infelicem animam, quam jam plenè amiserat in proximam sociorum navem saliendo quærit retinere, pressus pondere loricarum, 4 decidendo sub undis eam cogitur relinquere. Quo facto suos statim in fugam conversos nostri audacissimè ense alios detruncando 5 persequentur. 6 At adepta victoriæ lætitia, Comes priusquam ad littus velit descendere, Benervetum quæsitum, & à fundo maris extractum capite detruncare, & per unum cujus vitæ pepercerat caput ad Africanum Regem deferri jubet. At Syracusani licet Benervetis, & aliorum interitus maximam ejus desolationem attulisset, tamen multitudini Siculorum, quæ plurima in 7 eorumdem convenerat auxilio, & Civitatis suæ munitioni confidentes, constanti animo deditionem facere recusant, & ut Comiti animum morandi diutius ad obsidionem minuerent, Christianos omnes, qui apud ipsos captivi tenebantur, liberos abire permiserunt. Sed Comes, cujus probitatis constantia nihil unquam honestè inceptum nisi peractum relinquere volebat, non prius inde recedere, quam Civitati potiri affirmando, perseverat igitur eam hostiliter circumsedendo, & omni die diversis machinarum generibus viriliter expugnando, magis atq; magis vires, atque animos Civibus minuebat. Jamque illis pœnitus imminutis, & cibariorum cogente indigentia, uxore Benerveti nocte apud Nothum oppidum cum filio suo fugiente, Syragusani, qui toties Christianorum sanguinem effuderant, ulterius deditionem protrahere non festinant. Post deditam Syragusiam Comes iterum congregato exercitu Agrigentum obsessum 25. die Julii expugnavit, ubi cum Deo ita disponente uxorem Castri Joannis Tyranni, qui Hamus dicebatur, cum pueris suis inventam apprehenderet, absque ulla læsione cum honore maximo, & 8 nostrorum afficientia, custodiri præcepit. Quod factum marito ejus indubitantèr relatum, ipsum non solummodò ad Castri Joannis deditionem, verum etiam ad Christianæ fidei conversionem plurimum animavit. Post paucos ergo dies rebus sibi, & pactionibus cum Comite nostro per fideles nuntios ordinatis, & die constituto Comite ad 9 determinatum locum cum 10 militibus accedente, ipse simulans ad remota loca se esse iturum pro perquirendis, quorum auxilio Normannorum viribus posset resistere; dum quasi nescius ad locum ubi Comes transitum ipsius expectabat cum paucis pervenisset, Consul eum velut captivum honorificè secum apud Agrigentum deduxit. De captione hujus 11 Castrum Joannis audito, habitatores ulterius deditionem non differunt, quibus ita 12 potitis Hamo ex uxore sua, & pueris, & plurima parte familiæ, spontè sua relicto veteri errore baptismatis fonte sacro innovatis, & deinde in Calabriam, ubi propè 13 Melsium provida Consulis benignitas terram eis, & redditus largita est delegatis, Comes cum exercitu suo Buceimam accedens eam expugnavit. Eodem anno apud 14 Tranum cum Papa Urbano colloquium celebravit; post cujus recessum cum ipse ad Nothi expugnationem extremos labores Siciliæ præpararet, uxor Beneverti cum filio suo, & quibusdam sibi familiaribus nocte ad mare, & deinde in Africam ad Regem 15 Tevinium

1 evidando *melius* hoste invadendo
2 gemina, *deest*
3 primam
4 deridendo
5 alios manibus æquore sub mergendo
6 adjecta
7 eodem
8 necessariorum affluentia
9 destinatum
10 militibus centum
11 apud Castrum
12 pactis
13 Mileium
14 Trajanum
15 Teuminiū

nium profugiens, idem oppidum absque ullo belli 1 honore sibi possidendum reliquit.

1 errora

Post debellatam egregia virtute Comitis ad plenum Siciliam, & eadem in tranquilla pace ordinata, 2 Creraborgi uxore illius defuncta, duxit alteram à nobilissimo sanguine Caroli Magni ducentem prosapiam in partibus Lombardiæ oriundam, & studiosè à Parentibus enutritam, & honestis moribus informatam, cujus nomen fuit 3 Aeies Mabissa. Hæc autem habuit duas sorores pulcherrimas, quas Comes duobus filiis suis, majorem Ruffrido, minorem Jordano, non satis dextro omine desponsavit. Goffridus namque post pauca tempora à gravissima, & incurabili ægritudine præventus, adhuc vivente uxore claustrum soli Deo militare disposuit; at Jordanum neque genus, neque probitas, neque honestissima morum elegantia diu in præsenti vita servare potuere. Hic apud Syragusiam, ubi Pater suus ipsum Principem constituerat, febre acuta superveniente defunctus, in 4 Messana apud Ecclesiam S. Nicolai sepultus est. Post sanctissimus Comes occulto Dei judicio pœnitus à virili prole orbatus, fusa ad Deum prece in spe sobolis procreandæ uxorem 5 suam cognovit, 6 in eaque filios, & filias generavit. Qui usque ad senectutem honestissimam 7 agens vitam, plurimum in ædificatione Ecclesiarum intentus, easque, prout 8 insolita ipsius posteritas adhuc, & regit, & conservat, per totam terram suam copiosè ditando, & juxtà 9 Gallietum religiosè, atqne decenter ordinando, pius orphanorum protector, & munificus pauperum Christi sublevator extitit. Cumque his, & similibus proficiendo semper in melius, honestæ Sanctitatis exemplum cunctis existeret, tandem necessaria humanæ conditionis lege naturalem in eo dissolutionem operante, 10 illam illustrem animam tanta collustratione, vel meritorum collegia, ante cospectum Divinæ Majestatis expirando delegavit, corpusque ejus apud Mellitum in Ecclesia, quam ipse fundaverat honorificè, ut tantum virum decebat, sepultum est.

2 Creborgii
3 Aclesi Marchissa *melius* Adelem, Adelaydem, Adelasiam
4 Mexana
5 Dominam Adelaxiam
6 & ex ea
7 degens
8 inclyta
9 Gallantum
10 illam illustrē animam virtutū collustratione, ac meritorū agmine insignitā, ad desiderata beator. collegia

11 (Post hunc Simon, filiorum primogenitus, regimen consulare accepit: qui per paucos vivens annos, graves ab Apuliis irritationes sustinuit.)

11 *desunt*

Huic successit ille hominum maximus 12 à Deo dilectus, & benedictus unicus Leo, & pacis fundamentum Rogerius, mundi admiratio, virtutum omnium splendor, & præ Regibus 13 hæres sapiens, & immensus 14 omnia prius 15 tamen Comes, postea 16 Dei nutu, tum incomparabili ejus scientia operante dignus, feroces Apuliæ, & Capuæ Principatus, ad ultimum Rex Siciliæ, Tripolis Africæ potentissimus, fines suos longè, latèque multiplici terrarum acquisitione ampliavit; (17 ad cujus laudes, & gesta probitatis singulariter referenda, quoniam Ciceronis eloquentiam insufficientem fuisse reputo, ego qui ferè nullus sum, tantæ gravitatis onus mihi adhuc incognitum in præsenti temptare formido.)

12 & plusquā homojustitię unicus Leo
13 hæres sapiens à terrę
14 qui
15 tantum
16 Dei nutu tū Dei imitator
17 *omnia desunt*

Post mortem Comitis Rogerii, prout continetur in Cronica, successit Rogerius sibi filius suus, sub Gubernatione Georgii Admirati existentis in Civitate Panormi, & dominabatur per totum Regnum Italiæ. Tunc Papa sciens Rogerium, qui remanserat ad succedendum in Regno esse parvulum, misit navigium contra eum, & venit Ro-

Huc usq; Cod. 6106. sequētia ex Cod. 4936. descripta sunt.

mam

mam: Sentiens autem Georgius Admiratus, quod Papa paraverat exercitum permanere, & per terram, contra eum bellum paravit, in quo bello maritimo Georgius debellavit navigium Papæ. Rogerius verò venit cum suo exercitu in Apuliam, & obsedit Civitatem Venusiæ, in qua erat Papa cum toto Collegio, ubi facientibus Venusinis Papam, & Collegium totum captivum detinuit, qui ad cor rediens, & pœnitentia ductus ipse Rogerius liberavit Pontificem, & sibi cum magna reverentia, & cordis contritione cum corrigia in collo tamquam Sanctissimo veniam misericorditer postulavit, ac etiam sui milites fecerunt; Tunc verò Sanctissimus Pontifex videns contritionem Comitis Rogerii, & suorum eis tamquam misericors Pater gratiosè pepercit, & faciens cum suo Collegio consistorium in Venusio in Regem Siciliæ Rogerium diademate coronavit.

Eodem tempore Rex Alamanniæ insurgens contrà Ecclesiam Romanam venit, & non permittebat Papam Romam ingredi, & tunc Rogerius Rex unà cum Pontifice secum suum exercitum ducens ivit Romam, & Regem Alemanniæ manu potenti, & extensò brachio debellavit, & Summum Pontificem in sua Sede restituit, demum venit Panormum, ibique defunctus est, & ibidem sepultus relinquens in successorem suum legitimum Guiliemum Malum, qui sua Tyrannide totam Ecclesiam, & Dei Populum destruebat, de quo Guilielmo pessimo natus est Guilielmus Bonus, qui multas Ecclesias ad Dei, & Sanctorum honorem construxit, videlicet Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monriale, & quamplures alias prout in sua Chronica continetur. Necnon dimisit unam filiam nomine Constantiam in Monasterio Sanctæ Mariæ de Panormo claudam in visu obliquam, & ob causam hanc extiterant in Monasterio posita, qui quidem bonus Rex Guilielmus habuit in uxorem filiam Regis Angliæ, quam numquam carnaliter cognovit, & ultimo post ejus mortem virgo permansit, qui postquam mortuus est, cum patre suo Panormi sepultus est.

Illo verò tempore Principes Alemanniæ Imperatorem fecerunt Henricum, qui veniens Romam per Papam Imperii coronam accepit in uxorem Constantiam Monialem, quæ steterat in Monasterio per annos XL. cui Henrico quodam tempore per Calabriam transeunti apud Neocastrum Abbas Joachim eruditissimus dixit per Spiritum Prophetiæ, quod uxor sua gravida erat, adhuc gravedinem nullam ventris sentiens de dæmone erat prægnans. Tunc Henricus fecit coram; sed Joachim accersiri, ut ei indicaret; quare dixerat Reginam Constantiam Dæmonem parituram, qui respondit ei dixit, quod filius suus nasciturus debebat mori excommunicatus, & ideo qui extra Communionem Ecclesiæ est positus, & moritur sine Ecclesiæ Sacramentis, rectè dici potest Dæmonis filius, & sic fuit, prout experientia temporum manifestat. De qua Regina Constantia propter nimiam senectutem spem fœcunditatis, seu prolis omnis amiserat præcipuè Romana Ecclesia, ipsa verò postmodum temporis peperit filium nomine Federicum, & volens tam Regnicolas, quàm Romanam Ecclesiam de sua fœcunditate certificari, Papa quia anus erat jam effecta, & tale quod difficile ad credendum se per diversas Civitates, Imperii, & Regni contulit Siciliæ famosissimas ostendendo cunctis hoc non credentibus nudas mammas, sive

mammillas lacte plenas, quod quidem factum eunti crediderunt Dei fore miraculum abjicientes incredulitatem concipiendi, quam de ipsa habuerat à cordibus suis totaliter. Sentiens autem hoc Papa, quod Regina insobole erat fœcunda Henrico viro Constantiæ concessit Imperium, quod tranquilla pace nullo tempore obtinuit, & possedit.

Natus verò Federicus de Constatia fuit Rex Italiæ, & demum Romanorum extitit Imperator, ipsoque regnante Soldanus Babiloniæ Nuntios sibi misit, ut ei nuntiaret, qua erat causa, quare Christiani eum cum exercitu continuè molestabant, qui Federicus ad eum Nuntium suum transmisit D. Corradum de Amicis cum infinitis donis, cui D. Corrado suadebat Soldanus, ut ejus manus reverenter osculari deberet, & ei multa munera exhiberet, cui numquam voluit consentire, imo penitùs denegavit, qui Soldanus callide ipsum Dominum Corradum volens suæ voluntati devotum reddere fieri fecit atrium parvem, in quo nullus nisi flexis genibus posset adire, & serio pavimentum tappeti Cruce signatis sternere fecit, & fecit ipsum vocari coram se tamquam nuntium Imperatoris, ad cujus dictum intravit, sed non prout credebat reverenter introvit, imo retorto vestigio, seu retrorsum atrium ad ipsum introivit Soldanum, cui Corrado quidam Turchimannus Soldani dixit, quare tuis conculcas pedibus Domini Crucem, qui respondit, unam Christum habuisse bonam, & Sanctam, alias verò Cruces, quas meis pedibus conculco latronum sunt, & non Christi, sicque in ultimis cum magnis donis Corradus prædictus ad Imperatorem revertitur. Legatio ejus propterquam ipse nuntius iverat ad Soldanum fuit ut ad hoc, quod cessaret à molestia Christianorum Sepulchrum Domini Nostri Jesu Christi destrueret, qui Soldanus per suos subjectos mandavit, quod ipsum destrueretur sepulchrum, & volentes Saraceni destruere favilla ignis ardentissimi de sepulchro exiit, & arsit per circuitum aquas, terras, mare, & omnia ferè perdietas septuaginta. Deinde Federicus reversus in Alemaniam, & post descendit Bononiam, quæ rebellata est sibi, & accepit filium Imperatoris Federici captivum, & in carcere mortuus est. Barones verò Regni consilium inierunt, ut Federicum Imperatorem occiderent, & euntes se locaverunt in Tuscia, quorum conspirationem per Comitissam Casertæ Imperator sentiens eos capere voluit, & ipsi fugierunt ad Terram Capacii, se contra ipsum fortiter munientes, quos Imperator Federicus obsedit, & sibi ultimo se tradiderunt captivos, quorum quidam per eum capite truncati sunt, quidam cæcati, quidam diversis pœnarum generibus interempti sunt; Et post modicum tempus venit Imperator in Apuliam, & ivit venatum cum suis falconibus in quodam Casale, ubi intus quadam Ecclesia sub Imagine Virginis defloravit quandam mulierem, ob quod scelus passus est dysenteriam, & deportatus est in Florentia, Princeps verò Manfredus Tarentinus naturalis suus habito consilio cum quodam Secretario, Corsino supposito faciei eum suffocavit, & mortuus est. Post mortem ipsius venit Corradus de Alemannia ad vocationem quorumdam Baronum Regni, & Coronam accepit in Civitate Panormi cui dedit Manfredus ad bibendum, ut moreretur lapidem adamantem, & misit viscera sua, & mortuus est, qui Manfredus contra voluntatem Ecclesiæ Regnum accepit, & regna-

regnavit modico tempore. Papa autem fciens, & Cardinales mifeٍrunt ad Comitem Provinciæ verfus Carolum Regis Franciæ, ut veniret ad Regnum Ecclefiæ fufcipiendum, qui veniens cum Baronibus Regni, qui pofiti erant ob timorem Manfredi in exilium contra ipfum dimicavit, Manfredum juxtà Beneventum in planitie, quæ dicitur Rofech, quem vita, & Regno privavit. Poftea Carolus Rex regnavit in Regno Siciliæ in pace tranquilla, deinde venit Corradinus filius Regis Corradi de Alemannia cum D. Henrico de Hifpania fratre Regis Hifpaniæ, & commifit bellum cum eo in campum, qui dicitur Seruccula, qui convictus extitit à Carolo, & captus in luco dicto Aftore in marituna, & cum eo capti fuerunt Dux Sterlich, Comes Girardus de Pifis, Comes Galventus, & Galioth filius ejus, fcientes autem Barones Regni, quaplures fcilicet de Terra Ydront, & de Calabria, quod Corradinus venerat fe rebellaverunt contra Carolum, & pofuerunt in Caftro dicto
quos Rex Carolus poft victoriam obtentam de Corradino vita privavit. Poftmodum Rex Carolus Corradinum, & omnes alios, quos in bello cæperat decollari in Civitate Neapolitana juffit, in locum autem, quo victoriam habuit Rex Carolus de Corradino, quandam Ecclefiam conftruxit ad honorem Beatæ Virginis, quæ dicitur Sancta Maria de Victoria, in qua Cappellani Gallici in Divinis continuè adminiftrant.

Poftea Rex Carolus paravit armatam contra Romaniam cum fuis Baronibus cum magno exercitu navibus, & galeis, & ufceriis, iftoq; medio tempore contra eum fe rebellavit Sicilia, & primum Panurmum, & poftquam fuit rebellata Sicilia Rex Carolus venit Brundufium cum armata fua, & ivit poftea Regiam, & eum invenit rebellem, & tranfiens Meffanam obfedit eam, & ftetit apud Monafterium Roccæ Maduri, ubi fecit quamplures milites, & poftea recepit, & venit Regnum fuum fine triumpho. D. Comes Sancti Severini, & D. Comes Petrus de Catanzario ftantes Nicotare venit D. Rogerius de Lauria, & combuffit Tyrritas, & Ufcerios, quos reperit apud Nicotarem, & fuglerunt relictis terra, & eornm arnefiis. Dictus D. Petrus de Aragonia venit de Sicilia apud Seminariam, & accepit eam furcife, & omnes, quos invenit ibidem Barones crudeliter trucidavit.



EX ROMUALDI
SALERNITANI ARCHIEPISCOPI
CHRONICO
POSTREMA PARS
Ab Anno 1159. Ad Annum 1177. quo definit.

DE ROMUALDO

SALERNITANO ARCHIEPISCOPO

Notitiæ, ex Tomo VII. Italiæ Sacræ D. Ferdinandi Ughelli à pag. 656.



Omualdus II. Guarna, Patre Petro quondam Romualdi Comitis, qui dictus est Crassus Salerni summo loco natus, (*Regum Siciliæ Consanguineus*) vir doctus, & prudentia clarus, (*etiam in Medicina versatus*) Salernitanus Archiepiscopus eligitur anno 1153. Anno 1156. una cum Ugone Panormitano Archiepiscopo, Guillelmo Calano Episcopo, & Marino Abbate Cavensi, Ipse Romualdus pacem composuit nomine Guillelmi Mali, Siciliæ Regis, cum Legatis Adriani IV. Papæ, ut in Diplomate ejusdem Regis in Baronio legitur.

Anno 1165. Excepit honorificentissimè Alexandrum III. Salernum venientem, quod ipse Romualdus suis in Chronicis commemorat..... Fuit Romualdus in maximo honore apud Alexandrum, Fridericum Imperatorem, Regemque Guillelmum Malum, filiumque Guillelmum Bonum, quem coronavit, & unxit in Regem, Panormi, anno 1166. (*Cum post mortem Ugonis Romualdus electus fuisset Archiepiscopus Panormitanus; irritis attamen votis, ut habetur ex Pirro in Chronologia Regum, ad eumdem annum*) Ejusdemque Guillelmi II. à consiliis electus, cum anno etatis undecim in Regnis successisset. Pro quo in solemni conventu anno 1177. unà cum Rogerio Andriensi Comite Legato, juravit pro eodem Rege initæ Pacis conservationem; in eoque congressu, cum esset vir eloquentissimus, egregiam habuit orationem ad Fridericum Imperatorem de Guillelmi sui, Siciliæ Regis laudibus; petiit ab Imperatore Diploma confici de pace inter ipsos facta, quem ex ipso recitat Baronius. In eo item congressu obtinuit Romualdus locum in sinistra Pontificis, supra Diaconos Cardinales, ut ipsemet in suo Chronico de se ipso testimonium perhibet.

Hic non recensentur beneficia per ipsum, & suos affines Ecclesiæ Salernitanæ collata, & alia plura, quæ ad rem Siculam non faciunt: Sicuti neque Decretales Epistolæ Romualdo scriptæ ab Alexandro III. & in corpore Juris Canonici registratæ.

Scripsit Romualdus Characteribus Longobardis ab ipsis Mundi primordiis ad sua usque tempora Chronicam, quam egregiam indicat Felix Contilorus in lib. *Concordiæ inter Alexandrum Papam, & Fredericum Imperatorem*, Venetiis confirmatæ. Conscripsit item aliquorum Sanctorum Vitas,....

Assedit tandem Romualdus inter Concilii Lateranensi Patres anno 1179. cui cum suffraganeis subscripsit, eodem Alexandro III. præsidente.

dente. Paulopoſt, ſcilicet anno 1181. die prima Aprilis, Salerni, piiſſimus Præſul, ac rerum geſtarum gloria clarus, obdormivit in Domino, ibique in Metropolitana ſepultus, nulla in tanti viri memoriam proloquente Inſcriptione.

Nos ne toties Romualdi Salernitani Chronicon à Scriptoribus Hiſtoriæ Siculæ citatum deſideretur, ex univerſa ejus Hiſtoriâ, quæ ab initio Mundi incipit, & de Rebus Siculis ante ſua tempora, nimis breviter aliqua tantum attingit, illa dumtaxat ſeligimus, quæ in fine ſui Chronici copioſius enarrat, cunctaque paſſim ad Siculam Hiſtoriam magis illuſtrandam pertinentia, & ad illam partem, in qua ſupra allata Synchrona Monumenta deficiunt. Quippe ea narrat Romualdus ab anno 1159. ad annum 1177. (ubi deſinit Chronicon) quæ præſens Ipſe vidit, & egit: & maximè in concordia pacis inter Alexandrum III. Pontificem Maximum, Imperatorem Fridericum Primum, Civitates Longobardos, & Regem Siciliæ Guillelmum II. pro quo Romualdus cum Rogerio Comite Andriæ vices geſſit, & non ſine memorabili gloria ſui Regis, opus tam arduum Ipſe perfecit.

EX ROMUALDI
SALERNITANI ARCHIEPISCOPI
CHRONICO
POSTREMA PARS

Ab Anno 1159. Ad Annum 1177.



Nterea Adrianus IV. Papa apud Anagniam mortuus est, Anno Pontificatus sui Quinto, mense VIII. Anno Dominicæ Incarnationis 1159. die prima Semptembris: Corpus verò ejus Romæ ductum est, & in Ecclesia Beati Petri cum honore sepultum. Omnes autem Cardinales cum Episcopis in eadem Ecclesia congregati, primò unanimiter convenerunt in electionem Rolandi, Romanæ Ecclesiæ Cancellarii, & Cardinalis Sancti Marci. Qui Vir Religiosus, & timens Deum, considerans tanti honoris Sareinam, pro posse restitit, & repugnavit. Episcopi verò, & Cardinales, attendentes indignum fore Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus, prædictum Cancellarium humiliter repugnantem elegerunt, & Papam Alexandrum Tertium nominarunt. Episcopus verò Tusculanus, cum Joanne Pisano Cardinali S. Martini, & Guidone Cremense, auxilio quorumdam Laicorum, Othonis Palat. Com. & Guidonis Blandratensis, Nuntiorum Imperatoris, qui tunc Romæ erant Octavianum Cardinalem S. Cæciliæ elegerunt, & eum Papam Victorem vocaverunt. Alexander autem cum reliquis Cardinalibus Episcopis in Turri Beati Petri se recepit. Octavianus interim cœpit pecuniam multam per Urbem expendere, & Senatores, & Populum ad suum auxilium provocare. Alexander verò auxilio Oddonis Frajapano, & aliorum Nobilium, cum Cardinalibus, & Episcopis, Urbem egressus, Nymphas venit, & ibi ab Ubaldo Hostiensi Episcopo, & reliquis Episcopis, & Cardinalibus, est solemniter consecratus, & postea Terracenam venit. Octavianus verò in Urbe aliquantulum demoratus, cum in ea parum posset proficere, Campaniam venit, & apud Segniam mansit. Rex autem VV. audita promotione Papæ Alexandri, Nuncios ad eum misit, & eum in Patrem, & Dominum, cum suo Regno recepit.

Eo tempore Jonathas Comes Consiæ, & Gilbertus Comes Crulnæ, & Eoamundus Comes Monopelli, & Rogerius Comes Tricarici, & multi Barones cum Melphiensibus, & Neapolitanis, & quibusdam aliis, contrà Majonem Ammiratum conjurationem fecerunt, asserentes eum esse Regis proditorem, & ad Regni dominium aspirare. Quod audiens Rex, Ammiratū temerè diligebat, & de eo plurimū confidebat, contra eos vehementer est indignatus, & per frequentes Nuntios, & litteras, eis præcipiendo mandavit, ut ab hoc proposito desisterent,

rent, quia ipse Ammiratum pro fideli, & legali Viro habebat; quod ipsi facere neglexerunt, dicentes, se Ammirati dominium, & amministrationem nolle ulteriùs sustinere. Qua de causa in tota Apulia Guerra maxima, & divisio est exhorta. Matthæus autem Bonella, qui filiam Ammirati in uxorem juraverat, se ducturum, cum quibusdam aliis Baronibus Siciliæ, huic conjurationi, licet occultus, favebat. Promissum enim illi à Comitibus, quod si Ammiratum occideret, Clementiam Comitissam Catanzarii illi darent in uxorem. Qua spe, & promissione ille succensus, sub occasione fidelitatis Regiæ, de occidendo Ammirato, cœpit esse sollicitus. Cumque Ammiratus ab amicis suis super hoc esset sepè præmonitus, tum pro parentela, quæ inter eos contracta erat, tum pro multis beneficiis, quæ illi contulerat hoc credere recusavit. Dum autem in Vigilia Beati Martini Ammiratus à visitando Panormitano Archiepiscopo inchoata jam nocte revertetur, Matthæus Bonella, positis insidiis in via, qua est juxtà Portam Beathæ Agathæ, ei obviam venit, & illum ense percutiens interfecit, & eadem nocte à Panormo exiens ad suam Terram confugit: quo agnito Rex W. multum turbatus est, & condoluit, sed quia tumultus propter hoc erat in Civitate, & Matthęus Bonella habebat sociam multitudinem, dissimulavit dolorem, & visus est mortem Ammirati æquanimiter tolerasse. Unde uxorem ejus, & filios, sorores, & fratres, & omnes res eorum capi præcepit. Post hac rogatus à multis, Matthæum Bonellam quodam modo in suo amore recepit. Barones autem, & multi de Populo, qui in hoc facto socii Matthæi fuerant, cognoscentes hoc Regi manifestum esse paritèr, & molestum, cęperunt valde timere, ne Rex temporis oportunitate inventa, in eos de hoc facto acritèr vindicaret. Quare cęperunt secum, & cum quibus aliis privatim deliberare, qualitèr Regem caperent, vel morte damnarent, quod factum est. Nam adveniente prima quinta feria Quadragesimæ, dum Rex vellet ad audiendam Missam pergere, consentiente Castellano, & servientibus, carceres sunt aperti, & Comes VV. de Principatu, & Riccardus de Mandra, & Alexander Monachus, & multi alii Prisones subito exeuntes carcerem, arreptis armis cęperunt insilere Palatium, multi etiam de Solidariis, & de Populo, hujus conjurationis prisonibus sunt adjuncti. Rex autem hujus rei nescius, & ignarus, & de tam repentino casu attonitus, ad fenestram Turris Pisanæ venit, & quosque transeuntes cępit ad suum auxilium convocare. Sed cum nullus esset, qui succurreret captum est Palatium neminè repugnante, & ex magna parte expoliatum. Sed Rex ipse captus est, & in carcere positus. Regina quoque cum filis suis, in quadam Camera honestè custoditam. Prisones verò Rogerius Ducem Apuliæ filium Regis imponentes, eum per totam Civitatem Panormi circumduxerunt. Quo facto, adveniente nocte, Prisones clausere Palatium, nec aliquem absque suo consensu illuc ingredi permiserunt: Facto verò mane die Veneris iterum Roggerium Ducem per Civitatem equitare fecerunt. Intereà inter Sarracenos, & Christianos ejusdem Civitatis bellum maximum est exortum, & multi de Sarracenis mortui sunt expoliati. Adveniente autem nocte Sabbati, VV. Comes de Principatu, & Tancredus Comes de Liccia, cum quibusdam aliis, ad Matthęum Bonellam, qui hujus conjurationis caput extiterat,

& tunc

& tunc erat apud Mestrectam, velociter iverunt, & ipsum cum sua militia Panormum festinanter adducerent, timebant enim, quod evenit, ne si diù moram facerent, Rex, qui injustè captus fuerat, auxilio Populi de eorum manibus tolleretur. Die verò Sabbati Romualdus Salernitanus, & Robertus Messanensis Archiepiscopi, & Riccardus Syracusanus electus, & Justinus Mazariensis Episcopis, videntes Regem injustè captum, & Palatium expoliatum, deteriora his in posterum expectantes, cęperunt admonere Populum, ut ad Regis liberationem intenderet. Quod, & factum est; nam Populus eorum ammonitione Arma arripiens, insultum fecit in Palatium, comminantes Prisonibus, & his qui erant in Palatio, quod nisi Regem liberarent omnes in ore gladii interficerent. Illi verò timore attoniti, quia nullum poterant habere succursum, & Populo resistere non valebant, ad pedes Regis humilitèr cucurrerunt, ejus gratiam, & misericordiam postulantes. Qua impetrata simul cum Rege ad fenestram Turris Pisanæ venerunt. Tunc Rex universo Populo de sua liberatione gratias egit, mandans eis, ut singuli reverterent ad propria, & in pace quiescerent; Archiepiscopi verò, & Episcopi, cum aliis fidelibus, Palatium ascenderunt, & Regem de infortunio, quod acciderat, pro posse sunt consolati. Huic autem dolori Regio, dolor alius non mediocris supervenit, dum enim pro liberando Rege insultus in Palatio fieret, Rogerius Dux Apuliæ filius ejus sagitta juxtà oculum est percussus, qui non post multos dies hujus vulneris occasione interiit. Matthæus verò Bonella audiens Regis liberationem plurimum doluit, sed dissimulavit, & per Nuntios suos Regi mandavit, se de ejus captione plurimum doluisse, & quod pro eo liberando cum sua militia veniebat. Rex autem malitiam ejus agnoscens, & conscientiam suam, conditione temporis exigente, abscondens, Legatis illius benignè respondit, & eis cum gratiarum actione remisit. Illi autem, qui Regem ceperant, & Palatium expoliaverant, timore Regis ad Matthæum Bonellam pariter confugerunt. Matthæus autem cum VV. & Simone, & Tancredo Comitibus, & multis aliis usque Fabaram venit, & frequentibus Nuntiis inter eos, & Regem discurrentibus, ad hunc modum concordiæ devenerunt. Rex liberalitate sua, & gratia omnibus eis offensam, quam in eum fecerant remisit. Matthæo Bonella, & aliis Baronibus Sicilię gratiam, & Terras suas restituit. VV. Simonem, & Tancredum, cum multis aliis, qui in Terra remanere nolebant, salvos, & illęsos cum rebus suis usque Terracenam cum Galea fecit conduci, alios verò Hierosolymam ire permisit. Metuens autē Rex ne Comites Apulię, & qui cum eo occasione Ammirati fuerant discordati, ribelles fierent, Romualdum Salernitanum Archiepiscopum cum litteris suis in Apuliam misit, & per eum prædictis Comitibus gratiam suam, & amorem restituit: qui veniens, tam Civium, quàm Baronum, & Comitum turbatos animos mitigavit, & eos ad amorem, & fidelitatem Regiam reduxit, & volebant in Siciliam pergere, & Regis injuriam vindicare. Adveniente autem Pascha, Rex per litteras suas prædictis Comitibus mandavit, ut Sacramenta, quæ fecerant abjurarent, quod ipsi nullatenus facere noluerunt. Sed de Regis recuperanda gratia desperantes, omnes, præter Comitem Gilbertum, & Comitem Boamundum, & Robertum Comitem de Rauritello iverunt, & facto ei hominio simul

mul cum ipso Terram Regis invadere, & occupare ceperunt. Rogerius autem Sclavo, simul cum Lombardis, cœpit seditionem in Sicilia excitare, terram de dominio Regis invadere, & Serracenos ubicumq; invenire poterat trucidare. Quo cognito Rex VV. primo Matthæum Bonellam capit, & in carcerem retrudi fecit. Dehinc congregato exercitu Placiam venit, & eam destruxit, & Lombardos in fugam vertit. Rogerius autem Sclavo cum multis Lombardis à facie Regis fugiens, in Buteria se recepit. Quo Rex eos persecutus Buteriam, undique cum suo exercitu obsedit. Et quia Rex VV. Guerram in Terra Laboris, & Apulia exortam audivit, Aquinum de nocte in Terram Laboris misit, ut milites retineret, & inimicis suis resisteret; jam enim Andreas de Rupecanina eamdem Terram ex parte invaserat, Comes etiam Robertus Terram Apuliæ resistente nemine occupabat; qui Salernum veniens eam habere credidit. Sed Salernitani Regi de modo fideles existentes, ipsum recipere noluerunt. Dehinc Beneventum veniens, à Beneventanis est cum honore receptus. Post hæc in Apuliam regressus Tarentum usque pervenit. Rex autem VV. penè per totam æstatem in obsidione Buteriæ est moratus; sed cum ea situ loci, & fortium virorum numerositate munita, expugnare non posset, facta concordia, Rogerium Sclavone, cum Lombardis, ultra mare illesos ire permisit: Ipse autem Buteriam destruens, totam Siciliam pacificavit, & Panormum est cum triumpho reversus.

Intereà Alexander Papa, cum apud Anagniam, & Terracenam fuisset aliquanto tempore demoratus, suggestione Villani Pisani Archiepiscopi, qui ad eum cum una Galea venerat, acceptis etiam Galeis Regis, cum Cardinalibus Januam venit, & à Januensibus cum summa est devotione susceptus. Dehinc cum Galeis eorum usque Provinciam perrexit. Octavianus autem, qui apud Segniam moratus fuerat, cognito recessu Alexandri, in Lombardiam ad Imperatorem venit, à quo satis honorificè est receptus. Dehinc Imperator Episcoporũ Conventu apud Papiam solemniter congregato, Octavianum, qui Victor dicebatur in Catholicum Papam recepit, promittens publicè, & legalitèr quod nec ipse, nec successores ejus Alexandro, vel successoribus ejus ulterius obedirent. Imperator verò cum per quinquennium Mediolanum impugnasset, & Civitatem resistentibus bellicosis Civibus expugnare non potuisset, tandem cum eis ad concordiam devenit, promittens Civitatem integram, & Cives cum rebus suis permanere illæsos. Qui post modum suæ promissionis oblitus Civitatem destruxit, & Cives ab eo expulsos in Casalibus manere præcepit. Qua Victoria potitus Imperator Lombardiam cœpit pro sua voluntate disponere; Ministros, & Bajulos in Castellis, & Civitatibus ordinare, regalia, & tributa exquirere, & magnam partem Lombardiæ in dominio suo convertere; sicque factum est, quod Lombardi, qui inter alias nationes libertatis singularitate gaudebant, pro Mediolani invidia cum Mediolano pariter corruerunt, & se Theuthonicorum servitute misere subdiderunt. Audiens autem Imperator Alexandrum Papam perrexisse in Gallias, metuens ne à Francorum Rege reciperetur, Nuntios ad eum festinanter mandavit, rogans, ut apud Dyonem pariter convenirent, & quidquid de Papa Alexandro, & Victore eis esset faciendum, Ecclesiasticarum Personarum judicio diffini-

finirent. Quod verbum Ludovico Regi Francorum admodum placuit, qui in præfixo die, & termino cum paucis militibus ad locum constitutum venit, sed Imperatorem ibidem minimè invenit. Altera autem die cum magna militum, & peditum, & cum Octaviano ad eumdem locum venire curavit. Quod Rex Francorum cognoscens ejus versutias metuens, venire ad illius colloquium recusavit. Quare Imperator indignatus cum Octaviano in Alemanniam rediit. Octavianus autem aliquantulum in Alemanniam demoratus, nec ab Alemannis reverenter exceptus, intravit Italiam, & post hæc Luccam veniens, ibidem usque ad vitæ suæ terminum mansit. Intereà, dum Alexander Papa apud Salmunicum moraretur, primò Rex Angliæ ad eum veniens, ipsum cum universo Regno suo in Dominum, & Patrem recepit. Post hæc Rex Franciæ cum tota Gallicana Ecclesia eum pro universali Papa recipiens, honorificè Parisios, usque deduxit. Papa autem Alexander Regem Franciæ, & Angliæ inter eos pacem, & concordiam reformavit; qui non multò post Turonis universale Concilium celebravit. In quo Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Hispaniarum, & totius Galliæ convenerunt. Eo tempore Corradus quidam Nobilis Clericus Alamanniæ, & Imperatoris consanguineus, qui in Maguntina Ecclesia erat electus, nolens Octaviano, & Imperatoris Schismati consentire, Ecclesiam suam, deserens, ignorante Imperatore, ad Alexandrum Papam in Franciam festinus advenit; quem Papa satis benignè recipiens, postmodum secum Romam usque deduxit, dehinc in Cardinalem, & Salinensem Episcopum promovit. Postremò in Muguntinum Archiepiscopum sublimavit. Quo audito Imperator ira commotus Christianum Cancellarium, in Moguntina Ecclesia fecit eligi, & à suis suffraganeis consecrari. Dum autem Alexander Papa demoraretur in Francia, in Ecclesiis Dei, & Ecclesiastica Jura disponeret; Octavianus Luzzæ mortuus est. Cui Guido Cremensis, authoritate Raynaldi Cancellarii Imperatoris, successit, & à suis Paschal. est ordinatus.

Intereà Rex VV. sedata Sicilia, congregato per mare, & per Terram exercitu, in Apuliam venit, & primo Tabernas in ore gladii cæpit, atque destruxit. Dehinc Tarentum veniens, ipsum obsedit, & habuit, in quo vindictam maximam de suis proditoribus fecit. Post hæc exercitum suum versus maritimam Apuliæ direxit. Quod videns Comes Robertus, qui tunc apud Salpas cum suo exercitu morabatur, metuens ne Barones Apuliæ ipsum solito more relinquerent, in Abrutium est reversus. Quo cognito Rex VV. Riccardum de Saya cum magno exercitu post eum misit. Sed Comes Robertus, utpote vir astutus, & sapiens, ante adventum illius Regnum exire curavit. Rex autem VV. usque Sanctum Germanum cum suo exercitu venit, Comitem Riccardum de Aquila à Regno expulit, & Montem Archanum, quem ipse de novo ædificaverat à Galeotis suis capi fecit, & destrui. In quo uxorem ejus, & filium comprehendit, & sic recuperata tota Terra, Salernum venit, & quia indignatus erat Salernitanis Civibus, Urbem intrare noluit, sed juxta eam tentoria fixit. Cæpit autem à Civibus magnam pecuniam petere. Quàm cum illi statim solvere non possent, inventa occasione plurimum indignatus, quosdam ex eis suspendi fecit, comminatus aliis, quod nisi pecuniam citò solverent, Ur-

Urbem destrueret. Beatus autem Apostolus M. qui Salernitanæ Civitati adeò Patronus datus est, & defensor, Civitatem suam in tanto discrimine non reliquit. Nam cum Rex in eo esset proposito, quod multa mala Salerni inferret, media die cum tanta esset Cœli serenitas, quod nulla in aere nubes appareret subitò à Septentrione ventus validus, cum ingenti pluvia, & turbo impetuoso eripuit, qui totius exercitus Tentoria universa dejecit, & Tentorium Regium in eminenti positum, sic à loco, in quo fixum fuerat impulit, & commovit, quod Regem dormientem penè prostravit. Expergefactus est Rex, & tanta inundatione attonitus, cœpit fugere, & Apostoli auxilium invocare, & vix in quodam parvo tentorio se recepit, & licet Rex animi sui timorem super hoc facto dissimularet, Magnates tamen Curiæ, & viri prudentes, manifestè noverunt, hoc miraculum virtute Apostolica perpetratum; Apostolus enim in hoc facto, & commisso sibi Populo, & Regi manifestè consuluit, dum, & commissum sibi Populum, à periculo eruit, & Regem ne propositum malum perficeret impedivit. Rex ergo, quod factum fuerat secum recognitans, & indignationem Apostolicam pertimescens, cum se moraturum circa Salernum aliquantulum disposuisset, mutato proposito altera die Galeas intravit, & festinantèr in Siciliam rediit. Intereà Romani morte Octaviani cognita, Nuntios suos ad Alexandrum in Franciam transmiserunt, affectuosè rogantes, ut ad Urbem rediret, & commissum sibi Populum visitaret, quia ipsi cum honore, & devotione reciperent.

Alexander autem credens hoc sibi, & Ecclesiæ profuturum, Magalonem venit, & præparata quadam magna navi, quæ erat Hospitalis, cum in ea penè omnes Cardinales intrassent, & Papa cum paucis Cardinalibus cum Galea Narbonensium eadem navi accessurus veniret, Galeæ Pisanorum, quę illi paraverant in insidias repente apparuerunt, quibus visis Papa cum Galea sua festinus Magalonem rediit. Galeæ autem Pisanorum navim, in qua erant Cardinales circumdederunt, & non invento Apostolico eam in pace liberam abire permiserunt, quæ vento flante secundo, primò Panormum, dehinc Messanam applicavit. Non multò post Alexander Papa cum Cardinalibus, qui remanserant, & Moguntino Archiepiscopo, quamdam minorem Navim intravit, & alto se committens Pelago, licèt multum exagitatus procellis, salvus tamen cum omnibus suis Messanam, Domino ducente, pervenit. Quo cognito Rex VV. qui tunc erat Panormi, Nuntios suos cum muneribus ad Papam transmisit, & eum cum quinque Galeis usque Romam conduci præcepit. Qui Salernum veniens à Romualdo Salernitano Archiepiscopo, & toto Populo Civitatis, cum debita est riverentia, & honore susceptus. Qui postmodum cum eisdem Galeis usque Tyberim, & Tyberi usque ad Sanctum Paulum cum omnibus Cardinalibus venit, cui Clerus, & Romanus Populus obviantes ipsum cum magno honore, & gloria usque Lateranum unanimiter conduxerunt. Eo tempore Rex VV. Palatium quoddam altum satis miro artificio laboratum propè Panormum ædificari fecit, quod Lisam appellavit, & ipsum pulchris pomiferis, & amenis Viridariis circumdedit, & diversis, aquarum conductibus, & Piscariis satis delectabile reddidit.

Rex

Rex autem VV. circa Quadragesimam fluxu ventris, & molestia cæpit affligi; quam passionem cum aliquanto tempore occultasset, circa mediam Quadragesimam eadem passione crescente, credens se moriturum, pœnitentiam, & confessionem accepit, quosdam de captivis liberavit, redemptionem pecuniæ, quàm Apuliæ imposuerat, condonavit. Testamentum fecit, in quo VV. filium suum majorem totius Regni hæredem instituit. Enrico alteri filio Principatum Capuæ, quem concesserat, confirmavit; pecuniam magnam expendendam pro salute animæ suæ dereliquit. Margaritam Reginam uxorem suam totius Regni, & filiorum suorum Tutricem, & Gubernatricem paritèr ordinavit. Riccardum verò Syracusanum electum, & Matthæum suorum Notariorum Magistrum, viros utique legales, providos, & discretos, illius, & filiorum suorum Consiliarios, & familiares esse disposuit. Sed cum prædicta passio ingravasceret, Rex VV. Romualdum Salernitanum Archiepiscopum, qui in arte erat medicinæ valdè peritus, ad se vocari præcepit, qui ad eum circa Pascha veniens, ab ipso honorificè est susceptus, cui multa salutaria medicinæ consilia tribuit, sed ipse sui ingenii authoritate confisus, sibi non nisi ei opportuna videbantur, medicamenta adhibebat. Unde accidit, quod Sabbato ante octavas Paschæ emitritea illum febris invasit, & invalescente passione mortuus est, & sepultus in Cappella Beati Petri in Palatio suo. Defunctus est autem Rex VV. anno vitæ suæ quadragesimo sexto. Anno autem Regni sui, quo cum patre suo, & per se regnaverat XV. Mens. X. Anno autem ab Incarnatione Domini M.C.LXVI. Ind. XIV. Mense Madii, septimo die entrante ejusdem Mensis, circa horam nonam. Fuit autem Rex VV. pulchra facie, & decorus aspectu, corpore pinguis, statura sublimis, honoris cupidus, & elatus, in præliis per Mare, & Terram victoriosus, Regno suo odibilis, & plus formidini, quàm amori, in congreganda pecunia multum sollicitus, & in expendenda non adeò largus, fideles suos divitiis, & honoribus extulit, infidelibus supplicia intulit, & de Regno exulare coegit, divino officio extitit multò intentus, & personas est Ecclesiasticas plurimum veneratus, Cappellam Sancti Petri, quæ erat in Palatio, mirabili musidii fecit pictura depingi, & ejus parietes pretiosi marmaris varietate vestivit, & ea ornamentis aureis, & argenteis, & vestimentis pretiosis ditavit plurimum, & ornavit; Clericos in ea multos, & præbendas instituit, & divinum in illa officium decenter, & tractatim, & cum Dei reverentia, & timore celebrari disposuit.

Quod defuncto VV. filius ejus major natus annos XII. illi in Regno successit. Hic autem secundo die post mortem Patris, ex mandato Reginæ, Consilio Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Baronum, & Populi in Regem est promotus. Nam eo die cum maxima gloria, & apparatu Regio, ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Panormo veniens, assistentibus plurimis Archiepiscopis, & Episcopis, & Baronibus, à Romualdo Secundo Salernitano Archiepiscopo, in Regem unctus est, & coronatus. Postmodum verò cum magno honore, & toti Populo gaudio, & lætitia ad Palatium rediit coronatus. Regina verò utpotè mulier sapiens, & discreta, manifestè cognoscens animos Populi sui, propter molestias, quas à Rege VV. passi fuerant, plurimum esse turbatos, illos ad amorem, & fidelitatem filii sui beneficiis credi-

Tunc electo in Archiepisc. Panormitan.

credidit provocanda. Inde est, quod salutari usa consilio, carceres aperuit, captivos plurimos relaxavit, Comites, & Barones, qui de Regno, & eis Terras ablatas reddidit. Ecclesiasticis, Comitibus, Baronibus, militibus Terras multas Regia liberalitate concessit. His autem, & plurimis aliis beneficiis totius Populi sui animos, & fidelitatem, & dilectionem filii sui vehementer accendit, ita quod de fidelibus fideliores, & de devotis devotiores effecit.

Eodem tempore Gaytus Petrus Ecinachus, ac Magister Camerarius Palatii, cum quibus aliis fugam petiit, & ad Regem de Marocho veniens, multam secum pecuniam transportavit.

Emanuel autem Imperator Constantinopolitanus, cognita morte Regis VV. Nuntios suos ad Regem VV. Juniorem in Siciliam misit, mandans, quod libentèr cum eo pacem innovaret, & filiam suam unicam, & hæredem sui Imperii, simul cum Imperio illi in uxorem traderet, Rex autem, & Regina, habito consilio frequentèr pro hoc negotio, Legatos ad Imperatorem misit, & recepit, pacem cum eo pristinam innovavit, negotio Parentelæ propter multa Capitula, quæ interveniebant, indiscusso manente. Rex autem VV. propter multa beneficia, quæ ipse, & Regina suo Populo contulerunt, multum cæpit à suis hominibus diligi, & Regnum suum in pace, & tranquillitate tenere.

Eo tempore Henricus naturalis frater Reginæ in Siciliam ad Regem venit, cui Rex Comitatum Montis Caveosi, & unam de filiabus Regis Rogerii uxorem concessit. His etiam diebus Stephanus filius Comitis de Percia, Clericus, Consanguineus Reginæ in Siciliam ad Regem venit. Quem Rex, & Regina primo Cancellarium; Posthæc in Panormitana Ecclesia eligi fecerunt; Qui in brevi spatio temporis tantam Regis, & Reginæ gratiam, & familiaritatem obtinuit, quod totum Regnum pro suo arbitrio disponebat.

Hoc autem tempore Fredericus Imperator Theutunicorum iterum in Italiam intravit, & per partes Marchiæ, usque Anconam venit, & eam obsedit. Misit etiam Raynaldum Cancellarium, & Andream de Rupecanina, cum quadam parte sui exercitus usque Tusculanum, ut Papæ Alexandro, & Romanis Guerram inferrent. Romani verò superbi, & elati plus justo de suis viribus præsumentes, inconsideratò, & inordinatè super Theutonicos irruerunt. Theutonici verò, positis insidiis, ex adverso Romanos expugnaverunt, & multi ex eis capti sunt, & occisi; reliqui verò fugientes vix in Urbem se recipere potuerunt. Quod factum Alexandrum Papam, & omnes Cives Romanos plurimum perturbavit, & eis timorem incussit. Cancellarius autem Nuntios ad Imperatorem misit, mandans, ut citò ad Urbem veniret, quia eam posset pro sua voluntate disponere. Qui licèt Anconam jam expugnasset, & in eò esset, ut Terram VV. Regis invaderet, festinus tamen in Augustu ad Urbem rediit, & juxtà Ecclesiam Beati Petri sua Castra locavit. Romani verò tum pro morte parentum suorum, tum quia multi ex eis ab Imperatore capti detinebantur, ei resistere non potuerunt. Unde Imperator hac occasione inventa, armata manu Ecclesiam Beati Petri violentèr invasit, Porticum, quod erat ante Ecclesiam comburi fecit. Guidonem Cremensem in Ecclesiam induxit, & eum ibidem Missam canere fecit. Quo cognito Ale-

Alexander Papa, qui tunc in Turri Cartulariæ morabatur in habitu Peregrini, cum paucis Urbem exiit, & Gajetam usque pervenit, & assumpto Pontificali habitu, Beneventum veniens, à Civibus ejusdem Civitatis honorificè receptus. Deus autem injuriam Apostolo Petro illatam,& Ecclesiæ suæ violationem condigna pœna mulctavit. Nam incontinentì mortalitas maxima exercitum Imperatoris invasit. Ita quod Cancellarius, & Carolus Corradi filius, & multi Nobiles, & maxima pars exercitus sui in brevi temporis spatio interiit. Quod Imperator videns,& Dei vindictam manifestè cognoscens,relicto apud Urbem Præfecto,vix cũ paucis,tristis,& merens,in Alemanniã rediit.

Rex autem VV. ut prædiximus propter multa beneficia, quæ ipse cum Matre sua Regno suo contulit, ab hominibus suis cœpit multum diligi, & Regnum suum viriliter in pace tenere. Stephanus autem Cancellarius primò quidem omnibus se humilem,& benignum exhibuit; postmodum verò in superbiam elatus, consilio pravorum hominum, indigenas Terræ cœpit habere odiosos pariter, & suspectos. Qui circa Nativitatem Domini cum Rege, & Regina, & Magnatibus Curiæ Messanam venit. Gilbertus etiam Comes Gravinæ Reginæ, & Cancellarii consanguineus, qui tunc Capitaneus erat totius Apuliæ cum magna manu Militum Messanam accessit. Cancellarius autem habito cum eo consilio, Comitem Henricum fratrem Reginæ capi fecit, & apud Regium custodiri, imponens ei, quod ipse cum multis mortem Cancellarii, & Comitis Gilberti jurasset; pro qua occasione Riccardus Comes de Mulisco, Bartholomeus de Parisio, Joannes de Sinopoli, & multi alii capti sunt, & in custodia positi. Quod factum animos hominum Regni non modicum perturbavit. Post hæc consilio, & auxilio Cancellarii, Gilbertus Comes Gravinæ Comitatum Loritellicum omnibus suis pertinentiis à Rege obtinuit,& in Apuliam cum honore recessit. Cancellarius verò cum Rege, & Regina circa Pascha Panormum redit. Dehinc non multis transactis diebus Matthæum Magistrum Notarium Domini Regis,& familiarem capi fecit, quod factum grave resedit omnibus, & molestum, quia prædictus Matthæus homo erat sapiens, & discretus, & in Aula Regia à puero enutritus, & in agendis Regiis probatæ fidelitatis inventus. Infra octavã autem Paschæ Populus Messanæ in tumultum conversus, Regium ivit,& Comitem Henricum de carcere eduxit. Comitem etiam Riccardum,qui apud Tauriminensium tenebatur in carcere liberavit, & Oddonem Quarellum Clericum Cancellarii, & ejus familiarissimum, qui tunc erat Messanæ occidit. Quo audito Populus Panormi similiter in seditionem versus,insultum in Cancellarium fecit, & eum cum omnibus suis in Turri Campanarum per diem unum obsedit. Altera autem die ex mandato Regis, & Reginæ cum quibusdam de suis Galeam intravit, sed cum venisset Lecatam Galea fracta est; qui postmodum Navim ingressus in Hierosolymam venit,& ibi non multo tempore demoratus interiit. Gilbertus etiam Comes Loritelli, cum Berteraimo filio suo Comite Andriæ,cum omnibus suis Terram abjuravit, & Hierosolymam perrexit. Comes verò Henricus, & Comes Riccardus postquam de carcere exierunt,simul cum Messanensibus, cum viginti Galeis Panormum venerunt. Quibus Rex gratiam suam reddidit,& sublatas Terras restituit. Postquam Cancellarius, &

Comes Gilbertus, de terra exierunt, terra in pace, & tranquillitate remansit. Recedente autem Cancellario, Clerus Panormitanæ Ecclesiæ Gualterium ejusdem Ecclesiæ Canonicum, Agrigentinũ Decanum, & Regis Magistrum, sibi in Pastorem unanimiter elegerunt. Qui cum Regni esset negotiis applicatus, & ob hoc à Regis latere non posset discedere, Alexander Papa à Rege satis affectuosè rogatus, illius amore, & gratia, prędictum electum concessit à suis suffraganeis consecrari; & per Joannem Neapolitanum Cardinalem suum pallium illi transmisit. Robertus verò Comes de Loritello, qui frequenter Regis VV. gratiam postulaverat, nec potuerat impetrare, novissimè frequentes litteras, & Nuntios Regi VV. Juniori transmisit, humiliter postulans, ut ei amorem suum, & gratiam restitueret. Rex autem, & Regina solita pietate ejus miserti, illum in suam gratiam receperunt, cui etiam Rex liberalitate sua Comitatum Loritelli, sicut Pater suus illi concesserat, reddidit, & de abundantia gratiæ plenioris, Comitatum Conversani illi adjecit. Recedente autem Cancellario, ut supra.

Eo tempore in Sicilia Terremotus factus est maximus, ita quod Castrum Syracusanum pro maxima parte cecidit, Civitatem etiam Catanensium à fundamentis eversa ruit, Ecclesia autem Sanctæ Agathę corruens Episcopum cum quadragintaquinque Monachis occidit. Lentinum etiam Mohec, & multa alia Castra Siciliæ pro Terremotu corruerunt. Apud Messanam etiam maximus, & manifestus terremotus fuit, hoc autem factum est anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXVIII. Ind. II. Mense Februarii in Vigilia Beatæ Agathæ. Intereà Guido Comensis, qui, & Paschalis dictus est, mortuus est, cui successit intrusus, quidam Tusculanensis Episcopus, Joannes de Struma nomine, qui, & Calistus à suis appellatus est. Papa autem Alexander vir Cattholicus, & honestus cum suis Cardinalibus apud Beneventum morabatur, & ibi ab Imperatore Græcorum, à Rege Franciæ, & Angliæ, & à Prælatis Ecclesiarum Nuncios recipiens, negotia Ecclesiastica sapientèr providè disponebat. Posthæc Campaniam redit, & rogante Jonatha Domino Tusculani, & ejusdem loci Civibus, eandem Civitatem in sua potestate recepit, & ad illam cum Cardinalibus, & tota Curia sua perrexit, & prænominato Jonathæ de eadem Civitate concambium tribuit. Quod factum Romanis multum displicuit, recolentes enim damna, injurias, & mortes suorum Civium, quas Tusculanenses cum Raynaldo Imperatoris Cancellario eis intulerant, indignati sunt plurimum, & turbati, quod Alexander Papa Tusculanum, quàm ipsi destruere nitebantur, in sua potestate receperat; & ab hoc inter eos, & prædictum Papam Guerra maxima exorta est, quæ cum aliquanto tempore perdurasset, Romani, utpotè callidi, & dolosi, benignitatem Alexandri Papæ circumvenientes, promiserunt, quod eum tamquam Patrem, & Dominum in Urbe reciperent, & mandatis suis libenter obedirent, si prænominatæ Civitatis muros destrui pateretur. Alexander autem Papa ejus promissionibus, & verbis fidem adhibens, muros prędictæ Civitatis passus est dirui. Quò facto Romani voto suo potiti, quod Papę promiserant adimplere noluerunt. Papa verò à Romanis se circumventum plurimum condolens, Turrim Tusculanorum fossis, & muris circumvallari fecit, & relicta ibi

Mili-

Militum, & peditum competenti custodia, Anagniam rediit, & ibi multo est tempore demoratus. Illis autem diebus Thomas Canturiensis Archiepiscopus, vir Religiosus, & Deum timens, dum pro libertate, & Ecclesiarum Justitiis, Henrico Regi Angliæ viriliter repugnaret, de Anglia exire compulsus, ad Regem Ludovicum venit in Franciam, qui eum ob suæ Religionis reverentiam satis officiosè recepit, & per aliquos annos intra sua detinuit, & quæ erant illi necessaria liberalitate ministravit. Tandem Alexandri Papæ precibus, & ejusdem Regis interveniente gratia ad pacem Regis Angliæ Thomas Canturiensis Archiepiscopus rediit, & ad Ecclesiam suam eo est permittente reversus. Transacto autem aliquanto tempore, Rex Angliæ suggestione pravorum hominum, cepit personas Ecclesiasticas molestare, & Ecclesiis sua jura subtrahere. Quod ubi Archiepiscopus cōperit, ab æquitatis tramite non declinans, omni timore postposito, cæpit se ei pro Justitia lęto fronte opponere, & tamquam bonus Pastor pro liberando Grege Regi, verbo, & opere contraire. Cumque hæc discordia de die in diem cresceret, Cantuariensis Archiepiscopi dicta simul, & facta Regem plurimum prægravarent, quidam Milites Angliæ, videlicet Ugo de Morville, VV. de Traci, Renaldus filius Ursi Ricombitto, Robertus de Broc, Regi in hoc placere credentes, Sacerdotalis reverentiæ, & Divini timoris obliti, altera die post Festum Innocentium, Thomam Cantuariensem Archiepiscopum ante Altare Majoris Ecclesiæ stantem pariter, & orantem ensibus percutientes in capite occiderunt, moxque nemine persequente, sed sola illos commissi homicidii conscientia remordente, sunt in fugam conversi. Cum autem Monasterium, & Civitatem tanti sceleris fama replesset, catervatim Monachi, Clerici, Laici ad Majorem Ecclesiam concurrentes, quod dictum nefas est, Pastorem suum juxtà Altare occisum crudeliter repererunt. Tandem copiosas lacrymas profundentes, dantes ex alto suspiria corde, & gemitus, Christi Pontificem in eadem Ecclesia, cum Hymnis, & Laudibus Sepulturæ honorificè tradiderunt. Justus autem, & miserator Dominus, qui Sanctos suos non solum in futuro, sed etiam in hoc sæculo sępè remunerare consuevit, Thomam Archiepiscopum, qui pro testimonio veritatis occisus fuerat, & quem pœna simul, & causa Martyrem fecerat, multis signorum indiciis, & novis miraculorum argumentis toti Mundo celebrem reddidit, & famosum. Cumque ad aures Alexandri Papæ miraculorum ejus certa fama, & veridica pervenisset, communicato fratrum suorum consilio, prænominatum Archiepiscopum authoritate Apostolica canonizzavit in Martyrem, & ipsum in Catalogo Martyrum, scribi, & ejus Martyrium in die sui anniversarii per omnes Ecclesiæ præcepit annis singulis solemnitèr celebrari. Rex autem Angliæ audiens, quod sceleris in Archiepiscopum perpetrator, tamquam illius rei fuisset conscius, opinio eum quodamodo vulgaris attingeret, & mendax illum sine culpa fama morderet, de suæ innocentiæ puritate confisus, quosdam de Episcopis suis, & electis Anagniam ad Alexandrum Papam direxit, qui coram eo, & suis Cardinalibus tactis Sacramentis Evangeliis publicè juraverunt, quod prænominatus Rex ab effusione justi sanguinis erat innoxius, & à communione commissi criminis prorsus extiterat alienus. Militem autem illi, qui in Christi Pontificem cruen-

tas manus injicere non timuerunt, redeuntes ad cor,& reatum suum, & malitiam recolentes, ad pedes Alexandri Papæ humilitèr advenerunt, & se reos, se esse impios publicè proclamantes, pœnitentiam de commisso scelere postulabant, quos Papa de admissa nequitia vehementer redarguit,& venturum Dei Judicium super eos nisi dignè pœnituissent comminando promisit; Quibus etiam dedit in mandatis, ut discalceati, & ciliciis induti Hierosolymam pergerent, & sacra loca cum dolore, & gemitu visitarent. Dehinc ad Montem Nigrum, qui Antiochenæ Civitati adjacet festinantèr accederent, ibique solitarii in jejuniis, vigiliis, orationibus,& lamentis, omni vitæ suæ tempore perdurantes, de tam immani scelere pœnitentiam agerent, & Dei misericordiam jugiter postularent.

Eo tempore cum Emanuel Imperator Constantinopolitanus frequentibus Nuntiis delegatis filiam suam Ziramariam VV. Regi Siciliæ in uxorem tradere promisisset, tandem ex conventione utriusque partis factum est,quod Imperator,præsentibus Legatis ejusdem Regis, in animam suā jurare fecit, & juramentum suum, magnatum suorum jure jurando firmari, quod in termino, & loco ab utraque parte præfixo, filiam suam Regi pro uxore transmitteret,& simile juramentum ex parte Regis, & suorum familiarium, de filia Imperatoris recipienda præstitum est, & juratum. Quo facto Rex VV. utpotè Vir legalis, & Deum metuens, juramentum suum observare desiderans, simul cum Henrico fratre suo Capuanorum Principe Tarentum venit, & ibi Nuncios Imperatoris cum ejus filia in præfixo loco, & tempore aliquandiu expectavit. Dehinc ad Sanctum Angelum in Monte Gargano orationis studio devotus Princeps accessit, & post hæc Barolum rediit, & ibi aliquantis diebus demoratus est. Sed Imperator juramenti sui, & promissionis oblitus, filiam suam Regi statuto loco, & termino non transmisit. Quo Rex cognito per Terram Beneventanam transiens, Henricum Capuanorum Principem fratrem suum, quia infirmus erat Salernum misit. Prænominatus autem Princeps Galeam ingressus Panormum rediit, & ibi corporis invalescente molestia, anno vitæ suæ tertiodecimo mortuus est, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Panormo,juxtà sepulchrum Regis Rogerii Avi sui honorificè est sepultus. Anno Domini M.C.LXXII. & med. Mense Junii Ind. V. Rex autem cum aliquantis diebus moram fecisset simul cum Gualterio Venerabili Panormitano Archiepiscopo, & Matthæo Vicecancellario Galeas ingressus Panormum rediit, ubi Principis fratris sui morte cognita, primò sicut debuit carni, & naturæ compassus multum doluit. Dehinc, sicuti decuit,rationi,& suorum fidelium consiliis acquiescens, sui memor, in Domino consolationem accepit, Anno Domini M.C.LXXIII.

Fredericus autem Romanorum Imperator, recolens, & alta mente revolvens injurias sibi à Lombardis frequenter illatas, & quod penè contra eum omnes conjurassent,& quod Mediolanenses eo prohibente Mediolanum reedificassent, & Alexandrini Civitatem suam de novo ædificare cepissent, primò Christianum Cancellarium suum, & Maguntinum Archiepiscopum,virum utique providum,& discretum, & in negotiis bellicis apprimè eruditum,per Montana Lombardiæ, & Januam, usque in Tusciam,& Marcham Anconæ direxit, Marchionis Mon-

Montisferrati, & Papienfibus, & quibus aliis Lombardis ipfum affe-ctuosè rogantibus, collecta magna multitudine Brebitionum, & alio-rum conductiorum militum Italiam potenter intravit, Anno Domi-nicæ Incarnationis M.C.LXXIV. Primo autem ingreffu fuo Aften-fem Civitatem, Taurinum, & vicinas Civitates, ipfis fe fpontè redden-tibus, occupavit. Dehinc Marchionis Montisferrati, & Papienfium fuggeftione Alexandriam Civitatem obfedit. Multi enim Nobiles, & Populares viri de Terra prænominati Marchionis oriundi, plures injurias, & moleftias perpeffi, illius infolentiam perpeti non valentes, relictis habitationibus fuis, in quadam planicie pariter convenerunt, & adjuvantibus eos Mediolanenfibus, & aliis Lombardis in eadem planicie Civitatem de novo ædificare cæperunt, & eam ob reveren-tiam Papæ Alexandri, Alexandriam vocaverunt. Cum autem hæc Civitas ab Imperatore fuiffet obfeffa, propter fui novitatem, nec dum tota erat foffatis circumdata, & domus ejus erant palea coopertæ, un-de, & ea Theutonicis in contemptum, & ironiam Palearum Civitas eft appellata, quæ poftmodum in conflictu bellico ferrea eft inventa. Imperator autem, animantibus eum Papienfibus, & Marchione, cę-pit Civitatem viriliter impugnare, machinas circumquaque inftruere, foffata diruere, & replere, & eam frequentibus infultibus moleftare, credens illam in brevi tempore pro fuo arbitrio obtinere: fed Ale-xandrini, utpotè viri fortes, & ad bella doctiffimi, & pro libertate pu-gnãtes, cęperunt Imperatori animosè refiftere, foffas fuas defendere, & illius machinas fuis machinis oppugnare, fuperveniẽte autẽ hyeme, quę folito afperior inhorruerat, adeo quod pro inundatione valida, & al-gore nimio, de equis, & hominibus extingueret, Imperator tamen in fuo propofito perfeverans noluit, obfidione recedere, fed eam fre-quentibus pręliis, & infultibus variis non deftitit impugnare. Adve-niente autem Pafcha, in die Parafceve, & Sabbati Sancti, propter die-rum reverentiam, Imperator eis immaginariam treguam conceffit. Cumque Alexandrini fub occafione treguæ, fuæ Civitatis cuftodiam aliquantulum neglexiffent, Imperator nata opportunitate nefcienti-bus Alexandrinis foffas, & cuniculos fub terra fieri juffit, & per eos armatos milites intrare fecit, ut ex improvifo de cuniculis repentè erumperent, & Civitatem hujus fraudis nefciam occuparent. Sed mox Alexandrini hoc perceperunt, arreptis armis cęperunt ad foffati fuperiora concurrere, & terram dirumpere, propter quod terra de-fuper fubitò corruit, & introeuntibus Theutonicis viriliter repugnare; fed operante Divina potentia, quidam pars foffati fubitò corruit, & eos, qui in cuniculis, & foveis erant oppreffit pariter, & extinxit. Quo cognito Alexandrini foras egreffi caftrum ligneum armatis militibus plenum, quod Imperator credebat in Civitatem inducere, immiffo igne fimul cum militibus combufferunt. Imperator autem fua fpe, & intentione fruftratus, & de morte fuorum vehementer afflictus, non valens ultra progredi, fe intra caftra recepit. Lombardi autem, & alii, qui cum Alexandrinis conjuraverant, oppreffione Civitatis cognita, magna militum, & peditum multitudine congregata, ad ejus liberationem feftinare cęperunt, & fecundo die poft Pafcha circa Ale-xandriam caftramentati funt. Quo cognito Imperator eis obviam, re-licta Civitatis obfidione, perrexit. Cumque hinc, & inde acies forent

mill-

militares dispositæ, & in eo essent, ut pariter dimicarent, religiosæ quædam personæ, & viri sapientes, inter Imperatorem, & Lombardos hunc modum concordiæ tractaverunt: ut Lombardi, dimissis armis, Imperatoris tamquam Domini sui gratiam humilitèr postularent. Dehinc tres prudentes viri ex parte Imperatoris, & tres ex parte Lombardorum elegerentur, quorum dispositione, & arbitriu eorum deberet pax, & concordia terminari. Cumque hoc pactum, & Imperatori, & Lombardis non modicum placuisset, Imperator Papiam rediit, & Lombardi ad propria sunt reversi. Imperator interim Nuntios ad Alexandrum Papam apud Anagniam direxit, rogans, ut aliquos de fratribus suis ad eum in Lombardiam mitteret, qui simul cum Lombardis tractandæ pacis colloquio interessent. Papa verò consilio habito, Hylaldum Hostiensem, & Bernardum Portuensem Episcopos, & VV. Papiensem Cardinales Sancti Petri ad Vincula in Lombardiã misit, ut simul cum Lombardis pacem Ecclesiæ, & Italiæ pertractarent. Qui venientes, habito Lombardorum consilio, diù cum Imperatore pacis colloquium habuerunt, sed cum neque Cardinales, neq; Lombardi aliquem fructum pacis ab Imperatore consequi potuissent, Cardinales, & Lombardi infectis negociis ad propria redierunt. Imperator autem spe pacis consequendæ frustratus, de novo guerram Lombardis facere cępit, & Alexandriam modis, quibus poterat infestare: Lombardi autem è converso cęperunt illi pro posse resistere, & Alexandrinis opem, & auxilium pro viribus ministrare. Et quia Imperator multos de suis, & famæ, & bello amiserat, & repugnante horrore hyemis in obsidione Alexandriæ stare non poterat opportunitate temporis frequenter circa Alexandriam discurrebat ejus Arbores, & Vineas devastabat, capiebat Cives, & damna eis quantumcumque poterat, inferebat. Alexandrini autem, tum per se, tum Lombardorum auxilio, et viriliter resistebant, & vicinia loca, quæ ei favebant, impugnare, & destruere non cessabant. Imperator vires suas debilitatas, & militiam suam pro majori parte defecisse considerans, frequentes Nuntios Principibus suis in Alemanniam direxit, rogans, atque præcipiens, ut ei misso militari auxilio proxima Æstate succurrerent, quo se posset ab injuria illi à Lombardis illata viriliter vindicate. Christianus autem prænominati Imperatoris Cancellarius, quem ipse in Tuscia premiserat, sicut vir providus, & discretus, partim viribus, partim precibus Tusciam pacificavit, & Imperatoris præceptum jurare fecit. Dehinc adductum Spoletinum, & ad Marchiam veniens, multa castra Regionis illius depopulatus est, & cępit Assisiam Civitatem, & Spoletinam suo Dominio subdidit, Anconam cum Venetis tempore longo obsedit; credebat enim Græcum quemdam Constantinopolitani Imperatoris Nuntium, qui in eadem Civitate erat, cum sua pecunia capere, sed quia Cives ejusdem Civitatis ei viriliter resistebant, & commissa de Berthenora cum VV. de Marchysella nobili Ferrariensi Capitanio cum magna multitudine militum, & peditum ad succursum ejusdem Civitatis veniebat, non potuit, quod intendebat perficere, sed recepta ab Anconitanis magna pecunia, ab obsidione recessit. Intereà prędictus Cancellarius, ex mandato Imperatoris Nuntios ad VV. Siciliæ Regem transmisit, suadens, & postulans, ut ipse Imperatoris filia in uxorem accepta, cum eo pacem perpetuam faceret,

ceret, & ipsi se amicabiliiter convenirent. Sed Rex VV. utpotè Christianissimus, & Religiosus Princeps, sciens hoc Matrimonium Alexandro Papæ plurimum displicere, & Romanæ Ecclesiæ non modicam jacturam inferre; Deum, & Alexandrum Papam in hac parte reveritus, Imperatoris filiam in uxorem, & ejus pacem recipere noluit. Quod factum Imperator egrè tulit, & multum ad animum revocavit, sed non multo post Imperatoris filia est defuncta. Adveniente autem æstate Philippus Coloniensis Archiepiscopus, cum quibusdam Principibus Alemanniæ, & magna multitudine strenuorum militum, per Montana Cumarum Italiam intrantes, Imperatorem succurrere festinabant. Quo cognito Imperator eis obviam perrexit, & simul cum illis versus partes Mediolani ad devastandum eorum segetes ire disponebat. Quo audito Lombardi, licet omnes suos nullatenus expectassent, Imperatori obviam ire cęperunt. Cumque exeuntes quoddam nemus ex inspirato, Imperatori, qui militares acies jam ad bella paraverat, subitò occurrissent, cum illo cęperunt conflictum; sed quia non multi adhuc de Lombardis convenerant, primò sunt ab Imperatore in fugam conversi, pedites autem Mediolanenses cum paucis militibus, qui circa Carruveam erant, fugere non valentes, simul conglomerati stare cęperunt. Imperator autem, videns Lombardos milites aufugisse, pedestrem multitudinem, quæ remanserat credidit facile superare. Cumque congregata sua militia super eos vellet irrumpere, illi oppositis clypeis, & porrectis astis cęperunt eorum furori resistere, & ad se venientes animosè repellere. Cumque conflictus iste inter Imperatorem, & Lombardos pedites aliquandiù perdurasset, Lombardi, qui fugerant resumptis viribus, & aliis, qui de novo venerant sociati, ad pugnam sunt animosè reversi, & simul cum suis peditibus super Imperatoris exercitum impetum facientes ipsum in fugam unanimiter converterunt. Lombardi autem fugientes Theutonicos usque ad vicinum fluvium insecuti, multos eorum cedentes gladio, plurimos in flumine submerserunt. Deinde redeuntes ad castra, magnā Imperatoris, & exercitus ejus suppellectilem occuparunt; & sic tanta potiti Victoria, quę solet elationis spiritū ministrare, in eodē loco moram facere negligentes, ad propria sunt reversi. Imperator autem, cum in prænominata pugna viriliter dimicasset, & fugientium penè ultimus extitisset, superveniente nocte delituit, & cum aliquantis diebus fuisset absconditus, & quo divertisset esset incognitum, nocte cum paucis Papiam intravit. Tunc verò manifestè Dei sibi repugnare potentiam, cujus Ecclesiam, & Ministros prosequi non cessabat, ad cor rediens, habito seniorū consilio, Madeburg: Archiepiscopū. Electum, Vormatiensem, & Prothonotariū suum cū Christiano Cancellario, & aliis Comit. ad Alexandrum Papam pro consequenda pace Anagniam direxit. Qui cum aliquantis diebus apud Papam, & ejus Curiam moram fecissent, habito cum eo, & paucis Cardinalibus secreto nimis, & privato, de modo, & forma pacis consilio, hac lege, & conditione proposita discesserunt. Papa quidem Alexander, utpotè vir Religiosus, & Sanctus, pacem Ecclesiæ affectuosè desiderans, imitatus eum, qui ea, quæ in Cœlis, & quæ in Terras sunt sui sanguinis effusione pacavit, dignitatem sui officii, & laborem sui corporis, pro bono pacis, & commodo non attendens, promisit per marę

usquę

usque Beneventum, vel Venetiam pergere, & habito Lombardorum consilio colloquiū cū Emanuele Imperat. Cōstantinopolitano .... congregato Christianorū, & Paganorū militum, & peditum, sagittariorum, & balistrarum infinito exercitu Brachium S. Georgii transiens, Terram Soldani Yconii violenter invasit, & partem ejus non modicam occupavit. Soldanus autem de sua virtute diffidens, per internuntios suos Imperatoris amorem, & gratiam satis humiliter postulavit, nec eam potuit impetrare. Cumque de recuperanda Imperatoris gratia esset penitus desperatus, nec ei posset in campo resistere, congregata suorum multitudine, in angustis locis, unde erat Imperatoris exercitus transiturus, paravit insidias, & super eumdem ex improviso irruens, exercitum in fugam convertit. Cępit ex eis multos latinos, qui noluerunt fugere, fere omnes in ore gladii interemit, multos de consanguineis Imperatoris retinuit pariter, & occidit; Crucem Domini, quam Imperator secum detulerat, & Sanctorum Reliquias, & spolia plurima, atque Thesaurum maximum occupavit. Tunc Imperator, amisso tanto exercitu, nullam viam evadendi inveniens, cum Soldano treguas, quales potuit fecit, & sic in Terram suam, rebus, & hominibus perditis, umilis, & inglorius rediit: quod ex justo Dei judicio credimus provenisse. Justus enim Judex, considerans, quod Imperator, neglecta Religione fidei, de filia sua Illustri Regi Siciliæ tradenda in matrimonio perjuraverat, per inimicos Fidei de eo voluit vindicari; & indignum reputans Crucem suam ab infideli Principe deberi servari, passus est, eam in ultionem Imperatoris, & injuriam ab infidelibus occupari; Qui tamen eam cum magna reverentia detinentes, facta tregua, Imperatori honorificè remiserunt.

Emmanuel Imperator

Interea Rex VV. consilio Papę Alexandri Eliam Trajanū Electum, & Arnulphum Caputaquensem Episcopum, & Florium de Camerota Regium Justitiarium, ad Regem Henricum in Angliam misit, ut ei Joannam minorem filiam suam in uxorem daret. Rex autem Henricus Papæ Alexandri, & Principum suorum consiliis acquiescens, petitionis Regiæ præbuit lętanter assensum, & filiam suam cum Nuntiis ejusdem Regis, & Principibus suis, usque ad Sanctum Ægidium honestè transmisit. Quo cognito Rex VV. Alphanum Capuanum Archiepiscopum, & Riccardum Syracusanum Episcopum, & Comitem Robertum de Caserta, cum xxv. Galeis, ei obviam misit; qui venientes ad Sanctum Ægidium, prænominatam Regis filiam intra Galeas recipientes, eam usque Neapolim deduxerunt; sed quia Puella navigationis insolita, fluctus mari pati non poterat, celebrato Neapoli Dominicæ Nativitatis festo, per Salernum, & Calabriam Palermum venit, ibique à Rege VV, & Magnatibus suis, sicut decuit, satis est honestè suscepta. Convocatis Rex VV. Proceribus Siciliæ, & magna prorsus multitudine, prænominatam filiam Regis Angliæ, in Cappella sua desponsavit, & Se, & Eam, gloriosè coronari fecit, & solemnes de illa nuptias celebravit, anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVII. Mense Februarii Ind. X.

Papa autem Alexander in Lombardiam iturus in Festum Nativitatis, Ubaldum Ostiensem Episcopum, & Raynald. Cardinal. in Lombardiam premisit, ut Lombardorum consilio securitatem ab Imperatore reciperent, ut ipse cum omnibus suis, & quicumque ad eum ire vellent

vellent securè, & sine damno aliquo pergere possent. Venientes autem ad Imperatorem, & ab eo honorificè sunt recepti, & præsentibus eis, & Lombardis, treguæ, & securitatis hinc inde sunt præstitæ; & ut colloquium tractandæ pacis apud Bononiam fieret, utriusque partis assensu ordinatum est, & dispositum. Cremonenses autem, & Terdonenses audito, quod Papa venturus esset in Lombardiam, ut inter Imperatorem, & Lombardos pacem componeret, credentes anticipare alios, ab hoc majorem Imperatoris gratiam impetrare, obliti promissionis, & juramenti, quod aliis Civitatibus fecerant, eis nolentibus, & contradicentibus cum Imperatore sunt concordati; unde postmodum à Papa, & omnibus qui hoc audierunt, viles, & proditores sunt habiti. Papa verò antequam iter arriperet, Nuntios suos ad Regem VV. in Siciliam misit, ut aliqui de Magnatibus suis à latere suo ad eum transmitteret, qui cum illo, & pro parte ejusdem tractandæ pacis colloquio interessent. Papa autem firmiter in suo habebat proposito nequaquam cum Imperatore sine Rege VV. pacem facere, ut qui adjutor Ecclesiæ, & defensor in tribulatione fuerat, in compositione, Ecclesiasticus socius, & particeps fieret. Rex verò VV. Romualdo II. Salernitano Archiepiscopo, & Roggerio Comiti Andriæ, & Magistro Comest. & Magno Justitiario totius Apuliæ, & Terræ Laboris per litteras suas dedit in mandatis, ut honorificè præparati simul cum Papa, in Lombardiam pergerent, & pro parte Regia componendæ pacis cum Imperatore tractatui interessent. Alexander igitur Papa ab Anagnia se movens, & per Terram Laboris Beneventum veniens, à festo Nativitatis, usque in Epiphaniam ibidem est demoratus. Dehinc per Trojam, & Sipontum Vestam venit, & VV. Portuensem Episcopum, & Hyacinthum Cardinalem S. Mariæ de Scola græca, & quosdam alios Cardinales per Terram præmisit, quia Mare propter ejus inundationes, & procellas intrare metuebant, quos venientes de Terra Aprutii, & de finibus Regni, Christianus Cancellarius per Marchiam satis honestè ad Imperatorem Ravennam usque deduxit. Imperator autem eos affectuosè recepit, sicut decuit multum honoris, & reverentiæ illis exhibuit. Alexander verò Papa simul cum Malphredo Palastino Episcopo, & Joan. Neapol. & Ugone de Bononia, & Bosone, & Cemone Cappello Cardinalibus, & prænominatis Regis Nũtiis, impediente tempestate, apud Vestam, usque ad quartam feriam quando jejunium incohabatur, nono scilicet die intrante Mense Martii cum xi. Galeis Mare Adriaticum est ingressus, & Dominico die primo venturo Jadarum applicuit, ubi ab Archiepiscopo, & Episcopis regionis illius, & communitate, & Populo Civitatis satis honorificè est receptus. Dehinc per Insulas Dalmatiæ navigans, nono die stante Mensis Martii, ad Portum Venetiæ aura flante secunda pervenit, & ibidem cum omnibus suis de Galea descendens, in Monasterio Sancti Nicolai, quod dicitur ad Littus ipso die quievit. Altera autem die Dux Venetiæ cũ magna Navium, & Populi multitudine, & Patriarcha Venetiæ, simul cũ Patriarcha Aquilejæ, & omnibus suis suffraganeis ad pedes Alexandri Papæ humiliter accedẽtes ipsum processionaliter cũ summo honore, & gloria usque ad S Marci Ecclesiam deduxerunt, in qua facta oratione Populum benedixit. Dehinc navem Ducis cum ipso simul ingressus, usque ad Palatium Patriarchæ veniens, in ipso

hospitio se recepit. Episcopi autem, & Abbates vicinarum partium, adventu Papæ cognito, omnes cum suis Clericis ad ejus vestigia devotè humiliter se contulerunt. In Festo autem Annunciationis Virginis Papa à Duce Venetiæ, & Magnatibus ejus affectuosè rogatus ad Ecclesiam Sancti Marci cum Cardinalibus suis accessit, & in ea Missam publicè decantavit. Fredericus autem Imperator, qui apud Cæsenas morabatur, cum adventum Papæ in Venetiis cognovisset, Mademburgensem Archiepiscopū, & electum Guarnacensem, & Protonotarium suum, ad eum transmisit, affectuosè postulans, ut si ei placeret, locum futuri colloquii à Bononia transmutaret; non enim sibi tutum forè arbitrabatur Christianum Cancellarium suum cum aliis Nuntiis illuc dirigere, eo quod ejusdem loci Civibus odiosus esset, pariter, & offensus, & injurias plurimas, & damna intulerat. Quibus Papa respondit, Imperator Legatorum nostrorum, & Lombardorum consilio communi pariter, & assensu tractatum pacis apud Bononiam habere disposuit. Quod ergo de eorum communi voluntate est dispositum, non debet sine communi consilio commutari: qua de causa Alexander Papa Cardinalibus, qui erant Ravennæ, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, Potentatibus, Consulibus, & Rectoribus Lombardiæ mandavit, ut ei Ferrariam occurrerent, quatenùs communicato eorum consilio, Imperatori de loco, in quo habendum esset pacis colloquium, & de aliis suis petitionibus responderet. Ipse verò cum Venetiis diebus esset quindecim demoratus, per mare Lauretum venit. Dehinc per Padum Ferrariam cum Galeis undecim in Dominica Passionis ascendit, ubi ab Episcopis multis, & ejusdem Urbis Civibus, & magna Populi multitudine, quæ illuc propter feriam, quæ illuc celebrabatur, convenerat; satis est magnificè, & honestè susceptus. Proxima verò septimana Ravennæ Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Mediolanensis Archiepiscopus cum Episcopis, & Abbatibus Lombardiæ, Potestates, Rectores, Consules, & multi prudentes de Civitatibus Lombardiæ, Ferrariam ad Alexandrum Papam festino gressu lætabundi venerunt. Quos Papa paterno affectu, prout decuit, benignè satis, & jocundè suscepit. Altera verò die cum eis in Majori Ecclesia Sancti Georgii, congregata Populi multitudine magna, convenit, quos facto silentio tamquam filios taliter est allocutus. Novit vestra discretio filii dilectissimi, quod peccatis nostris exigentibus, Navis Ecclesiæ, quæ in Portu placido, & tranquillo deberet consistere, adeò persecutionis validè procellas sustinuit, adeò iniquorum hominum turbines, & fluctus incurrit, quod penè est in profondo Pelagi cum suo Gubernatore demersa. Imperator enim Romanus, qui Ecclesiam tamquam illius Advocatus gubernare, & defensare debuit, impugnavit, & suæ voluntatis non rationis sequens arbitrium, eam à sua unitate divisit. Altare contra Altare extulit, & inconsutilem Dei tunicam quantum in eo fuit dividere non expavit. Unde Ecclesiastica virtute Divina, & pacis vinculo dissoluto, Romanæ Ecclesiæ Dignitas penè deperiit, & quæ Domina Gentium, & Princeps Provinciarum fuerat, facta est sub tributo. Et quia imminente validæ persecutionis articulo, Romanæ Ecclesiæ quodammodo est debilitata authoritas, cum non esset, qui delinquentium errores, & peccata corrigeret, Sanctorum Patrum Statuta, & Canones de suo ordi-

ne

ne sunt & jure mutata: Sicque factum est, quod occasione hujus scismatis,& discordiæ, multæ Ecclesiæ,& Monasteria sunt destructa,ex parte perdita, & Religio violata, adulteria plurima, fornicationes, furta, & homicidia sine vindice perpetrata, Castella, & Urbes sunt dirutæ, & incendio concrematæ, res Viduarum, & Pauperum prædæ sunt, & direptioni expositæ. Sed licet justus Judex,& patiens retributor, culpis humani generis exigentibus, jam per decem, & octo annos virgam peccatorum super sortem justorum justo judicio, sed occulto reliquerit,& Ecclesiam suam persecutione valida passus sit vehementer affligi,tandem motus ad invicem, pio compassionis oculo afflictionem sui Populi miseratus aspexit, & Navem Ecclesiæ suæ cum Petri Vicario, & suis fratribus, persecutionis unda penè demersam, noctis medio visitavit, & de salute propria, & futura tranquillitate penitus desperantes, voce salutifera confortavit, dicens: confidite Ego sum, nolite timere. Ad cujus vocis imperium ventus tribulationis siluit,& unda persecutionis quievit; operante enim illo, qui voluntates Principum pro suo beneplacito dirigit, & corda Regum sicut vult trutinat, & disponit. Imperator Romanus, qui verbum pacis audire non poterat, mutatus in virum alterum, pacem modo requirit,& Ecclesię concordiam, quàm despexerat, nunc affectuosè deposcit. Benedicta sit gloria Domini de loco Sancto suo. Ecce enim lapis, quem ædificantes reprobaverant factus est anguli, & in summitate Ecclesiæ collocatus, non ab homine, sed à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, quod senex Præsbyter, & inermis furori Theutonico potuit propugnare,& sine bello Imperatoris potentiam potuerit debellare, quod ex manifesto Dei judicio credimus provenisse, & humana superbia manifestè recolat, & totus mũdus evidentèr agnoscat, quod pugnare contra Deum sit impossibile,& nemo illius potentiæ audeat contraire. Solus enim Altissimus dominator in Regno hominum, & cui voluerit dabit illud. Et licèt Imperator Nos de pacè Ecclesiæ, & dilecti in Christo filii, & Illustris Regis Siciliæ apud Anagniam per suos Nuncios requisierit, & eam vobis absentibus perpetrare voluerit, nos tamen ardorem vestræ fidei, & devotionis firmiter recolentes, considerantes etiam qualiter vos murum pro domo Israeli opponere studuistis, & qualiter pro statu Ecclesiæ, & libertate Italiæ viriliter decertastis, oblatam nobis Imperatoris pacem recipere sine vobis nolumus,& sicut fuistis socii tribulationis, participes sitis, & gaudii. Inde est, quod non attendentes honoris proprii dignitatem, nec causati corporis fatiscentis, ætatem, nec maris vetiti tempestatem, nos, & fratres nostros labori, & periculo exponere non timuimus, sed ad vos per ignem, & aquam indubitanter accessimus, ut vestro communicato consilio,oblatam Imperatoris pacem,si Ecclesiæ, & Illustri Regi Siciliæ, & vobis conveniens fuerit idonea, suscipere debeamus. Postquam Alexander Papa suo sermoni finem imposuit, Lombardi in utraque militia diligenter instructi, sunt enim in bello strenui, & ad concionandum Populo mirabiliter eruditi, per Sapientes suos taliter Apostolico. Venerande Pater,& Domine, universa,responderunt, Italia pedibus se vestræ donationis inclinat, & suæ devotionis obsequia cum gratiarum actione multiplici vestræ Beatitudini repræsentat, lætatur autem plurimum, & exultat, quod Pater ad filios

filios, Prælatus ad fubditos, Dominus ad fubjectos eft dignatus accedere, ut errantes oves à Luporum morfibus potenter eripere, & ad caulas Ecclefiæ prudenter valeat revocare: perfecutionem, quàm vobis, & Ecclefiæ Imperator intulit, magis opere, quam fermone cognofcimus, & perfecutionis ejus moleftias, quas mundus auditu didicit, nos in noftris tribulationibus experimento fentimus. Primò enim nos ejus impetum fuftinuimus, primò nos illius furori objicimur, & ne ad deftruendam Italiam, & libertatem Ecclefiæ opprimendam proprius poffet accedere, noftrorum corporum, & armorum obice prohibuimus. Nos pro honore, & libertate Italiæ, & Romanæ Ecclefiæ dignitate, fecundò Imperatorem cum fuis fcifmaticis, nec recipere, nec audire voluimus, & ob hoc expenfas de una rerum, pericula mortis, & corporum fubire non refutavimus. Et ideo, Reverende Pater, fatis eft conveniens, & rationi plurimum confentanenm, ut oblatam vobis Imperatoris pacem, non folùm fineatis non recipere, fed etiam audire debeatis. Ipfe namque fæpe nobis pacem fine Ecclefia obtulit, nec recepimus, concordiam nobifcum fine vobis facere voluit, nec admifimus, magis enim volumus Guerram illius cum Ecclefiæ unitate incurrere, quam pacem ejus cum Ecclefiæ divifione fervare. Quod autem Perfonam veftram, & fratrum veftrorum expofuiftis periculo, & labori; Paternitati veftræ fuper hoc de abundanti refpondemus. Nam pro paucis laboribus multos rependimus, pro parvis periculis majora recepimus, dum pro honoris veftri, & Ecclefiæ, gloria noftra indifferenter expendimus, & pro liberanda Ecclefia, nos, & noftros filios morti exponere non rennuimus; fciat autem veftra Sanctitas, & Imperialis potentia evidenter agnofcat, quod nos gratanter Imperatoris pacem, falvo Italiæ honore, recipimus; & ejus gratiam, libertate noftra integra remanente, præoptamus; quod ei de antiquo debet Italia libenter exfolvimus, & veteres illi juftitias non negamus, libertatem autem noftram, quam à Patribus noftris, Avis, & pro Avis hæreditario jure contraximus, nequaquam relinquimus, quàm amittere, nifi cum vita timemus, magis enim volumus gloriofam mortem cum libertate incurrere, quam vitam miferam cum fervitute fervare. Quod autem Illuftrem Regem Siciliæ ad confortium noftræ pacis afcifcitis, gratum nobis refidet plurimum, & acceptum, quia eum amatorem pacis, & cultorem juftitiæ recognofcimus. Ipfe namque præceteris mundi Principibus, fuis, & extraneis pacem tribuit, & fecuritatem impendit, quod per opera Viatores noftri fentiunt, & Peregrini experimento teftantur, qui in viis, & campis fine cuftode dormiunt, & in memoribus abfque fuarum rerum amiffione quiefcunt: & ut brevi concludamus in fumma, major pax, & fecuritas in Regno ejus, nemoribus, quam in aliorum Regnorum Urbibus invenitur, & ideò talem, ac tantum Principem, & noftræ pacis focium, & noftræ focietatis effe volumus Dominum, & Amicum. Pofteaquam Lombardi finem fecere dicendi, Papa eos de more benedixit, & ad Hofpitia fingulis abire permifit. Poft diem autem tertium Chriftianum Cancellarium, & Prothonotarium ex parte Imperatoris Ferrariam ad Papam venientibus, refidentibus cum eo Regis Nuntiis, & Lombardis, in Confiftorio publicè proteftati funt, & dixerunt: Venerande Pater, & Domine, ficut Imperator Romanus vobis per fuos Nuntios apud Anagniam,

gniam, repromisit paratus est nobiscum, & cum Ecclesia, cum Illustri Rege Siciliæ, & cum Lombardis per nos pacem facere, & servare, & ideò nobis septem faciendæ pacis authoritatem contulit, & quidquid de bono pacis coram vestra præsentia statuerimus, hoc totum Imperialis dignitas rati habitione firmabit. Hoc autem verbum Papæ admodum placuit, & habito consilio, alios septem Ubaldum videlicet Hostiensem, Guillelmum Portuensem, & Malphreum Prenestinum Episcopos; Joann. Neapol. Theodinum dictum Arrone, & Petr. de Bona, Præsbyteros Cardinales, & Jaquintum Diaconum Cardinalem pro parte Ecclesiæ pacis arbitros, & mediatores instituit. Lombardi autem totidem personis, Taurinensem videlicet, Pergamensem, & Cumanum Episcopos, & Astensem electum, Girardum de Pasta Mediolanensem, & Gozzoveronem Judices, & Albertum de Jamera Briescensem Civem, ad suæ pacis compositionem unanimiter statuerunt. Præcepit etiam Papa Nuntios Regis Siciliæ huic pacis tractatui interesse. Primus autem quam pacis capitula hinc, & inde essent in medio producta, de loco colloquii non modica inter eos est obhorta contentio; Lombardi enim volebant per Imperatorem, atque Hostiensem Episcopum, & eos fuerat ordinatum. E contrario autem Imperatoris Nuntii reclamabant, se nequaquam pro tali causa Bononiam profecturos, & quod Christianus Cancellarius Bononiensibus odiosus esset plurimum, & infestus, sed cum illis pro hoc negotio libenter Venetiis convenirent, ubi utroque partes possent sine timore pergere, & cum securitate manere. Lombardi autem è diverso suspectos habeant Venetos, afferentes illos pacis cum eis inita fœdera violasse, & sępè Imperatoris Nuntios contra hoc, quod statutum inter eos fuerat recepisse. Cum hæc contentio aliquantis diebus de loco colloquii, Nuntiis voluntati Domini Papæ præbuere consensum, & se ituros Venetias, præstitis tamen prius securitatis, promiserunt. Qua de causa Papa, Hugonem Bononiensem, & Raynaldum, Cardinalibus, cum quibusdam Lombardis Venetias misit, ut à Duce, & Populo Venetiæ securitatem reciperent, quod ipse cum iis, qui essent ad colloquium profecturi securè possent intrare Venetias, & exire, & in eis cum rebus suis salvi, & sine timore persistere, & quod Imperatorem sine mandato Papæ intrare fines Venetiarum ullatenus non permitterent. Iis autem abeuntibus, Christianus Cancellarius, qui Ferrarienses, quos in bello offenderat plurimum metuebat, quinta feria Majoris Hebdomadæ à Ferraria movens Venetias festinus advenit. Papa autem Alexander cum magno conventu Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, Paschalem Festivitatem, quæ vigesimo quarto die Mensis Aprilis, eo tempore occurrebat, usque ad octavas, ut moris est, Ferrariæ solemniter celebravit. Cumque à Cardinalibus, quos Venetias miserat, de securitate à Duce, & Populo præstita, responsum idoneum accepisset, & nono die intrante Mensis Madii cum Regis Nuntiis Galeas ingressus, sequentibus eum Cardinalibus, & Lombardis eo die per Padum lauretum descendit. Altera verò die per mare ad Sanctum Nicolaum, qui dicitur ad littus applicuit; tertia autem die à Duce, & Populo Venetiæ à Patriarcha, & universo Clero, primò ad Sanctum Marcum, deinde ad Patriarchæ Palatium, cum magna gloria, & honore deductus. Postquam autem Cardinales, & Lombardi,

qui

qui Papam fuerant subsecuti Venetias, applicuerunt; Papa mediatoribus pacis injunxit, ut in Cappella, quæ erat in Palatio Patriarchæ convenientes, primò de pace Lombardorum, quæ prolixiori indigebat tractatu, quæ quasi una est, postmodum tractaturi. Cum autem hoc factum esset, & rationes multiplices hinc inde prolatæ, tandem Christianus Cancellarius pro parte Imperatoris disjunctam triplicem proposuit, dicens. Petit à vobis Imperator, & postulat, ut aut de Regalibus, & his, quæ ad eum pertinent, quæ vos detinetis illi Justitiam faciatis, aut sententiam à Judicibus Bononiæ apud Roncaliam contra vos pronunciatam executioni mandetis, vel ea, quæ Antecessores vestri seniori Henrico reddere consueverunt, illi faciatis. Quo audito Girardus Pesta Mediolanensis Judex pro parte Lombardorū respōdit Nos quidem Imperatori, undecumq; nos appellaverit, parati sumus, sicut Domino, justitiam facere, sed quia hæc justitia non est unius hominis, sed multorum, non unius Civitatis, sed plurium, secundum causarum merita inducias postulamus, ut deliberantes plenius super his, quæ nobis objecta fuerint competenti loco, & termino, apud communem Judicem responsuri veniamus. Quod autem dixisti apud Roncaliam à Bononiensibus Judicibus contra nos sententiam fuisse prolatam, planè inficiamur, eam non fuisse sententiam, sed imperatoriam jussionem. Cum enim plures ex nobis, nec per contumaciam fuissemus absentes, quicquid tunc contra nos dictum fuit, nobis nocere non debet, nec pro sententia reputari. Secundum legem enim in absentes prolata sententia nullius est roboris, vel valoris. Quod verò postulasti, ut ea Imperatori reddere deberemus, quæ seniori Henrico à nostris Antecessoribus sunt soluta, respondemus. Quod prænominati Imperatoris dispositiones pariter, & statuta propter antiquitatem temporis jam penè perdidere memoriam, nec vivit aliquis nostrum, vel vestrum, qui benè possit illius temporis dicta, vel facta recolere. Item Imperator Henricus, salva authoritate Imperii, non debet Dominus, sed Tyrannus vocari, cum enim misisset manum, in servum Domini, & Pasqualem Papam super Altare cæpisset, & cum multas Ecclesias destruxisset, & Episcopos excecasset, ejus facta velut crudelia, & tyrannica nō sunt trahenda ad consequentia, vel ad memoriam recordanda, sed si Imperatori, ea quæ Antecessores nostri juniori Henrico, Corrado, & Lothario, & eis usque ad hæc tempora reddiderunt recipere, parati sumus in pace persolvere: quod si hoc Imperatori gravè residet, & videtur pacem, quę inter nos, & eum per Cremenses tractata fuit, & in scriptis redacta, volumus firmiter observare, quæ eo tempore completa fuisset, nisi quia Imperator volebat nos ab Ecclesiæ unitate recedere, & Alexandri Papæ Pontificium denegare. Provideat ergo super hoc vestra discretio, si, quia Scismati consentire nolumus, debeamus nostræ conditionem deteriorem efficere. Cum autem scriptura de tractatu pacis habita, & per Cremonenses Lombardis aliis delegata, producta fuisset, in medium cæperunt, Theutonici quibusdam scripturę Capitulis diligenter opponere, & eorum sensum ad suæ partis commodum retorquere, quædam verò Capitula denegare; E contra Lombardi cæperunt illorum responsiones suis responsionibus confutare, & his quæ objecta fuerant satis studiosè resistere. Ad comprobanda verò Capitula, quæ ipsi negave-

gaverant, cœperunt, Cremenensium licèt essent inimici, testimonium invocare. Cumque super his Capitulis diebus esset plurimis disputatum, & nihil penitus diffinitum, & utriusque partis convenientia quæcumque hinc inde dicta fuerant, ad Papæ audientiam sunt relata Alexander autem Papa, utpotè Vir eruditus, & sapiens, considerans Imperatoris, & Lombardorum pacem multis esse controversiis, & quæstionibus involutam, nec eam posse brevi spatio temporis consumari, tractatu pacis postposito, cæpit cum eis de treguis sex annorum agere, sperans per treguas ad consumationem pacis, faciliùs posse pervenire. Tunc etiam Theutonicis de pace Regis Siciliæ verbum proposuit, affectuosè postulans, ut Imperator cum eo aut pacem perpetuam, aut temporalem ad minus, usque ad annos xv. faceret, in veritate sciturus, quod nullatenus pacem ejus, & Ecclesiæ posset habere, Rege Siciliæ in discordia remanente. Christianus autem Cancellarius, cum sociis suis consilio communicato, respondit. Novit vestra discretio, Venerande Pater, & Domine, quod nos ab Imperatore accepimus in mandatis, ut vobiscum de pace Ecclesiæ, Regis Siciliæ, & Lombardorum haberemus colloquium, & tractatum, sed quia vos tractatu pacis, omisso novum verbum nobis de treguis faciendis proponitis, non possumus Sanctitati vestræ super hoc certum dare responsum: ad Imperatoris audientiam referemus. Accepta itaque à Papa licentia, ad Imperatorem, qui apud Pomposam venerat, gradu concito perrexit. Est autem Pomposa locus quidam delectabilis, & nemorosus, inter Ravennam, & Venetiam collocatus. Cumque Imperatori petitionem Papæ de componenda pace, cum Rege Siciliæ, usque ad annos xv. & de faciendis treguis cum Lombardis, usque ad annos sex per ordinem exposuissent, adversus eos vehementer indignatus infremuit, asserens illos in hoc tractatu pacis magis Alexandri Papæ honori, & commodo, quam dignatati Imperii providisse. Quare præcepit eis, ut redeuntes firmiter ei ex sua parte proponerent, quod ipse cum eo, & Ecclesia pacem libenter faceret, sed Regis Siciliæ, & Lombardorum treguas denegare. Qui venientes, totum Papæ per ordinem retulerunt, sicut illis fuerat ab Imperatore mandatum. Post quorum discessum, Imperator Gottifridum minorem Cancellarium cũ Episcopo Ciari montis, & Abbate de Bonavalle, Venetias delegavit; injungens eis, quod Christiano Cancellario, & sociis ignorantibus, cautè, & privatim Papæ ex sua parte significarent, quod ipse amoris ejus intuitu pacem Regis Siciliæ, usque ad annos xv. & usque ad sex annos Lombardorum treguas concederet; si Papa cuidam suæ petitioni præberet assensum, quam tamen petitionem ei volebat pœnitus esse incognitam; sed duobus Cardinalibus; quod ipse elegisset, volebat illa diligenter exponi; ea tamen conditione, quod si Cardinales electi, petitione cognita, de ea complenda consilium Papæ tribuerent, ipse autem sine dilatione perficeret. Ex mandato itaque Papæ, Hubaldus Hostiensis Episcopus, & Theodinus Cardinalis ad hoc negotium sunt electi, quibus Imperatoris petitio ab ejus Nuntiis privatim est, & studiosè imposita. Cumque Cardinales, petitione cognita Papæ, suggererent, quod petitioni Imperatore præberet assensum, Alexander Papa, utpotè homo providus, & discretus, cæpit quænam esset occulta illa petitio, animo estuanti revolvere, & Theutonicorum dolos, & versutias

ſutias ſuſpectas habere.. Quare mutavit cum voluntate conſilium, aſſerens, non decere authoritatem Apoſtolicam petitioni incognitæ præbere conſenſum, nec de re dubia, & incerta aliquid reſpondere, ſed ſi petitionem illam vellent ei fideliter aperire, & talis eſſet illa petitio, quæ contra honorem Dei,& damnum Eccleſiæ non ſpectaret, libenter eam effectui manciparet. Quo audito, Gottifridus minor Cancellarius indignatus ad Imperatorem rediit, Epiſcopus autem Clarimontis, cum Abbate de Bonavalle, qui remanſerant, videntes, quod nullum à Papa poſſent habere reſponſum, licèt invlti petitionem Imperatoris Papæ expoſuerunt. Erat autem hæc petitio; Imperator Papa per Nuntios ſuos promiſerat, quod ſi pacem cum eo faceret, Terram Comitis Semaltendis, quàm ipſe tenebat in manu ejus, & Eccleſiæ poteſtate remitteret. Petebat ergo, ut liceret ei uſque ad xv. annos, videlicet quouſque pax Regis Siciliæ perduraret, ejuſdem Terræ redditus ſine contradictione recipere. Completis verò xv. annis,volebat, poſſeſſione penes eum remanente, ſtatim de eadem Terra cum Eccleſia placitare, aſſerens illam ad jus ſui Imperii pertinere. Papa autem intuitu Regis Siciliæ, quem plurimum diligebat, uſq; ad condictum terminum Imperatori prænominatæ Terræ fructus habere conceſſit, hac tamen conditione,quod completis xv. annis,ad poteſtatem, & poſſeſſionem Romanæ Eccleſiæ Terra illa rediret, & tunc Eccleſia in poſſeſſione poſita, ſi Imperator vellet de proprietate Terræ illius agere,libenter ei Eccleſia Juſtitiam faceret. Poſtquam antem hic modus petitionis implendæ per Epiſcopũ Clarimontis, & Abbatem de Bonavalle fuit Imperatori propoſitus,plurimũ illi diſplicuit,& ſic concordia per illos tractata remanſit. Chriſtianus autem Cancellarius, & reliqui, qui cum eo mediatores pacis fuerant conſtituti, cognito quod Imperator per alios pacem Eccleſiæ tractare voluiſſet, nimium doluerunt,& venientes ad Papam Alexandrum dixerunt, Sanctitati veſtræ, Domine,eſſe volumus non incognitum, quod noſtro odio, & invidia pax Eccleſiæ præpeditur; quidam enim noſtri emuli falſa de nobis Imperatori ſuggerunt, & volunt in hac parte nos ei odioſos reddere pariter, & ſuſpectos; & ideò veremur plurimum, ne dum nos abſenſes ſumus, qui pacem diligimus, & Nuntii ineundu, & redeundo ſine fructu tempora longa conſumunt, Imperator prolixitate temporis affectus tedio, deſideratam pacem aborreat, & ſugeſtione pravorum hominum infecta pace recedat: conſulimus ergo diſcretioni veſtræ,ut ſi vobis placuerit propriùs Imperator accedat,ut veſtris, & ſuis Nuntiis citò ire, & redire volentibus, pax volenti Domino citò valeat conſumari. Papa autem, habito cum Nuntiis Regis Siciliæ,& Lombardis conſilio,reſpondit: Nobis quidem placet admodum, ut Imperator Clojam, quæ à Venetiis quindecim diſtat millibus, cum paucis veniat; ea tamen conditione, quod vos in anima veſtra jurare faciatis, ut poſtquam illuc venerit, abſque noſtro mandato,& licentia ulteriùs non procedat, Juramento itaque in hunc modum præſtito, Colonienſis Archiepiſcopus,cum quibuſdam aliis, Ceſenam ad Imperatorem venit, & eum cum ſuis Clojam uſque deduxit. Quidam autem Populares Veneti,cognito Imperatoris adventu, ad eum accedentes,cæperunt illi ſtudioſè ſuggerere,& abſque mandato Papæ,& licentia, Venetias ſecurus intraret, firmiter promittentes,quod eorum conſilio

filio, & auxilio pacem posset cum Ecclesia, & Lombardis pro sua voluntate componere. Quorum verbis Imperator aliquantulum acquiescens, praecepit eis, ut dicta operibus consumarent, dantes operam, ut totum Populum ad perfectionem hujus negotii cautè, & sapientèr inducerent. Alexander autem Papa audiens quod Clojam Imperator venisset, Guilielmum de Papia Portuensem Episcopum, & Joannem Neapolitanum,& Theodinū,& Petrum de Bona, Praesbyteros Cardinales, & Jaquintum Diaconum Cardinalem, cum Christiano Cancellario, & aliis Theutonicis, qui pacis mediatores erant, ad eum direxit, mandans, ut si de beneplacito illius esset, ipse Nuntios Regis Siciliae, & quosdam de Lombardis Clojam transmitteret, ut illis praesentibus. Imperator in anima sua per Principes suos jurare faceret, quod pacem Ecclesiae, & pacem Regis Siciliae usque ad annos XV. & treguas Lombardorum usque ad annos sex firmitèr observaret. Quo facto Venetias posset securus accedere, ejus proculdubio benedictionem,& gratiam habiturus. Imperator verò,quia aures suas verbis Venetorū quodāmodo dederat,caepit Cardinalibus de verbo pacis, quasi novum esset, & sibi incognitum respondere, & longis consultationibus, de die in diem sua risponsa differre. Quo cognito, Cardinales turbati sunt plurimum, & mirati, & quod deberent facere, nesciebant. Intereà Populus Venetię,& Cloję Venetias redeuntes,in Sancti Marci Ecclesia congregati, totius penè Populi seditionem, & tumultum contra Ducem suum excitaverunt, dicentes, Domine Dux, non benè onori, & commodo, commissi vobis Populi providetis. Ecce enim Imperator Romanus apud Clojam jam diebus aliquantis est demoratus, ubi caloris distemperantiam,& muscarum, & culicum plures molestias sustinet, nec ei licèt Venetias intrare, quod ipse multum graviter recepit, & vindicandum in posterum alta memoria reponit, & ideò veremur ne tam gravis esset pariter, & damnosa. Quare de nostra voluntate est, ut si vestrae residet celsitudini, Imperator Venetias à vobis,& à Populo invitatus accedat. Quibus Dux benignè respondit, benè potestis firmitèr recolere Domini, quod ad petitionem Papae, per duodecim prudentes viros, in anima omnium nostrorum jurare fecimus, quod absque mandato ejus, & licentia Imperatorem intra fines Venetiae nullatenus recipere debemus. Providet ergo vestra discretio,si contra tenorem juramenti nostri,Papa inconsulto,Imperatorem debeamus huc advocare. Cui illi responderunt: Postquam ex mandato Papae Clojam, quae intra fines est Venetiae Imperator intravit, planè à nostri juramenti sumus vinculis absoluti. Cumque super hoc à Duce, & Populo esset diutiùs disceptatum, tandem de communi consensu, quidam Veneti sunt ad Papam directi,qui venientes, sicut viri improbi, & superbi, dormientem Papam excitare non timuerunt, proponentes ei ex parte Ducis & Populi, quod de eorum erat voluntate, & beneplacito, quod Venetias Imperator intraret. Quod verbum admodum Papae displicuit, & multum gravi resedit, dicens eis vos vobis ex juramento tenemini, ut Imperator Venetias non debeat sine nostra licentia, & mandato venire. Volumus ergo, ut Cardinales usque in diem crastinum expectetis, & eis venientibus, quod nobis faciendum sit vobis respondere curabimus. Quod verbum licet Venetis displicuisset plurimum, tamen precibus

Papæ divicti, & petitione redierunt. Intereà per totam regionem rumor insonuit, quod Veneti, contra voluntatem Papæ, vellent Imperatorem Venetias intromittere. Quo audito Lombardi, qui cum Papa pro facienda pace Venetias venerant, metuentes subitum Imperatoris adventum, & fidem Venetum, & circumstantium suspectam habentes, intrantes Naves ad partes Trovisiæ se transtulerunt. Papa autem cum paucis Cardinalibus, qui secum remanserant, cæpit contristari, & mestus esse. Metuebat enim ne si Imperator contra voluntatem suam, juramento non præstito, Venetias introiret, magnum ex hoc damnum, & periculum posset Dei Ecclesiæ provenire. Audientes autem hoc Nuntii Regis Siciliæ, venientes ad Papam, cœperunt eum viriliter animare, dicentes, Domine, non oportet vos dubitare in aliquo, vel metuere. Ecce enim quatuor Galeas Regis Siciliæ ad vestrum obsequium præparatas habemus, quas cum vobis intrare placuerit, securè vos de hoc loco, & absque periculo, invitis etiam Venetis, & contradicentibus æducemus. Quibus verbis Papa plurimum animatus respondet, quod de suo erat proposito, ut Cardinales, qui ad Imperatorem iverant, usque in diem crastinum expectaret, ne si eis inconsultis recederet, posset meritò levitatis argui, & de violata fraternitate culpari: quo audito Regis Nuntii ad Palatium Ducis, ubi cum multis Venetis Dux de more convenerat, accedentes, eos taliter sunt allocuti. A vestra memoria excidisse non credimus, quanta beneficia Dominus Rex huic Civitati contulerit, & quod hodie Princeps aliquis sub Cœlo non vivit, cujus amicitia tantùm sit vobis idonea, cujus gratia adeò sit vestris utilitatis opportuna; & vos ei ex juramento tenemini sui Regni gloriam, & honorem diligere, & pro ejus commodo plurimum laborare. Inde est, quod nos consideratione inducti, & de vobis, tamquam de amicis Domini Regis, & fidelibus, multam spem, & fiduciam obtinentes, Papam, & Lombardos invitos pariter, & renitentes Venetiam venire coegimus; juramento tamen priùs à vobis præstito, quod sine Papæ licentia non deberetis Imperatorem intra Venetiæ fines recipere; sed ecce, ut audivimus, vestri juramenti, & promissionis obliti, pace non dum disposita, & firmata, Imperatorem non juratum ad Civitatem istam, Papa contradicente, vocatis; & sit pax Ecclesiæ, & Domini nostri Regis, vobis facientibus, impeditur; Sed in veritate sciatis, quod nos in Civitate ista non præstolabimus Imperatoris obventum, sed die crastina ad propria redeuntes, Domino Regi significare curabimus, qualiter pro tot, & tantis beneficiis vobis à Regia libertate collatis, mala, & damna plurima respondere studeatis. Quibus auditis, Dux satis placidè, & benignè respondit: Quid vos indignatos accipimus, & contra nos commotos esse cognoscimus? Nos enim, qui Dominum Regem toto corde diligimus, & pro honore ejus, & commodo nos, & nostra exponere non dubitamus, nolumus non solùm vos, qui magni estis de Regno ejus, & summi Pontificis, sed nec suorum minimum ad iracundiam provocare. Et quia inter eum, & Imperatorem pacem esse dispositam credebamus, volumus, ut in Civitate nostra pacis Domini Regis, tamquam amicissimi nostri, fieret consumatio. Et ideò recedendi, vobis licentiam non tribuimus, sed prudentiam vestram affectuosè rogamus, ut tamquam in domibus vestris securi, & sine timo-

timore aliquo Imperatoris expectetis adventum. Non autem idcirco talitèr Dux respondit, quia ei, & aliis sapientibus Imperatoris non displiceret adventus, sed quia timebat plebem, & popularem tumultum plurimum formidabat. Nuntii autem, Regis hæc audientes, surgentes cum indignatione dixerunt: Nos hic cum licentia vestra non venimus, nec cum vestra licentia recedemus, sed crastina die iterum arripientes Domini nostri Regis injuriam, non verbis, sed operibus vindicare curabimus. Qui ad domos suas redeuntes, statim jusserunt Galeas parari, tubas canere arma, & totam supellectilem in Galeas inducere. Quod factum postquam fuit, per Venetias divulgatum, timor maximus Venetos occupavit, timebant enim, ne si Regis Nuntii indignati recederent, hac occasione Rex Venetos, qui intra sua erant, capi faceret, & in custodia detineri. Qua de causa magna multitudo virorum, ac militum, quorum parentes in Apuliam venerant, ad Ducem properans proclamavit, vestram, & totius Venetiæ prudentiam, Illustris Dux, latere non credimus, quanta beneficia magnificus Rex Siciliæ nostræ Regioni sua liberalitate præstiterit, & qualiter nostræ famis inediam suæ Terræ victualibus reparaverit, ad quæ trasportanda multi nostrorum Civium in Apuliam transmiserunt, & secum modicam pecuniam, & multas mercimonias detulerunt; si ergò Siciliæ Rex audierit Nuntios suos à nobis indignatos recedere, in Cives nostros, & res eorum meritò poterit vindicare. Provideat igitur vestra discretio, si occasione Imperatoris, à quo nihil unquam boni habuimus, amicitiam tanti Principis, à quo omne bonum recipimus, amittere debeamus, & ideò magnificentiam vestram humilitèr imploramus, ut nostrorum Civium tam gravi damno, & futuro periculo providentes, Nuntios Regis Siciliæ ab incepto itinere revocetis, nec contra voluntatem Papæ, & illorum, Imperatorem Venetias intrare sinatis: Si qui enim sunt, qui contra hoc aliquid dicere, vel attemptare præsumpserint, parati sumus cum nostris parentibus, & amicis, eos morti tradere, & proximos nostros, qui in Regno Regis sunt, à futuro periculo liberare. Dux autem eorum quærimonia diligentèr, & gratanter audita, respondit: quod Nuntii Regis Siciliæ volunt indignati recedere, non meæ imprudentiæ, sed quorumdam Popularium seditioni est, & malitię adscribendum, qui mea, & prudentum virorum zelo, & invidia provocati, non Civitatis honori, & gloriæ, sed suis utilitatibus providentes, die, & nocte dant studium, & operam diligentem, ut Imperatorem nobis contradicentibus, Venetias introducant, & ab hoc perjurii crimen, & infamiam, & Papæ, & Regis Siciliæ, grave, & perpetuum odium debeamus incurrere. Cumque illi iterum proclamassent, ut eorum, qui auctores erant seditionis, nomina Dux evidenter exprimeret, metuens si noti fieren, ob hoc pugna in Civitate maxima, & seditio invalesceret, saniori usus consilio, Nobiliores, & prudentiores, quos habere potuit, ad Papam direxit, pro parte totius Populi veniam humilitèr postulans, & affectuosè deposcens, ut quod illi in eum stultè, & superbè peccaverant, ipse eis ex innata humilitate, & gratia relaxaret, & Nuntios Regis Siciliæ à proposito sui itineris revocaret. Quibus Alexander Papa, more solito, satis benignè respondit, Ego quidem, cui Sanctitas, & officium ignoscendi gloriam de-

reliquit, injuriam meam ad mentem non revoco, offensam meam pro Dei amore dimitto, sed Nuntios Regis Siciliæ tamquam nobiles, , & potentes, rogare quidem valeo, sed invitos detinere non potero. Tandem Venetis multum rogantibus, ut ad hoc faciendum partes suas interponere dignaretur, motus Papa eorum petitionibus, per Rogg. de Pisa Subdiaconum, & Senescalcum suum, simul cum Venetis, Nuntiis Regis Siciliæ preces affectuosè porrexit, ut divini, & sui amoris intuitu, indignationem compescerent, & inceptam iracundiam temperarent, atque propositum suum ab incepto itinere revocarent. Quibus illi responderunt, Dominus quidem Papa sicut vir perfectus, & Sanctus, & de sui meritò authoritate confisus, mori non metuit, & Venetus dolos, & insidias non pavescit. Nos autem, qui adhuc imperfectiores sumus, mori nolumus, & nostro Regi inferri injuriam moriendo vitamus. Veneti, ingratitudinis filii, & Regiæ liberalitatis obliti, nolunt Domino nostro mala pro bonis rependere, & ad perturbationem pacis ejus, contra voluntatem Domini Papæ, & nostram, inimicum ipsius Venetias introducere. Dominus autem noster tantæ est potentiæ, & virtutis, quod pro his excessibus, quos contra amicitiam suam faciunt illis, sicut decet, respondere curabit; sed quia nos preces Domini Papæ pro mandato accepimus, iter nostrum usque in diem crastinum differemus, & dehinc communicato eum eo consilio, quod nobia faciendum sit disponemus. Quibus auditis Veneti ad Ducem suum redeuntes, ea quæ à Papa, & Nuntiis Regis audierant, illi per ordinem retulerunt. Altera autem die Dux, sano usus consilio, apud Rivum altum sub voce præconis fecit publicè declamare, ut nullus de adventu Imperatoris auderet verbum facere, nisi cum Alexander Papa præcepisset. Cum autem ea, que apud Venetias dicta, & facta fuerant, ad Imperatoris adhuc Clojam demorantis audientiam pervenissent, sua spe, & intentione sustratus, cępit de suo rigore mollescere, & Cardinalibus, qui ibi erant, de verbo pacis benignus respondere. Cancellarius verò, & alii Ecclesiastici Principes, qui pacis consumationem plurimum affectabant, spiritu libertatis assumpto, Imperatori viva voce dixerunt; Bene debet Imperialis Majestas recolere, quod quidã è nostris ex mandato vestro Anagniam accedentes, cum Alexandro Papa de pace Ecclesiæ, & Imperii, de pacis Regis Siciliæ, & Lombardorum tractatum habuimus, & ipse, utpotè vir Sanctus, pacis cupidus, & amator, nostro consilio, & hortatu Campaniam deserens, Venetias jam intravit paratus. Vos autem, ut credimus, suggestione pravorum hominum, à consilio nostro vultis recedere, & à pacis proposito declinare. Nos verò ex jure debiti, quo Imperio tenemur, astricti, parati sumus vobis, ut Domino in temporalibus obedire, & pro regalibus, quę tenemus, consuetum vobis servitium facere; sed quia nostrorum estis corporum, non animarum Dominus, nolumus pro vobis animas nostras perdere, & Terrena Cœlestibus anteferre: Quare noscat Imperialis discretio, quod nos de cætero Alexandrum in Catholicum Papam recipimus, & ei, ut Patri in Spiritualibus obedimus. Idolum verò, quod èrexistis in Tuscia nullatenus adoramus. Quibus auditis Imperator, operante eo, qui corda Principum sicut vult, & quando vult humiliat, & inclinat, leonina ferocitate deposita, ovinam mansuetudinem inducit, & eis

humi-

humilitèr, & benignè respondit, dicens. Noscat vestra fidelitas dilectissimi, quod non est meæ voluntatis consilium vestrum deferere, & pacis per vos tractatæ propositum evitare, quin potiùs volumus, ea quæ vestro sunt ordinata consilio firmitèr observare. Ut autem à vestris cordibus omnes super hoc dubitationis scrupulus excludatur, Comiti Henrico de Diessa, qui est in præsentiarum præcipimus, ut vobiscum, & Cardinalibus Venetias veniens, coram Papa in anima mea juret, quod ex quo Venetias intravero, in anima mea jurare faciam, quod pacem Ecclesiæ, & Imperii, Regis Siciliæ, & Lombardorum, & de ea observanda præcepto nostro duodecim Principes nostri simile juramentum præstabunt. Cancellarius autem, & reliqui mediatores pacis, cum Cardinalibus, hæc audientes, ea quæ ab Imperatore dicta, & ordinata fuerant, ad Papam per ordinē retulerunt. Qui protinus per Nuntios suos Rectores Lombardiæ, qui in partes Trivisiæ secesserant Venetias revocavit. Altera autem die coram Papa, & Cardinalibus, Nuntiis quoque Regis, & Lombardis, & magna Populi multitudine, Comes Henricus Diessa, sicut ei ab Imperatore mandatum fuerat, in anima ejusdem de præstando juramento pacis observandæ juravit. Cappellanus etiam Coloniensis Archiepiscopi in anima Principum, qui ibi aderant, simile juramentum præstitit. Hoc autem facto, ex mandato Papæ, Veneti cum sex Galeis Clojam iverunt, & Imperatorem cum suis in Galeis recipientes, eum usque ad Sanctum Nicolaum, qui dicitur ad Littus, Sabbato in sero honorificè deduxerunt. Sequenti verò die, Dominica octava scilicèt, die stante Mensis Julii, in Vigiliis Beati Jacobi, Papa, cognito Imperatores adventu, Galeas ingressus cum Nuntiis Regis, magna Lombardorum, ac Populi multitudine, ad Ecclesiam Sancti Marci summo manè devotus accessit, & Hubaldum Hostiensem, & VV. Portuensem, & Malphidum Penestrinum Episcopos, & quosdam de Cardinalibus ad Imperatorem transmisit, qui venientes, ipsum, & suos ab excommunicationis vinculo absolverunt. Christianus autem Cancellarius procedens in publico, tactis Sacrosanctis Evangeliis ait, ut omnes evidenter agnoscant me esse nomine, & opere Christianum, Octavianum Cremensem, & Joannem de Struma, cum suis complicibus, prorsus abjuro, & Alexandrum, & Successores ejus in Catholicum Papam recipio; & alii Prælati Ecclesiarum similitèr juraverunt. Dux autem Venetiæ, cognito, quod Imperator ab excommunicationis esset nexibus absolutus, cum Patriarcha, & magno Cleri, ac Populi, & Navium multitudine, usque ad Ecclesiam Sancti Nicolai illi obviam venit, quem in Navi sua recipiens, usque ad littus Sancti Marci satis honorificè, & pomposè deduxit. Imperator autem de Navi descendens simul cum Duce, Patriarcha, & Episcopis suis, & Clero, & Populo Venetiæ, & ipsum cum Vexillis, & Crucibus processionalitèr præcedentes usque ad Ecclesiam Sancti Marci, ante cujus Atrium Alexander Papa cum Episcopis suis, & Cardinalibus, cum Patriarcha Aquilejæ, Archiepiscopis, & Episcopis Lombardorum, Ecclesiastico more ornatis, honorificè residebat, pedes accessit. Cumque ad Papam appropriasset, tactus divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate postposita, rejecto pallio, ad pedes Papæ totum se extenso corpore inclinavit, quem Alexander Papa, cum

lacry-

lacrymis benignè elevans recepit in osculo, & benedixit, moxque à Theutonicis: Te Deum laudamus, est excelsa voce cantatum. Imperator autem, apprehensa Papæ dextera, ipsum in Ecclesia introduxit,& accepta ab illo benedictione,ad Palatium Ducis cum suis rediit. Papa verò cum Cardinalibus, & Nuntiis Regis, iterum Galeas ingressus ad suum hospitium rediit. In Vesperis autem Imperator per Nuntios suos Papam satis affectuosè rogavit, ut si ei placeret sequenti die, in festo scilicet Beati Jacobi,in Ecclesia Sancti Marci Missarum solemnia celebraret, desiderabat; enim ab ore ejus divina officia supplex, & devotus audire, cujus petitioni Papa assensum benignus accommodans, summo mane cum Cardinalibus ad Sancti Marci Ecclesiam venit, cujus vestiarium ingressus, cum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Cardinalibus, honorificè satis, & Ecclesiasticè se induit, & ad celebranda divina Missarum solemnia præparavit. Imperator autem, ut humilitatem, quam corde conceperat, opere demostraret, sumpto Stratoris officio,pallium deposuit,manu virgam accepit, Laycos de Choro expulit,& Papæ ad Altare solemnitèr, & processionalitèr venienti, viam tanquam Hostiarius præparavit. Dehinc in Choro cum Archiepiscopis, Episcopis, & Clericis Alamanniæ remanens, quibus eo die cantandi injunctum erat officium, Missam Domini Papæ devotè satis, & humilitèr audiebat. Cumque, dicto Evangelio, Papa ascendisset Pulpitum, ut colloqueretur Populum, Imperator accedens propriùs, cæpit verba ejus attentiùs auscultare. Cujus devotionem Papa diligentèr attendens, verba, quæ ipse litteratoriè proferebat, fecit per Patriarcham Aquilejæ in lingua Theutonica evidentèr exponi. Finito autem sermone, & Credo in unum Deum solemniter decantato. Imperator cum suis Principibus ad pedes Papæ devotus accessit, & obtulit. Finita autem Missa, cum Papa ad suum Palatium redire vellet, Imperator dexteram ejus accipiens,eum usque ad Portas Ecclesiæ satis honestè deduxit. Cumque Equum suum album vellet ascendere, Imperator ex alia parte accedens strenuam ejus tenuit,& postquam Equum ascendit, ipsum aliquantulum Stratoris more per freni lora deduxit: quem Papa benedicens ad hospitium redire permisit. Ipse autem, Clero, & Populo illum præcedente, usque ad mare descendit; dehinc Galeas ingressus, ad Palatium suum cum gloria est, & honore reversus.

Venientibus autem proximis Kal. Augusti, Imperator cum Archiepiscopis, Episcopis, & reliquis Principibus suis, & magna Populi multitudine,ad Patriarchæ Palatium, in quo Papa erat hospitatus,accessit. In cujus Palatii aula longa satis, & spatiosa, Papa in eminentiori loco positus, in faldestolio suo resedit, & Episcopis suis, & Cardinalibus hinc inde circumstantibus,Imperatorem quidem in sua dextera, supra Episcopos, & Præsbyteros Cardinales; Romualdum verò Salern. Archiepiscopum in sinistra, supra Diacones Cardinales residere præcepit. Definito itaque silentio, sic est Papa Alexander exorsus. Hæc est,inquit, dies fratres charissimi, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea, quia hic filius noster Romanorum Imperator Illustris mortuus fuerat,& revixit, perierat,& inventus est. Nam postquam cordi ejus supernę radius claritatis illuxit, totius falsitatis depulsa caligine, de errore ad veritatem rediit, de tenebris ad lumen

tran-

transiit, de scismate ad unitatem accessit, & ad Caulas Matris Ecclesiæ tanquā ovis erratica repedavit,exultet igitur votiva Religio, quia hodie Pater juniorem recepit filium, Catholicum Principem Romanum recuperavit Imperium. Mater Ecclesia suum evagantem in vagina convertit gladium. Navis Piscatoris egregii, quæ culpis exigentibus, adversitatum turbine penè demersa jam fuerat, nunc, procellis cessantibus, ad littus solidum, & veræ quietis portum illesa pervenit. Ecclesiæ suæ preces pro bono pacis frequentèr effusas, Dei filius clementèr audivit, & eam cum suo Principe in pace, & concordia collocavit. Inde est, quod destructis adversitatibus, & erroribus universis, secura in pace fruitur, & jocunda securitate lætatur. Cesset igitur antiqua discordia, finem accipiat, inveterata malitia; una fides, unus Dominus, una sit & Ecclesia: Scisma in unitatem transeat, & divisio ad charitatem accedat. Omnis jam ad pacem Ecclesiæ redeat, & ad Matris suæ gremium filiorum numerositas gratiosa recurrat. Sit Deo gloria in Altissimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Et quia nos Imperatoris nostri pium animum, & benignam agnoscimus voluntatem, eum intra nostræ mansuetudinis brachia tamquam Christum filium benignius amplexamur; & tam ipsum, quam uxorem, & filium ejus in Catholicos Principes paterno affectu recipimus, & ipsis honorem debitum impendere procuramus. Deum, & Apostolicos nostros affectuosè rogantes, ut ipsos Ecclesiæ suæ fervent incolumes, & per longa tempora custodiant defensores. *Postquam Papa loqui desiit Imperator, deposito pallio de suo faldestolio surgens, cæpit in lingua Theutonica concionari, Christiano Cancellario verba sua vulgaritèr exponente.* Ait ergò: Majestati nostræ satis gratum resídet, & acceptum, quod Deus omnipotens, cujus manu Principum corda tractantur, cujus arbitrio eorum voluntates, & consilia diriguntur, nostræ conscientiæ puritatem attendens, ex diversis mundi partibus viros providos, & discretos huic Curiæ voluit interesse, ut ipsi errorem nostrum, & conversionem, nobis referentibus, manifestè cognoscerent. Dehinc ad propria redeuntes, devotionem nostram, quàm erga Dei Ecclesiam gerimus, publicè prædicarent. Totus igitur mundus evidentèr agnoscat, quod licet nos Romani Imperii dignitate, & gloria fulgemus, tamen à nobis humanæ conditionis proprium Dignitas Romana non abstulit, nec ignorantiæ vitium Majestas imperialis exclusit. Nam suggestiune pravorum hominum ignorantiæ fuimus tenebris involuti; & per viam veritatis credentes, incedere extra justitiæ semitas, nos invenimus: Ecce enim Dei Ecclesiam, quàm credebamus defendere, impugnavimus, & quàm sperabamus extollere, penè destruximus. Hac occasione, Domini nostri Jesu Christi tunica incõsutilis est divisa, & quantum in nobis fuit, per Æreses, & Scismata, violata. Decepit nos causæ meritum, & color negotii perturbavit, quia dum in facto Ecclesiæ potiùs virtutem potentiæ, quam rationem justitiæ volumus exercere; constat nos in errorem meritò devenisse. Justitia enim fortitudinem respicit, æquitas violentiam non admittit; Sicque factum est, quod ille, qui humilia respicit, & alta à longe agnoscit, potentiam nostram, & adversæ partis humilitatem considerans, more suo potentes de sede deposuit, & humiles exaltavit. Sed quia Divina clemen-

men-

mentia Nos, ad correctionem nostram, ad tempus errare voluit, sed deviare in perpetuum non permisit, universa hæc fidelium turba cognoscat, quod Nos de cætero errore totius facilitatis abjecto ad veritatem convertimur, & de scismate ad unitatem redimus, & ad gremium Matris nostræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ gratantèr accedimus. Dominus Alexander, qui est in præsentiarum, & successores ejus in Catholicum Papam recipimus, & cui tamquam Patri debitam reverentiam exhibere proponimus: pacem nostram Ecclesiæ, Illustri Regi Siciliæ, & Lombardis, sicut inter nos ordinatum est, & dispositum, reddimus. Imperator verba finierant: cumque in laudem ejus, qui aderant acclamassent, iterum facto silentio, Sancta Dei Evangelia, cum Sanctorum Reliquiis, & Cruce de Ligno Domini sunt producta in medium: Mandante itaque Imperatore, Comes Henricus de Diessa in anima Imperatoris juravit, quod pacem Regis Siciliæ, usque ad annos xv. & treguas Lombardorum usque ad annos sex, sicut per mediatores hinc inde tractatum, & scriptum fuerat, bona fide, sine fraude, & malo ingenio, firmitèr observaret; & Henricum Regem filium suum id ipsum jurare faceret, & servare. Dehinc xij. Principes Imperii, tam Ecclesiastici, quàm Sæculares, tactis Sacrosanctis Evangeliis modo simili juraverunt. Protinus Romualdus Salernitanus Archiepiscopus surgens; per eadem Evangelia juravit, quod, postquam Imperator Nuntios suos propter hoc ad Regem in Siciliam miserit. Rex infra duorum mensium spatium, per aliquem Principum suorum de observanda Imperatori pace usque ad annos xv. in anima sua jurare, faciat exhibere. Comes etiam Rogerius, sicut Archiepiscopus fecerat, id ipsum manu sua juravit. Dehinc Recto es Lombardię, qui ibi aderant, juraverunt, quod usque ad sex annos bona fide, & sine fraude treguas Imperatori observarent, sicut inter eos tractatum, & dispositum erat, & quod per singulas Civitates, Consules, & Nobiles Civitatum, id ipsum jurare fecerunt. Quo facto illius diei Curia est soluta, & tam Imperator, quàm reliqui cum gaudio, & lætitia ad sua hospitia sunt reversi. Intereà Christianus Cancellarius, qui pro consumatione pacis, plurimum laboraverat, nata opportunitate temporis, cæpit per Imperatorem, & Principes suos dare studium, & operam diligentem, ut Papa Alexander Maguntinum illi Archiepiscopatum authoritate Apostolica confirmaret, quod præsentiens Corradus, qui in Maguntina Ecclesia priùs electus, & consecratus fuerat, ad Papam accedens ait. Novit vestra Sanctitas, Venerande Pater, novit hæc Romana Ecclesia, quod ego vestræ personæ intuitu Maguntinam Ecclesiam, in qua canonicè electus fueram, inscio Imperatore reliqui, & honorem meum, Parentes, & Patriam, pro Dei amore deserui, & ad vos in Franciam festinus accessi, auxilium Patrię proposui, & in labores, & angustias, post quietem meam, & otium commutavi. Benè potestis recolere, quantum Catholicæ Ecclesiæ meus adventus contulerit, & qualitèr partem vestram adhuc nutantem, & debilem plurimum roboravit. Vos autem vestri gratia mihi vicem congruam pro tempore rependistis, nam primò me in Præsbyterum Cardinalem, dehinc in Sabinensem Episcopum, postremò in Maguntinum Archiepiscopum consecrastis. Nunc autem, ut audio, vultis Christiano Cancellario, qui Maguntinam Ecclesiam per vio-

violentiam invaserat, eamdem converso Religionis ordine confirmare, quod multum ab equitate discrepat, & à ratione discordat, ut Scismaticus Catholico, & intrusus canonicè electo debeat anteponi. Rogo igitur, & humilitèr postulo, ut postquam Deus pacem Ecclesiæ reddidit, mihi quoque de jure mea reddatur Ecclesia; ut sicut sui socius tribulationis, ita sim particeps consolationis & gaudii. Cui Papa satis benignè respondit, Devotionem tuam, fili charissime, quam erga Romanam Ecclesiam, & personam nostram habuisse dinosceris, manifestè recolimus, & ardorē fidei tuæ publicè protestamur. Multum nostrę parti vester adventus cōtulit, multum nostra Ecclesia de vestra societate profecit; & nos quidem, Deo teste, pro utilitate vestra sumus valdè solliciti, & facere, quę vobis expediant tenemur obnoxii. Nolumus honorem vestrum minuere, sed augere, nolumus honorem nostrū vobis inferre injuriam, sed gloriam ministrare. Non debet autem à vestra memoria excidisse, quod sępè nobis, & nuntiis, & litteris significastis, quod si inter Ecclesiam, & Imperium pax non posset aliter fieri, nisi Maguntino Archiepiscopatu à vobis remisso, licet hoc vobis grave resideret plurimum, & molestum, tamen pro bono pacis hanc jacturam æquanimitèr patiebimini, volentes honorem Ecclesiæ, honori vestro, & illius commodum, vestris utilitatibus anteponere. Et ecce Imperator cum magna instantia affeverat, quod nullatenùs in pace Ecclesiæ remanebit, si Christianus Cancellarius à Maguntinæ Sedis fuerit prælatione dejectus: nos autem absque vestra notitia nullum suæ petitioni adhuc voluimus dare consensum, nec vobis ignorantibus aliquod præbere responsum. Tunc Corradus benignam Apostolici responsionem considerans, & voluntatem ejus rationi consentaneam esse cognoscens, consultandi super hoc cum amicis à Papa inducias petiit, ac accepit; habito itaque consilio, ad Papam rediit, & humili voce respondit. Licèt, venerande Pater, mihi injuriosum sit paritèr, & molestum, ut Ecclesiam meam debeam sine culpa dimittere, & locum mei regiminis, nulla offensa interveniente, mutare, tamen quia ad meum spectat officium, non quæ mea, sed quæ Jesu Christi sunt quęrere, nolo, ut occasione mei pax inter vos, & Imperatorem facta remaneat, & discordia sepulta resurgat. Pro pace Ecclesiæ conservanda, pro qua Christus vitam suam perdidit, libentèr volo meum honorem perdere, & cum meo damno utilitati Ecclesiæ providere. Et idcircò, ut omnis materia dissensionis, & scandali auferatur è medio, Maguntinum Archiepiscopum in potestate vestra spontè relinquo, & me liberalitati vestræ, & patrocinio recommendo. Quo audito Papa lætus effectus, habito cum Imperatore consilio, prænominatum Corradum, Cardinalatus illi, & Sabinensis Episcopus dignitate servata, in Salisburgensem Ecclesiam honorificè fecit eligi. Nam filius Regis Boemiæ, qui eidem Ecclesiæ præerat, pro eo quod de simonia, & quibusdam aliis criminibus coram Papa fuisset accusatus, de merito suæ causæ diffidens, commissam sibi Ecclesiam in manu Papæ spontanea voluntate remisit. Sicque factum est, quod Alexander Papa sicut vir providus, & discretus, pro conservanda pace Ecclesiæ utens dispensatione canonica, Corradum quondam Maguntinum Archiepiscopum Salisburgensi Ecclesiæ sublimavit, Christiano autem Cancellario Maguntinam Ecclesiam authoritate

Apostolica confirmavit; & tam ei, quàm Philippo Coloniensi Archiepiscopo, qui à suis suffraganeis, & Catholicis fuerant consecrati, recepto ab utroque juramento obedientiæ, Pallia de more concessit. Alexander autem Papa prudentiam, & litteraturam Romualdi Salernitani Archiepiscopi diligenter attendens, & devotionem, quàm ergà Romanam Ecclesiam semper habuerat, recolens, ad petitionem ipsius Archiepiscopi, communicato fratrum suorum consilio, ipsi, & successoribus ejus, usum, & dignitatem portandæ Crucis per Civitatem, & totam suam Parochiam, Apostolica authoritate concessit, & donum, quod exinde Salernitanæ Ecclesiæ in perpetuum fecerat, sui Privilegii minimime roboravit.

Hoc etiam silentio prætereundem non est, quod Scismaticis, qui in diversis Ecclesiis Tusciæ, & Lombardiæ, authoritate Imperiali intrusi fuerant, & quidam dicti Cardinales, qui Joanni de Struma adhæserant, audito, quod Imperator cum Ecclesia, & Papa Alexandro pacem fecisset, pœnitentia ducti Venetias festino gressu venientes, primò scisma, quod defenderant abjurabant: dehinc per Sancta Dei Evangelia promittebant, quod de excessu, quem fecerant, Domini Papæ Alexandri mandato starent, & eum, & successores ejus in Catholicum Papam reciperent, & sic ab excommunicationis vinculis absoluti ad ejus pedes accedebant. Pace igitur, ut prædiximus inter Imperatorem, & Regem Siciliæ facta pariter, & jurata, Nuntii Regis ad Imperatoris Palatium, ipsum ex parte Regis salutaturi iverunt. Quo cognito imperator de camera sua egressus, eos multis astantibus satis honorificè, & benignè suscepit. Cumque Romualdus Salernitanus Archiepiscopus de faldestolio suo surgens, stans loqui voluisset, Imperator autem eum sedentem loqui præcepit. Facto itaque silentio, Archiepiscopus sic est exorsus: Dominus noster gloriosus Rex Siciliæ, Dominum Imperatorem, qui est in præsentiarum, sicut Christianum amicum, & fratrem suum devotè pariter, & affectuosè salutat, per nos magnificentiæ Imperiali significat, quod cum hoc anno Nuntii sui ad Dominum Papam pro bono pacis Anagniam advenissent, scripsit D. Papa Domino nostro, glorioso Regi, ut aliquos de Latere suo ad eum mitteret, qui cum eo tractandæ pacis colloquio interessent. Dominus autem Rex devotissimus filius ejus, ad petitionem illius, Comitem Rogerium, virum utique providum, & discretum, & de sanguine Regio ortum, & me cum eo ad ejus præsentiam destinavit, ut in perficienda pace adjutores essemus pariter, & præsentes: non quod Dominus noster Rex pacificus cum Domino Imperatore aliquam credat habere discordiam. Ipse enim sicut Catholicus Princeps, & pacis filius omnes Christianos Principes diligit, & quantum in eo est cum illis pacem, & concordiam habere credit; solos inimicos Crucis Christi crudeli odio mari, & terra persequitur. Inde est, quod non parcit pecuniæ, non indulget expensis, sed singulis annis Triremes suas præparat, & cum eis armatam militiam destinat, ut hostes Christianæ Fidei devincat paritèr, & confundat, & euntibus ad sepulcrum Domini securum iter præpararet, & expediat. Alii mundi Principes subditos suos vehementer impugnant, & cum inimicis Fidei pacem facere, non formidant, de sepulcro Domini, quod à Saracenis impugnatur, non multum cogitant, & eum, qui solus ipsum de-

fen-

fendere nititur impedire festinant. Alii quæ sua sunt quærunt solus Rex noster, quę Jesu Christi sunt devotus inquirit. Cum ergò ipsi, & Dei servitio tàm Sanctam, & puram devotionem habeat. Vos Domine Imperator, qui Ecclesiæ Dei specialis & filius, & defensor singularis amoris privilegio, præ ceteris mundi Principibus, Dominum Regem, & venerari debetis, paritèr, & amplecti, qui Dei Ecclesiam semper intendit extollere, & inimicos ejus non desinit impugnare. Nulla etiam inter vos, & Dominum Regem dissidii causa, vel odii seminarium intervenit, Dominus enim Rex in magnificentia vestra se numquam offensum meminit, vel Vos in aliquo offendisse cognoscit, sed certum apud eum, & firmum extitit, quod si Imperialis Majestas cum Regia magnificentia perfectæ pacis vinculo fuerit conjuncta, Ecclesiæ Dei, & toti orbi magnum poterit commodum provenire. Archiepiscopus verba finierat: Protinus Imperator per Guttiphridum Cancellarium suum ad ejus verba respondit, dicens: Salutes ex parte Illustris Regis Siciliæ per vos magnificentiæ nostræ transmissas, ea qua decet reverentia, & honore suscepimus, & eidem loco & tempore opportuno respondere multiplices procuramus. Quod autem, tam idoneas, & elegantes personas ad pacis nostræ colloquium destinavit, nostrę excellentiæ satis gratum resìdet, & acceptum, quia & Legatorum suorū scientia, probitate simul, & facetia, delegantis Domini authoritatem perpendimus, & à nobis meritò in numero summorum Principum reputatur qui talibus, & tantis personis præesse dignoscitur. Quod verò significastis eum erga serenitatē nostram amicam gerere voluntatem, hoc verum esse experientia comprobavimus. Nam licèt Popularis opinio nos ad invicem esse crederet inimicos, tamen inter hos haberi pacem, & concordiam operis exhibitio demonstravit, quia cum, & terram ejus nunquam offendimus, & hos ab eo in nullo offensos veracitèr profitemur, & quia ipse per universi mundi partes inimicos Crucis Christi mari, & terra persequitur, & cum hostibus Christianæ Fidei guerram semper, & discordiam haberi dignoscitur, nos illi tanquam Cathulico Principi, & pacis filio, pacem nostram gratantèr offerimus, & cum sinceræ charitatis brachiis amplexamur, nam in veritate cognoscimus, quod ex hoc mutuæ dilectionis affectu, Ecclesiis Dei provenit nō parva utilitas, Christianis omnibus, & pręcipuè ad Dominum sepulchrum euntibus, magna securitas, infidelibus autem terror, confusio paritèr, & egestas. Quo audito Regis Nuntii Imperatori de bona voluntate, quàm ergà Regem se habere dicebat gratias referentes, accepta ab eo licentia, ad sua hospitia alacres sunt reversi. Ipsi autem sicut viri sapientes, & providi, ne pacis factę memoriā longevitas temporis aboleret, dederunt studium, & operam diligentem, ut forma pacis, quæ inter Imperatorem, & Regem facta fuerat, Imperiali jussione redigeretur in scripturis; ut eam de cætero non posset temporis vetustas destruere, quam Imperialis Privilegii Scriptura servaret. Ad petitionem igitur eorum, Pacis inter Imperatorem, & Regem initæ scriptum est Privilegiū: & ut notitiā semper habere possit secutura potestaritas, ejusdem Privilegii exemplar huic operi nostro dignum duximus adnotare. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Nos Fredericus, Dei gratia, Romanorum Imperator, semper Augustus, & Henricus Rex filius noster, interventu Venerabilis Patris no-

stri Alexandri, Dei gratia, Summi Pontificis, & Fratrum suorum Cardinalium, pro parte nostra, & hæredum nostrorum, paciscimur vobiscum Domine W. eadem gratia, Illustris Rex Siciliæ, quod à modo usq; ad xv. annos observabimus vobis, & hæredibus vestris, & universo Regno vestro, & toti Terræ dominationis vestræ, veram, & firmam pacem, & quod per nos, vel per quolibet alios, Mari, vel Terra, vos prædictum Illustrem Regem, & hęredes vestros, aut Regnum vestrum aut Terram dominationis vestræ sicut præscriptum, & determinatum est, usque ad xv. annos, non invademus, nec invadere faciemus, nec vobis, aut Regno vestro, & jam dictæ Terræ dominationis vestræ guerram aliquo modo faciemus. Et ut hæc omnia suprascripta firmiter, & illibata à nobis supradicto Frederico, Dei gratia, Romanorum Imperatore, & semper Augusto, & Henrico filio nostro Rege, & hæredibus nostris, tam vobis supradicto Illustri Regis VV, quàm hæredibus vestris, & Regno vestro, & toti Terræ dominationis vestræ attendantur, & observentur. Nos prædictus Imperator, bona fide, sine fraude, & malo ingenio, in præsentia Beatiss. Patris nostri Papæ Alexandri, & Cardinalium, & Legatorum vestrorum, Romualdi Venerabilis Salernitani Archiepiscopi, & Rogerii Comitis Andriæ, & Principum, ac fidelium nostrorum, à Comite Henrico de Diessa in anima nostra supra Sancta Dei Evangelia, & Sanctorum Reliquias, jurari fecimus, & Henricum filium nostrum, per interpositam dignam personam, in anima sua id ipsum jurare fecimus, usq; ad medium futurum Septembrem, Ind. xi. & Principes nostros idem jurare fecimus, videlicet Christianum Maguntinum Archiepiscopum, Arnaldum Trevirensem Archiepiscopum, Corradum VVormaciensem electum, Godelphidum Imperialis aulæ Cancellariũ, Guorvunum Prothonotarium, Marchionem Theodoricum de Lupiz, Florentinum Comitem Hollandiæ, Comitem Deodonem de Froyz, Comitem Henricum de Diessa, Comitem Doupertum de Durna; Ad hujus autem pacti promissionis, & juramenti nostri, & Henrici Regis filii nostri, & Principum nostrorum memoriam, & inviolabile firmamentum, præsens Privilegium nostrum per manus VVort Vaini Prothonotarii nostri scribi fecimus, & Imperiali sigillo nostro aureo sigillatum, & prædictorum Principum juramento communitum, vobis suprascripto Illustri Regi VV. fecimus assignari. Anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVII. Mensis Augusti, Ind. X.

Postquam verò Imperator præscriptum Privilegium Nuntiis Regis tradidit, & quod missurus esset Christianum Cancellarium in Siciliam, pro recipiendis juramentis verisimilibus repromisit, prænominati Nuntii non contenti Imperiali Privilegio, ad majorem certitudinem pacis initæ, robur, & firmamentum, aliud Privilegium à Papa, & Cardinalibus, Romano fecerunt more conscribi, in quo Imperiale declaratum est Privilegium, & authoritate Sedis Apostolicæ roboratum. Quo facto Hugurezonem Cardinalem, ex mandato Papæ, & Imperatoris, cum Imperialibus litteris, & cum Notario Salernitani Archiepiscopi, & Cappellano Comitis Rogerii, ad Castellum Gayve, ubi Imperatrix cum Henrico Rege filio suo morabatur, advenit. Præsentibus itaq; Imperatrice, Rege Henrico filio ejus, Cardinali Marchione de Monte Serrato, & quibusdam de Rectoribus Lombardiæ, & Notario Archiepiscopi

scopi, & Cappell. Comitis, & multis aliis viris prodis, & idoneis, Verdensis Episcopus, stola collo imposita, ex mandato Imperatoris,& Regis Henrici,in anima ejus supra Sancta Dei Evangelia,& Reliquias juravit, quod ipse Rex Henricus pacem Ecclesiæ, & Imperii,sicut à Patre suo jurata fuerat, & pacem Regis Siciliæ,usque ad annos xv. & treguas Lombardorum usque ad sex annos, bona fide,sine fraude,& malo Ingenio, firmitèr observaret.

Advenientibus autem Vigiliis Assumptionis Beatæ Virginis, quę eo tempore in die Dominico advenerunt, Alexander Papa cum Episcopis suis, & Cardinalibus, cum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, Alamanniæ, Lombardiæ,& Tusciæ, cum Imperatore,& Duce Venetiæ, cum Nuntiis Regis Siciliæ, & magni Populi multitudine, in Ecclesia Beati Marci conveniens,solemne ibidem Concilium celebravit; Dictis itaque Orationibus, & Letaniis,& aliis, quæ de more in Concilio sunt dicendæ,& longo sermone de pace habito:Alexander Papa candelas accensas Imperatori, & Clericis, & Laicis, qui ibidem aderant dari præcepit, & ipsi excommunicationis formam hoc modo proposuit. Nos ex parte Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beatorum Apostolum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, excommunicamus,& à gremio Matris Ecclesiæ separamus, omnes personas, tam Ecclesiasticas, quàm Sæculares, quæcumque, quæ pacem,quę inter Ecclesiam,& Imperium modo facta est,& Pacem Regis Siciliæ usque ad annos xv. & treguas Lombardorum usque ad annos sex, aliquo modo disturbare, vel impedire præsumpserint, & sicut hæc candelæ extinguntur, sic eorum animæ æternæ visionis lumine, & claritate priventur. Cumque candelæ projectæ essent de manibus, & extinctæ; Imperator alta voce cum aliis, fiat fiat, paritèr acclamavit, sicque Concilium celebratum est, & solutum. Eo autem die, Nuntii Regis Siciliæ,accepta à Papa, & Imperatore licentia,cum galeis suis ad Monasterium S.Nicolai, qui ad littus dicitur, pervenerunt. Celebrato ibidem festo Virginis, altera die Adriaticum mare intrantes,aura flante secunda nono die stante mensis Augusti, sanè, & incolumus omnibus suis Barolum descenderunt. Archiepiscopus itaque,& Comes Rogerius, communicato consilio, Nuntium suum cum litteris in Siciliam direxerunt, modum, & ordinem gestę pacis Regi plenariè significantes: & hoc facto Comes Adriam rediit; Archiepiscopus autem Salernum venit. Rex verò ex tenore litterarum,pacem factam, & curatam esse cognoscens, lætatus est valdè,& per litteras suas Archiepiscopo,& Comiti dedit in mandatis, ut ad eum festino gressu in Siciliam properarent. Sicque factum est, quod Archiepiscopus,& Comes, sexto die intrante mensis Novembris, Panormum ingressi à Dominis familiaribus Curiæ,& reliquis Magnatibus,honorificè sunt suscepti. Altera verò die coram magnificentia Regia venientes, ei à principio usq;ad finem, totius negotii modum, & seriem pleniffimè retulerunt, & Privilegium Papæ Alexandri, & Imperatoris de pące factum,& roboratum eidem, suis familiaribus præsentibus assignarunt. Rex igitur ex tenore Privilegiorum, præter spem,& opinionem suam,pacem,in honorem suum, & commodum factam esse considerans, Archiepiscopi, & Comitis, super hoc, fidem, & prudentiam plurimum commendavit, dans illis in mandatis, ut Imperatoris Nuntios,qui in Sicilia erant venturi, pro recipien-

cipiendis juramentis æquanimitèr expectarent. Hæc autem omnia,quę prædiximus, ita gesta fuisse nulli dubitationis, vel incredulitatis scrupulum moveant; quia Romualdus Secundus Salernitanus Archiepiscopus, qui vidit, & interfuit, scripsit hæc, & sciatis, quia verum est testimonium ejus.

Intereà dum Imperator per totum Mensem Augusti, & aliquam partem Septembris esset Venetiis demoratus accepta à Papa licentia,tertio decimo die ejusdem Mensis à Venetiis recedens,Ravennam venit,per vallem Spoletinam in Tuscia descensurus. Dominus autem Papa, omnibus, quæ in partibus illis facienda erant ritè dispositis, in Mense Octobris,cum quibusdam de Cardinalibus à Venetiis movens, cum quatuor galeis Venetum, secundo die stante ejusdem Mensis, Sipontum applicuit, & inde per Troiam, & Beneventum Anagniam festinus advenit. Quidam verò de Cardinalibus eum per Terram sunt prosecuti. Magister autem Raynerius Cardinalis, & Græcus Subdiaconus,cum Christiano Cancellario,in Romaniam descenderunt pro restauratione regalium, quæ Imperator invaserat recipienda. Dum autem Papa à Siponto Anagniam veniret, Ecclesię peccatis exigentibus, Ugo de Bononia Cardinalis est mortuus VV. de Paula Portuensis Episcopus apud Aversam obiit. Malphridus Penestrinus Episcopus apud Anagniam diem clausit extremum. Anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXVIII. quinta die intrante Mensis Martii, Luna passa est eclysi in signo Virginis,& incæpit à fine primæ horæ, & duravit usque ad principium quartæ, & obscurata est tota, minus quarta.

Comes autem Rogerius de Andria,juxtà mandatum Regium usquę in carnis evam Panormum Imperatoris Nuntios expectavit; quibus moram facientibus accepta à Rege licentia, in Apuliam rediit. Salernitanus Archiepiscopus præcipiente Rege usque in mediam Quadragesimam Panormi est demoratus. Cumque Imperatoris Nuntii Iter suum differrent,simili modò impetrata licentia ad Ecclesiam suam felicitèr est reversus. Papa verò Alexander aliquantis diebus apud Anagniam demoratus,invitantibus eum Romanis,cum summo honore, & gloria, in festo Beati Gregorii Urbem felicitèr est ingressus; in qua juxta morem Romanorum Pontificum,in diversis Ecclesiis secundum studia ab antiquo disposita, processionalitèr, & pomposè procedens,Missarum officia solemnitèr celebravit. Imperator autem à Ravenna usq; in vallem Spoletinam descendens, per Tusciam,& Januam usque in Lombardiam rediit. Maguntino Archiepiscopo circa partes Urbis ad Papę Alexandri obsequium derelicto Cum autem prænominatus Imperator in partibus Taurini in æstate aliquanto fuisset tempore demoratus, & cum Lombardis pacem pro velle suo componere non potuisset cum suis in Alemanniam rediit. Joannes verò Struma, qui à suis Calistus appellatus est, Alexandrum Papam cum Imperatore audiens concordatum,timore correptus, Bitervum deserens, Pręfecti consilio Albanum Montem intravit, quem Joannes ejusdem Castri Dominus satis honestè accepit, credens se pro eo ab Alexandro Papa pecuniam non modicam recepturum. Quo cognito Maguntinus Archiepiscopus idem Castrum obsedit, vineas ejus incidit, & segetes devastavit, & militum, ac peditum circa ipsum custodia derelicta, Bitervum adiit, & Populum ejusdem Civitatis in manu sua pro parte Alexandri

xandri Papæ recepit. Nobiles verò ejusdem Urbis divisi à Populo, noluerunt Papæ subire dominiū, sed adhærentes Corrado filio Marchionis de Monteferrato, diebus singulis Maguntinū Archiepiscopum, & Populum impugnabant; cumque eis resistere non valerent, Præfecti, consilio Romani Populi, & Senatorum, auxilium postularunt. Romani verò more suo fidem Apostolicis non servare, Alexandro Papa dissuadente pariter, & vetante, congregata militum, & peditum multitudine, Bitervum perrexerunt, ut ejusdem Civitatis nobiles viriliter adjuvarent; Maguntinum Archiepiscopum, & Bitervensium pro viribus impugnarent. Alexander autem Papa, hoc cognito, sicut Vir Religiosus, & Sanctus, metuens, ne si Romani cum Cancell. & Bitervensibus confligerent, multa inde homicidia pervenirent, missis Cathedralibus suis, mandavit Cancellario, & Bitervensibus, ut intra Bitervi mœnia se cōtinerent, & nullam Romanis pugnandi copiam præberent. Romani autem venientes, nemine resistente Bitervensium segetes vastaverunt, olivas, & vineas inciderunt, & sic infectis negotiis Romam reversi sunt. Præfectus verò ad pedes Alexandri Papæ accedens, confirmata sibi præfectura cum Storio devenit. Cum autem Papa Alexander Romæ penè usque ad medietatem Augusti demoratus fuisset, calorem aeris, & distemperantiam metuens, Urbem cū suis Cardinalibus ingressus, Tusculanum venit. Considerans verò, quod occasione scismatis, quod peccatis exigentibus decem, & novem annis perduraverat, multa mala in Dei Ecclesia provenissent, quæ correctione Canonica indigerent, habito fratrum suorum consilio, orientis, & occidentis, & totius Italiæ Episcopos convocavit, mandans eis per Nuntios, & litteras, & Apostolica authoritate præcipiens, ut in primo Dominicæ Quadragesimæ, in qua cantatur, ecce nunc tempus acceptabile, omnes ad eum pro celebrando Concilio convenirent,

Imperator autem Fridericus, sicut cum Romualdo Salernitano Archiepiscopo, & Rogerio Comite Andriæ, apud Venetias condixerat, Nuntios suos, Hugolinum scilicet Boni Comitis, & Rodegarium Magistrum Camerarium suum, pro recipiendis juramentis de confirmanda pace ad Regem Wuillelmum in Siciliam misit; quos Rex sicut decuit honorificè, & honestè suscepit, eis præsentibus Comitem Rogerium de Avellino in anima sua jurare fecit, quod ipse, & totum Regnum ejus Imperatori Frederico, & universo ejus Imperio, & undecim de Principibus suis idipsum jurare fecit. Et Privilegium de confirmatione pacis jussit conscribi, & Bulla aurea insignitum eisdem fecit Nuntiis assignari. Qui accepta à Rege licentia reversi sunt, quodam Regis armigero eos, ut moris est usque ad fines Regni deducente. Cumque ad Castrum quoddam, quod lacus niger dicitur pervenissent, inter rusticos ejusdem castri, & Regis armigerum rixa exhorta est, Cumque Regis armiger Rusticos metuens ad Nuntiorum hospicium se cōtulisset, Rustici utpotè superbi, & temerarii, domum, in qua erant Nuntii cum lapidibus sunt aggressi, & eos malè, & inhonestè tractantes, Scrinium Ugolini Boni Comitis fregerunt, & ex eo coppam unam argenteam, & privilegium, quod Rex Imperatori fecerat, asportarunt. Nuntii verò, recepta hac injuria, indignati Salernum venerunt, & Gualterio Amirato, & Archiepiscopo, totius gestæ rei seriem exposuerunt. Quod cum à Regis VV. notitiam pervenisset, indignatus plurimum, & turbatus,

batus, David hoſtiarium ſuum cum litteris ſuis ad Juſtitiarios Regionis illius tranſmiſit, pręcipiens eis, ut hujus mali factores, & complices diligentèr inquirerent, & inventos cruce ſuſpenderent; cujus pręceptū ſtatim eſt executioni mandatum; nam venientes Juſtitiarii, cum hoſtiario Regis, quoſcumq; potuerunt de malè factoribus invenire, cæperunt, & juxta mādatum Regium, quoſdam ex eis apud Baroium, quoſdam apud Trojam, unum Salerni, alium Capuæ, & duos apud S. Germanum ſuſpendi fecerunt: ut univerſus mundus evidentèr cognoſceret, quod Rex VV. juſtitię, & æqnitatis amator, ſi qua maleficia in Regno ſuo fiunt, non vult ſilentio, & impunita tranſire. Pręcepit etiam Rex aliud privilegium de confirmanda pace ſcribi, & Bulla ſua aurea inſignitum, per Tancredum Notarium ad Imperatorem uſque traſmiſit.

Eodem tempore, Menſe Madii, xi. Indict. Ruſtici de Fajano, ſicut proditores, & perjurii, conſentientibus, ut dicitur quibuſdam Monachis, qui ibidem erant, Matthęum Abbatem S. Benedicti de Salerno cum gladiis, & fuſtibus, & lanceis invaſerunt, & eum percuſſum in in ventre, & gutture crudelitèr occiderunt. Quo cognito Rex VV. Lucę Guarnę, & Florio de Cammarota Juſtitiariis pręcipiendo mandavit, ut hujus ſceleris authores cum ſummo ſtudio, & cautela inquirerent, & inventos carceri manciparent; qui adhibita diligentia competenti quoſdam de Ruſticis, qui neci Abbatis interfuerunt, & Petrum Priorem S. Benedicti, & Amatum Priorem Fajani, & quoſdam alios de Monachis compræhenderunt, aſſerebant enim Ruſtici, qui capti fuerant, conſilio, & machinatione prędictorum Monachorum, Abbatem fuiſſe occiſum.

Anno Dominicę Incarnationis M.C.LXXVIII. Menſe Auguſti Ind. xi. quarto die ſtante ejuſdem Menſis, videlicet in feſto Decollationis B. Joannis Baptiſtæ, Joannes à Struma, qui & à ſuis Calixtus appellatus eſt, reatum ſuum cognoſcens, Montem Albanum deſeruit, & apud Tuſculanum ad pedes Papę Alexandri, cum quibuſdam de ſuis Clericis, humilis, & devotus acceſſit, in conſpectu Cardinalium, & multorum, ſe peccaſſe publicè confeſſus eſt, dicens, Domine Venerande Pater, peccatum manifeſtè contiteor, & me, authoritate Imperiali, contra Deum, & Sanctam Eccleſiam, & vos egiſſe cognoſco, ſed nunc reverſus ad cor, delicta mea recolo, & veniam à veſtra pietate depoſco; omnem hęreſim, & ſciſma abjuro, & vos in Dominum, & univerſalem Patrem totius Eccleſiæ devotè recipio. Quem Alexander Papa, ut erat pius, & humilis, non objurgavit, non repręhendit, ſed ſecundum ſibi innatam manſuetudinem benignè recepit, dicens: Frater gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quod ſuggeſtione diabolica unitatem Eccleſiæ ſcindere voluiſti, multum doluimus, & quod inſpirante Deo ad ejus unitatem redire voluiſti, plurimum congaudemus. Romana Eccleſia, quæ juxta Jeſu Chriſti magiſterium inimicos diligere conſuevit, ut bonę pœnitentiæ filium recipit, & pro malis bona tibi retribuere procurabit. De cętero Alexander Papa eum..... & in menſa ſua honorificè habuit. Secundo autem die ſtante ejuſdem Menſis, Luna in ſigno Virginis, poſt mediam noctem, paſſa eſt eclypſim, & penè in tertiam partem ſui obſcurata eſt. Tertio decimo die intrantis Menſis Sept. Ind. xii. Sol in ſigno Virginis circa horam.

HIC DESINIT CHRONICON.

EX LEONIS OSTIENSIS

LIBRO III.

ET PETRI DIACONI

LIBRO IV.

CHRONICI CASINENSIS, ALIISQUE EX COÆVIS AUTORIBUS EXCERPTA.

Quæ ad Saracenico-Siculam Historiam in Leone Ostiensi pertinere videbantur in I. Parte hujus Tomi jam dedimus, in calce totius Voluminis, ad solos Normannos spectantia hic redditurì.

Et nè aliquid in hac Monumentorum Siculorum Collectione deficeret, ex pluribus aliis Synchronis Autoribus, tam Latinis, tum Græcis, cuncta ad Rem Siculo-Normannicam, Suevicam, Gallicam memoratu digniora excerpere, & post allata Monumenta, quasi quoddam Operis Parergon etiam addere decrevimus.

EX LIBRO III. CAPITE VI. JAM supra impresso.

Post enarratas Normannorum, & Roberti Guiscardi præclara facinora in Apulia patrata, ejusdem Christianissimi Ducis insignem Pietatem, erga Deum, & Sanctos his verbis enunciant. In omnibus autem his prosperitatibus Deo, & Patri Benedicto semper gratias referebat, ejus se meritis adjuvari, ejus orationibus attolli certissimè profitens. Jam verò Domnum Abbatem, (*Desiderium*) licet dudum apud Capuam Præsidentem, ut supra diximus, sibi amicissimum fecerit, ex eo tamen illum, ac si Patrem, modis omnibus venerari, ejus consiliis se committere, ipsi quasi Domino libenter obtemperare.

De Adventu Ducis Roffridi ad Aquinium, & de ingressu Normannorum in Marchiam, Cap. 15.

ANno 1066. Interea cum supradictus Princeps Richardus victoriis, ac prosperitatibus multis elatus, subjugata Campania ex parte, ad Romæ jam se viciniam porrexisset, ipsiusque jam Urbis Patriciatum omnibus modis ambiret, Theutonici Regis pertinxit ad aures. Qui ut & bona Sancti Petri de manibus Normannorum erueret, Imperii coronam, de Apostolici manu reciperet, magna cum expeditione pervenit Augustam, ibi præstolans Gotfridum, Tusciæ videlicet Marchionem, qui Regem, quotiens Italiam deberet intrare, cum sua solitus erat militia præire. Sed quoniam Gotfridus idem longè præcesserat, Rex hoc nimis indignè ferens, eandem mox expeditionem remanere præcepit, Dux autem copioso valdè vallatus exercitu Romam accessit. Hujus Normanni adventu comperto, maximo correpti tremore, universam protinus Campaniam deserentes aufugiunt, & Jordane tantum, ac Guillelmo, qui Mostarola dictus est, cum suis in Aquino se illi contraire parantibus; cæteri cum Principe apud Patenariam rei eventum cum suis omnibus præstolantur, futurum, ut fertur, ut si Dux idem Garilianum transiret, ita ut in armis erant, cuncti versus Apuliam fugam arriperent. Per idem tempus Ecclesia nostra eversa jacebat. Gotfridus itaque Apostolico, & Cardinalibus Comitatus, mediante jam Maio, Aquinum cum universo exercitu venit, ibique per octo, & decem dies cum obsistentibus Normannis pari fermè eventu confligens, tandem satagente strenuissimo internuntio Guilielmo, cui Testardita fuit cognomen, ad id ventum est, ut ad pontem Sancti Angeli, qui dicitur Todici, Dux, & Princeps altrinsecus, nam interruptus erat, se ad colloquium jungerent, sicque non parva, ut dicitur, à Normannis donata pecunia, Dux ad propria repedaret. Per eos dies, Stella, quam Cometem vocant, ingentem retrò se facem gerens, spatio viginti, & amplius dierum apparuit, quæ ejusdem, ut fertur, Ducis, non enim multo post defecit, mortis prænuntia fuit.

Qualiter Robertus Guiscardus Siciliam cepit, Salernum, & Ecclesiam S. Matthæi Apostoli construxit, Brachium sibi reservans, & quamplurima loca. Cap. 45.

ANno 1066. *Post descriptam expeditionem in Siciliam, & de insula plenam victoriam, in Parte I. impressam subsequitur.* Talia igitur ad votum sibi Dux advenisse advertens, immenso valdè congregato exercitu, super Salernum Castra locare disponit. Quod supradictus Papa Gregorius VII. dum comperisset, per Patrem Desiderium Gisulfo Principi Ducis pacem expetere monuit, ad quod ille nec responsum quidem reddere voluit, Dux verò suum exercitum congregans, circa Salernum tentoria fixit. Ex alia autem parte Richardus Princeps, rogatu Ducis, occurrens cum diversis bellorum machinis, illam oppugnare vehementissimè cæpit. Hoc Desiderius audiens Richardum Principem adiit, eumque unà secum ad Gisulfum venire rogavit. Quò dum venissent, post multa verba in vacuum habita, eorum Gisulfus sprevit consilium, & cum Duce nullo pacto se confœderaturum jurejurando affirmat. Deficientibus tandem in Civitate eis, quæ ad victum sunt necessaria, equorum, canum, asinorum, ac muricipum carnes cæperunt comedere. Vendebatur autem canis jecur tarenis decem, gallinæ novem, ovum verò unum, nec non & septem ficus duobus denariis, modius verò tritici quadragintaquatuor bizanteis. Illorum verò egestatem Dux dum comperisset, intempestæ noctis silentio stipatus militum cuneis ad muros Urbis veniens, & portam clausam lapidibus diruens, Salernum optinuit. Civitate autem potita, Robertus Ecclesiam Sancti Apostoli, & Evangelistæ Matthæi inibi costrui jussit, in qua etiam Sacrum ejusdem Apostoli corpus summa cum veneratione locavit, os integrum brachii ejus argentea theca reconditum ad suam filiorumque tutelam reservans. Inde autem Dux cum exercitu, sociato sibi Principe, ad hoc Monasterium venit, atque à Desiderio, & fratribus honorificè susceptus, illorumque se orationibus commendans, attentius Campaniam expugnaturus ingreditur.

Talia Papæ Gregorii dum pervenissent ad aures, Ducem, & Principem à Liminibus separavit, collectoque exercitu, super eos ire disponit. Quod ubi nuntiatum est, concitè unà cum Principe Capuam remeans, Dux supra Beneventum, Princeps verò supra Neapolim obsidionem firmavit. Neapolitani autem Principis terrore perculsi, omnipotentem Deum rogabant attentius, quatinus de supradicti Principis potestate, miseratione sua clementissima, eos eripere dignaretur. Cum que eadem Civitas acerrimè expugnaretur, Sanctus Christi Martyr Januarius, cum aliis dealbatis sæpius videbatur à Principe, & ejus exercitu, post castra armati discurrere. Qui æstimans eum esse Archiepiscopum, mandat, cur, contra ordinem suum, cum lancea scutatus ad pugnam procederet? cui respondens Archiepiscopus; Ego, ut tu vir illustrissimè perspicis, à multis diebus ægrotus in lectulo jaceo. Ille armatus quis sit ipse videat, nam pro certo scias, quia Sanctus Januarius protegit, ac defendit hanc Civitatem. Princeps verò ejus dictis derogans fidem, Civitatem oppugnare non desinebat. In qua obsessione ab excommunicatione solutus, defunctus est, cui successit Jordanus filius ejus. Exinde verò inter Ducem, & Principem dissentionis, & odii scandala orta sunt. Princeps enim favens Papæ Gregorio, acceptis à Beneventanis quatuor millibus quingentis Bizantiis, castra, quæ Dux ad expugnationem Beneventi firmaverat destruens, cum universis Comitibus Apuliæ, contra eum conspirat. Quod ubi Duci, qui eo tempore in Calabria remorabatur, nuntiatum est, eò cum quadrigentis sexaginta militibus Apuliam rediit, & Asculum, Montem de Vico, & Arianum expugnans, cæpit; & contra Principem super Fluvium Sarnum ire disponit. Desiderius (*Casinensis Monasterii Abbas*) interea Pater hæc audiens, Ducem adiit, eumque ad pacem redire rogabat. Cujus monitis Robbertus obtemperans, pacem cum Principe facit. Exinde autem Dux movens exercitum, supra Castrum, quod Monticulus dicitur, obsidionem fecit, quod cum cepisset, Carbonaram, Petrampalumbi, Montem viridem, Gentianam, una cum Spinaczolo similiter acquisivit. Desiderius præterea ægrè ferens, Ducem à Matris Ecclesiæ gremio diu extorrem manere, Romam adiit, & Papam Gregorium rogare cæpit, ut Ducem ab anathematis vinculo, quo eum ligaverat, solveret. Quo impetrato pacis amator, & conservator Desiderius, cum Cardinalibus ad Ducem profectus, eum ab excommunicationis vinculo solvit.

De Causa dissentionis inter Henricum IV. Imperatorem, & Gregorium Papam, & qualiter Robertus Guiscardus Romanam ingressus est. Cap. 49.

ANno autem Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo septimo Matilda

tilda Comitissa Liguriam, & Tusciae iram Imperatoris Henrici sibi infesti metuens, Liguriam, & Tusciam Provincias Gregorio Papae, & Sanctae Romanae Ecclesiae devotissimè obtulit. Haec ergo causa inter Pontificem, & Romanum Imperium dissentionis, & odii fomitem ministravit. Quapropter Pontifex opportunitate reperta eundem Imperatorem, ob investituram Ecclesiarum, à Liminibus Ecclesiae separavit. Caesar autem cum optimatibus Imperii consilio habito, transcensis Alpibus, ut cum Pontifice pacificeretur, intravit Italiam. Triduo namque ante Pontificia curiam, qui eo tempore in unam munitissimam Mattildae arcem se contulerat, idem Augustus discalceatus permanens, pacem exposcebat, & hoc per se, hoc per Principes Imperii, hoc per familiares Apostolici postulabat. Pacis autem tenor istiusmodi fuit, ut si quid commissi ab utraq; parte factum esset, solveretur. Demum verò Caesar, more antecessorum suorum, Romano Pontifici fidelitatem faceret. Postmodum verò, cum Imperator Papam, & Mattildam dolo capere vellet detecta fraude, Pontifex à Mattilda monitus, & adjutus Romam reversus est. Cumque Henricus in pristina relapsus esset, à Gregorio rursum excommunicatus fuit, coronamque Imperii Rodulphum Ducem insignire curavit. Quod ubi Caesari in Italia nuntiatum est, e vestigio in Gallias transiens, anno Dominicae Incarnationis millesimo octogesimo primo contra eundem Ducem, gladio trucidavit. Victor igitur Imperator effectus, suae injuriae ulciscendae memor, congregato exercitu, Romam advenit, sed obsistentibus Romanis, cum eodem Pontifice, sine effectu reversus est. Hoc etiam anno Robertus Dux cum quindecim milibus armatorum transito mari, Romaniam debellaturus ingreditur. Contra quem Alexius Imperator cum centum septuaginta milibus pugnaturus adveniens, bellum init, à quo idem Imperator devictus est.

Qualiter Robertus Guiscardus adducit Apostolicum ad hunc locum. Cap. 53.

ANno 1084. Alio praeterea anno Henricus Imperator Romam cum exercitu venit, & supradictum Papam Gregorium, qui in arce Sancti Angeli se contra eum munierat, cum diversis bellorum machinis oppugnare modis omnibus cœpit. Hoc ubi Roberto Duci, qui ea tempestate Constantinopolitanum Imperatorem expugnabat, relatum est, Boamundum filium suum in ipsa expeditione relinquens, Italiam citissimè redit, ac immensum valdè exercitum congregans, ob Papae liberationem, contra Imperatorem ire disponit. Quod ubi Desiderio nuntiatum est, nuntium Romae illicò destinavit, qui & Papae liberationem, & Imperatori adventum Ducis nuntiaret. Tunc Imperator Urbe egrediens, ob id scilicet, quia sine militum praesidio erat, Civitatem Castellanam ingressus est. Robertus autem Dux Romam cum exercitu ad Ecclesiam Sanctorum quatuor Coronatorum intempestae noctis silentio dum advenisset, ex consilio Cencii Romanorum Consulis ignem in Urbem immisit. Romani igitur, re inopinata perculsi, ac in igne extinguendo dum essent intenti, Dux confestim cum exercitu ad Arcem Sancti Angeli properans, Pontificemque inde abstrahens, Romam sine mora egressus, Papam Gregorium ad hoc Monasterium usque deduxit, quem Apostolicum noster Abbas usque ad ipsius exitum, cum Episcopis, & Cardinalibus, qui eum sequuti fuerant, sustentavit.

De Obitu Roberti Guiscardi, & Brachio S. Matthaei Apostoli. Cap. 57.

ANno 1085. Hoc interea anno Robertus Dux, qui cum Constantinopolitano Imperatore, ejusque exercitibus multa jam dudum praelia prosperè gesserat, multasque ejus Urbes occupaverat, cum esset in eadem expeditione, obiit, corpusque ejus Italiae relatum, & in Venusia Civitate Apuliae conditum est. . . . . . .

Non autem videtur indignum hic, ex parte aliqua, summam oblationum istius Ducis, ejusque conjugis Sicelgaitae, ad scientiam, posterorum annectere, qui supra omnes ferè sui temporis mortales locum istum, Patrem Desiderium, & nostram Congregationem diligere, exaltare, & honorare studuerunt.

Prosequitur Cap. 58. enarrare pretiosa Donaria, & plurimas Possessionum oblationes à Roberto factas Ecclesiae, & Monasterio Montis Casini.

PETRI DIACONI LIBER IV.

De Jordano Principe, & Filio ejus, & Duce Roggerio, oblationibus ejus. Cap. 10.

ANno 1090. Per idem tempus Jordanus Princeps, cujus meminimus, eum universam ferè Campaniam, à jure Sedis Apostolicae subductam, in deditionem accepisset, apud Pipernum vita decedit, Corpusque ejus ad hoc Monasterium delatum, & juxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli reconditum est. Capuani autem, ubi mortem Principis agnovere, contra Richardum, supradicti Jordani Principis filium,

lium, ejusque matrem conspirantes, Capuanæ Civitatis munitiones capiunt, Normannosque omnes Urbe depellunt. Richardus autem Aversam, una cum matre, secedens, Ducem Roggerium in suum auxilium evocat, qui æstivo adveniens tempore, cuncta Capuanæ Civitati adjacentia flamma, ferroque consumpsit, & tandiù eos expugnavit, usquequo Capuani, necessitate coacti, prædicto Richardo munitiones redderent, eumque recipientes, sibi in Principem consecrarent. Idem præterea Roggerius Dux eo tempore, fecit præceptum Beato Benedicto de omnibus, quæ Robertus Dux pater ejus, una cum uxore sua, loco isti concesserunt.....

Prosequitur enarrare Donaria, & Villanos Monasterio Casinensi oblatos.

De Advente Roggerii Ducis ad hunc locum, Casinense Monasterium. & de libertate concepta hominibus Castallioni, ac de concessione S. Petri da Tarenta. Cap. 48. In quo Pietas, & Religio Normannorum elucet: nihil autem ad Politicam Historiam ....

Qualiter idem Papa investivit Guilelmum Ducem Ducatus Apuliæ, & Calabriæ. Caput 49.

EOdem verò Anno 1114. Papa Paschalis (*II.*) cum apud Ceperanum Synodum celebraret....... in eodem etiam Concilio idem Apostolicus Guillelmum Ducem de Ducatu Apuliæ, & Calabriæ, investivit.......

De obitu Guilielmi Ducis, & de quibusdam oblationibus huic Monasterio factis. Cap. 96.

ANno 1127. Dux igitur Guilelmus, cum jam ferè sedecim Ducatum rexisset annos, mortuus est, atque in ipso omnis Robberti Guiscardi familia, quæ ex ipso descenderat, finita est. Defuncto itaque Duce, Roggerius hæres, & filius quondam Roggerii Siciliæ Comitis, fratris prędicti Robberti Guiscardi Ducis, Ducatum occupat, contra quem Apostolicus cum expeditione properat: demum facta concordia, eidem confirmavit Ducatum. His porrò diebus, Jordano Principe, obeunte, Robbertus ejus filius eidem successit in Principatu, qui huic Monasterio privilegium fecit de data remissa hominibus Casæ Gentianæ, de Scadentiis, de modiis terræ viginti in territorio Sancti Mauri ad Casale, de piscationu in mari, & flumine in omni territorio Castelli mare, de his, quæ dederunt Jordanus Secundus Pater ejus, Riccardus Secundus, & Robertus Patrui, Jordanus avus, & Riccardus proavus sui, & de venientibus ad habitandum in Terra Sancti Benedicti, vel aliquid Monasterio largiendum, pœna librarum auri centum apposita. Robbertus etiam Comes de Molisio fecit privilegium huic loco de medietate Castri Serræ, quod est sub jure Larinensis Episcopatus, pœna Librarum auri centum apposita. Præterea Roggerius Dux fecit privilegium Sancto Benedicto de iis, quæ obtulerunt Robbertus Dux, & Sihcelgayta uxor ejus. Roggerius, & Guilielmus filii in Apulis, Calabria, Principatu, Salerno, & Amalfia, de concessionibus Principum, Baronum, & aliorum fidelium, pœna librarum auri trecentarum apposita, Anno Domini 1130. per manum Guarnerii Mazariensis Decani.

Qualiter Anacletus coronavit Roggerium Comitem, in Regem Siciliæ. Cap. 97.

ANno 1130. Interea Papa Honorio vita decedente, electi sunt Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli in Papam Innocentium Secundum, & Petrus Presbyter Cardinalis Sancti Calixti in Anacletum. Innocentius verò per aliquantem temporis spatium in Urbe permanens, cum Episcopis, & Cardinalibus, qui suæ parti favebant, ad Civitatem Pisanam perrexit, Conradum Savinensem Episcopum Vicarium in Urbe relinquens. Petrus præterea Cardinalis Roggerio Duci Apuliæ Coronam tribuens, & per privilegium, Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanum, cum Apulia, Calabria, & Sicilia, illi confirmans, Regemq; constituens, ad suam partem attraxit, præcipiens, ut Episcopi, & Abbates, qui in suæ ditionis Terra manebant, ei dominium facerent. Per idem tempus Robbertus Princeps, cujus supra meminimus....... abiit Pisas, & Rex Roggerius venit super Principatum. Ob quam rei hic Princeps à Pisis, stipatus navali exercitu, Neapolim venit. Aversani se ejus Imperio subducunt, contra quem Rex Roggerius veniens fugavit, Aversam in Cinerem redegit, Alfuso filio Capuanū tradidit Principatum.....

Innocentius igitur Alemannorum, & Lotheriugorum Terram ingressus, juxta Leodium à Lothario Rege excipitur, virgam, & anulum ei juxta morem antiquum confirmans, nec non & Terram Comitissæ Mattildæ ei contradens. Deinde Lotharius Rex venit Romam, & accipiens coronam ab Innocentio reversus est. Et, dum in conspectu ejus totus, ut ita dicam, Romanus orbis pacatus quiesceret, & sub ejus ditione calcati jacerent, à Papa Innocentio Pisis remorante frequentibus litteris monitus, ut Romani Imperii coronam

ab

ab hostium jugo defenderet, & Ecclesiam scissam ad pacem, concordiam, & unitatem, Cæsar strenuissimus, & clementissimus liberaret, Anno Dominicæ Incarnationis 1135. immensum valdè nimia totius Romani Imperii exercitum congregans, una cum Richiza Augusta uxore sua intravit Italiam. Ingens interea pavor, & hebetudo mentis corrupit Ausoniam, & quid dicerent, vel facerent, unus ab alio inquirebat.

In sequentibus Capitibus à 98. ad Libri IV. finem pergit Petrus enarrare atroces minas in Casinense Monasterium inflictas à Guarino Rogerii Regis Cancellario, ut Seniorectum Abbatem, & illius Monachos à devotione Innocentii II. Papæ removeret. Et ejusdem Guarini horrendam exponit mortem, & damnationem. Post mortem Seniorecti, turbas in Monasterio Casinensi inter fautores Innocentii Papæ, & Regis Rogerii, Monachos, & Sæculares Magnates, pro electione novi Abbatis, prolixè describit. In his ad Politicam ejusdem Regis Historiam, excerpere hæc placuit.

Ex Cap. 104. .... *Anno* 1137. .... Visum denique Prioribus est, ut electio differretur usquequo ad Regem Rogerium, Romanumque Pontificem (*Innocentium II.*) tunc Pisis remorantem Nuntios destinarent, per quos Casinensis Cœnobii fortunam notificarent, & super tali negotio illorum consilium præstolari valerent ...... contradicentibus, & renuentibus aliis; qui Raynaldum Colementanum eligere disposuerant, eundem apprehendentes in Patris Benedicti Cathedra illum locantes, sibi in Abbatem constituerunt. Reliqui hæc indignè ferentes, clam .... ad Imperatorem Lotharium (*II.*) Nuntium cum litteris destinant, per quas, & Seniorectum de hoc mundo migrasse, & eundem Raynaldum, contra voluntatem eorum, seditiosè, & non Canonicè electum esse, notificabant: postulantes, ut Imperatorem, atque Pontificem, ex parte totius Congregationis rogarent, ut ex suis aliquem in Casinensi Cœnobio Abbatem constituerent, & in Raynaldi electione nullatenus præberent assensum ..... Lotharius autem Imperator misericordia motus ...... pro Casinensi Ecclesia ..... & multo magis tamen propter odium Regis Rogerii, quem Romani Imperii inimicissimum esse judicaverat, propensior erat apud prædictos Monachos &c. .....

Qualiter Henricus Dux Bajoariæ missus ab Imperatore Lothario intravit in Regnum cum Innocentio Papa. Cap. 105.

EO siquidem tempore, Henricus Dux Bajoariæ gener Imperatoris ab eodem Imperatore trasmissus, una cum Papa Innocentio, intravit Campaniam. Igitur cum in planitie, quæ Casini contigua est, castra posuissent, Rychardum, supradicti Pontificis Cappellanum, & Casinensis Cœnobii Monachum, ad Monasterium destinant, mandantes, quod, si illos vellent recipere, & Papæ Innocentio obedientiam exhibere, ipsi pro suo posse illos, ut filios, ut fratres, ut socios diligerent, & Casinense Monasterium sub Imperatoris tutela, & defensione semper haberent. Set, cum huic rei Raynaldus aurem non accommodaret, & Fratres illum de Monasterio exturbare, si facultas daretur, per omnia vellent. Idem Raynaldus Fratres in capitulum convocans, suadebat, ut in Regis Rogerii fidelitate manerent, ut filio Petri Leonis obedientiam conservarent, adjutorium illis non defuturum. Postremò fatetur, se ab illis Abbatiam accepisse, non ab alio. Ad illorum libitum, si vellent, Abbatiam dimitteret, si non retineret. Et hæc quidem ore, non corde proferebat; jam enim occultè miserat ad Gregorium filium Adenulfi de Sancto Joanne, ut cum suo exercitu per Tyrillanam silvam Casinum veniret, quatinus ejus ope, & auxilio fultus, Monasterium contra Papam, Ducem, & Monachos retinere valeret. Quo dum venisset, cum eodem Electo Sacramento confederatur, & Monasterii munitiones ab ipso accipiens, & aliorum cum suis militibus in Pontificis Nuntios illos invadit, quos cum in fugam vertisset, suis audaciam permaximam tribuit. Apocrisarii autem Pontificis, dum ad Civitatem, quæ monti adjacet, pervenissent, Cives sub Imperatoris fidelitate Sacramento constringunt, & sic ad castra redeunt. Raynaldus autem cum Gregorio intra Monasterium conclusus, fata extra Monasterium incidebat, & omnia destruebat, ne quid ad alimentum hominum, vel jumentorum relinqueretur. Jam fere undecim dies transierant, cum Dux videns Monasterii Casinensis bona dilapidari, simul, & pugnæ tempus transire, consilio habito, Raynaldum evocat, & calicem aureum, nec non & obsides pro quadrigentis libris accipiens, Abbatiam ex parte Imperatoris, si in ejus fidelitate permaneret, illi confirmat, & eum à se, suisque securum reddens, Imperatoria vexillum in Beati Benedicti Ecclesiam induci, ac demum in arcem, quæ Ecclesiæ imminet, cum ingenti laude imponi præcepit. Alia verò die castra moveus, cum ingenti exercitu supra Civitatem Capuanam devenit, ibi itaque Rao Rachelis filius, & Goffridus de Aquila, venientes, & se, ac suos Pontificis, ac Principis Robberti, & Henrici Duci Imperio subdunt. Capuani autem cernentes Baro-

nes catervatim ad Papam, & Ducem confluere, solo prostrati, veniam poscunt, qua impetrata, & se suaque, una cum Civitate, illorum dominio subdunt. Quo facto, totus, ut ita dicam, Capuanus Principatus, Roggerii jussa linquentes, Papæ vestigiis advolvuntur, omnia imperata se facturos, spondentes; multi namque, propter amicitiam, quam cum Robberto Principe habuerant, confluebant ad eos, nonnulli propter illorum gloriam, & remunerationem beneficiorum, quam se ab ipsis accepturos sperabant; Plures verò propter spem, quam in eis, tamquam in propria Dominia, habebant. Henricus interea gener Imperatoris unà cum Papa Innocentio, Robberto Principi Capuanum Principatum restituentes, cum ingenti exercitu ad pontem Sancti Valentini, juxta Beneventum castra locavit. Mandat post hæc in Civitatem cum Apostolico Nuntios, ut nisi, Anathema Apostolicum, & Imperialem vellent incurrere iram, Beneventum in eorum manu remitterent, & nundinas foris Urbem pararent. Contradicentibus autem illis, in Urbe ex parte filii Petri Leonis erant, Nuntiis Papæ Innocentii, cum nihil egissent, infecto negotio, de Civitate exclusi sunt; nam Rogeriani milites, qui tunc in Civitate erant, minimè pactis consenserunt, moxque quingentorum militum, & triginta milia peditum congregantes, exercitum foris Civitatem contra illos pugnaturi, conveniunt; ob quam rem Pontifex in iracundiam versus, Beneventanos à liminibus Ecclesiæ separavit, Ducemque cum exercitu contra eos congredi præcepit, set cum Scutiferi Ducis in prima acie terga vertissent. Dux eventum fortunæ alteratum perpendens, præcepit militibus, ut fluvium transvadantes, montem in quo Civitas sita erat, ascenderent, & ab aurea porta Civitatem invaderent. Seditio tamen in Urbe de rebus præsentibus erat, quibusdam dicentibus, Papæ Innocentio reddendam Civitatem, debere juxta patrium morem, Beato Petro, & ejus Vicario deservire; Alii verò nequaquam; Set repugnare persuadebant. Milites interea fluvium transvadantes, ad Civitatem tendebant. Beneventani autem, hostes contra se venire, dum perspexissent, à pugna se subducentes, fugæ præsidium sumunt. Hi autem, qui ex parte Ducis erant, illos instantius insequentes, Civitatem cum eis ingressi sunt, atque hoc modo Beneventum in deditionem acceperunt. Urbe verò potita, Trojam Apuliæ Urbem applicuere, quam absque pugna à Civibus accipientes, oppida quæque adjacentia cum Gargano, atque Siponto in suum dominium vertunt.

Ex Cap. 106. Lotharius interea Imperator eo tempore (*eodem Anno* 1137.) Ravennam egrediens, Umbriam, Æmiliam, Flaminiam, Picenumq; Provincias sub suo jure redegit; Civitates obedientes sub Romani Imperii jura redegit, contradicentes ad solum usque prostravit..... Inde verò castra movens, supra Barum, quæ totius Apuliæ caput est, tentoria figit, & à Civibus Urbis susceptus, Arcem, quam Rex Rogerius magnificè construxerat, oppugnare modis omnibus cæpit. Diu itaq; illam vallo diversisque bellorum machinis oppugnans, plurimis ex utraque parte interemptis, tandem cum magno labore illam obtinens, ad solum usque deduxit; universasque Apuliæ Urbes sub Romani Imperii jura redegit. Sicque, peractis omnibus, Ducem ordinaturus, apud Melphiam Apuliæ Urbem perrexit; quò dum venisset, exercitum dirigens, Salernum obsidere præcepit....... *Prosequitur interea discussio electionis Abbatis Casinensis Raynaldi.*

Ex Cap. 117. Idem verò Imperator Lotharius exercitum congregans, navalemq; expeditionem.... supra Salernum direxit. Pugna itaque maxima facta, multisque ab utraque parte cadentibus, Salernitani, dum Civitatis suæ statum alteratum perspicerent, habito consilio, & se, & Civitatem Imperiali clementiæ subdunt. Quę res inter Pontificem, & Cæsarem dissentionem maximam ministravit, Papa dicente, Salernitanam Civitatem Romanæ Ecclesiæ attinere; Imperatore è contrà, non Pontifici, sed Imperatori pertinere debere, dicente......

Ex Cap. 119. *Imperator cum Imperatrice Casinense Monasterium adiens, pietatis, & munificentiæ præclara specimina dedit.*

Ex Cap. 120. *ad* 124. *Per Innocentium II. deposito Raynaldo, à Monachis eligitur Guibaldus Abbas Casinensis applaudente Lothario: qui post hæc regreditur unde venerat.*

Ex Cap. 126. Roggerius (*Anno* 1138.) itaque Rex, ubi Lotharium Imperatorem de Campania recessisse cognovit, aggregato exercitu, præter Barum, Trojam, atq; Neapolim, omnem Terram, quam facilè amiserat, facilius cæpit recuperare, E contrà Reginulphus Dux Imperatoris cum Theuthonicis, & Apulis ei fortiter resistebat.......... Idem Imperator morbo simul, & senio fessus, videns sibi jam finem vitæ imminere, apud Clissam Liguriæ se contulerat........ ibique... gemmea cœli Palatia, cum Christo sine fine regnaturus intravit .... *post Mensem Septembris.*

Ex Cap. 127. *Conradus Sueviæ Dux electus est Imperator*....... Roggerius itaque Rex sui exercitus falanga stipatus, supra Civitatem Capuanam devenit. quam incen-

incendio tradens, suo juri parere coegit. . . . . *ob cujus timorem Guibaldus in manus Monachorum resignata Abbatia, fugam arripuit.*

Ex Cap. 128. Electo à Monachis Raynaldo II. . . . . Non post multum præfatus Rex (*Roggerius*) paciscens cum Casinensibus, treuguam interim, ut omnes, qui ob timorem illius aufugerunt, cum suis ad propria revertuntur concessit.

Ex Cap. ultimo 130. Eo etiam tempore (*die 7. Januar. 1139.*) Petrus filius Petri Leonis (*qui & Anacletus Papa Scismaticus*) humanis rebus exemptus, diem clausit extremum &c. . . . . . .

EX WILLELMI GEMMETICENSIS MONACHI HISTORIA NORMANNORUM EXCERPTA.

DE EODEM.

Guillelmus Gemmeticensis, Normannus, Monachus Ord. S. P. Bened. Hic sex libros reliquit de Rebus Normannorum, & Guilielmo I. Anglorum Regi, & Conquestori dicavit; perduxitque ad annum 1135. in quo Henrici I. obitum enarrat. Multæ in eo de Normannis fabulæ, quod non insciabitur, qui cum eo contulerit, quæ de ætate sua scripserunt alii, & Flodoardus in Chronicis suis retulit.

EX LIB. VII. CAP. 30.

Quo tempore primùm Normanni in Apuliam perrexerunt, & de Principibus Normannis, quorum Ducatu Apuli subacti sunt.

DEinde temporibus Henrici Imperatoris, filii Cononis, & Roberti Normannorum Ducis, Osmundus Drengotus audax miles Apuliam adiit, cum quibusdam aliis Normannis. Nam Villelmum cognomento Repostellum, militem clarissimum, in venatione, in præsentia Roberti Ducis, occiderat, metuensque animositatem Ducis, & insignia equitis nobilium parentum iras, in Apuliam secessit, & propter magnam probitatem ejus à Beneventanis honorificè detentus est. Deinde prefati Dregonti exemplo, agiles Normannorum, seu Britonum tyrones incitati, Italiem diversis temporibus expetierunt, & primò juvare Langobardos contra Saracenos, sive Græcos, viriliter cæperunt, Barbaros bello sæpiùs protriverunt. Unde cunctis eorum vires expertis formidabiles facti sunt. At illi, ut hoc animadverterunt, quendem ex suis super se Principem constituerunt, & contra Langobardos arma verterunt. Deinde munitiones ceperunt, & incolas terræ sibi fortiter subegerunt. Primus Apuliensibus Normannis, dum adhuc ut advenæ Vvaimalchi Ducis Salernii Stipendarii erant, præfuit Turstinus cognomento Scitellus, vir in multis probitatibus admodum expertus. Qui inter reliqua virtutis suæ indicia, capram leoni ex ore repuit, ipsumque leonem pro ablata sibi capra furentem nudis manibus erripuit: & ultra murum Palatii præfati Ducis, velut Catellum quemlibet projecit. Longobardi verò ex invidia commoti contra ipsum, mortem ejus optantes, duxerunt eum in quendam locum, ubi morabatur immanis Draco cum magna multitudine serpentium. Deinde ut Draconem venire senserunt, confestim fugerunt. Turstinus autem ignarus doli, dum socios suos fugere cerneret, & obstupescens causam tam subitæ fugæ ab armigero suo inquireret, en repente flammivomus Draco illi occurrit, & caput sonipedis ejus hianti ore invadit. At ille abstracto ense viriliter feriens feram mox peremit, quin etiam ipse venenoso flatu infectus tertio die obiit. Nam clipeum ejus, quod mirum dictu est, flamma ex ore draconis erumpens momento totum combussit. Defuncto autem Turstino, Normanni Principes sibi Ranulfum & Riccardum elegerunt, quibus ductoribus mortem Turstini ulciscentes, contra Langobardos cæpere rebellaverunt. Post aliquot tempus, Constantiensis Drogo, filius Tencredi de Altavilla, Princeps Normannorum in Apulia factus est. Hic Christiana religione, & militari probitate laudabilis extitit. Quem Vuazo Neapolitanus Comes compater ejus, dum vigilias in Ecclesia Beati Laurentii, IV. Idus Augusti agerent, coram altari, Deum, & Sanctum Laurentium invocantem, trucidavit. Porrò Unfridus frater ejus in Principatu ei successit, totamque Apuliam Normannis subegit. Qui postquem finem vitæ sibi adesse perspexit, Abailerdum filium suum Roberto fratri suo, quem pro versutiis Vviscardum cognominaverat, cum Ducatu Apuliæ commendavit. Robertus autem fratres suos, qui omnes Duces, vel Comites fuerunt, virtute, & sensu, ac sublimitate transcendit. Nam totam Apuliam, Calabriam, ac Siciliam sibi subjugavit, & transmeato mari maximam partem Græciæ invasit, & Alexium Imperatorem, qui contra Dominum suum Michaelem Augustum rebellaverat, bello turpiter cum immenso exercitu victum fugavit. Hic verò

multa

multa bona fecit, Episcopatus, & Abbatias plures restauravit. Hic sicut suprà diximus, Domnum Rodbertum Abbatem Sancti Ebrulfi benigniter fuscepit, & quandam parvam Ecclesiam supra littus Calabrici maris sitam, quæ in honorem Sanctæ Eufemiæ Virginis, & Martyris dedicata erat, ei tribuit. At ille, ut erat magnanimus, ingens Cœnobium ibi condidit, & magnam multitudinem Monachorum ad militandum Deo ibidem congregavit. Episcopi, & nobiles viri prædictum patrem Rodbertum diligebant, venerabantur, totisque nisibus adjuvabant. Curam quippe Corporis sui parvi pendebat, sed sibi subjectos victu, & vestitu sufficienter alebat, & mentes eorum regulari disciplina coërcentes componebat. Præfatum itaque Cœnobium ferè XVII. annis rexit, Idibusque Decembris feliciter ad Dominum migravit.

EX ODERICI VITALIS UTICENSIS MONACHI, ECCLES. HISTORIÆ LIBRIS EXCERPTA.

DE EODEM.

OLdericus Vitalis, Anglus, illustri loco natus, Anno 1075. à septimo ætatis anno inter Monachos S. P. Benedicti educatus, & ipse eruditissimus Monachus, claruit Anno 1140. Scripsit Historiæ Ecclesiasticæ libros XIII. à Christo nato ad annum 1142. Quos, cum Guillelmo Gemeticensi, in lucem protractos, primus edidit Andreas Duchesnius, inter Scriptores Rerum Normannicarum. Parisiis 1619.

EX LIBRO III.

IN Sede Apostolica Benedicto Papa residente, Sarraceni de Africa in Apuliam navigio singulis annis veniebant, & per singulas Apuliæ Urbes vectigal quantum volebant à desidibus Langobardis, & Græcis Calabriam incolentibus impunè accipiebant. His diebus Osmundus cognomento Dregontus Willelmum Repostellum, qui sese de stupro filiæ ejus in audientia Optimatum Normanniæ arroganter jactaverat, inter manus Rodberti Ducis in Silva, ubi venabatur, occidit: pro quo reatu à facie ejus prius in Britanniam, deinde in Angliam, postremò Beneventum cum filiis, & nepotibus aufugit. Hic primus Normannorum sedem in Apulia sibi delegit: & à Principe Beneventanorum Oppidum ad manendum sibi suisque hæredibus accepit. Deinde Drogo quidam Normannus miles cum centum militibus in Hierusalem peregrè perrexit: quem indè revertentem cum sociis suis Waimalchus Dux apud Psalernum aliquantis diebus, causa humanitatis ad refocillandum retinuit. Tunc viginti millia Sarracenorum Italico littori applicuerunt, & à Civibus Psalernitanis tributum cum summis comminationibus exigere cœperunt. Duce autem cum Satellitibus suis vectigal à Civibus colligente, de classe egressi sunt: & in herbosa planitie, quæ inter Urbem, & mare sita est, ad prandium cum ingenti securitate, & gaudio resederunt. Cumque Normanni hoc comperissent, Ducemque pro leniendis barbaris pecuniam colligere vidissent: Apulos amicabiliter increpaverunt, quòd pecunia sese, ut inermes viduæ redimerent, non ut viri fortes armorum virtute defenderent. Deinde arma sumpserunt, Afros securè vectigal expectantes repentè invaserunt: multisque millibus fusis, reliquos cum dedecore ad naves aufugere compulerunt. Normanni itaque aureis, & argenteis vasis, aliisque spoliis multis, & pretiosis onusti redierunt, multumque à Duce, ut ibidem honorificè remanerent rogati sunt: sed quia revisendi Patriam cupidi erant, poscentibus non acquieverunt. Attamen promiserunt ei, quod ipsi ad eum redirent, aut de electis juvenibus Normanniæ aliquos ei citò mitterent. Postquam verò natale solum attigerunt, multa, quæ viderant, & audierant, vel fecerant, seu passi fuerant, compatriotis suis retulerunt. Deinde quidam eorum, promissa complentes, reciprocato calle Italiam repedarunt; exemploque suo levia multorum corda ad sequendum se excitarunt. Nam Torstinus cognomento Citellus, & Ragnulfus, Richardus Anscbetilli de Quadrelli filius, filiique Tancredi de Altavilla, Drogo videlicet, atque Unfridus, Willelmus, & Hermannus: Rodbertus cognomento Wiscardus, & Rogerius, & sex fratres eorum: Willelmus de Monasteriolo, & Ernaldus de Grentemaynilio, aliique multi Normanniam reliquerunt, & Apuliam non simul, sed diversis temporibus adierunt: Illuc autem pervenientes, primò quidem Waimalchi Ducis, aliorumque Potentum stipendiarii contra Paganos facti sunt: posteaque exortis quibusdam simultatum causis, eos quibus antea servierant impugnaverunt, & Psalernum, atque Barum, Capuamque cum tota Campania, & Calabria virilibus armis sibi subegerunt. In Sicilia quoque Panormum, Urbemque Cathanensem, Castrumque Joannis, cum aliis Urbibus, & præclaris oppidis, quæ usque hodie Hæredes eorum possident, obtinuerunt.

Defun-

Defuncto Nicolao Papa Alexander successit, ad quem Rodbertus Abbas cum undecim Monachis Sancti Ebrulfi accessit, eique suas, suorumque injurias luculenter deprompsit. At ille paterno solamine benigniter eos refocillavit, eisque in Urbe Roma Ecclesiam Sancti Pauli Apostoli tradidit, ut ibi habitantes Ordinem suum tenerent, donec sibi congruam habitationem invenirent. Deinde Rodbertus Vvillelmum de Mosterolo consobrinum suum ad auxilium suum requisivit, promptissimumque ad subveniendum invenit. Prædictus quippe miles Papæ signifer erat, armisque Campaniam obtinuerat, & Campanos, qui diversis scismatibus ab unitate Catholica diffidebant, Sancto Petro Apostolo subjugaverat. Hic exulanti consanguineo cum Monachis suis medietatem antiquæ Urbis, quæ Aquina dicitur, dedit. Postea Rodbertus Richardum Principem Capuæ, filium Anobetilli de Quadrellis adiit. Ipse verò multis blanditiis ei favit: sed promissorum blandimenta operum completione non peregit. Rodbertus autem ut frivolis promissionibus delusum se perspexit, iratus degenerem parentelam ejus, quam bene noverat, ei exprobavit, ipsumque relinquens ad Rodbertum Vviscardum Calabriæ Ducem se contulit. Ille verò ut Dominum naturalem eum honorificè suscepit: multumque, ut ipse cum Monachis suis semper secum permaneret, rogavit. Hujus pater Tancredus de Alta-villa de Pago Constantino extitit: qui de duabus legitimis uxoribus, quas desponsaverat, xii. filios, pluresque filias habuit: quorum uni nomine Goitfredo paternę hęreditatis agros concessit, aliosque omnes ut extra solum, ea quibus indigerent, viribus, & sensu sibi vend carent, admonuit. Illi autem, non simul, sed diverso tempore sub specie peregrinorum peras, & baculos portantes (nè à Romanis caperentur) in Apuliam abierunt: omnesque variis eventibus aucti, Duces, aut Comites in Apulia, seu Calabria, vel Sicilia effecti sunt, de quorum probis actibus, & strenuis eventibus Goifredus Monachus cognomento Malà-Terra, hortatu Rogerii Comitis Siciliæ, eleganter libellum nuper edidit. Horum sublimior, & potentior Rodbertus Vviscardus extitit: qui post obitum fratrum suorum Drogonis, & Unfridi, Principatum Apuliæ diu tenuit: & Langobardia, Græcisque, qui magnis in Oppidis, & Urbibus confidentes, jus antiquum pristinamque libertatem defendere nitebantur, virtute bellica subactis, Ducatum Calabriæ obtinuit. Jonio mari transfretato cum Modica, sed forti Normannorum Cisalpinarumque gentium manu, Macedoniam invasit: contra Alexium Imperatorem Constantinopolitanorum bis conflixit: ipsumque terrâ, marique victum bello, cum ingenti multitudine fugavit.

EX EJUSDEM ORDERICI VITALIS Uticensis Monachi Ecclesiasticæ Historia Lib. 7.

ANno ab Incarnatione Domini 1084. Henricus Teuthonicus Rex multitudinem Saxonum, Alemannorum Lotharigensium, aliarumque gentium coacervavit. Italiam violenter ingressus penetravit. Romam obsedit, & expugnavit. Porrò Romanis pro cupiditate munerum, quæ illis spoponderat, sese dedentibus, Urbem cæpit. Gregorium VII. de Sede Apostolica expulit, & Vvibertum Ravennatium Metropolitam ei nefariè subrogavit. Tunc Gregorius Beneventum secessit, & maxima dissentio in orbe orta magnum filiis Ecclesiæ detrimentum generavit, & ad multorum perniciem diù permansit. Gregorius enim Papa, qui Hidelbrandus in baptismate dictus fuerat, à puero Monachus fuit, omnique vita sua sapientiæ, & religioni admodum studuit, assiduumque certamen contra peccatum exercuit. Per singulos gradus Ecclesiasticorum ordinum usque ad Summi Pontificatus apicem ascendit, in quo sexdecim annis legem Dei vigilanter observare studuit. Zelo quippe veritatis, & justitiæ inflammatus, omne scelus arguebat, nullique contra rectitudinem præ timore, seu favore parcebat. Inde persequutionem, & exilium ab indomitis, & jugo Domini contrariis pertulit, nec tamen ab eis qualibet arte vinci usque ad mortem potuit.

Henricum ergo Teutonicorum Regem, quia divinæ legis prævaricator erat incorrigibilis, sæpè admonuit, corripuit, ad postremum excommunicavit. Nam Princeps præfatus uxorem suam, Eustachii Boloniensium egregii Comitis filiam, reliquit, & sordidis adulterii voluptatibus, ut porcus luto gaudens, inhæsit: Denique legibus, & bonorum exhortationibus omninò infestus obstitit. Godefridus autem Lotharingiæ Dux turpi repudio sororis suæ mæstus, bellum contra Henricum commovit, & multis in unum millibus congregatis cum eo conflixit, ipsumque cum dedecore victum de campo fugavit, & sic injuriam sororis suæ vindicavit.

Sæpè idem Rex Proceres suos, quorum uxores, seu filias, vel prædia concupiscebat, ad Curiam suam fraudulenter accersiebat; & occultè præmissis satellitibus suis, in via securos perimebat. His aliisque multis nequitiis fœdus Rex se interficiebat, & innumeros complices pariter proditionis ad perniciem secum trahebat.

Gregorius Papa tantorum scelerum querelas audivit, præfatum virum ut vitam suam emendaret plerumque obsecravit. Sed illo nequiter Medicum, & Doctorem subsannante, nihil profecit: sæpè multorum Præsulum Synodum adunavit, & de Christiano Imperio, quod tam turpiter, & nefariè polluebat, qualiter corrigeret tractavit. Denique Henricum sæpius admonitum, & in facinoribus pertinaciter resistentem judicio Synodi excommunicavit, & sub anathemate obduratum potestate Regni damnabiliter usurpata expoliavit; & Conradum Comitem auctoritate Apostolica per plurimorum manus Præsulum in Regem consecravit. Privatus itaque Henricus per unum annum in domo propria conticuit, & Comitatu, quem hereditario jure à parentibus susceperat, potitus delituit. Sed auxilia multa, sumptibus de thesauro, quem copiosum olim congesserat, dapsiliter datis, procuravit. Deinde multis millibus complicum aggregatis, commune decretum contempsit, publicus hostis rebellavit, contra Conradum Regem pugnavit, ipsumque dejectum jugulavit, & exercitum ejus varia clade quassavit.

Henricus itaque hac victoriâ elatus, Imperium quod amiserat invasit, rebelles coërcuit, magnisque sibi viribus adauctis Romam obsedit, totumque conatum contra Gregorium Papam exeruit. Menti ejus, ut reor, penitus exciderat, quod Absalon ingentes turmas contra David patrem suum congesserat, consilio Architophel Gilonitis arma levaverat, ipsòque patre cum suis discendente Hierusalem invaserat, ac ad ultimum multa bellatorum millia perdiderat; sed nefaria voluntate in multis completa, miserabiliter perierat. Sic iste contra patrem suum arma sustulit, meritòque postea diram à prole sua persecutionem pertulit. Inquirentibus verò, cur tam horrenda contra caput Ecclesiæ præsumpserat, hanc tantæ discordiæ causam inter se, & Papam esse, cum cachinno asserebat; quòd Medicus ægrotum nimis acriter curare impatientem nisus fuerat.

Obsidionem ergo validam Rex effrenis Romæ applicuit, Romanos minis, & viribus terruit, muneribus, & promissis lenivit, & his modis Cives alliciens Urbem obtinuit. Deficientibus itaque Romanis, Gregorius Papa Apuliam expetiit, ibique à Normannis honorificè susceptus quatuor annis habitavit, & mandata vitæ filiis Ecclesiæ propinans, finem laborum peregit. Tunc Henricus Augustus Vuitbertum Ravennatium Metropolitanum, quem Clementem nuncupaverunt, in ovile Domini contra fas intromisit; & hac de causa gravis in mundo, & diutina dissentio multos duplici morte mulctavit. Mediolanenses, & Maguntini, & multi alii, qui Vuitberto favebant, Gregorianos omnes anathematizabant, armis quoque crudeliter impugnabant. E contrà Gregorius cum suis errantes Vuitbertinos ad unitatem Ecclesiæ revocabat, & redire contemnentes secundum jus Ecclesiasticum excommunicabant.

Odo Sutriæ Comes invasoris Vuitberti nepos erat, omnesq; tam peregrinos, quam indigenas, quos poterat ad nefariam partem deflectere vi precibusque elaborabat, & resistentes, indebitamque subjectionem hæretico denegantes, torquebat, aut morte ferali puniebat. In tanta obscuritate Catholica gemebat Ecclesia, orans Dominum, qui vera lux est, & justitia, ut prostratis, & ablatis discordiæ auctoribus, pacem, & veritatem conferret in terra bonæ voluntatis hominibus.

In diebus illis eloquens Græcia gravi bellorum turbine quatiebatur, & ingentibus damnis afflicta, timore, & luctu affatim replebatur. Bitinacius enim Græcus, nimiæ cupiditatis, & protervíæ spiritu inflatus, Imperium invasit, Michaelem Constantinopolitanum Imperatorem de Regno expulit; & filium ejus, qui in Regno succedere deberet, oculis privavit, & in carcere compedibus constrinxit: filias duas Roberti Vuiscardi, quarum unam idem juvenis desponderat, custodiæ mancipavit. Perturbatus verò Michael in Italiam confugit, auxiliumque Normannorum sibi, sobolique suæ humiliter efflagitavit. Magnanimus etiam Vuiscardus Dux Augustæ Majestatis exulem honorificè suscepit, obsequiis, & favoribus lenivit, & multiplex ei adjutorium alacriter spopondit. Nec mora, sicut pollicitus est eum ulcisci vehementer molitus est. Verùm multa laboriosa, nolente Deo, frustra comminatus est, sed ei ad effectum rem, quam summoperè flagitabat, perducere permissum non est.

Alexius Princeps Militiæ jussu Michaelis in Paphlagoniam ierat, secùmque contra Turchos Niceam Bithiniæ Urbem obsidem captantes, exercitum Græciæ duxerat. Qui dum audisset expulsionem ingenui Imperatoris, & temerariam tyrannidem perfidi præsumptoris, exercitum alloquitur, & quid agendum sit percunctatur. Erat enim prudens, & probus, audax, & largus, & amabilis omnibus. Omnes inter ei favent, ejusque jussu se promptos exhibent. Ille mox hortatur, ut unanimes Byzantium obsideant, & imperantiis vecordi Tyranno viriliter auferant. Obsidionem itaque Constantinopolis aliquot diebus vallata est. Sed per Raynundum Flandrensem, qui præcipuus custos, & ja-

nitor

nitor Urbis erat, consulto Civium patefacta est. Alexius Augustale Palatium intravit, Bitinacium de regali throno præcipitavit, prolissam ei barbam detruncavit, & carcerali custodiæ illæsum commendavit. Ipse cunctis gaudentibus Imperiale Sceptrum, & Diadema sumpsit, Regnumque xxx. annis in adversis, & prosperis strennè, nobiliterque rexit. Erat enim multum sapiens, & misericors pauperibus, bellator fortis, & magnanimus, affabilis militibus, munerumque dator largissimus, divinæque legis cultor devotissimus. Ipse mox ut regnare cæpit, filium Michaelis, quem cæcatum retuli, de vinculis sustulit, & Abbati Cœnobii Sancti Cyri tutandum tradidit. Ille verò, utpotè mundo inutilis, Monachus ibidem factus est; omnique vita sua cum Servis Dei commoratus est. Filias quoque Vviscardi præfatus Hæros, ac si ipse genuisset eas, amavit blanditer, & piè tractavit; & ferè xx. annis sub tutela sua in delicils educavit. Officium illarum erat manè, dum Imperator de suo stratu surrexisset, manusque suas ablueret, mappulam, pectinem eburneum afferre, & barbam Imperatoris pectere. Nobiles puellæ facili, gratòque servitio à liberali Principe deputatæ sunt, quæ post longum tempus Rogerio Comiti Siciliæ Augusto, faventi ut amico, redditæ sunt.

Cotidiè mundi rota versatur titubantir.
Vera probant fieri mortales dicta Tonantis.

Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. Ecce, sicut Michael pepulit Diogenem victricum suum de Regali Solio, sic ipse de eodem culmine præcipitatus est à Bitinacio, qui nihilominus simili repulsa dejectus est ab Alexio.

Alexius cum Patriarcha Regiæ Urbis, ac Sapientibus, & Senatoribus Regni Græcorum definivit, ne Sanctum Imperium redderetur Michaeli, qui ad hostes publicos confugerat, & malefidis se & omnia sua Normannis commiserat, quibus moris est Imperium sociis non reddere, sed auferre: & quos ab aliis debent liberare, atque ad obtinendum debitos fasces adjuvare, crudeli ritu demptis honoribus sibi penitus subjugare. Anglos igitur, qui perempto Heraldo Rege, cum Proceribus Regni Albionem relinquerant, & à facie Vvillelmi Regis per pontum in Thraciam navigaverant, Alexius in amicitiam sibi ascivit, eisque principale Palatium, Regiosq; thesauros palam commendavit: quin etiam eos capitis sui, rerumque suarum custodes posuit. A quatuor mundi climatibus innumera bellatorum cohortes contra eum conveniunt, ipsumque vitâ, regnoque privare multum conati sunt. Sed frustra vehementer laboraverunt. Nam ipse multas inimicorum insidias protegente Deo evasit, & in senectute sua Joannem filium suum consortem Imperii fecit. Sic cunctis sapienter intuentibus perspicere licet, quòd quem Deus defendit, ac refovet, nemo dejicere, vel ad nihilare prævalet.

Procellis itaque tot motionum, ut diximus, in Illyrico sævientibus, ac Michaele Italos ad auxilium sui sollicitante lacrymis, & questibus, Robertus Vviscardus ex omni Ducatu Apuliæ, & Calabriæ fortem exercitum Normannorum, & Langobardorum contraxit, & valida classe parata, portum Attrentæ intravit; deinde prosperis ventis spirantibus, per mare Dyracio applicuit & oppidania viriliter obstantibus, in fine mensis Junii Urbem obsedit. In exercitu quippe suo non plus, quam x. millia bellatorum habebat, nec numero, sed in fortitudine virorum adversarios terrebat, & bellicosam à priscis temporibus Adrasti, & Agamennonis Græciam invadebat. Robertus Gifardus, & Gulielmus de Grentesmainillo, aliiq; probatissimi tyrones, qui nuper de Neustria venerant huic expeditioni aderant. M. Buamundus, Vviscardi filius ex Normannica matre, patrem juvabat, partem exercitus ab absente patre provido regimine ducebat, & in omnibus prudenter agens, futuræ virtutis specimen prælibabat. Rogerius autem frater ejus, cognomento Bursa, jussu patris in Apulia remanserat, & Ducatum sibi ex hæreditate matris debitum custodiebat.

Alexius Imperator Dyrrachiano si planctu excitus ingentem exercitum aggregavit, & obsidentes Urbem suam terrestri navalique prælio conterere sategit. Interea dum Augustales veredarii undique mitterentur, & cohortes bellatorum de insulis maris, & de adjacentibus Provinciis contraherentur, quadam die M. Buamundus cum quinquaginta militibus pabulatum perrexit, & quingentis militibus, qui obsessis adminiculaturi exercitū expediti pergebant, forte obviavit. Mox ut sese mutuo viderunt, verè certamen inierunt. Porrò Danai Normannorum impetum non ferentes terga verterunt, multasque manubias amiserunt. Tunc æream crucem perdiderunt, quam Constantinus Imperator pugnaturus contra Maxentium, visa cruce in Cœlo, fecerat. Redeuntes itaque de conflictu Normanni gaudium ingens, & victoriæ spem sociis intulerunt. Pelasgi autem gravissimum dolorem, & diffidentiam pro amissa Cruce Domini habuerunt, quam maximo auri talento redimere multum laboraverunt. Verùm Vviscardus talem mercatum agere indignum duxit, quia æs in Cruce pro virtute Christi pretiosius omni auro æxtimavit. Hanc itaque Græcem

cem ſecum in multis periculis portavit, quam poſt mortem ejus Cœnobium Sanctæ Trinitatis Venuſiæ reverentes uſque hodie cuſtodit, & cum aliis Sanctorum pignoribus excolit.

Menſe Octobri Alexius Imperator Dyracio appropriavit, & legiones ſuas ex multis nationibus excitas ad bellum ordinavit. Deinde commiſſo prælio, magna ſanguinis effuſio facta eſt, & ingens detrimentum utrique parti ſævo Marte furente collatum eſt. Denique fidelem paucitatem, & inſtantiam Occidentalium peregrinorum Dominus de Cœlo reſpexit, eiſque victoriam conceſſit; copiaſq; Orientales, quæ in virtute ſua confidebant, terruit, & cum dedecore fugavit. Deinde Robertus Dux tam nobili triumpho exhilaratus Dyracium reliquit, longiuſque cum exercitu ſuo progreſſus, in Bulgaria hiemavit. Regionem enim circa Dyracium obſidione trium menſium devaſtaverat, & nihil ibi unde homines, vel equi ſubſiſtere poſſent dimiſerat.

Tunc Legati Romanorum ad Robertum Ducem cum literis Apoſtolicis venerunt, eumq; ſupliciter ſalutantes dixerunt. Gregorius Papa, ò ſtrenuiſſime Dux, ut Pater, filium te humiliter, & obnixè obſecrat, ut Apoſtolicæ Sedi feſtinanter invincibilis tua probitas ſubveniat, nec ullam huic ſubventioni pro amore Dei excuſationem præponas. Henricus enim Alemannorum Rex Romam obſidet, & Papam cum Clero ſibi adhærente in arce Creſcentis incluſum coërcet. Ibi nimirum Papa circumſeptus cum turma fidelis populi, timet defentione Quiritum, qui nimis cupidi ſunt, & verſipelles, deludi, & manibus inimicorum tradi irreverenter. Ad te igitur ab illo miſſi ſumus, celeremque opem tuam ad tantam neceſſitatem requirimus. Fortitudo tua ſuper omnes inimicos tuos divinitus ſublimata eſt, nec ei mortalis manus reſiſtere poteſt, quamdiu Deo militaveris, & Vicario Sancti Petri Principis Apoſtolorum obedieris.

His auditis magnanimus Hæros valdè anxiatus eſt. Nam venerando Papæ à protervis Leonibus profligato, ſicut Petro in carcere Herodis, ſuccurrere deſiderat, & exercitum ſuum, quem numero pauciſſimum inter multos hoſtes, & callidos, atq; atroces computat, in terra aliena ſine Duce, velut agnos inter lupos relinquere vehementer hæſitat. Tandem erectis luminibus mentis ad Dominum, à quo omne bonum procedit, convocatis agminibus ſuis cum Buamundo filio ſuo ait: Semper obſecundare Deo, qui per communem Eccleſiæ Catholicæ Paſtorem elloquitur nos, oportet. Auxiliante Deo, juſſioni Papæ obediam, & quam citiùs potero, ad vos redire ſatagam. Interea vos prudenter in hac Provincia requieſcite, & inter hoſtes undique circumſpecti eſtote. Si quis præſumpſerit bello vos impetere, in virtute Dei viriliter reſiſtite. Vos tamen cavete ne bellare incipiatis, nec occaſionem præliandi hoſtibus detis, neque indigenas quouſque regreſſus fuero laceſſatis. Injunctam mihi à Domino ſervitutem ibo, & ſi vita comes fuerit, celeriter redibo. Per animam Tancredi mei Patris juro, & hoc jurejurando vobis firmiter aſſero, quod donec adverſus ad vos fuero, non utar balneo, barba mea non radetur, neque cæſaries mihi tonſurabitur.

Poſt hæc verba bellicoſus miles cum paucis commilitonibus mare mox ingreſſus eſt, Deoque ducente in Apuliam profectus eſt. Et inde aſſumptis armorum cætibus Romam aggreſſus eſt, Porrò Henricus Imperator, ut veraci rumore comperit, quod Rodbertus Dux Conſtantinopolitanum Imperatorem ſuperaverit, ac ad ſubventionem Papæ quaſi fulgur cum nimio impetu ex improviſo advenerit; variis eventibus ſolerter conſideratis, valdè timuit. Jamque facta cum quibuſdam Romanorum Proceribus pace, partem Urbis recepit, ac poſtmodum occiduas Regni ſui partes repetiit. Maluit quippe ſanus, & liber honeſtè diſcedere, quam furibundum agonothetam expectare, & repentini certaminis involui turbine.........

Appropinquante Vviſcardo turgentes Romani convenerunt, & quod ab Advenis perſequutoribus caput orbis impugnaretur indignum duxerunt. Multis igitur hortatibus animati, cum armis obviam proceſſerunt. Sed ſtatim à Normannis in re militari nimis obduratis, facto impetu, repulſi ſunt. Deindè victores Civibus mixti fugientibus Urbem intraverunt, juſſuque fervidi Ducis ignem tectis injecerunt. Sic Vviſcardus ferro, & flamma ſibi aditum Romæ patefecit, nec ullus Civium poſtea contra eum mutire auſus fuit. Deindè pervenienti ad turrim Creſcentii Papa cum Clero obviam exiit, pro labore, & ſubventu gratias egit, pro obedientis à reatibus abſolvit, & æternam ei à Deo benedictionem peroptavit.

Poſt alternam Hæroum colloquutionem, poſt deprompſam à Papa querelarum relationem, iratus Dux ſubintulit hujuſmodi comminationem: Romani Cives peſſimi ſunt, & infidi, Deoque, & Sanctis ejus, pro innumerabilibus beneficiis ſibi collatis ſunt, & erunt ſemper ingrati. Roma, quæ Mundi caput, & peccatorum medicina olim dicta eſt; nunc habiratio draconum, & totius nequitiæ fovea facta eſt. Hanc igitur ſpeluncam latronum ferro, ſeu flamma deſtruam, ſordidos, nefarioſque habi-

tato-

tatores, ejus perimam. Persequutionem in Episcopum, quam Judæi experunt, Romani pertinaciter perficere conati sunt; Nonnè sicut Judæi Christum crucifixerunt, sic Romani membra Christi Petrum, & Paulum, martyrizaverunt? Quid dicam de Lino, & Cleto, Clemente, & Alexandro, Sixto, & Thelesphoro, Calisto, & Urbano, Cornelio, & Fabiano? Omnes hi Pontificali cura mederi languentibus studuerunt, & à propriis Civibus, quos salvare nitebantur, injuriosè perempti sunt. Denique quid referam de Sebastiano, quem sagittatum in Cloaca suspenderunt gunfo? Quid de Laurentio crati ferreo imposuerunt, & prunis subpositis ut piscem assaverunt? Quid de Hippolito, quem alligatum equis indomitis discerpserunt? Quid de Hermete, Tiburtio, Zenone, Valentino, aliisque Sanctis, quorum numerus humanæ naturæ est incompræhensibilis? Fama refert, & adstipulatur assertione multorum, quod tota Roma perfusa est precioso cruore Martyrum, & in latrinis Romanorum innumera latent corpora Sanctorum. Eadem crudelitas, quæ tunc grassabatur in paganis, nunc debaccatur in falsis Christianis, qui cupiditate illecti favent profanis, & contra Catholicam Ecclesiam auxiliantur hæreticis insanis. Nulla igitur pietas eis impendenda est. Ultore gladio impios puniam, cruentam Civitatem igne succendam, & Trans-Alpinis gentibus replendam, opitulante Deo, meliorem restituam.

Tunc Papa ad pedes Ducis corruit, lacrymisque profusus ait: Absit hoc à me, ut Roma destruatur pro me. Non enim ad destructionem Urbis, sed ad salvationem electus sum plebis. Malo Dominum Nostrum Jesum Christum morte sequi, quàm peccatoribus punitis injurias meas nequiter ulcisci. Creatori quippe nostro contrarii sunt, qui statuta ejus despiciunt, & ordinem Ecclesiæ truculenter impediunt, dominique gregem, ut lupi rapaces dispergunt. Ipsius est injuria, & ultio, servitutis quoque, & retributio. Novit pios Clientes, & abhorret adversarios furentes. Ejus igitur omnipotentiæ nos, & nostra commendamus, & corde benivolo exoramus, ut legi sacræ adversantis censorio ense rescindat, & nos ad beneplacitam voluntatem suam dirigat.

Sic iratum Ducem Papa lenivit, acceptoque consilio de turre Crescentis cum Clero sequaci exivit, & comitante Duce cum valida manu ductus Albam adivit. Hanc itaque Urbem Ascanius Julius Æneæ filius condidit, & Constantinus Augustus Sancto Sylvestro Papæ dedit. Dux autem Apostolica benedictione accepta, iter ad mare acceleravit, & trans Pontum cætus suos festinanter, ut eis juraverat, expetiit.

Interea callidus Imperator Græcorum, ut Robertum adiisse Italiam cognovit, ratus quod Normannos absente Duce destitutos debilitare posset; insurrexit, multas cohortes adunavit, & invitos ad bellum Normannos coëgit. Commisso autem prælio Normanni debiles in primis reperti sunt, & multis ex causis in initio certaminis territi, & penè victi sunt. Nam ut paucitatem sui, & absentiam fortunati Ducis, & multitudinem hostium perpenderunt, penè fugam ante pugnam inierunt. Sed cùm Buamundus in conflictu cum turmis suis vacillans trepidaret, & anxius Deum ex corde invocaret; divinæ pietatis auxilium affuit, & vox hujuscemodi desuper intonuit: Buamunde, quid agis? Præliare fortiter, Nam ille, qui patrem tuum juvit, te similiter adjuvabit, si in illo confisus fueris, eique fideliter militaveris. Hac voce Normanni recreati, & confortati sunt, & in antea progressi Pelasgos acriter impulerunt; quorum impetu Achivi repentè repulsi sunt, & terga vertentes spolia multa indigentibus peregrinis dimiserunt.

Regressus de Tuscis Vviscardus suos hac victoria sat hilares invenit. Ipse quoque tam nobili tripudio exultans Deo gratias egit. Buamundum verò, qui vulneratus fuerat in certamine, ut curaretur misit ad Medicos Psaleniæ, quorum fama per orbem admodum divulgata est excellentis medicinalis peritiæ.

Porrò Dyraceni dum Normannos perpendunt in Bulgariam longè progressos, pluresque Provincias de Imperio Byzanteo militari manu adeptos, seseque ab auxilio Tracum, seu Macedonum, omniumque affinium suorum penitus remotos, diffidentes mutuò sæpè tractant, qualiter sibi nimis in arcto positi consulant. Tandem procaciores quid agant vicissim diffiniunt, Legatos ad Ducem clam mittunt, pacem poscunt; & quòd azylum Urbis Satellitibus ejus tradant veraciter promittunt. At ille quod postulant concedit, & ecc. milites ad recipiendam Urbem mittit. Noctu itaque venientibus Normannis Civitas aperta est, quibus receptis pax inter utrosque, & securitas firmata est.

Sichelguada uxor Roberti Vviscardi, filia erat Guaimalchi Ducis Psalernitani, sororque Gisulfi, qui Ducatu privatus fuerat per avidam invasionem sororii sui. Hæc Buamundum privignum suum odio habebat, metuens ne per eum, quia fortior erat, & sensu, multàque probitate pollebat, Rogerius filius suus amitteret Ducatum Apuliæ, & Calabriæ, qui sibi competebat hæreditario jure. Unde ipsa lethiferam potionam confecit, & Psalernitanis Archiatris misit, inter quos enutrita fuerat,

& à quibus veneficiorum eruditionem perceperat. Protinus ibi voluntatem dominæ, & alumnæ suæ cognoverunt, & Buamundo, quem curare debuerant, virus mortis contulerunt: quo percepto ad mortem ægrotavit, patrique suo per Nuntium languorem suum protinus intimavit. Callidus verò Dux dolos uxoris suæ subitò animadvertit, ipsamque ante se tristis accersens, sic interrogavit: Vivitne Buamundus Dominus meus? quæ respondit: Nescio, Domine. At ille, afferte, inquit, mihi textum Sancti Evangelii, & gladium. Quibus allatis, gladium accepit, & super Sacra sic juravit. Audi Sichelguada, per hoc sanctum Evangelium juro, quòd si Buamundus filius meus hoc morbo, quo detinetur, mortuus fuerit, hoc ense interficiam te. Porrò illa tali allegatione nimis territa, salutare antidotum præparavit, & medicis suis, per quos mortem paraverat, Psaleraiam confestim transmisit nuncium, qui ut sibi periclitanti adminicularentur, blanditiis, & precibus obnoxis sollicitavit. Archiatri detectam fraudem, & angustiam herilem audientes, & in futurum, ne terribiles minæ Ducis explerentur precantes, toto nisu juveni, quem læserant, in omni exercitio Physicæ artis mederi certabant. Opitulante Deo, qui per eundem Turcos, & Agarenos Christianæ Fidei hostes comprimere decreverat, æger convaluit. Sed in omni vita sua, præ veneno, quo infectus fuerat, pallidus permansit.

Interea versipellis, & ingeniosa mulier multa secum revolvebat, nimioque metu indesinenter stimulata considerabat, quod si Legatus suus ad transfretandum mare tardaret, & ægrotus ante adventum ejus emigraret, illa juratam sibi mortem ense mariti non evaderet. Igitur aliam econtrà tergiversationem truculentam, & omninò execrabilem excogitavit. Veneno virum suum, pro dolor! infecit. Protinus ut ille ægrotare cœpit, & ipsa de inevitabili casu ejus non dubitavit, convocatis parasitis suis cum reliquis Langobardis noctu surrexit, & ad mare progressa, naves optimas cum omnibus suis intravit, & omnes reliquas naves, ne Normanni eam persequerentur, incendit. Dum verò littus Apuliæ attigit, quidam miles de Satellitio ejus clam egressus, Psaleraiam noctu venit, & Buamundum festinanter aggressus, ait: Surge citò, & fuge, & salva te. Cùmque ille causam inquireret, Nuntius respondit: Pater tuus mortuus est, & Noverca tua in Apulia est. Huc autem festinat venire, ut occidat te. Nec mora, Buamundus tam gravi rumore turbatus, asinum ascendit, citam Urbem exivit, ad Jordanum Capuæ Principem consobrinum suum confugit; à quo amicabiliter receptus, fraudes, & minas Novercæ suæ evasit. Illa verò ut Psalerniam pervenit, & egressum quem quærebat, delusam se comperit, vehementer contristata est: & Rogerius filius ejus cognomento Crumena, amplum citra mare Ducatum ex successione majorum adeptus est.

Undique nimis anxietatibus aggravati sunt in peregrina regione Normanni, dum maximum, ac strenuissimum Ducem suum vident muliebri dolo periclitari, & robur exercitus sui defectione Langobardorum, qui cum Domina sua clam discesserant, imminui, & se non posse in Italiam, quia naves eorum combustæ erant, sine gravi mora, & difficultate proficisci. Magnanimus itaque Dux Robertum Comitem Loritelli, & Gosfredum de Conversana nepotes suos, Hugonem Monoculum de Claromonte, & Guillelmum de Grentemaisnilio, Odonem quoque Bonum-Marchium sororium suum, aliosque cognatos, proceresque suos ad se convocavit, & quid acturi essent interrogavit. Cumque omnes inter se mussitarent, nec certum quid proferrent, ait: Ultio Divina pro peccatis nostris nos peratrabit, & à nimiis cupiditatibus nostris nos reprimit. Justè nos ut Dominus servos suos verberat, & perspicuè, quod mundi gloria non sit appetenda, nobis nuntiat. Gratias illi pro omnibus, quæ nobis impertiri dignatus est, agamus, & ut nostri semper misereatur, toto corde appetamus. Ecce nos de pauperibus, infimisque parentibus processimus, & sterile rus Constantini, vacuosque necessariis rebus Penates reliquimus, & profecti Romam cum magno timore vix pertransivimus. Deinde donante Deo magnas, & multas Urbes obtinuimus. Sed hoc non nostris viribus, nec meritis, sed divinæ ordinationi imputare debemus. Denique de Imperio Constantinopolitano, pro reatibus ind genarum, invasimus quantum potuimus, in .5. peragrari diebus. Optimè nostis, quòd in sui præsidium invitatus sum à Michaele Imperatore, quem Cives sui de solio Regni nequiter expulere, quia filiam filio ejus tradidi legitimè. Constantinopolim, quam possidet imbellis populus deliciisque serviens, & lasciviæ, decreveram, si Deo placuisset, Catholicis pugnatoribus subjugare, qui sanctam Dei Civitatem Hierusalem Turcis auferrent; Ethnicisque bello repulsis, Christianum Imperium dilatarent. Propter hoc desiderium tam magnum laborem, & tam periculosum agonem inivi. Sed hoc aliter ordinavit incompræhensibilis voluntas omnipotentis Dei. David templum Deo Hierosolymis construere voluit, sed hoc à Salomone filio ejus peragi cum ingenti tripudio Deus disposuit. Sic labor meus, ut autumo, futuris

turis temporibus consummabitur, & fructes laboris quandoque manifestabitur, & incitamentum tantæ probitatis utiliter posteris vestris propinabitur; Hinc igitur, ò viri fortes, sapiens consilium accipite, pristinamque virtutem vestram, quam in arduis, & angustis rebus multoties expertus sum, perdere nolite. Unus homo sum, ac ut reliqui mortalis. Vos autem multi estis, multisque charismatibus largiente Deo vigetis. Famosa verò gesta, quæ longè latèque divulgata sunt, vos fecistis; nec unquam majora à tam paucis, & infimis hominibus leguntur in aliquibus historiis, quàm juvante Deo à vobis facta sunt. Fortiorem itaque, & sapientiorem de vobis eligite, ipsemque vobis Ducem constituite. Ne perdatis fœcundam tellurem quæsitam magno labore, sed parvo tempore. Buamundus filius meus, si vita, & sospitate viget, quantocius vobis succurrere satageт.

Hæc, & his similia Duca prosequente, Petrus Francigena, aliique costurbernales, Ducis dicta subtiliter intuentes dixerunt; In hoc negotio, quod nobis imperas, ingens discrimen est, & maxima difficultas. Innumeri sunt hostes, & nos pauci sumus, nimiumq; nobis adversatur Imperator potens, & callidus, quem te cohibente graviter in multis sæpè offendimus. Fortitudini ejus, lataq; potentiæ nequivimus resistere. Multis enim dominatur Regnis, & nationibus. Utinam ad domos nostras, unde discessimus, cum pace, & salute regredi valeamus.

His auditis Dux valdè ingemuit, Deumque cum fletu invocare, filiumque suum sic lugere cæpit, Heu! me miserum tot infortuniis circumdatum! Olim multis nocui, & injustè multa peregi. Nunc simul mala invenerunt me, quæ promerui longo tempore. Summe Deus, nunc parce mihi. Pie Deus, miserare mihi peccatori. Fortis Deus, succurre populo tuo, quem huc adduxi. Fili mi Buamunde, virtute, & sensu Thebano par Epaminondæ, ubi reperiam te? Nobilis athleta Buamunde, militia Thessalo Achilli, seu Francigenæ Rollando æquiparande, vivisne, an detineris pernicie? Quid tibi contigit? quòd probitas tua devenit? Quòd si sospes, qualem te dum Thusciam aditem dimisi, præsto adesses, opulentam Bulgariæ regionem armis nostris obtentam possideres. Scio namque quod tanta, si vivis, strenuitate polles, ut si morti meæ divino nutu interesses, jus quod bello adquisivi, juvante Deo, nullatenus amitteres. Eja commilitones optimi, cautè vobis consulite, & quòd à laribus vestris valdè remoti estis perpendite. Recolite quam magna Normanni fecere, & quòd parentes nostri Francis, & Britonibus, & Cœnomannensibus multoties restitere, & fortiter vicere. Ad mentem reducite, quàm magna me Duce gessistis in Italia, & Sicilia. Psaleraiam, & Barrum, Brundisium, & Tarentum, Bismannum, & Regium, Syracusam, & Palermum, Cosentiam, & Castrum-Joannis, aliasque multas Urbes, & Oppida obtinuistis. Gisulfum quoque Psalereitanum Ducem, & Vuazionem Neapolitanum Comitem, aliosque Principes fortissimos me Duce per Dei juvamen superastis. Nunc igitur ne vilescatis amisso pristinæ magnanimitatis conamine, Electione communi unum ex vobis, ut dixi, Ducem constituite, uberèsque Provincias, quas jam nacti estis, insigniter vobis retinete.

Nullus eorum, qui rebus istis interfuere, ausus fuit Ducatum hujuscemodi suscipere, sed omnes de fugæ præsidio maluerunt cogitare. Deinde anno ab Incarnatione Domini 1085. Robertus Vviscardus Apuliæ Dux insignis, nostrisque temporibus pene incomparabilis, facta confessione à peccatis mundatus, & salutaris Eucharistiæ perceptione munitus; non militari robore prostratus, sed livore fœmineo corruptus, quo primus Adam est de Paradisi Sede projectus; non armis, sed veneno læsus, adveniente mortis hora mundo est sublatus. Quo defuncto, Normanni Corpus ejus salierunt, & cum pace reditum in patriam suam ab Imperatore petierunt. Imperator verò, licet lætaretur, quia liberatus à terribili hoste fuerat; defunctum tamen Ducem, qui nunquam de bello fugerat, ex pietate multum planxit. Licentiam his, qui redire in Italiam vellent cum cadavere Principis sui, & omnibus suis, benigniter concessit. Aliis verò qui secum remanere, sibique servire vellent, larga stipendia pepigit. Byzantino ex tunc itaque fideliter famulati sunt, qui antea fortiter impugnaverant. Remeantes autem in Apuliam, corpus Ducis Venusiæ detulerunt, ibique in Cœnobio Sanctæ Trinitatis cum luctu magno sepelierunt. Venerabilis Berengarius Abbas, filius Urvaldi, filii Helgonis, eidem Monasterio præerat, quem Theodoricus Archimandrita pius apud Uticum educaverat, & inde Robertus Abbas secum in Calabriam adduxerat. Deinde ab Alexandro Papa Venusiensi Monasterio Abbas cōsecratus est, atque post aliquos annos pro merito vitæ, & sapiente doctrina ad Pontificatum præfatæ Urbis à Papa Urbano promotus est.

Ex libro VIII. Anno 1088. Tunc Robertus Normannus Optimatum suorum supplicationibus adquiescens, Henricum fratrem suum concessit, & à vinculis, in

quibus

quibus cum Roberto Belesmensi constrictus fuerat absolvit.

In Apulia omnes Normanni Catholico Papæ concorditer favebant. Verùm inter se truculenter dissidebant, & fratres plus quàm, civilia bella vicissim conferebant. Rogerius enim cognomento Crumena, idest Bursa, Ducatu Calabriæ solus cum matre potiebatur. Quod Buamundus frater ejus apud Jordanum Principem Capuæ exulans ægrè patiebatur. Unde auxilio ejusdem Jordani sororii sui, aliorumque parentum, amicorumque suorum, arma contra fratrem suum corripuit; partemq; paterni honoris, quem ipse cum patre bello subegerat, viriliter repetere cæpit. Cujus guerram frater, & noverca tolerare nequiverunt, commodiusque consilium ab amicis expetere coacti sunt. Persuasione igitur Rogerii Siciliæ Comitis, aliorumq; affinium pacem fecerunt; eique Barum, atque Tarentum, aliasq; duas Urbes, cum multis Oppidis tradiderunt. Fratres itaq; postquam talem concordiam fecerunt, Mabiliam sororem suam Guillemo de Grentemaisnil in matrimonium dederunt; & ditioni ejus, quia valdè probus erat, plurima castra submiserunt. Connexione hujusmodi necessitudinis Normanni providè mutuò religati sunt, & magnam Italiæ partem, quam Drogo, & Unfridus, atq; Ricardus, & super omnes Robertus Vviscardus obtinuerant, usque hodie possederunt.

Ex libro X. Anno 1100. Præfati Consules ab Augusto, ut dictum est, pluribus exeniis honorati cum suis recesserunt, & à Normannis in Italia, qui magnis ibidem opibus pollebant, amicabiliter suscepti sunt. Rogerius enim Siciliæ Comes, ejusque nepos Rogerius Apuliæ Dux, atq; Goifredus de Conversana nepos Guiscardi Ducis, aliiq; compatriotæ, seù cognati eorũ salvo reditu gavisi sunt; & fatigatos pro Christo in multis agonibus pugiles lætificare conati sunt. Tunc ibi Rodbertus Normanniæ Dux generosam Virginem adamavit Sibyllam, Goiffredi de Conversana filiam, desponsavit, & secum in Neustriam adduxit.

Ex libro XII. Anno 1126. Eodem anno Guillelmus Pictavensis mortuus est. Guillelmus etiam Dux Apuliæ filius Rogerii Bursæ sine filiis obiit, cujus Ducatum Honorius Papa dominio Apostolicæ Sedis mancipare sategit. Verùm Rogerius Juvenis Siciliæ Comes econtrà surrexit, & multa in exercitum Papæ certamina commisit; consobrinique sui Principatum violentiâ militari vendicavit; & homagio Papæ facto, usque in hodiernum diem possedit. Hic nimirum Rogerii senis filii Tancredi de Altavilla filius fuit, ac strenuæ Adelaidis, quæ Bonifacii Marchisii potentis Italiæ fuit, & post priora mariti, fratris scilicet Guiscardi obitum, priori Balduino Regi Hierusalem nupsit.

Ex libro XIII. Anno 1134. Romana Ecclesia sub duobus Principibus, qui de Papatu contendebant, à transitu Honorii Papæ turbata, ingens tribulationum, & dissentionum per orbem exuberavit copia. Nam in plerisque Cœnobiis duo Abbates surrexerunt, & in Episcopis duo Præsules de pontificatu certaverunt, quorum unus adhærebat Petro Anacleto, alter verò favebat Gregorio Innocentio. In hujuscemodi scismate anathema formidandum est, quòd difficulter à quibusdam precaveri potest, dum unus alium summoperè impugnet, contrariumque sibi cum fautoribus suis feraliter anathematizet. Sic nimirum quisque ad id quod agere appetit, sed impossibilitate præpeditus ad effectum perducere nequit, sua saltem imprecatione Deum contra æmulum suum expetit. Petrus potentatu fratrum, parentumq; suorum Urbem obtinuit, & Rogerium Ducem Apuliæ Regem Siciliæ consecravit, cujus ope penè totam Italiam sibi associavit.

Ex eodem libro XIII. Anno 1133. Circa hæc tempora turbatio ingens facta est in Apulia, ad cujus originem elucidandam repetitio priscæ propaginis, & eventus hominum est necessaria. Postquam Rogerius Senex Siciliæ Comes, Tancredi de Altavilla filius obiit, uxor ejus Adeles cum parvulo filio regere se non posse magnas possessiones perspexit, & anxia quid agendum foret, tam secum, quam cum familiaribus suis sollerter indagavit. Ingentes enim Provincias præfitua Consul, & xj. fratres ejus bellica virtute obtinuerant, & Barbaros sub potenti manu excelsi Dei fortiter in Apulia, & Sicilia subegerant. Tandem præfata mulier Rodbertum Rodberti Ducis Burgundiæ filium in amicitiam copulavit, eique filiam suam conjugem cum toto Sicaniæ Principatu tradidit. Rodbertus quippe hujus Pater Rodberti Francorum Regis, & Constantiæ Reginæ filius fuit, cujus nobilitas de Sanguine Regum, & Augustorum processit, & in multis Regionibus claris operibus, & mirandis virtutibus admodum effulsit.

Eodem Anno, Rogerius Siciliæ Princeps admodum confortatus est, & super omnes antecessores parentelæ ipsius divitiis, & honoribus locupletatus est. Post obitum Guillelmi Ducis, ut supra dictum est, Ducatum Apuliæ, nolentibus colonis, adeptus est. Deinde omnes, qui ei resistere nisi sunt, impugnavit, & magnis viribus crudeliter oppressit, nec ulli pepercit, sed cognatos, & extraneos pariter prostravit, & spoliatos opibus cum dedecore conculcavit.

Eo-

Eodem Anno, Tancredus de Converfana Matellæ à Rogerio Siculo fortiter obsessus est, & inde fugiens in oppidum, quod Mons-petrosus dictum est, à protervo persecutore ibi captus est. Goisfredus etiam de Andria cum uxore ab eodem in rupe captus est, in Castello, quod fecus Potentiam Urbem fitum est. Rogerius autem oppidum subjugavit, ibique thesaurum, in quo erant XV. minæ auri vel argenti, cæpit. Grimaldum quoque de Baro Longobardum, liberalem, & strenuum virum comprehendit, & ablatis rebus, ae munitionibus vehementer humiliavit. Richardum etiam Principem Capuæ consobrinum suum exheredavit, & injusta vi exulare coëgit. Sic vehementi violentia proximos, & longinquos pessumdedit, & multum cruoris effundens, multasque lacrymas crudeliter eliciens, admodum crevit, ac primus de Tancredina progenie Regalem Thronum conscendit, & sceptrum, ae diadema, aliaq; Regis insignia gessit. Filiam Petri Leonis, Sororem Anacleti Pontificis uxorem duxit, & ab eodem coronatus, regium stemma nunc gerit.

IN CHRONICA NORMANNIÆ Anonymi Auctoris, ab anno 1139. ad annum 1259.

ANno 1151. Rogerius Rex Siciliæ per Ammiralios suos cæpit Tonizam Urbem maximam in Africa.

Anno 1161. Guillelmus Rex Siciliç transiens de Sicilia in Apuliam cum magno exercitu, Roberto de Basevilla fugato cum complicibus suis, Civitates, & Castella, quæ à se defecerant, recuperat;

EXCERPTA AD REM NORMANNICO-SICULAM PERTINENTIA,

Ex Variis Scriptoribus in unum à Jacobo Bongarsio collectis, & tribus Tomis Hanoviæ impressis, Anno 1611. sub titulo: Gesta Dei per Francos: seu Historia Orientalis Expeditionum Principum Christianorum in Terram Sanctam.

EX ALBERTI AQUENSIS

HISTORIA HIEROSOLYMITANÆ EXPEDITIONIS.

DE EODEM.

ALbertus, seu Albericus, Ecclesiç Aquensis Canonicus, claruit Anno 1120. scripsit ex aliorum relationibus Historiam Hierosolymitanam, Expeditionis sub Godefrido Bullionio.

EX LIBRO XII. CAP. 13.

ANno 1113. Rege (*Baldovino I.*) dehinc com omni manu sua ab infecutione hostium Ptolemaidam reverso, Mense Augusto inchoante, pervenit ad aures Regis, quomodo nobilissima conjux Rotgeri, Ducis Siciliæ, fratris Boemundi, Magnifici Principis, post obitum, & exequias præfati mariti, ad thalamum Regis magnopere properaret in apparatu copioso magnorum divitiarum, & plurimo militum comitato. Fuerunt ei duo triremes, singulæ cum quingentis viris bello doctissimis, cum navibus septem, auro, argento, ostro, gemmarum, vestiumque pretiosarum multitudine, onusti, præter arma, loricas, gladios, galeas, & clypeos auro fulgidissimos, & præter omnem armaturam, quam ad defensionem navium solent viri potentissimi comparare. In ipsa denique nave, in qua prædicta Matrona manere decreverat, malus auro purissimo tectus, procul radios ad Solis claritatem exerebat; & utraque navis cornua auro, & argento fabrili opere vestita, spectaculo admirationis omnibus erant ea intuentibus. In una de septem navibus viri Sarraceni, & Saggittarii, viri fortissimi, & claritate pretiosarum vestium fulgentes, inerant, dono Regi adducti, & qui nullis in Regione Jerusalem sagittandi arte inferiores haberentur. Hujus itaque Matronæ adventu, & gloria audita, Rex tres naves, quas vocant Galeidas, fœtas viris egregiis, & marino certamine peritissimis, misit illi in occursum; sed ventorum turbine mari intumescente, nequaquam illi occurrere aut sociari potuerunt. Ventorum enim potentia naves longè jactatæ, tandem portu, sinuq; Ascalonis vespere sunt receptæ circa horam nonam, nequaquam nautis valentibus, aut frustra conantibus iter per aquas tenere, propter ventum, qui eis nimium contrarius repugnabat.

CAP. 14.

EOdem Anno, Ascalonitæ, viris Christianis semper infesti, mox Christianorum

rum signis recognitis, in Galeidis ferratis, & armis occurrare, & confligere cum eis accelerant. Sed post plurimam contentionem, & utrinque sæpius factam incursionem, una ex Galeidis Ascalonitarum, quinquaginta milites continens, attrita, & submersa est; cæteræ expugnatæ, & repulsæ sunt. Nec mora, Christiani ex omni parte prævalentes in victoria, & in unum coadunati, Deo properante, tranquillo ventorum flamine relato, & omni furore maris sedato, in virtute magna à portu, & statione Ascalonis sunt egressi: Sicque pacifico navigio Ptolemaidem perventum est. Nec mora, Rex adventu tam gloriosæ Matronæ cognito, cum omnibus primoribus Regni sui, & universis pueris domus suæ, in vestitu diversi generis, & pulchritudinis, in regio cultu, in equis & mulis, ostro & argento fulgentibus, in tubis, & in omni dulcedine musicorum è navi egredienti affuit. Sed & plateæ mirificis, & variis tapetibus stratæ, vici purpureis velis adornati, in honorem tam nobilissimæ & thesauris famosissimæ Matronæ rutilabant, sicut decet Reges, in omni gloria, & pompa exaltari. Cum hac itaque jucunditate, & laude ea inducta, & Regi stabili connubio copulata, nuptiarum magnus apparatus, ornatusq; factus est in Regio Palatio Civitatis, per dies aliquot; thesauri plerimi ab ea in Ærarium Regis translati, quibus multum Rex, & universi, qui bellis Turchorum arma amiserant, tunc inæstimabiliter relevati, & ditati sunt. His jam nuptiis finitis, & Rege Jerusalem cum sponsa sua ascendere disponente, Rotgerus ie Antiochiam benignè à Rege commendatus, viam insistere disposuit, cui nova Regina mille marcas argenti cum ostris preciosis, cum Bysantiis quingentis, cum mulis, & equis egregiis dono contulit: præter Gregarios milites, qui à longiquo Regi ad opem confluxerunt, quibus non modica præmia auri, & argenti pariter collata sunt.

EX FULCHERIO CARNOTENSI

DE GESTIS PEREGRINANTIUM PRINCIPUM CUM ARMIS HIERUSALEM, EXCERPTA.

DE EODEM.

Fulcherius, seu Fulbertus, Carnotensis Monachus, & Presbyter, Robertum Normanniæ Ducem cum exercitu in Terram Sanctam proficiscentem sequutus est, Anno 1095. Ab eo anno illius expeditionis scripsit Historiam, dum Balduini I. Hierosolymorum Regis Secundi Sacellanum ageret.

ANno 1113. Peregrinis eo tempore diatim exarcitus noster crescebat, nec Gens Antiochena recedens abibat, successerunt in partes Damascenorum; & Rex Balduinus cum suis, statim reversus est Ptolomaidam, ubi Comitissam Siciliæ reperit, quæ prius fuerat conjux Rotgerii Comitis, Roberti Guifchardi fratris; nunc autem futura uxor Regis Balduini.

Anno 1116. Exitu quidem anni appropinquante, molastia corporis ingruente, qua mori tunc Rex metuit, dimisit uxorem suam superius memoratam, Siculorum scilicet Comitissam, nomine Atlaidam (*Adelasiam*) quam injustè duxerat: eò quòd adhuc vivebat sua, quam apud Edessam primitùs rectè acceperat. Hoc anno in aliquibus locis, Italia terremotu læsa est. Anno sequenti millesimo centesimo decimo septimo ab Incarnatione Dominica, Regina memorata egressa est à Portu Ptolomaidæ Urbis, die qua Rite Ecclesiastico Lætania major decantatur, & navibus, Comitatu suo, Siciliam adiit.

EX GUIBERTI ABBATIS HISTORIA HIEROSOLYMITANA EXCERPTA.

DE EODEM.

Guibertus, Nobilis Normannus, Monachus Floriacensis, dein Abbas S. Mariæ Novigenti, claruit anno 1101. Inter alia opera, scripsit Historiam Hierosolymitanam, & ad Annum 1100. quam appellavit: Gesta Dei per Francos.

EX LIBRO III. CAP. 1.

EX cunctis ferè Occidentalium partium Regionibus, cum innumerabilis exercitus appulisset Apuliam ad Boemundum Rotberti, qui Wiscardus vocabatur, filium, singularis magnificentiæ virum, adventantis meltitudinis pervenit verbum: is tunc temporis Amalfitanos obsidione compresserat. Cui cùm Nuncius de eâ quæ confluebat gante supervenisset, sciscitatus itineris causas: audit quia Jerusalem à gentibus, immò Dominicum Sepulchrum, & Sacra ibidem loca ignominiosè habita, ab eorum dominio eximere properarent. Nec

ei

ei demum tacitum est, quot cujusque generis, quantæque excellentiæ viri, relictis, ut sic dicam, honorum majestatibus, ad peragenda, quàm insudita aviditate contenderent. At ille interrogat, an arma deferant; utrum peras, an aliqua hujus novæ peregrinationis insignia proferant; quæ ad ultimum, in bellis signa conclament. Respondetur, arma planè franc co usu gestant: Crucis autem figuram, aut in humeris, seu ubilibet, ex qua volunt materia vel panno præceptum est, ut vestibus assuant: Remota autem arroganti varietate signorum, humiliter in bellis, fideliterque conclamabunt, Deus id vult. Ad hæc ille cordis excitatus à fundo, Deo inspirante, compungitur: & pallium pretiosissimum jussit afferri; Idemque, per cruciculas fecit incidi; suaque sibi imposita, suis, qui id ipsum quod voverat affectabant, cruces apponendas expendit; nam milites, qui ei in illa obsidione obsequebantur, animo repentè mutato, ipsum, quod suus ipsorum Dominus, iter aggrediebantur. Tanta autem ad id voti tunc militum multitudo confluxit, ut frater ejus, Siciliæ Comes, Rogerius, admodum doleret: quis in ea obsidione omni penè suorum fidelium solatio fraudaretur.

CAP. 2.

SEd paucis expediendum est, quo sanguine cretus; quibus idem Boemudus ad hoc honoris sit promotus accessibus. Rothbertus, quem agnominari Wiscardum dicimus, ex Northmannia extitit oriundus, & tenui satis loco natus. Is à nativa, quam præmisimus regione utrum spontè egressus nescio, an pulsus, pedes in Apuliam abiit; ibi equos, & arma, quibus eques fieret, qua potuit arte, commeruit; Inde Castella quædam, contractis jam undecumque, qui sibi auxiliarentur prædonibus, non absque nævo tamen proditionis usurpans, aliàque perinde crebris incursionibus fatigata occupans, etiam Urbes præditas obsedit, & ad necessitatem deditionis impulit; Et ut paucis absolvam, tantopere novus homo suæ locs dominationis extendit, in tantum quæ voluit quæque perdomuit, ut sicut in Epitaficis ejus versibus dicitur: Urbs expulerit eum, quem Ligures Regem, Roma Lemannus habet: Henricum videlicet Augustum, virum utiq; innumeris, immò ferè jugibus victoriis fortunatum, Parthus, Arabs, Macedumq; phalanx non texit Alexim: Græcorum qui nobiscum sæpè agit, Principem. Sed sepenumero eum subigens, nisi veneni haustus ei subitò vitam præripuisset, caput coronatum infra paucos, ut dicitur, dies Constantinopolitanis sedibus intulisset. Videat qui vult hodie filii ejus Boemundi potentiam, qui veterum obliterata vilitate parentum, Philippi Regis Francorum, filiam duxit in conjugium, & prædicti Alexis aggressus est obtinere audenter Imperium. Rothgerio igitur fratre ejus remeante Siciliam; & propè omnimodam gentis suæ amissionem; quæ tota Jerusalem videbatur itura, dolente. Idem Boemundus contractis; quæ ad tantam perfectionem necessariæ erant, copiis conscensis cum suo exercitu navibus, aura famulante secunda; littori Bulgarico, feliciter evectus, exponitur: in cujus Comitatu cum multa equestrium virorum probitas, tunc principalium non parva sublimitas extitit: inter quos; Tancredum, Marchionis cujusdam ex Boemundi, nisi fallor, sorore filium; cujus frater cum Hugone magno præcesserat. . . . . . .

EX SECUNDA PARTE HISTORIÆ HIEROSOLYMORUM EXCERPTA.

Auctoris Anonymi, & inter Scriptores de Gestis Dei per Francos; cujus Prima Pars periit.

ANno 1113. Regi cum suis facultas patuit in Ptolemaidam revertendi. Ubi & Comitissam Siciliæ Rex reperit applicuisse, Rogeri, fratris Rothberti Guiscardi, quondam conjugem. Postmodum suam Regis futuram uxorem.

Anno 1116. Rex cum suis Montem Regalem, & inde Hierosolymam reversus Comitissam Siculorum, non legitimè ductam uxorem, mortis timore perterritus, ablateravit, ei; quam pellicis amore dimiserat, reconciliatus uxori legitimæ adhuc viventi. Ita corripuit eum Dominus, & correxit, mortis timore reum à morte . . . .

EX WILLELMI ARCHIEPISCOPI TYRENSIS

HISTORIA RERUM IN PARTIBUS TRANSMARINIS GESTARUM EXCERPTA.

DE EODEM.

Gvillelmus, origine Gallus, fortè ex illustri Regum Hierosolymorum stirpe, post diversa Honorum Munia, demum, circa Annum 1174. Archiepiscopus Tyri electus est. Concilio Lateranensi, Anno 1178. interfuit, cujusq; scripsit Acta. Scripsit etiam Historiam Belli à Principibus Occidentis Christianis in Palestina, ac Oriente gestis: ab Anno 1095. ad Annum 1180.

EX LIBRO XI. CAP. 21.

Diviso igitur ab invicem exercitu, & singulis ad propria remeantibus, affuit nuncius Domino Regi significans, quòd Comitissa Siciliæ, apud Urbem Acconensem applicuerat. Fuerat prædicta Comitissa, Domini Rogeri Comitis, qui cognominatus est Bursa, qui frater fuit Domini Roberti Guischardi, uxor: nobilis, & potens, & dives matrona. Ad hanc anno proximè præterito, quosdam nobiles de Regno suo Rex direxerat, invitans eam, & cum instantia pollulans, ut cum eo lege conjugali vellet convenire. Quæ verbum filio communicans, Domino videlicet Rogero, qui postea fuit Rex Siciliæ, cæpit cum eodem de verbo illo deliberare, & tandem visum est ambobus, quòd si Dominus Rex sub certis conditionibus prædictum verbum vellet confirmare, ipsi ejus petitioni paratı erant acquiescere. Forma autem conditionum hæc erat: Quòd si Rex ex prædicta Comitissa prolem susciperet, ei post Regis obitum sine contradictione, & molestia Regnum concederetur: quòd si absque herede ex eadem Comitissa suscepto defungeretur, Comes Rogerus filius ejus, hæres existeret; & in Regno sine contradictione, & molestia Rex futurus, succederet. Rex autem abeuntibus legatis in mandatis dederat, ut quibuscumque petitionibus parentes, eam secum modis omnibus deducere laborarent. Audierat enim, & verè sciverat, quid mulier locuples erat; & filio accepta, bonis omnibus abundabat. Ipse verò è converso pauper erat, & tenuis, vix ad necessitates quotidianas, & equitum stipendia sibi poterat sufficere; undè & de illius redundantia, suæ fiiebat inopiæ subveniri. Missi igitur legati, conditiones prædictas gratanter suscipiunt: & interpositis juramentis, prout exigebantur, quòd his pactis à Domino Rege, & suis Principibus, bonâ fide, sine fraude, & dolo malo staretur, Comitissa, filio universa necessaria sugerente, se accingit ad iter, & oneratis navibus frumento, vino, & oleo, & salsis carnibus, armis præterea, & equitaturis egregiis, assumens secum infinitam pecuniam, omnibus eam prosequentibus copiis, in nostram, ut prædictum est, appulit regionem. Hæc autem, ut prædictum est, Arnulfi Patriarchæ machinabatur malitia, ut illa nobilis, & honesta deciperetur Fœmina. Deceptam quippe negare non possumus eam, quæ in simplicitate viarum suarum, Regem putabat idoneam gerere personam, ad hoc ut ei nuberet legitimè. Erat autem longè secùs: nam uxor, quam ipse apud Edessam legitimè duxerat, adhuc in rebus agebat humanis. Postquam ergò applicuit dicta Comitissa, præsente Domino Rege, Patriarcha, & Regni Principibus innovata sunt juramenta, juxta eandem formam, qua priùs in Sicilia fuerant exhibita. Et quia intentione sinistra, & oculo non simplici hæc fuerant inchoata, respiciens Dominus ad eorum intentionem; nec solitam mulieri, licet innocenti, in Regno concessit fœcunditatem, & extrema hujus gaudii luctus occupavit, ut in sequentibus dicetur. Difficile est enim, ut bono claudantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Interim tamen tot tantasque adveniens Regno intulit commoditates, ut meritò minimus dicere possit: Et nos de plenitudine ejus accepimus.

EX CAP. 29.

Anno 1116. Ubi Dominus Rex locis notatis, & consideratis diligentiùs eandem qua venerat remensus viam, ad Montem Regalem, castrum videlicet, quod de novo fundaverat reversus est. Inde Hierosolymam rediens, gravi ex insperato correptus est ægritudine; quâ cum supra vires fatigaretur, & timeret deficere, læsam habens conscientiam, super eò quod legitimâ uxore injustè abjectâ, aliam superduxerat: corde compunctus, & facti pœnitens, viris religiosis, & Deum timentibus aperiens conscientiam, reatum confessus est, satisfactionem promittens: cui cum pro cõsilio daretur, ut Reginam quam superduxerat, à se demitteret; abjectam verò ad regiam, unde deciderat, revocaret dignitatem; acquievit: & quod ita facturus esset, si vita ei concederetur produc-

ductior, voto se obligavit. Unde factum est, ut evocatâ ad se Reginâ ordine rem aperuerit; quæ licet super eodem facto aliquantulum esset instructa, nam idipsum aliquando à pluribus audierat; tamen visa est egrè ferre, quod ita temerè fuerit evocata, & fraude Principum regionis, qui ad eam citandam missi fuerant, circumvencta, Dolens igitur, & tristia tam de illata contumelia, quàm de opibus inutiliter consumptis, ad reditum se præparat; post tertium annum, quo ad Dominum Regem venerat, in patriam reversa. Qua redeunte ad propria, turbatus est supramodum filius; & apud se odium concepit adversus Regnum, & ejus habitatores, immortale. Nam cum reliqui fideles diversi orbis Principes, aut in propriis personis, aut immensis liberalitatibus Regnum nostrum, quasi plantam recentem præmovere, & ampliare fategerint, hic & ejus heredes usque in præsentem diem, nec etiam verbo amico nos sibi conciliaverunt: cum tamen quovis alio Principe longè commodiùs, faciliusque nostris necessitatibus consilia possent, & auxilia ministrare. Videntur ergo injuriæ perpetuò memores; & delictum personæ, injustè in populum refundunt universum.

EX MARINI SANUTI SECRETORUM FIDELIUM CRUCIS EXCERPTA SVEVICO-SICULA.

DE EODEM.

Marinus Sanutus, Patricius Venetus, in procuranda recuperatione Terræ Sanctæ totus fuit. Ideoque omnem ferè ætatem in exteris perlustrandis Regionibus exegit. Quinquies ultrà Mare transfretavit, in Cyprum, in Armeniam, Alexandriam, Rhodum, Palestinam, ut pleniori stilo opus suum scriberet: Secreta fidelium Crucis super Terræ Sanctæ recuperatione, & conservatione, & tribus libris absolvit. Postea ad eundem finem in Aulis Imperatoris, Pontificis, Regis Galliæ, aliorumque Principum in versatus est. Obiit post annum 1319. Et licet Auctor non sit coævus, satis verò auctoritatis, pro ejus probitate, apud omnes obtinet.

EX LIBRO III. CAP. VIII.

Continet peregrinationem, ac captionem Ugonis Magni, & qualiter Bohamundus ad peregrinandum animatus est.

CAP. XI.

Continet viam Boamundi in Constantinopolim: & ea quæ Imperator circa eum gessit.

Nihil ad Rem Siculam in his duobus Capitibus. Tantum pro Normannorum præclaris facinoribus à quovis requirendis, eorum Argumenta signare curavimus.

EX LIBRO III. PARTE XI. CAP. X.

Continet effectuosam sollicitudinem Summi Pontificis, et Cardinalium, ad Terræ Sanctæ succursum: translationē quoque Regni Jerosolymitani ad Conradum, Frederici Imperatoris filium.

RESignatâ Saracenis Civitate, universi Ptolomaydam profecti sunt, exceptis paucis peregrinis ad Italiam proficiscentibus, & Magistro Alamannorum, qui in Apulia Imperatori, deindè Summo Pontifici Christianorum casum exposuit. Quo audito Papa Honorius III. amaro corde suspirans, Imperatorem ad se vocat: Illeq; festinus accessit, & simul cum Cardinalium cætu, deliberant quid facto opus sit: tandem in hoc conveniunt, ut Rex Hierusalem, Magistri quoque Hospitalis, & Templi accedant, ut cum eis deliberent, quid commodiùs agere valeant in auxilium Terræ Sanctæ. Tunc Imperator in Apuliam rediens, pro eis, quatuor transmisit galeas: & Magistro Templi pro se alium transmittente, Legatus prædictis sociatus est. Imperator verò cum magno honore, sumptibusque ad Summum eos deduxit Pontificem 1222. Et cum pro auxilio Terræ Sanctæ verba hinc indè varia moverentur, tandem conveniunt, ut Imperator Isabellam, Regis Jerosolymitani filiam, ac Regni hæredem, uxorem accipiat, cum tempus affuerit pubertatis, usque videlicet ad annos quatuor: & indè ad duos annos pergat in auxilium Terræ Sanctæ, & utrinque sunt præstita Sacramenta, & apposita in contrafacientes excommunicationis sententia.....

Statuto prius tempore, Rex Hierusalem ad Imperatorem venit, pro filiæ sponsalibus adimplendis: mittitq; Imperator Archiepiscopum Capuanum cum galeis xiv. ad desponsandum puellam: deinde coronatur in Tyro 1225. Postquam verò Regina ad Imperatorem Brunditium perducta est, Imperator à Rege Joanne requirit, ut Regnum sibi, cunctaque Reginæ jura resignet. Stupefactus ille: nam Magister Alamannorum, qui mediator negotii fuerat, sibi hæc in vita remansuri innuerat; non valens requisitioni contradicere, jussa perfecit. In crastino verò Imperator

cum Regina ad Fuelam pergens, nil Socero indicavit. Ille dolorem ac indignationem dissimulans, Imperatorem sequutus est, & visâ filia generum visitat; qui nihil ei affectionis ostendit, quin potius requisivit à Domino Tyri, & ab aliis Syriæ militibus, qui erant in comitiva illius, ut sibi homagium facerent; quod & fecerunt. Episcopum quoque Malphiæ Ptolomaydam misit, ut à cunctis reciperet homagia loco sui: & cum eo duos Comites, trecentosque milites de Regno Siciliæ. Remansit autem Hugo de Monte Beliarth, Baylivus terræ pro Imperatore, sicut remanserat priùs pro Rege Joanne. Causam verò jurgii inter Imperatorem, & Socerum, assignabant Gualterum Comitem Brenensem nepotem ipsius: quia filius fuerat filiæ Regis Tancredi: fueratque Imperatori suggestum, quòd aspiraret ad Regnum Siciliæ, Rexque Joannes illi auxilium adduxisset. Undè & Imperator penè interfici jussit utrumque. Ambo proindè recesserunt: & in Franciam ivit Comes Brenensis; alius verò Romam ad Papam Gregorium IX. Et Imperator, prius 1227. Comitem Thomam, ut Baylivus esset terræ, Ptolomaydam transmisit, qui sua probitate amplioris extitit reputationis, quàm in suo adventu fuerit Imperator. Tunc Alamani, castrum de Monteforti firmare cœperunt. Cum verò adesset tempus, ut secundum præstitum juramentum Imperator transfretare deberet, & dum eo Patriarcha Hierosolymitanus, cepit infirmitate gravari, & datis Patriarchæ Galeis profectus est. Tunc Peregrini, qui Ptolomaydæ Imperatoris adventum expectabant, nolentes torpere otio, Henricum Ducem de Lamborc sibi Capitaneum elegerunt: & habita deliberatione, properant Sagetam, ad firmandum Civitatem, & Castrum, 1227. Cum autem Peregrini pervenissent ad locum, magnitudo operis, ac laboris eos perterruit: mutato proinde consilio in Insula, ante portum duas turres cum muro ædificant: à festo Beati Martini opus inchoantes, & in media Quadragesima terminantes. Medio verò tempore moritur Conradinus Damasci Soldanus, relicto filio Melecer Naser, puero annorum xij. sub tutela Admirati Esedinebehc, qui Dominus erat Castri Saquet. Deinde Peregrini ad firmandum transeunt Castrum Cæsareæ, quod destruxerat Conradinus. Eo etiam tempore Philippus de Ybelyn, qui à morte Hugonis Regis Cypri Baylivus Regni fuerat, mortuus est. Imperatrix verò 1228. enixa est puerum vocatum Conradum, in quo Hierosolymitani Regni jus remansit: eo verò herede relicto, defuncta est.

C A P. XII.

Continet tenuem Imperatoris contra voluntatem Ecclesiæ transfretationem: & quæ gessit in insula Cypri.

SEquenti æstate, Imperator xx. parat galeas ad transfretandum, in sua comitiva habens milites non plures centum. Papa verò Gregorius hæc audiens, per solennes nuntios illi mandat, ut ad mare non transeat tamquam Crucesignatus, donec à sententia esset, quam inciderat, absolutus; essetque per eum de perjurio, quod incurrerat integrè satisfactum: quia tempus transierat transfretandi: transibat prætorea pauperrimè, & non velut Imperator, & non sicut promiserat, & firmaverat juramento. Imperator verò, denunciata parùm attendens, iter assumit. Interim quinque nobiles in Cypro, in destructionem illorum de Ybelyn conspirant; & concurrentes Imperatori in partibus Romaniæ, & contra Dominum Baruti, & Philippum fratrem, Cypri Baylivum, mala plurima retulerunt: asserentes quia si Cyprum caperet, non solum sufficientes expensas haberet, pro sua Curia; sed insuper mille milites inde tenere valeret: Adulatores hii, ac delatores gratè suscepti sunt. Deindè Imperator usque ad Limissum pervenit, & curiales literas valdè, & blandas transmisit Domino de Baruth, vocans eum carissimum avunculum: uxoris enim suæ jam defunctæ avunculus fuerat, ad se rogans cum parvulo Rege venire, suisque filiis, & amicis. Ille amicos consulit super hiis: qui omnes uno corde, & una voce proclamant manifestam Regis subversionem; & quod nullatenus, vel ipsum ponat sub Imperatoris fortia: quia licet melleis utatur verbis, jam tum patebat cordis, & operis pravitas: Respondeat tamen Curialibus verbis, quia tam ipsi, quam tota Cypri possibilitas prompta, & parata erit, ad suum honorem, in Dei servitio, & auxilio Terræ Sanctæ. Dominus Baruti respondit: quia fidele, & amicabile consilium tribuissent; sed magis eligebat capi, aut mori, aut pati quæcumque permitteret Deus, quam dici posset aliquando propter se impeditum fore Dei, ac Terræ Sanctæ Promissionis negotium. Congregans itaque amicos, milites, & equites insulæ cum parvulo Rege, liberisque, ad Imperatorem profectus est; se suosque in manibus ejus ponens. Imperator magnum ostendens gaudium, mutare jubet nigras vestes propter Philippi de Ybelyn fratris sui necem; & pro novis indumentis donat petias de Scarleto, ad crastinum invitans prandium; facto prandio, manifestis factis, qui latebant armatis;

tis, Imperator ad Dominum Baruti faciem dirigens, alta voce ait, quod duo requirebat ab eo: primum erat, ut redderet sibi Baruti Civitatem, & Castrum; quia id rationabiliter non teneret: secundò verò, quia ipse parvuli Regis, qui xj. erat tantùm annorum, & Regni erat Baylivus, propterea studeret reddere quecumq; perceperat à morte Regis Hugonis, citra jam decem annis elapsis, secundum consuetudinem Curiæ Alamannorum. Illo verò quasi per solatium verba dissimulante, Imperator, imposita manu Capiti, per Coronam protestatus, se super hiis assecuturum intentum, aut protinus caperetur. Tunc surgens Dominus Baruti, clara, altaque voce fatus est, Barutum teneo ritè, jure Regina enim Isabella, soror mea, & filia Regis Almerici cum viro suo Henrico, id mihi donavit, pro cambio Conostabliæ, quando destructum à Christianis fuerat reinventum: in tali quoque statu erat, quod Hospitalarii, Templarii, ac Barones illud neglexerant; illud igitur meis reædificavi sumptibus, ad Christianitatis honorem meis defensavi laboribus, & æquo jure possideo. De Baylivatu verò, me fateor nihil habere. Tunc iratus Imperator, multas protulit minas: ille verò respondit; Quando habui consilium Nichisio, prædicta sunt mihi hæc omnia: & ego disposui, pro Christi amore, & meo honore, omnia sustinere: Imperator tunc plurimum turbatus, pluries in facie mutavit. At Religiosi honestique viri, mediatores effecti, ad hanc formam reduxere negotium: ut datis obsidibus xx. valvassonibus, duobusque filiis, Dominus Baruti de Baylivatu, staret judicio Curiæ Regni Cypri; & de Baruto, judicio Curiæ Regni Jerusalem. In crastino Dominus Baruti informatus est, quòd prædicta conventione Imperator minimè contentus, ipsum personaliter vellet habere; ille proindè suos arma capere jubet, & Nicosiam profectus est. Imperator eum obsidet; & iteratò, eo pacto conveniunt: ut donec Rex parvulus legitimam ætatem impleat, annum, scilicet, xxv. Imperator Regni percipiat redditus: & pro Beritò, à Joanne Domino Beriti, homagium recipiat, salvis quæstionibus, quas sibi vellet opponere in Curia Regni Hierusalem.

C A P. XII.

Continet gesta Imperatoris in Terra Promissionis, & treguarum formam.

FRedericus igitur in proposito remissus, indè recedens, Ptolomaydæ applicuit; repetitque Peregrinos, qui Cæsareæ Castro reædificato redierant; nulloque mandato retinere valuit abeuntes: rectè enim ipsius contemnitur Imperium, qui superioris sui noluit observare mandatum. A Ptolomaydo verò ad castrum Cordanæ processit, quod in capite fluminis antedictam Urbem fluentis situm est. Indèq; Nuntios ad Soldanū Melec Equemel transmittit Ballanum Dominum Tyri, & Thomam Comitem de Lacherne, qui magna portantes munera, dicerent, salutatione præmissa: qui eum vult pro fratre habere, ac familiari amico; ni pro eo remaneat; sciatque se nequaquam transfratasse acquirendæ Terræ cupiditate allectus, cujus districtus posset quamlibet concupiscentiam satiare. Sed Sanctorum locorum gratia, & Regni Jerusalem, quod olim possederant Christiani; quodque suo filio jure hereditario debebatur: & si hæc pacificè reddat, pacificus erit successus: parcendum subjungens effusioni sanguinis multæ gentis. Soldanus verò apud Neapolim castrametatus, & in societate habens fratrem, Melec Elassarazo, & equitum vij. millia, peditum quoque copiosam multitudinem, benè receptis nuntiis dedit munera: dicens, quia Imperatori per suos Nuntios responderet. Interim duo fratres minores Patriarchæ Jerosolymitano litteras præsentant ex parte Summi Pontificis, ut Imperatorem excommunicatum, & perjurum denuntient: prohibentur quoq; Hospitalarii, Templarii, & Alamani, illi attendere, vel in aliquo obedire. Soldanus igitur attendens pauperrimum Imperatoris adventum, Peregrinorum recessum, discordiam ipsius cum Ecclesia, & processuum promulgationem novam in partibus Orientis, factum illius modicum adpretiatus est. Nihilominus Nuntios destinavit, qui dicerent, ut Imperator de affectione amicabili, & fraterna, quam Soldano transmiserat, quid intenderet, aperiret. Quod verò de Terra Hierosolymitana petebat, Soldanus nimirum ponderabat, non propter terræ valorem; sed quia res illicita peteretur: Nam tantùm reverebantur Saraceni Templum Domini, quod est domus Dei, quantùm Christiani Sepulchrum Jesu Christi, & illuc undique confluebant: posset q; illi imponere Calypha, quòd suæ legi fieret illegalis. Post hæc Imperator inquirit, quid ergò intendebant offerre? Illi respondent, nihil super hoc commissionis habere: putant tamen, nuntiis ipsius, si transmittantur, rationabilia offerenda. Tunc Elephantem, & Camelos cursores, & Animalia Arabica Imperatori inter cætera munera obtulerunt. Imperator hiis auditis, prædictis Nuntiis dona dedit, & cum ad Soldanum priores transmisit Nuntios: & cùm putarent Neapoli loqui Soldano, responsum accipiunt, ut post Soldanum

ire

ire debeant usque Gazam : quo audito Imperator intellexit sibi illudi ; & quia Soldanus sic tempus redimeret. Et convocatis principalioribus Civitatis, & Peregrinis, ac militibus trium mansionum : ait, quòd vellet procedere ad firmandam Japbam, ut proximior fieret Jerusalem, essetque via tutior : eosque secum proficisci requirit : Cunctis autem annuentibus, Magistri Hospitalis S. Joannis, & Templi, responderunt, quia à Summo Pontifice, cui obedire volebant, erant prohibiti ei obsequi, vel parere : pro utilitate tamen Terræ. & Populi Christiani, parati erant juxta alios pergere, dummodo præcepta, vel banna ex parte sua nullatenus proclamentur : Sed absque illis usque ad flumen processit de Monder, quòd labitur inter Cæsaream, & Arsur : illi verò à longè sequebantur. Tunc Imperator advertens periculum separationis hujus, eos exercitui reunivit, assentiens banna proclamari ex parte Dei, & Christianitatis, suppresso Imperatoris nomine : & pervenientes ad locum, Castrum reædificare cæperunt. Dum hæc aguntur, in corde hyemis, apto navigio, secretus Nuntius ad Imperatorem accedit : nuncians quod Summus Pontifex magnum paraverat exercitum ; jamque Sanctum Germanum cæperat, & versus Capuam veniebat : & quòd Civitates, & Castra multa, illi se dabant ; & quòd Joannes, Rex quondam Jerusalem, & Thomas Comes de Calam Capitanei erant exercitus. Tunc perplexus Imperator considerat periculum amittendi Regnum Siciliæ, & propter suum recessum imminere grande periculum, & opprobrium Christianis in dispendium Terræ Sanctæ : recessum quoque qualitas temporis prohibebat. Studuit proindè cum Soldano treuguas ad statum pristinum reducere : Superadditis Christianis, Jerusalem, Bethlehem, Nazareth, & casalibus, quæ sunt in via sive recto itinere usque Jerusalem, & Terram Thoroni, & ad Sydonem pertinentia, quæ Saraceni tenebant : retinuit tamen Soldanus in Jerusalem Templum Domini, id quod in circuitu comprehendit : Ascenditque Imperator Jerosolymam, & positam coronam super majus Altare Ecclesiæ Sepulchri accipiens, capiti suo imposuit, nullius Prælati, aut Clericalis dignitatis benedictione accepta, nec solemnitate Divini officii celebrata : deinde Ptolomaydam rediit, & disposita Civitate clam recedens, per Cyprum Brundusium properavit 1229.

EX CAP. XVI.

Continet transfretationem Riccardi, Comitis Cornubiæ : translationem quoque Regni Jerusalem in Reginam Aylisiam.

EO tempore, quo (Superiori Capitulo) Peregrini erant Ptolomaydæ, Regina Aysilia nupsit Rodulfo fratris Comitis Alsfonis, qui post desponsationem, non sine multorum conniventia, petiit pro consorte Regnum gubernare Jerusalem, quia illi jure, ut dicebat, hæreditario obveniret. Hoc etiam Regina supra petiit Cap. xij. Congregati homines de Regno, requisitioni deliberato respondent consilio : quia Regina Isabella, quæ nupsit Imper. in Apulia, Conradum reliquit filium : & illi jus Regni ritè hæreditario jure cedit : Sed quia nec aderat, nec interesse voluerat, Reginam Aylisiam, pro Domino recipiebant ; illique Regni gubernacula conferebant : feceruntque homagium viro suo, salvo semper jure Conradi prædicti. Consequenter autem contigit, ut Riccardus filius Augeri, Marescalcus Imperatoris ab eo vocatus, Tyrum custodiendum fratri relinqueret. Balianus verò Ybelyn, Baruti Dominus congregatis auxiliis à Ptolomayda recedens, Civitatem, aggreditur, & obtinet. Apuli ad Castrum currunt : tempestuosum tempus Riccardum ad Portum Tyri impellit, pro cujus redemptione castrum Baliano redditur. Post captam Civitatem Rodulphus consors Reginæ, qui in regimine parvi erat momenti, Tyrum adveniens cum Regina, petiit Civitatem suo subdi dominio : victores autem respondent, quod illi Civitatem minimè assignarent ; sed diligentiùs custodirent, donec clauesceret cui de jure assignari deberet. Videns autem Rodulfus prædictus, quia ut volebat regere non valebat ; sed propinqui Reginæ ad libitum omnia pertractarent, uxore dimissa, cum Rege abscessit Navarræ, Comite Britaniæ, cæterisque Crucesignatis. . . . .

EX EODEM LIBRO PARTE XII. EX CAP. X.

Continet passagium, & mortem S. Ludovici Regis Franciæ in Tunitium : & formam pacis inter Carolum Regem Siciliæ, & Regem Tunitii.

REquiritur proindè frater ejus, Carolus, Rex Siciliæ, ut in auxilium vadat fratris, & Populi Christiani : profectus autem Rex, in Garbum castrametatus est, in loco qui dicitur Certacarne. Ibi Joannes Tristanus infirmari cepit, & mortuus est ;

est; post eum Legatus: post aum S. Rax Ludovicus, qui dum infirmaretur Dominum laudare uon cessans, orationem illam sæpè intersarabat; Fac uos, quæso, Domino pro amore tuo prospera mundi daspicere, & nulla ejus adversa formidara...... Post mortem verò Baati Ludovici, advaniana frater ajus Rax Siciliæ, erectis Machinis, ac præparatis bellicis iustrumentis, per terram, & per aquam Tuuitium expugnare disponabat; sed propter epidimiam jam dictam, cum Rega Tunitii composuit; acceptâqua magnâ summa pecunię propter expensas, quas Reges ibi fecerant, exercitum ducit in Siciliam, ubi Rex Navarræ mortuus ast. Et cùm pervenissant ad Portum Trapanitanum, exorta tempestate Navigia aonfracta sunt: & exereitus per terram rediit. Inter cæteras verò pacis convantiones, promisit Rex Tuuitii cunctos Christianos captivos dimittere: &quod Monasteriia ad honorem Christi in omnibus Civitatib. Ragni illius cōstitutis, fidē Christi per Prædicatores, & Minores, & quoscumq; alios liberè prædicari sinaret, & baptizari voleutium nullum impediret; Regiq; Carolo prædicto tributarius factus est.

CAP. XV.

Continet finem litigii in Ramana Curia inter Regem Cypri, & Damicellam Mariam; & qualiter dicta Maria jura sua donavit Carolo Regi Siciliæ.

REx Cypri, antequam de Tyro recedaret, de Nuntiis ordinat trasmittandis ad Occidentalas Reges, & Principes, maximè ad Papam, & Cardinales, qui inobedientiam deuuntient aorum, qui Ptolomaydæ commorantur: orans ut de eis, ac Regni Jerosolymitaui statu adhibeant salubre remedium. Maria verò prædicta; quæ Romanam Curiam continuè sequabatur, supra Cap. xiij. valut hæres, petitionam de obtinendo Ragno Jerusalem assiduè prosequans, per Templi Nuntios superiùs narrata cuncta cognoverat. Raquirit proindè, more solito, ab Episcopo Albanensi, qui Judex fuerat institutus, jus sibi decerni: Procurator verò Regis Cypri excipit; secundom morem, afferens, quod litigium de Regno Jarusalem non pertineret ad Romanam Curiam, nec de hoc inibi tenebatur in aliquo respondere: pertinebat autam ad Barones Regni de hujusmodi judicare. Domina verò exceptionam accaptat tamquam legitimam, rogatque Judicem, cæterosque Domiuos Cardinales, & præsentas Prælatos, ut sibi per manum publicam datur exceptio aorum, muuita sigillis: annoitur petitioni; & à Romana Curia quæstio totalitar summota est. Post hæc verò prædicta Domina, 1277. perfecit, quod aate tractaverat, & coram pluribus Cardinalibus, & Prælatis, & majori parte Curiæ donavit. Tamquam hæres legitimus Regni Jarusalam, sicut pluries ostansum, & declaratom fuerat, per Judices Dominos lagum, Magistros decretorum, Advocatos, & Sapiantes, omnia quæcumque jura babebat, & habera poterat iu Ragno, & de Ragno prædicto, Carolo Ragi Siciliæ: prædictus verò Rex donationem præfatam recepit: & facta sunt iustrumanta dictæ donationis, per plures publicos Notarios, roborati nihilominus sigillis plurium Cardinalium, ac Prælatorum, qui personalitar præfato interfuere negotio. Deinde prædictæ Dominæ Rex possassiones, & cætera dadit donaria, quibus illa maritò contenta fuit: Sicque Regni Jarusalam jus ad Ragam Carolum dovolutum est. Adrianus verò Papa, magnum ostendit affectum ad succursum Terræ per Gragorium inchoatum: & misit Patriarchæ xij. millia librarum Turonensium, pro Galeis construendis, vel aliis, magis bonorum virorum judicio opportunis: suisque litteria multum confortavit Incolas Tarræ Sanctæ, & ad spem erexit magni auxilii: sad in Pontificatu vixit non ampliùs 39. diebus.

CAP. XVI.

Continet adventum Baylivi in Ptolomayda pro Rege Carolo, & qualiter Cives fecerunt illi homagium.

MIttitur itaqua, ex parte Regis Caroli, Rogarius Comas S. Savarini Baylivis Ragni Jerusalam, & applicuit Ptolomaydæ cum sex Galeis 1277. 7. dia Junii. Statim autem in adventu ipsius, Balianus de Ybelyn Dominus Arsuf, avacuato castro illi cessit. Ille varò cum suis castrum intrat, sumitque tarræ Dominum, cum auxilio Tamplariorum, suorumque complicum. Tunc verò mortuus est Gulielmus de Rosseylon, inibi Capitaneus super gentem Regis Francorum. Tunc etiam intar Venetos, & Tyri Dominom pax reformata est, procuratione dictorum Templariorum, sub Baylivatu Albertini Morosini, inchoata sub ajus præcessore Domino Johan Dandulo, & recuperavarunt tunc Venati jus in tartia parte Tyri, quam habebant ratione conquisitionis ipsius, & diù possaderunt: sed Dominus Philippus de Monteforti, jus suum illis abstulerat, propter guerram, quam cum Januensibus habuarant: *suprà Cap.* V. Moritur quoq; tunc & Balianus prædictus. Apto post tempore Rogarius Baylivus, pro Rege Carolo pluries raquisivit milites, qui arant Ptolomaydæ, ut sibi pro Rege homagium face-

facerent. Illi se Regi Cypri ajebant fecisse homagium: ideo non poteraat sibi homagium facere, nisi ab eo obtenta licentia; vel nisi eis deficeret in quibus jure regio tenebatur. Et cum ad Regem Cypri sæpiùs transmisissent, ille responsis suis, nihil aliud quàm tempus redimebat. Tandem Comes eis peremptoriè mandat, ut Feuda dimittaat, hospitia, & universa bona sua, vel ei homagium faciant. Tunc interventione Magistri Templi obtinuerunt, ut adhuc semel ad Regem Cypri mitterent: & non habito sufficienter responso, dicto Comiti loco Regis Caroli fecerunt homagium: ipseque Comes similiter juravit, juxta Regni sita, quod debuit. Deinde fecit Senescalcum, Conestabulum, Marescalcum, Vicecomitem, & cæteros Officiales, secundum Patriæ morem. Requisitus etiam Princeps Antiochenus, ut faceret homagium, missis idoneis procuratoribus, debitum Regi Carolo fecit homagium.

EX LUITPRANDI TICINENSIS HISTORIA EXCERPTA.

DE EODEM.

LUitprandus, sive Liutprandus Ticinensis Diaconus, postea Cremonensis Episcopus, multæ ex eruditione, & prudentia auctoritatis Vir, scripsit Historiarum Libros sex de Rebus in Europa suo tempore gestis. Desiit ad Annum 964.

CAP. XII.

De Maurorum Saracenorum irruptione in Calabriam, Apuliam, Beneventum, qui Garelianū Montem, quem alii Garganū scribunt, pro munitione habebant. Et qua occasione ab Africa exierint, Domino id permittente.

EOdem tempore Saraceni ab Africa ratibus exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneventum, Romanorum etiam Civitates ita occupaverunt, ut unamquamque Civitatem mediam Romani obtinerent, mediam Africani. In Monte quippe Gareliano munitionem constituerant, in quo uxores, captivos, parvulos, omnemque supellectilem satis tutò servabant. Nemo etiam ab occasu, sive ab arcturo, orationis gratia ad Beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his aut non caperetur, aut immodico precio dato dimitteretur. Quamvis enim misera Italia multis Hungarorum, & ex fraxineto Saracenorum cladibus premeretur, nullis tamen furiis, aut pestibus sicut ab Africanis agitabatur. Fertur autem eos hac occasione ab Africa exivisse, atq; Italiam adiisse. Leone atque Alexandro Imperatoribus Augustis hominem exeuntibus, Romanus (ut latiùs sumus dicturi) cum Constantino, qui nunc usque superest, Leonis Imp. filio, Constantinopolitanum regebat Imperium. Et sicut fieri assolet, primo, quo Romanus suscepit Imperium, anno, nonnullæ ei gentes, præsertim Anatolites, hoc est Orientales, visæ sunt rebellare. Factum est autem dum Imper. exercitum ad expugnandas eas transmitteret, Apuliam, & Calabriam, binas Regiones, quæ ei tunc temporis serviebant, huic rebellasse. Quumque Imper. maximis Orientem versus copiis directis, exercitus huc multitudinem destinare non posset; rogavit primò, ut ad sui fidelitatem pristinam spontè redirent. Qui cum renuerent, atque hoc se facturos minimè dicerent, ad Africanum mox Imper. dirigit Regem, cum precio rogans, ut se adjuvet, virtutisque ejus auxilio Apuliam sibi atque Calabriam subdat. Hac ex legatione Rex Africanus accitus, innumerabiles ratibus copias in Calabriam, Apuliamque direxit, binasque has Regiones Imperatoris dominatui potentissimè subdit. Sed dum processu temporis has Regiones dimitterent, Romam versus aciem giraverunt, Montemque Garelianum maxima pro tuitione sibi vendicaverunt, multasque munitissimas Civitates debellantes vi ceperunt. Dominus verò noster Jesus Christus coæternus, & consubstantialis Patri, Sanctoque Spiritui, cujus misericordiæ plena est terra, qui neminem vult perire, sed omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ne pereant; qui solus Deus ante Mundi constitutionem prævidit, atq; post omnem creaturam quasi Dominum generis utentem, ac dominantem creavit hominem, quemque in fine temporis per sui sanguinis effusionem, verus homo, verusque Deus, non duo, sed unus, redemit, ad amorem sui, propriæque patriæ dilectionem quosdam beneficiis invitat, terroribus alios compellit, non quo sibi, qui nec augmentum bonitate nostra, ut Propheta testatur dicens, Quoniam bonorum meorum non eges, nec detrimentum malitia sumere possit, sed ut nobis prosit. Placuit itaque ei quia beneficiis noluimus, hujusmodi nos ad tempus castigare terroribus. Sed ne Saraceni nobis diutius insultarent, & dicerent, ubi est Deus eorum?

con-

convertis Deus cords Christicolarum, adeo amplior eis pugnandi, quàm fugiendi priùs esset cupido.

EX CAP. XIII.

De quodam juvene Africano, qui ad Papam venit, eiq; consulit, quomodo cum Africanis feliciter pugnare posset: quod eodem Duce factum est.

HOc igitur Sanctorum Apostolorum Vicario constituto, Pœni, ut præfatus sum, Beneventum, Romanasque Urbes miserè laniabant. Accidit itaque Pœnorum quendam juvenem injuriis lacessitum, Pœnos deserere, & ad Joannem Papam advenire, tactumque divino spiramine Papam ita convenisse: Sacerdos magne, si saperes, populum, terramque tibi subjectam à Pœnis tam graviter laniari non sineres. Elige igitur juvenes nimia quasi mobilitate volipedes, qui me imperatorem, præceptorem, dominum æquanimiter audiant. Horum neminem præter singulas parmas, singulasque pilas, ensesque singulos, & simplices vestes cum exiguitate obsonii habere præmittito. Sexaginta denique hujusmodi inventis, sibique traditis, adversum Pœnos properat, latuitque secus angustas, qua Pœnorum iter erat, vias. Quumque circumcirca sæpiùs, & iterum Pœni depopulantes redirent, clamore cum maximo ex improviso atque insperato ex insidiis prosilientes, eos faciliter trucidabant. Clamor ex ore, ictusque simul à manu processerant, Neque enim Pœni, qui quidve esset, prius scire poterant, quàm istorum spicula horum corporibus inherebant. Hac denique fama, hocque exercitio nonnulli Romanorum acciti, plurimis in locis Pœnos prostraverant, callidoque hoc Africani consilio attriti, Civitates pænitùs, rupto inter se fœdere, deserebant; solumq; Garelianum Montem sibi pro munitione deligebant.

CAP. XIV.

De consilio Landulfi Beneventanorum Principis Joanni Papæ dato, ut Imperatorem in auxiliú advocaret: cujus auxiliis fretus, feliciter cum Saracenis pugnatú est, D. Petro, & Paulo opitulari visis.

JOanne itaque, ut præfatus sum, Papa constituto, Landolfus vir quidam strenuus, bellorum exercitio doctus, Beneventanorum, & Capuanorum omnium Princeps clarebat. Pœnis igitur statim Reipub. labefactantibus, Landulfum hunc Principem egregium, quid super re hujuscemodi faciendum esset, quam Africani agunt, Joannes consulit Papa. Quod Princeps ut audivit, Papam per interuuncios ita convenit. Res hæc, Pater, palam magnis est investiganda consiliis: mittito itaq; ad Græcorum Imper. cujus & ipsi, quæ cis mare est terram, sicut & nostram, depopulari non cessant. Camerinos etiam, Spoletinos nostrum ad auxilium invitato, ineamusq; protectore Deo, cum his bellum; si vincimus non multitudiei, sed Deo imputetur victorie: Si verò vicerint Pœni, peccatis nostris, & non inertiæ deputetur. His auditis, Papa confestim Nuncios Constantinopolim dirigit, suppliciter Imperatoris auxilia sibi dari deposcens. Imperator verò, ut vir sanctissimus, Deumque timens, copias absque mora classibus advehendas direxit. Quumque per Garelianum flumen conscendereet: affuit & Papa Joannes cum Landulfo pariter Beneventanorum Principe potentissimo, Camerinis etiam, atque Spoletinis. Horrida denique inter eos pugna exoritur. Verùm dum Christianorum partem Pœni prævalere conspicerent, in Gareliani Montis summitatem confugiunt, angustasque tantùm vias defendere moliuntur. Ex parte verò illa, qua difficilior erat ascensus, Pœnisq; ad fugiendum aptior: Græci castrum die illa constituunt, in quo residentes Pœnos ne fugerent observabant, quotidièque oppugnantes non mediocriter trucidabant. Græcis igitur Latinisque quotidiè confligentibus, Deo miserante, Pœnorum ne unus quidem superfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut vivus continuò caperetur. Visi sunt autem à Religiosis Fidelibus in eodem bello Sanctissimi Apostoli Petrus, & Paulus, quorum precibus Christianos credimus meruisse, quatenus Pœni fugerent, & ipsi victoriam obtinerent.

Hæc facta sunt Anno Domini 915. ut ex Leone Ostiensi, supra allato, fol. 76.

EX WIPPONE DE VITA CONRADI SALICI IMPERATORIS EXCERPTA.

DE EODEM.

W*ippe, seu Vipo Præsbyter, floruit Imperante Henrico III, circa Annum 1040. Primus illum edidit Joannes Pistorius inter Scriptores de Germanorum Rebus.*

Quod Imperator in Apuliam venit.

ANno 1038. Facta igitur pace inter Romanos, & Theutonicos, Imperator in Apuliam concessit: & Beneventum, & Capuam, ac reliquas Civitates illius Re-

gionis

gionis seu vi, sive voluntaria deditione, sibi subjugavit: & Normannis, qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi, in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, & ad defendendos terminos Regni adversus Græcorum versutias, eos Principibus suis coadunavit. Cunctis rebus ritè, & prosperè sibi cedentibus, Imperator reversus, præteriens Romam, iterum Italiam pertransiit.

EX OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS CHRONICO EXCERPTA:

DE EODEM.

Otho Patria Austriacus, Henrici IV: Imp. ex matre nepos, Conradi Imper. frater, Friderici Ænobarbi item Imperatoris Patruus. Nil mirum proinde si acri stilo contra non confœderatos suis Principibus insectetur. Primum Monachus, dein Abbas Cisterciensis, postremò Episcopus Frisingensis eligitur. Anno 1144. fratri Conrado Imper. expeditionem in Palestinam moventi Comitem se adjunxit. Demum Anno 1156. deposito munere Episcopali in Morimundense Monasterium iterum secessit, ibique obiit, Anno 1158. Scripsit Chronicon ab initio Mundi ad Annum 1146. Quod Appendice continuavit Otho Monachus Cœnobii S. Blasii, propè Constantiam in Suevia, propterea à S. Blasio dictus, illudque ad Annum 1210. perduxit.

Ex Cap. 33. Sexti Libri.

EA tempestate Normannorum gens inquietissima, Roberto Guiscardo Duce, humilis conditionis viro, sed strenuissimo, Apuliam arripuit, multisque malis, fraude, & vi incolas terræ afflixit. Quos cum Leo Papa cum militia ad Urbem rediens, Ecclesiæ, & Imperii finibus coercere vult, commisso prælio, cæsis multis fugere Beneventum compellitur. Tanta verò strages utrorumq; ibi facta fuit, quod acervus ex ossibus mortuorum compactus, hactenus ab indigenis illic monstratur. Anno dehinc proximo Leo Papa moritur, & in Ecclesia Beati Petri Romæ humatus, miraculis clarus habetur. Cui Gebeardus Eistetensis, qui & Victor, successit, & illi Stephanus item Natione Theutonicus. Imperator rursum Italiam ingressus, Beatricem Mathildæ matrem, consanguineam suam, marito suo Bonifacio Marchione defuncto, secum reduxit. Ipse verò non multo post in termino Saxoniæ, & Thuringiæ, in loco qui dicitur Botfeld, infirmatus, publicè culpas suas recognoscens, XVII. Regni sui, Imperii verò XI. anno diem ultimum clausit, ac juxta patrem humatus est. Cæterum tam ejus, quàm Patris sui actus, & virtutes Hermannus contractus in libello quodam, quem ipsi destinavit, luculenter satis disseruit.

Ex Cap. 18. Libri Septimi.

NOn multo post honorio mortuo, gravissimum schisma in Ecclesia Dei oritur. Innocentio canonicè electo, sed Petro Petri Leonis filio, violentia amicorum suorum, qui fortissimi in Urbe erant, favente sibi Rogerio Siculo, intruso, cui dum Innocentius resistere non valeret, Urbe cedit, transcensisque Alpibus Gallias ingreditur, ubi apud Claramontem Concilium celebrans Nuncios Lotharii . . . . . obvios habuit. Indeque apud Leodium Synodum Episcoporum convocans, Regem Lotharium ad defensionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ invitavit. Qui nihil cunctatus . . . . auxilium Romanæ Ecclesiæ promittit. Reversoque in Italiam Summo Pontifice, sequenti anno . . . . exercitum per vallem Tridentinam in Italiam duxit . . . . ad Urbem usque progreditur . . . in Ecclesia S. Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, à Summo Pontifice Innocentio coronatus, Imperatoris, & Augusti adeptus est nomen. Nempè Ecclesiam B. Petri, ubi mos coronari erat Imperatoribus, Petrus eo tempore occupaverat.

Ex Cap. 19. ejusdem Libri Anno 1137.

IMperator ab Urbe rediens, Germaniam ingreditur; non multo post generalem Curiam Bambergæ circa mediam Quadragesimam celebrans . . . . expeditionem rursum in Italiam edixit . . . . Post hoc exercitum copiosum, & electum per vallem Tridentinam secundò in Italiam duxit . . . . *Illinsque Urbibus, & Castellis in deditionem acceptis* . . . . Dehinc contra Rogerium aciem dirigens, Campaniam, & Apuliam peragravit. Porrò Henricus Noricorum Dux, gener Regis, Tusciam exercitum ducens, Summo Pontifici usq; ad Imperatorem conductum præbuit. Augustus verò tam fortia in Apulia ac Campania gessit, ut nullus ex Francorum Regibus, à Carolo Magno usque ad id temporis, tanta ibi fecisse inveniatur. Deniq; non solum Civitates, utpotè Capuam, Trojam, Salernum, Barletum, Barim cepit, verùm etiam munitissima Castra, & arces inaccessibiles expugnavit. At Henricus

Dux

Dux cum militia Boritariorum Beneventum cepit, ac Papæ restituit. Nam apud Albam Suburbia Civitatis sibi resistere nitentia, ante expugnaverat, ac destruxerat.

C A P. XX.

De fuga Rogerii, & substitutione Reginaldi. De lite Romani Pontificis, & Imperatoris, morteque Lotharii.

MOrante in Apulia Imperatore, Rogerius cum eum auri, & argenti multo pondere attentatum flectere non potuisset, exercitum longè copiosiorem congregat, seque publico bello confligturum cum eo denunciat. Imperator verò, erat armis strenuissimus, & imperterritus, militem instaurat, aciem ordinat, eosque respectu genuinæ fortitudinis, ac innatæ hostium ignaviæ, nulla inimicorum multitudine frangendos denuncians, præsertim cum in extera remotaque Regione positi, ad patriam fugere nequeant, ac contra Tyrannum non solum Regni, sed & Ecclesiæ hostem, & excommunicatum, justè arma sumpserit, ad bellum confortat. Cumque in occursum ejus procederet, fractus animo Rogerius fugit, ac ad Montana se contulit. Imperator verò occurrente sibi Summo Pontifice Innocentio, Barram usq; progreditur, ibique à Civibus cum magno gaudio susceptus, castrum quoddam ibi positum, ubi præsidia Rogerii erant, artificiosè valdè expugnavit, militesque ibi repertos, & præcipuè Sarracenos, patibulo suspendit. Itaque Augustus ejecto de Campania, & Apulia Rogerio, dum eum in Calabria quoque, seu Sicilia persequi intentat, à suis, qui jam longo tempore, extra patriam morati, uxores liberos, & amicos visere cogitabant, revocatur. Rogerio ergo hoste judicato, Reginaldo viro forti, ac nobili, Ducatus Apuliæ relicta sibi parte militum traditur: & sic Princeps victor de reditu disponit. Verùm silentio præterire nolumus, quòd in dando Ducatu, inter ipsum, & Romanum Pontificem penè controversia orta fuit, utroque Ducatum Apuliæ sui fore juris affirmante: quæ lis consilio tandem hoc modo decisa dicitur, ut in dando Duci vexillo utrique manum adhiberent.

Igitur Lotharius ex Italia rediens, apud Tridentum morbo correptus, in ipsis Montibus in vilissima Casa Imperator potentissimus, miseram humanæ conditionis relinquens memoriam, XIII. Regni sui, Imperii verò VII. anno, plenus dierum obiit. Futurus nisi morte præventus foret, cujus virtute, & industria corona Imperii ad pristinam dignitatem reduceretur.

EX CAP. XXII. . . . .

. . . . . Porrò post egressum Imperatoris Lotharii, Rogerius Apuliam recipere gestiens, congressu cum Reginaldo Duce habito, in fugam vertitur. Petrus quoque Leonis moriens, pessimum schisma terminavit.

EX CA. XXIII. LIB. VII.

EA tempestate, Reginaldo mortuo, Rogerius Apuliam, Rectore suo destitutam, ingreditur; expulsisque cum multis nobilibus Reginaldi fratre, ac Principe Capuano, tam ipsam, quàm Campaniam recepit, ac multis malis incolas ejus afflixit, & usque hodie premit. Beati etiam Benedicti Monasterium in Monte Cassino positum, totique orbi venerabile, multis Ecclesiasticis ornamentis immaniter spoliavit. Tradunt eum in prima irruptione, ac Barensis Urbis expugnatione, crudele, & inhumanum piaculum perpetrasse. Capta quippe Urbe, non solum vivos diversis tormentorum generibus affecit, sed etiam in mortuos sæviens, Reginaldum Ducem, ac Brunonem Archiepiscopus effossos, per plateas trahi jussit. Hæc & alia crudelitatis opera, ad antiquorum Siculorum formam tyrannorum, quæ Indesinenter de ipso audiuntur, quia penè cunctis nota sunt omittimus. Sunt tamen qui dicant, eum hæc potius intuitu justitiæ, quàm tyrannidis exercere; ajuntque iplum præ omnibus Principibus pacem diligere, pro qua conservanda, volunt eum tanta severitate rebelles cohibere. Alii verò amore pecuniæ, qua etiam omnes Occidentales Reges excessit, plusquàm justitiæ, pacem eum sectari dicunt.

EX EJUSDEM OTTONIS FRISINGENSIS LIBRO I. DE GESTIS FRIDERICI I. IMPER. EXCERPTA.

C A P. III.

Quomodo Robertus Guiscardus cum Romanis Campaniam, & Apuliam occupavit.

RObertus iste ex mediocri stirpe in Nortmannia, ex eorum militum ordine, quos Vavassores vulgò ibi dicere solent, in plaga quam Constantiam indigenæ dicunt, editus, cum Regerio fratre tam Patri, famis tempore, morem (ut ajunt) gerens, quam ob locorum sterilitatis molestiam, à natali solo progressus, multò tempore multas Provincias, opportuniorem ad inhabitandum terram quærens, oberravit; unde

unde & ab oberrandi circuitu, patria lingua Guiscardus, tanquam oberrator, vel gyrator appellatus est. Cum ergo non paucis (ut dictum est) diebus, multarum Regionum gyrator existeret, à citeriori Italia, quæ modò Apulia, seu Calabria dicitur, tandem excipitur. Quam dum à Longobardis possessam, inertia plebis inhabitatione tamquam industriæ defensionis vacuam inveniret, remissis in Galliam Nunciis, expositaque locorum idoneitate, ac gentis inertia, ad expugnationem earem Provinciarem consocios invitavit. Et ne multis detineat, virtute, dolo, arte, ignavi populi victor existens, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ ad ultimum possessor inventus est. Reliquit autem Rogerio fratri ex parte sui Comitatum Siciliæ tenendum: ipse verò Ducatum Apuliæ cum Calabria sibi retinuit. Hujus filius, qui multa postmodum tam in Græcia, quàm in cæteris Orientis partibus fortia, & gloriosa gessit opera, Boimundus fuit. Fratris verò sui Rogerii, Rogerius, qui postmodum regium nomen usurpavit, natus erat: hujus qui in præsentiarum est Guilelmi pater. Sed hæc hactenus.

CAP. XXXIII.

Quomodo Rogerius triremes in Græciam destinat, captis atque expugnatis quibusdam Civitatibus, ac arcibus, captivos abducens.

Circa idem tempus An. 1153. Rogerius Siculus, aptatis in Apulia, Calabria, Sicilia; triremibus, & biremibus, quas modo galeas, seu sagittas vulgò dicere solent, eisisq; navibus bellicis oneratiis, classem in Græciam destinat, præfectis eis Ducibus strenuis, & in navali prælio gnaris. Armatis itaque navibus Græciæ fines ingrediuntur, ac Mutino sine impedimento, graviqve negotio capto, ad Gui fol usq; fortissimum Græciæ castrum procedunt. Quod dum nulle capere vi prævalerent, ad dolos & ingenia se vertunt. Igitur præmissis quibusdam, ut dicitur, qui se quempiam mortuum humandi gratia deferre simularent (est enim in prædicta arce castri, sicut Græcis mos est, Congregatio Clericorum, seu Monachorum) idem castrum irruunt, arcem occupant, Græcis ejectis, præsidiisque suis ibidem locatis. Inde ad interiore Græciæ progressi, Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres, expugnant; ac maxima ibidem præda direpta, opifices etiam qui sericos pannos texere solent, ob ignominiam Imperatoris illius, suique Principis gloriam, captivos deducunt, Quos Rogerius in Panormo Siciliæ Metropoli collocans, artem illam texendi suos edocere præcepit: & ex hinc prædicta ars illa, priùs à Græcis tantum inter Christianos habita, Romanis patere cœpit ingeniis: Sed ut ad id, unde paulisper digressi fuimus, stylus redeat, de pacis serenitate, quæ post hanc orbis conflictationem, contra multorum opinionem subito reluxit, breviter aliqua dicenda essent......

EX OTTONIS A S. BLASIO, AD OTTONEM FRISINGENSEM APPENDICE, EXCERPTA.

Ex *Cap.* 28. Anno Dominicæ Incarnationis 1186. Fridericus Imperator. missis legatis ad Willelmum Siciliæ Regem, filiam Rogerii, sororem ejus filio Henrico Regi desponsari fecit, ac per hoc Regnum Siciliæ, cum Ducatu Apuliæ, Principatuque Capuæ Henrico Regi dotis nomine, post mortem à Socero de legato recipiens, Romano Imperio restituit, quod post mortem Lotharii quondam Imperatoris, à Rogerio, capto Papa Innocentio, regioque nomine ab eo extorto, Imperio ablatum fuerat. Igitur sexta vice cum maxima Principum frequentia Italiam ingressus, rogentibus Mediolanensibus, ut in signum adeptæ Imperialis gratiæ, nuptias filii apud Mediolanum celebraret, ad recuperandum Imperio eorum obsequium, cujus viribus admodum attriti erant, consensit, omnibusque Italicis Baronibus generalem Curiam apud Mediolanum indixit. Ad quam Curiam de Cisalpinis Regionibus, ac de omni Italia, Tuscia, Campania, Apulia, Sicilia, coadunati Principes, filiam Willelmi, Henrici Regis sponsam, cum maximo apparatu, regalique pompa, cum Imperatore, & sponso obviam procedentes, suscipiunt, ac cum maximo Regni fastigio nuptias peregerunt.

Ex Capite 37. Anno Dominicæ Incarnationis 1190. Henricus Imperator, ut prælibatum est, à Celestino Papa cum conjuge coronatus, ipsam secum ducens, Apuliam, Siciliamque, mortuo Willelmo possidere volens, in Campaniam cum exercitu divertit, rebellantemque sibi totam terram invenit. Nam mortuo Willelmo Rege, quidam consanguineus ejus de genere Rogerii, Tancredus nomine, tyrannidem in Sicilia, quæ nutrix tyrannorum ab antiquo fuit, sub regio nomine arripiens, cum consensu omnium ipsius terræ Baronum, Civitatumque Imperatori violenter restitit, ipsumque de hereditate conjugis quoad vixit, constantissimè propulsavit. Imperator itaque Neapolim rebellem Cam-

paniæ

paniæ Urbem obsidione vallavit, cunctis in circuitu terræ igne, ferroque vastata. Quò Rex Francorum de Transmarina expeditione rediens, ad eum venit, ipsique confœderatus, honorificè dimissus in Franciam suam redit. Pestilentia itaque exercitum tangente, nihil proficiens Imperator de repatriatione disposuit: in qua mora à quibusdam Baronibus Apuliæ propinquis suis Imperatrix capitur, & cum maxima diligentia custodita, in captivitate detinetur tempore aliquanto. Flebili ergo principio ad obtinendam Apuliam Imperator dehonestatus, sed meliori postmodum fortuna usus, ad Cisalpina regreditur, facta prius Apostolico de captivitate Conjugis querimonia. Apostolicus autem commotus præsumptores hujus rei, terra eorum sub interdicto posita, anathemate constrinxit, Imperatricemque captivitate relaxari coegit, quam postmodum ad Cisalpina revertentem, Imperator recepit, die ultionis in corde ejus cum nimia indignitate statuta. Reversus igitur ad Cisalpina Henricus Imperator, Cunrado fratri suo Ducatum Sveviæ concessit,

CAP. XXXIX.

ANno Dominicæ Incarnationis 1193. multi de Cismarinis Regionibus Cruce peregrinationis accepta, ad auxilium Transmarinæ Ecclesiæ accenduntur.

Eodem anno Henricus Imperator contracto exercitu secunda vice Alpes transcendit, transitàque Italia, & Tuscia in Campaniam arma convertit. In quo itinere Richardum de Scerre, Comitem ditissimum, à Theobaldo de Reggatart captum, sibique præsentatum, apud Capuam patibulo suspendit, capite deorsum verso: digna indignatione pro capta Imperatrice in eum effrenatus; deinde omnes Civitates Campaniæ, Apuliæque aut expugnatas destruxit, aut in deditionem accepit: inter quas præcipuè Salernum, Barletum, multasque alias Civitates fortissimas, nimia inflammatus ira, pervasa inestimabili præda, subvertit: nec fuit Civitas, aut munitio, quæ ejus impetum sustinere valeret: militia peregrinorum, quæ in procintu Transmarinæ expeditionis constituta, cum eo transalpinaverat, quæque interim confluebat, opem ei summo nisu conferente. Itaque tota Apulia cum Campania in Provinciam redacta, in Calabriam, & Siciliam copias transposuit, profligataque Regione, Henricum Marcaldum de Kalindin cum instructo ad bellum exercitu, versus Civitatem Catinensium duxit, ubi omnes ipsius terræ optimates, cum innumerabili exercitu, ordinata acie offendit: eisque incunctanter congressus, & victoriam multitudine occisa adeptus, fugientes insequutus, Civitatem cum eis irrupit: captoq; Episcopo, qui præcipuè rebellaverat cum multis nobilibus, Civitatem igne succendit, nec Ecclesiis parcens. Ecclesiam Sanctæ Agathæ, cum multitudine utriusque sexus, & ætatis, quæ in eam confugerat, miserabiliter incendio consumpsit: sicque ad Imperatorem, nobiles in triumpho trahens captivos, redit. Optimates igitur ultima desperatione adacti, dolo occidendum Cæsarem deliberaverunt. Et ut hoc consequi valerent, se & omnia sua potestati ejus contradiderunt. Quibus in fidem susceptis, familiariterque habitis, dolum, & insidias eorum vincere statuit: quamvis tamen perfidiam perfidia vindicare dedecus sit. Denique se detectos minimè putantes, ab Imperatore citati convenerunt ad eum: quos omnes captos, in vincula conjecit, & exquisitis suppliciis affectos, miserabiliter enecavit. Nam Margaritum archipiratam potentissimum illius terræ Baronem, cum quodam Comite Richardo literis apprimè erudito, oculis privavit, & quendam læsæ Majestatis convictum, pelle exutum decoriavit: quendam verò Regno aspirantem coronari, coronamque per tempora clavis ferreis transfigi præcepit: quosdam stipiti alligatos, piraque circumdatos exurens, crudeliter extinxit: quosdam vectis perforatos, ventre tenus humo agglutinavit: ac per hoc omnibus in circuitu nationibus, non solum in Cismarinis, sed etiam in Transmarinis partibus severitatem ejus metuentibus, maximum terrorem incussit.

CAP. XL.

ANno Dominicæ Incarnationis 1194. Imperator contra Palermum Civitatem in ultimis finibus Siciliæ sitam, quæ caput Siciliæ Archisoliumque, nec non Ærarium thesaurorum Regum ejusdem terræ hactenus existit: aciem direxit, castrisque ante faciem locatis, eam expugnare disposuit: Hortumque regalem amplissimum undique circumdatum, omniq; bestiarum genere delectabiliter refertum, irrumpi jussit, feris in usum exercitus multifariè consumptis. Itaque Cives animositatem Cæsaris nimium metuentes, sine omni mora deditici dextras petunt, conditionesque pacis, se suaque omnia offerentes, suppliciter quæruet. Quibus consentiens, Civitate tradita, eos recepit in gratiam, signis Imperialibus molibus undique insignitis: statutaque die processionis, quo à Civibus Imperator imperiali fastu susciperetur, exercitum omni affluentia delitiarum resolutum, gazisque spoliorum egregiè ditatum, securum reddidit: pa-

lestra-

laſtraque militari exercitii gratia, omniq; ſpectaculorum magnificentia interim exhilaravit. Tandem ſumma induſtria Civium, cum maximis ſumptibus triumphali pompa præparata, tota coronatur Civitas tapetibus, ſertiſque diverſi generis, & pretii, compita illuſtrantibus, thure, myrrha, aliiſque ſpeciebus odoriferis, intus & extra Civitatem redolentibus plateis: amotoque à Civitate procul Imperatore cum exercitu, Cives per turmas ſuas, ſecundum modum dignitatem, conditionum, ætatiſque differentia, egreſſi, nobiles in ſua cohorte, ſaniores ætateque provecti in ſuo ordine, & his minoribus robuſtiores, exin inventus eum imberbi adoleſcentia, imbecillique pueritia, omni phaleramanto equeſtri, veſtiumq; varietate adornati, ordine ſtationario in obviam procedebant; ſingulis quibuſdam pro ſuo modo, vel arte, cum omnibus Muſicæ diſciplinæ inſtrumentis, plauſum exhibentibus. Imperator autem non minore induſtria compoſito exercitu militari diſciplina, omnique præſumptione Teutonica prorſus interdicta, contemptoribus mutilationem manuum exterminatus, omni armorum ſplendore rutilantem militiam exhibuit, binis longo tempore Civitatem verſus pedetentim incedentibus. Ipſe autem cum Principibus imperiali gloria, & ornatu ſubſequutus, Civitatem ingreditur, cunctis laudes aſſarim acclamantibus, vulgoq; qui per plateas circumſtabat, viſo Auguſto, juxta morem illius Terræ, prono vultu in terra coram eo corruente: ſicque in regiam receptus, quieri dedit operam. Itaque multis muneribus à Civibus eſt honoratus, ſcilicet præſtantiſſimis ſellis aureis, frenis palapharatis, ac diverſis ex auro, argento, ſerico ſpeciebus, quæ omnia exercitui liberaliter largiens, primò Principibus regalia dona contulit, dein militibus pro meritis extans munificus, eos omnimodis ad obſequium ſuum illexit. Inæſtimabili igitur pecunia in theſauris regiis auri, argentique reperta, Ærarium publicum Trivels confertiſſimum reddidit, aliaq; Imperialia triclinia ex his admodum ditavit. Nam divitias Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, quæ feraciſſimæ metallorum ſunt, patriæ invehens, lapidum pretioſorum, ac diverſarum gemmarum gloriam, cum infinitis theſauris congeſſit: uxorem Tancredi cum filia, nec non filium ipſius cum ſua ſponſa, filia ſcilicet Conſtantinopolitani Imperatoris captivos nobiliſſimos trahens, mirificè triumphavit.

Igitur tali modo confecto bello Samnico, Apulianſique, cum Calabrico, redactaque in Provinciam tota Sicilia cum Sardinia: Henricus Imperator bellicoſiſſimus exercitus peregrinorum, multis muneribus illuſtratum, à ſe dimiſit, & cum ipſis è ſuo latere publici Ærarii ſtipendiarios quingentos milites in adjutorium Tranſmarinæ Eccleſiæ direxit.

CAP. XLII.

ANno Dominicæ Incarnationis 1195. Henricus Imperator ad Tarentum conſtitutus, navibuſque omnium neceſſariarum rerum affluentia onuſtis, per mare Chriſtianorum exercitui tranſmiſſis, repatriare diſpoſuit: nobileſq; captivos triumpho reſervans, in Germaniam præmiſit: locis opportunis exiliatos conſervari præcipiens. Nam filium Tancredi Regis adhuc puerum in Rhetiam Curianſem perductum, oculis privari, & in Caſtro Amiſo, perpetuæ captivitati addictum, cuſtodiri præcepit. Qui ubi ad virilam ætatem pervenit, de tranſitoriis deſperans, bonis operibus (ut fertur) æterna quæſivit, cæleſtibus inhiando, quòd terrenis non potuit. Nam de activa translatus coactè, contemplativè ſtuduit, utinam meritoriè. Sponſam verò ipſius, filiam Conſtantinopolis Imperatoris, Imperator Philippo fratri ſuo deſponſavit: Reginamque Apuliæ, uxorem Tancredi, Sibillam nomine, Filiamque ejus apud Monaſterium Virginum, Hohinburch dictum, in Alſatia cuſtodiæ mancipavit. Margaritam verò archipiratam, & Richardum Comitem Imperatricis conſanguineum, luminibus (ut dictum eſt) privatos, æternis vinculis apud Trivels deputavit: ſicque victorioſiſſimus terra, marique potens Auguſtus in Germaniam rediens, repatriavit.

CAP. XLIII.

HIs diebus Henricus Imperator, Federico filio ſuo infante adhuc, Rege poſt ſe deſignato, contracto exercitu tertia vice Italiam intravit, ac Piranæum tranſiens, cunctaque in Tuſcia, & in Campania pro libito diſponens, in Apuliam, & Calabriam divertit, ibique potenter reſidens, ad obtinendam Græciam, Imperiumque Conſtantinopolitanum intendit animum. Nam bello inteſtino, fraternoque diſcordia pro Regno exhauſtam Græciam conſiderans: quo id modo fieret ſagaci mente tractabat. Inter hæc Imperator Græcorum, miſſis ad eum legatis auxilium ipſius contra fratrem ſuum quæſivit. Qui habita deliberatione, omnes ad id voluntarios, auroque Græcorum ſollicitatos milites illuc direxit: ſalutem ipſorum in hoc negotio fortunæ committens. Itaq; multi ſpe lucri eandem militiam aggreſſi, in Græciam tranſvecti ſunt, illueque auxilio intenti, ubi ſe ſperabant liberalius appretiari,

tiari. Interea Græcorum Imperator à fratre captus, luminibus privatur, & arctæ custodiæ servatur: ipsèque Imperium cum Urbe Constantinopolitana nactus, militiam Teutonicorum ad se vocatam, in gratiam Cæsaris liberaliter habuit, ipsorumque adjutorio prosperatus, Regnum Græcorum obtinuit, filio excæcati aum pro posse impugnante. Hujus cæci Regis filiam, filio Tancredi, ut supra retulimus, desponsatam, Imperator Henricus apud Palermum repertam, Philippo fratri suo desponsaverat: hacque de causa idem cæcus Imperator, disperatis rebus, ipsum Philippum cum filia hæredem Regni, à fratre ablati, adoptaverat, & ut hoc consequeretur, opem Augusti assiduè sperabat.

His Constantinopoli ita gestis, Henricus Imperator in Sicilia manens, Imperii negotia in eisdem Regionibus pro velle suo disposuit, Judices Regionibus, jura Civitatibus, leges potestatum dignitatibus constituens; insuper Insulas maris vectigales faciens, Imperium ad nodum dilatavit; exercitu ejus cum instructis navibus, & munitis galeis maritima percurrente.

CAP. XLIV.

ANno Dominicæ Incarnationis 1196. Henricus Imperator, mortuo fratre Conrado, Philippo fratri suo, qui in Sicilia interim cum eo manebat, data sibi sponsa sua filia Constantinopolitani Imperatoris, Ducatum Alemanniæ concessit, ipsumque cum eadem sponsa sua in Germaniam destinavit. Qui in Alemanniam perveniens apud Augustam Urbem in Pentecoste armis cinctus, nuptias magnificè celebravit, in loco qui Gunzinlech, à quibusdam Concio legum, dicitur: ac postea assumptis militibus Alpes transcendens, in Siciliam ad Imperatorem rediit, citatus ab eo, negociis suis per omnem Ducatum Diethelmo Constantiensi Episcopo commendatis.

CAP. XLV.

ANno Dominicæ Incarnationis 1197. Henricus Imperator, hostibus Imperii circumquaque subactis, terra, mariq; potens, in ultimis Siciliæ finibus constitutus, immatura morte præventus est. Cujus mors genti Teutonicorum, omnibusque Germaniæ populis lamentabilis fit in æternum: quòd aliarum terrarum divitiis eos claros reddidit, terroremque eorum omnibus in circuitu nationibus per virtutem bellicam incussit, eosque præstantiores aliis gentibus nimirum ostendit futuros, ni morte præventus foret: cujus virtute, & industria ducus Imperii in antiquæ dignitatis statum floruisset. Itaque apud Messanam Civitatem Siciliæ defunctus, ibidem cum maximo totius exercitus lamento, cultu regio sepelitur, filium ætatis annorum quatuor relinquens. Post cujus mortem Philippus Dux Sueviæ maximo periculo insidias illorum provincialium declinans, vix repatriavit. Nam (ut prælibatum est) ab Imperatore priùs citatus erat hac de causa, ut filium ipsius ex Apulia perduceret in Germaniam, ubi à Principibus in Regem electus, à Coloniensi Episcopo inungeretur, ut moris est. Imperator enim in Italiam migrans, eundem filium suum, eum consensu Principum cunctorum, præter Coloniensis Episcopi, Regem post se designaverat: qui tamen postea resipiscens, puerum in Regem collaudavit. Hoc itaq; negotio Philippus Dux in Italiam profectus, cum venisset Romam, mortuum Imperatorem percepit: statimque regrediens, in Tuscia, & in Italia insidiis diversorum periclitatus, vix evasit: sicque negotium hoc inefficax permansit, puero in Sicilia cum matre remanente.

Iisdem temporibus compatriotæ earumdem Regionum, scilicet Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, memores injuriarum, quas ab Imperatore Henrico sustinuerant, in gentem Teutonicam sunt invidia efferati, acceptam injuriam pro posse in eos vindicantes: eaque de causa multos peregrinos gentis Teutonicæ de Transmarina expeditione remeantes per terram illam, mortuum Imperatorem nescientes, multis modis injuriabant; nullusq; sine injuria illæsus transire poterat, absque armis, & sine Comitatu multitudinis: multisque diebus hæc duravit invidia.

EX HERMANNI CONTRACTI CHRONICO EXCERPTA.

DE EODEM.

HErmannus, ortu nobilis, in Monasterio S. Galli à puero educatus, dein Monachus Augiæ Majoris. Paralisi omnibus membris contractus, ingenio, & doctrina suprà æquales suos mirè prævaluit; Latinè, Græcè, Arabicè doctus, sacrarum, sæcularium que disciplinarum penè omnium peritissimus fuit. Scripsit Chronicon ab initio Mundi ad annum, in quo ipse floruit, 1054. Typis Wechelianis prodiit, cum Appendice ad Annum 1100. Bertholdi Presbyteri Constantiensis.

ANno 668. In Sicilia Constantinus Imperator, qui & Constans, post multas depredationes per Provincias factas, tandem à suis in balneo peremptus est.

Anno 669. Saraceni Siciliam vastant.

Anno 1011. Henricus Imperator in Italiam expeditionem movet.

Anno 1022. Henricus Imperator Campaniam petens, Trojam, Neapolim, Capuam, & cæteras Civitates in deditionem accipit, & Nordmannis quibusdam, qui tempore ejus illò confluxerant, quoddam (ut ferunt) in illis partibus territorium concessit; sicque ipse per Romam victor rediit in Germaniam.

Anno 1053. Imperator (*Henricus III.*) cum Domino Papa, multisque Episcopis, & Principibus, Nacalem Domini Wormatiæ egit, ubi cum Papa, sicut dudum cæperat, Fuldensem Abbatem, aliaque loca nonnulla, & Cœnobia, quæ Sancto Petro antiquitus feruntur subjecta, ab Imperatore reposcens, exegisset, demum Imperator pleraque in ultra Romanis partibus ad suum jus pertinentia, pro Cisalpinis illi per concambium tradidit.

Cumque idem Papa de Normannorum violentiis, & injuriis, qui res Sancti Petri, se invito, tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos, Imperator ei auxilia delegavit. Ea siquidem Gens, à temporibus prioris Henrici Imperatoris, in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes, paulatim ex Galliei oris Oceani adventitia, confluebat: Et quia bellicosior Italicis Gentibus videbatur, crebrò indigenis contra Græcorum, & Sarracenorum incursiones audacter præliando, auxiliabatur, primo gratanter accipitur, postea verò pluribus eorum ad aberem terram accurrentibus, viribus adaucti, indigetes bello premere, injustum dominatum invadere, hæredibus legitimis Castella, prædia, villas, domus, uxores etiam quibus libuit vi auferre, res Ecclesiasticas diripere, postremò Divina, & humana omnia (prout viribus plus poterant) jura confundere, nec jam Apostolico Pontifici, nec ipsi Imperatori, nisi tantum verbotenus cedere.

Ad horum igitur nefaria, & inextricabilia scelera illis è partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos, Dominus Papa animum intendens, summa cum Charitate ab Imperatore Romam reversurus, digreditur. Sequuti sunt autem eum plurimi Theutonicorum, partim jussu Dominorum, partim spe quæstus adducti: multi etiam scelerati, & protervi, diversasque ob noxas patria pulsi. Quos ille omnes, tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer, & gratanter suscipiebat.

Dominus Papa habita post Pascha Synodo, contra Nortmannos (ut proposuerat) exercitum movit: cumque illi pacem petentes, subjectionem, servitiumq; illi promitterent, & quæ priùs injustè sibi usurpantes invaserant, ejus beneficio gratiaqs retinere se velle dicerent, idque Papa abnegans, vi & injuria raptas res Sancti Petri reposceret, eosque perperam pervaso cedere loco juberet: illi quia numero, se potiùs bello obviam ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros, denunciant. Sicque 14. Kalend. Julii valida pugna confligentes, prima acie à Theutonicis penè victi sunt: Sed succenturiatis copiis, ex insidiis nostros circumvenientes, Italis citiùs terga vertentibus, Theutonicis maxima ex parte, sed non inultè occumbentibus, occulto Dei judicio: sive quia tantum Sacerdotem, spiritalis, potiùs quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat: sive quod nefarios homines quàm multos ad se, ob impunitatem scelerum, vel questum avarum, confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat: sive divina justitia alias quas ipse novit ob causas, nostros plectente: quamvis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam: Ipseque Dominus Papa in quodam ab eis Castello obsessus, cum expugnata jam jamque munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneventum cum honore reductus est, ibiq; tempore aliquanto detentus, nec redire permissus.

Ex supplementum Bertoldi Presbyteri Constantiniensis ad Chonicon Hermanni contracti.

HIs temporibus, Constantinopolitanus maximam pecuniam Henrico quondam Regi transmisit, ut Roudbertum Vviscardum, Ducem Calabriæ, & Apuliæ, conjuratum militem Domini Papæ, in ultionem ejusdem Regis, bello appeteret. Nam Roudbertus jamdudum fines Constantinopolitanorum invasit, iterumque illuc expeditionem monere disposuit: sed Henricus acceptam pecuniam, non in procintum contra Roudbertum, quod juramento promisit: sed ad concillandum sibi vulgus Romanum expendit, cujus adjutorio Lateranense Palatium, feria quinta ante Palmas, cum suo Ravennate Guiberto, intravit. Nobiles autem Romani, præter admodum paucos, cum Domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & 40. obsides ei dederunt. Papa autem in Castellum S. Angeli se recepit, omnesque Tyberinos pontes, & firmiores Romanorum munitiones in sua obtinuit potestate.

Rober-

Robertus Vviscardus Dux Nortmannorum, in servitium S. Petri, post Calendas Maii, Romam armata manu invasit, fugatoque Heinrico, totam Urbem Gregorio Papæ rebellem, penitùs expoliavit, & majorem ejus partem igni consumpsit, eò quod Romani quendam ejus militem vulneraverunt. Deinde acceptis obsidibus à Romanis, & in Castello Sancti Angeli, quod Domum Theodorici dicunt, reservatis, ipse ad recuperandam terram Sancti Petri reversurus, in brevi plurima Castella, & Civitates Domino Papæ recuperavit. Heinricus autem Roberto resistere non valens, ad partes Theutonicorum satis festinanter revertitur.

EX PADUANI MONACHI DE REBUS IN INSUBRIA; HOC EST LONGOBARDIA, GESTIS, EXCERPTA:

DE EODEM.

Monachum Cœnobii S. Justinæ Or. Ben. Vvechelius fuisse censet, ipsumque inter Germanicarum Rerum Scriptores edidit. Orditur Historiam ab Anno 1207. finemque imponit ad Annum 1270. quo illum floruisse apparet.

EX LIBRO I.

De ascensu Friderici in Alemanniam, & de ejus electione in Imperatorem futurum, & Regem Alemanniæ.

Anno Domini 1211. istis temporibus Fridericus adolescens, Rex Siciliæ, filius quondam Henrici Imperatoris, & Reginæ Constantiæ, quæ fuit filia Rogerii Regis Siciliæ, de mandato Magnifici Papæ Innocentii, per Lombardiam cum auxilio Marchionis Estensis, ascendit in Alemanniam confidenter. Quam ita gratissimè Prælati, & Principes Alemaniæ susceperunt, quod pauci remanserunt de Principibus cum Ottone. Tandem ipsum in Regem Alemanniæ, & in futurum Imperatorem concorditer elegerunt.

De Federico Imperatore coronato.

Anno Domini 1220. Federicus secundus, Rex Siciliæ, & Apuliæ, & Dux Sveviæ, descendens de Alemannia ivit Romam, & ibi accepit Coronam Imperii à Papa Honorio in die Beatæ Ceciliæ; deinde in Regnum Apuliæ intravit, interfectis, & expulsis rebellibus, ipsum sibi feliciter subjugavit. Ipse de Montibus Siciliæ per gravia bellorum pericula deposuit Saracenos, & transferens eos in Apuliam, fecit ipsos in Civitate Nucera communiter habitare.

Qualiter Federicus habuit Regnum Hierasolymitanum.

Anno Domini 1224. Circa hæc tempora, mortua Constantia Imperatrice, filia Regis Aragonum, de qua Regem Alemanniæ Henricum habuit Imperator Federicus, ipse Isabellam, filiam Joannis Regis Hierosolymorum accepit uxorem; de qua genuit Conradum, quem dilexit tenerissimè super omnes: Et sic Regnum Hierosolymitanum occasione hujus matrimonii est adeptus.

De primo adventu Federici in Lombardiam, postquam fuit coronatus.

Anno Domini 1226. Cum Federicus Imperator esset magnificatus divitiis, & gloria, & clarissima copia filiorum super omnes Augustos à Carolo citra, qui fuerunt inter eum, aspirare cepit modis omnibus ad dominium Lombardiæ: & pacificè de Apulia venit in Lombardiam, & tam Cremonæ, quam etiam Ravennæ colloquium habuit cum amicis, volens amicabiliter Lombardorum amicos mitigare. Sed Mediolanenses cum multis aliis Civitatibus in sua duricie permanserunt, ejus verba pro nihilo reputantes.

De Commotione Regis Henrici de Lombardia.

Eodem anno 1231. ad petitionem Regis Henrici, filii Federici Imperatoris, Mediolanenses, & alii audientes Imperium, Legatos in Alemanniam direxerunt, & cum eo contra Imperatorem societatem firmissimam statuerunt. Concepit enim Rex dolorem, & peperit iniquitatem contra propriumt genitorem: ideò, quòd videbatur, quòd Imperator plus eo puerum Conradum diligeret, & foveret.

Qualiter Imperator Federicus incarceravit filium suum.

Anno Domini 1231. Federicus Imper. in Mense Martio, dum de Apulia vellet in Histriam navigare, impulsus vi ventorum venit Venetias, & inde in Forum Julii transmeavit: ibique facta compositio inter ipsum, & Ecelinum, in detrimentum Marchionis Estensis, & Comitis S. Bonifacii, & totius Marchiæ, & etiam Lombardiæ: sicut postea patuit per effectum.

tum. Ascendit autem in Alemanniam imperator, & capto filio proprio, Rege scilicet Henrico, misit eum in Apuliam, ibique fecit ipsum usque ad diem mortis sicut proditorem in carcere custodiri, ideò quòd confœderatus fuerat cum Lombardis: constituitque in locum ejus Conradum, quem tenerrimè diligeba.

Qualiter Imperator Federicus cepit Vincentiam.

Anno 1236. ubi nihil quod ad Siciliam pertineat; ideoque omittitur.

Qualiter Imperator de Mediolanensibus triumphavit, Anno 1236.

De obsidione Brixiæ per Imperatorem anno 1238.

De Adventu Frederici Imperatoris ad Civitatem Paduæ anno 1239.

De Papa Innocentio IV. & de Superbia Federici Imperatoris, qui conabatur Ecclesiam subjugare.

ANno Domini 1247. Cardinales post multa consilia elegerunt Dominum Sinibaldum Cardinalem de Comitibus Levaniæ, natione Januensem; qui appellatus est Innocentius Papa IV. Iste quæsivit ferè duobus annis habere pacem cum Imperatore, volens finem imponere tantis malis. Sed cum Imperator ferè totam Italiam possedisset, in superbiam elevatus, verba quidem blanda dicebat; Sed Romanam Ecclesiam deprimere modis omnibus satagebat. Superbiæ quippè spiritu inflammatus proponebat ædem ejus auferre, jurisditiones, & possessiones Villarum, & Castrorum, quibus erant ab Imperio prædotata: & taliter volebat humiliare superbiam Clericorum. Et licet ipse versipellis esset plurimum, & astutus; tamen quòd ex abundantia cordis os loquitur, istam sacrilegam voluntatem non poterat occultare. Unde contra se odium Prælatorum in toto Imperio non modicum excitavit.

De Concilio Lugdunensi, & de Sententia depositionis Federici Imperatoris data ab Innocentio Papa.

ANno 1245. Circa festum Sancti Joannis Baptistæ, factum est concilium maximum Lugduni, ad quod citatus Imperator personaliter, ire contempsit. Unde propter contumaciam ejus, & innumerabilia mala, quæ fecerat contra Ecclesiam, Innocentius Papa residens in Concilio, de assensu, & consilio Prælatorum, & totius Concilii protulit contra Fredericum depositionis sententiam, justè pariter, & constanter, Forma itaque sententiæ prolatæ à Summo Pontifice ita fuit. Volentes, inquit Apostolicus, divinam sententiam præponere sententiæ nostræ, denunciamus, Federicum à Deo excommunicatum, & depositum ab omni honore Imperii, & Regni. Addentes verò sententiam nostram divinæ sententiæ, excommunicamus Federicum, & deponimus ab omni honore Imperii, atque Regni.

De Lantgravii Regis Alamanniæ victoria contra Conradum, Federici filium.

De Morte Lantgravii Regis.

HOc tempore Lantgravius Rex Alamanniæ diem clausit extremum: de cujus morte Ecclesia est turbata. Fredericus verò plurimùm est erectus.

Qualiter capta est Parma.

EOdem anno 1247. Federico igitur impugnante, & Ecclesia cum suis fidelibus Parmam totis viribus defendente, tempus sex mensium est elapsum, & asperitate hyemis cogente, militia Civitatum ex utraque parte est reversa. Federicus verò remansit in Victoria, cum modica quantitate exercitus, expectans futuram æstatem; & animo cupienti, in quo credebat se Parmam sine dubio expugnaturum: Sed

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

De Regis Encii captione.

EOdem anno in principio Junii, Bellicosus Rex Encius, filius Frederici, captus est, à Bononiensibus cum militia copiosa: qua propter Bononienses fuot usque sydera elevati. Mutinenses necessitate compulsi, se Bononiensium dominio subdiderunt.

De Morte Federici Imperatoris.

SUb prædicto annorum curriculo, potentissimus Federicus, in die S. Lucæ vitam amisit in Apulia: descenditq; ad inferos, nihil secum deferens, nisi sæculum peccatorum.

EX LIBRO II.

De Morte Regis Conradi, & de introitu Innocentii in Apuliam.

ANno Domini 1254. Cùm Rex Conradus duobus annis Regnum Apuliæ tenuisset, die duodecimo, exeunte Majo, Re-

Regnum simul, & vitam amisit. Post cujus decessum Innocentius Papa in manu valida intravit in Apuliam, & Sedem suam fixit apud Neapolim. Ad cujus præsentiam omnes Principes Apuliæ convenerunt, Manfredus etiam Princeps Tarenti, filius Federici, eidem subjectionem, & devotionem in omnibus deferentes. Cum igitur caput Magnifici Innocentii nubes excedere videretur, sicut placuit ei, in cujus manibus sunt omnes fines terræ, & qui etiam multitudines montium contemplatur, decimo die intrantis Septembris, apud Neapolim naturæ legibus satisfecit: cui successit Alexander Quartus, qui priùs erat Episcopus Hostiensis.

Dum autem Magnificus Innocentius esset in mortis articulo constitutus, jamque illum versiculum frequenter repeteret: Domine propter iniquitatem corripuisti hominem: Manfredus naturalis filius Federici, impatiens contra Dominum Sedis Apostolicæ jam rebellis effectus, magnam stragem militum Ecclesiæ apud Fogiam perpetravit. Audita igitur morte Innocentii, & substitutione Alexandri, cum majore audacia cepit Ecclesiam in Apulia expugnare, vires ejus quotidie subvertendo. Cujus audacia à sagacitate mirabili Apuli pavefacti, à devotione Romanæ Ecclesiæ discedentes, Principi humiliter adhærebant. Papa itaque Alexander ordinatus Capitaneus, cum militia infinita, qui deberent contumaciam, & processum Principis cohibere, exiens de Neapoli, ad partes Campaniæ properavit. Manfredus autem opus inceptum consumare intendens, armis, muneribus, & ambagibus exercitum Ecclesiæ ita debilitare curavit, donec ipsum de Regno turpiter, & effeminatè coegit exire: taliter, quòd totius Regni paterni obtinuit Principatum, in præjudicium Ecclesiæ, & gravamen.

EX LIBRO III.

Quòd Princeps Manfredus, & Palavicinus prohibuere suos subjectos solenniter pœnitere.

PRinceps Manfredus naturalis filius Federici, qui Regnum Siciliæ, & Apuliæ usurpavit, & auctoritate propria capiti suo imposuit diadema, tam in præjudicium Romanæ Ecclesiæ, quàm gravamen, & oppressionem Conradini Ducis Sveviæ, filii Regis Conradi, inhibuit potenter per omnes partes opulentissimi sui Regni, ne aliquis tali stemmate pœnitentiæ uteretur, crudelem mortem transgressoribus comminando. Timebat enim ne sub forma hujus novitatis processus posset suæ tyrannidis impediri. Promulgavit itaque hoc crudelitatis edictum non solum in Apulia, sed etiam in Marchia Anconitana, & in magna parte Tusciæ, quam sibi jure prælii acquisivit. Extulerat siquidem cornu superbiæ prædicti Principis tam adversus Deum, quam adversus homines, victoria triumphalis, quam de parte Ecclesiæ, quæ Florentiam obtinebat, incredibiliter est adeptus. Florentini namque, qui frequenter de suis triumphaverant inimicis, coram militia Principis, quam in auxilium Senensium destinaverat, cùm essent ultra 70. millia bellatorum, eorum peccatis exigentibus miserabiliter corruerant. Illi autem qui de bello evadere potuerunt, nimium perterriti Florentiam deserentes, ad quam occupandam inimicorum exercitus properabat, ad Lucanam Urbem sequentocius contulerunt. Taliter Princeps cum sua parte illam potentissimam obtinuit Civitatem, & cum ipsa pariter ferè sibi totam Tusciam subjugavit.

De Adventu Regis Caroli in Italiam.

ANno Domini 1265. cum per decennium Princeps Manfredus supra memoratus Romanam Ecclesiam, & ejus fideles per se, ac suos sequaces, fermè in tota Italia graviter afflixisset: Summus Pontifex de Concilio Cardinalium, catholicum Principem Carolum, Comitem Provinciæ, fratrem videlicet Christianissimi Ludovici Regis Franciæ, & Alphonsi illustrissimi Comitis Tolosani, ad suscipiendam coronam Regni, exoratoriis literis invitavit. At ille, utpotè vir strenuus, & magnanimus, cupiens Ecclesiæ in tantis angustiis subvenire, & opulentissimi Regni dominium obtinere: assensum præbuit Apostolicæ voluntati: & ad aggrediendum tam arduum negocium incepit se magnificè præparare. Eo etiam tempore Romani multis dissentionibus, & bellis civilibus conquassati, sperantes per tam potentem virum in viam pacis, & servitutis dirigi æquitatis, ipsum elegerunt in suum perpetuum Senatorem. Quod officium gratanter excepit, & ad regimen Urbis Romanæ Vicarium suum cum cohorte militum protinus destinavit. Tunc temporis Mediolanenses cum amicis Ecclesiæ ad recipiendum illustrem Comitem Carolum, se viriliter præparaverunt. E contra Cremonenses cum amicis suis, Manfredi corrupti pecunia, iter Comitis ad Urbem Romanam impedire modis omnibus conabantur. Comes autem perficiendi velociter opus inceptum desiderio inflammatus, sciens, quòd mora trahit ad se periculum, & quod varietas temporum mutationem inducit aliquando animorum: cum electa manu militum, de partibus Galliæ per Mare Tyrrhe-

sbenum, ad Romanum Portum pervenit: primo scilicet anno Pontificatus Beati Papæ Clementis. Ad cujus adventum Romani mirabiliter sunt gavisi, eiq; obviam unanimiter procedentes, ipsum in Urbem, cum triumphali gloria, honore regio deduxerunt.

His auditis, Manfredus obstupuit vehementer, videns novum Regem gradatim ad profectum venire, & res ei prosperè ad vota succedere: pariterque considerans magnum sibi periculum imminere, si robur exercitus venientis in ejus auxilium expectaret: cœpit modis omnibus nobilissimo Principi insidias præparare, sollicitè procurando tam per assassinos, quàm per alios sceleratos, quibus dona præcipua promittebat, ut gladio, vel veneno auferret de medio Ecclesiæ defensorem. Sed quum videret frustra se insidiarum retia relaxare, devotum Principem Domino protegente: immensas acies militum in fines cepit infundere Romanorum, ut importunitate ostentationis suæ potentiæ, illustre prælium provocaret. At Princeps circumspectus insidias Tyranni prudenter videbat, & ejus insultus armis quandoque strenuè cohibebat: siquidem secum in Urbe Romana non magnam fidelium militum quantitatem habebat. Non enim perfectè confidebat de militia Romanorum: quod plures illorum munera tyranni accipere consueti; & ideo prudenter differebat in aperto campo cum paucis militibus occurrere infinitis, nè incautè se bellorum discrimini exponendo, sibi perniciem acquireret, & causam præberet hostibus triumphandi. Expectabat autem animo scienti exercitum sibi de Francia, & aliis Galliarum partibus repromissum. Quatuor itaque mensibus elapsis ab ejus ingressu in Italiam, sua nobilissima Uxor cum multis ad Romanum Portum applicuit, & inde in Urbem, cum ingenti gloria est deducta. Posthæc in eodem anno exercitus magnus Francorum, habens introitum per Sabaudiam, in media hyeme transivit per mediam Lombardiam, fidelibus Ecclesiæ victualia exercitui exibentibus copiosè: inimicis verò non audentibus comparere: & circa festum Nativitatis Domini ad Urbem Romanam pervenit, ubi eos Rex Carolus cum summo desiderio expectabat.

Qualiter Rex Carolus Regnum Siciliæ obtinuit, & Manfredum occidit.

ANno Domini 1266. Postquam Rex Carolus vidit se Francorum Principum præsentia, & Gallicana militia roboratum, movit exercitum suum ab Urbe Roma, & in manu forti arripuit iter ad Regnum Siciliæ obtinendum. Transivit itaque flumen Ceperani, & in primo impetu Civitatem S. Germani obtinuit, devictis militibus, & fugatis.

Eodem tempore quidam Magnates Apuliæ à Principe recedentes, Regi Carolo adhæserunt. Princeps autem Manfredus accepto gustu audaciæ militiæ Gallicanæ, suorum quoque Magnatum inopinata inconstantia, doluit vehementer: statimque per universas partes Regni Nuncios destinavit, præcipiendo, ut omnes milites, & viri bellatores, qui erant in locis opportunis ad custodiam constituti, protinus ad eum apud Capuam convenirent, existimabat n. se ibidem posse Regis impetum cohibere, maximè propter profunditatem fluvii secus Capuam commeantis. Rex autem movit procinctum versus Capuam festinanter. Sed cum percepisset, quam intra Capuam fluvius erat immeabilis: longè superiùs à Capua dictum fluvium pertransivit. Princeps autem, cùm de Regis transitu cognovisset, videns se viribus imparem, nondum suo exercitu congregato, versus Beneventum, dimissa Capua, præparavit. Habebat autem secum, præter milites Theutonicos, Catalaunos, Lombardos, Tuscos, & innumerabiles Saracenos. Nam quod manu larga thesauros auri, & argenti militibus ad se confluentibus effundebat, viri bellicosi ad eum, tamquam ad Magnificum Principem, undique concurrebant; interdictum, & excommunicationem Ecclesiæ penitùs contemnentes. Et quòd Rectoris ad exemplum subditi componuntur, omnes qui ejus parebant imperio, ita erant ipsius impiis operibus conformati, quòd licet Christiani nomine dicerentur, voluntate tamen, & opere censeri poterant Saraceni. Unde justo Dei judicio ipse Tyrannus, & omnes impietati ejus faventes, in uno campo simul sunt collecti, ut pariter punirentur, quos idem facinus, & intentio pestifera inquinabat.

Rex itaque Carolus, cùm audisset Principem de Capua recessisse, existimans eum fugere, insecutus est ejus vestigia; invenitque ipsum cum exercitu magno in planitie Beneventi ad præliandum magnificè præparatum. Cùm igitur mutuis aspectibus uterque exercitus cominus se vidisset, milites Principis cognoscentes Regis exercitum labore itineris fatigatum, cum clamore valido inceperunt Francigenas ad prælium provocare. Rex itaque confestim suos Principes ad consilium provocavit, & cunctorum est judicio definitum, bellum esse minimè differendum, quod cum tanta clamoris importunitate adversarii postulabant. Ex belli namque dilatione duplex Regi videbatur accedere nocumentum, quòd inde se hostes audaciam assumebant, & quòd exercitus eorum quotidiè augebatur.

batur; Tunc Rex providus diligenter suas acies præparavit: in cujus exercitu, præter Francigenas, erant multi milites Italici, Campanici, & Romani. Similiter, & Princeps duxit suas acies ex adverso, ponens ex latere multitudinem Sarracenorum, quòd sagittis adversarios stimularent. Cumque primæ acies ex utraque parte ad prælium processissent, & viriliter dimicarent, & hinc, & inde multi caderent vulnerati: Rex de sublimi equo prospiciens, vidit milites suos ferè ab hostium multitudine superari. Tunc omnipotentis auxilio, cum sua terribili acie irruit super hostes, quasi impetus tempestatis: Domino verò auxiliante, cui facile est in manibus paucorum concludere infinitas acies Principis, terga verterunt. & tanta multitudo de ipsius exercitu est prostrata, quòd campum celabant oculis corpora occisorum, multi etiam Principes, & milites sunt capti: reliqui verò sunt in fugam conversi, amissa omni fiducia resistendi. Ibidem etiam ipse Princeps Manfredus occubuit, hostium gladiis interfectus: cujus corpus in capite pontis Beneventi Rex Carolus fecit honorificè sepeliri. Uxor autem ejus, quæ filia erat Cumani Principis Græcorum, capta fuit, dum anxiè disponeret, audita morte mariti, cum suis filiis in Græciam transfretare. Et cùm fuisset hoc Regi Carolo nuntiatum, fecit eam simul cum filiis in quondam Castro recludi, & ibidem cum diligentia custodiri.

Post divulgationem itaque istius triumphalis, Cremonenses ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ revertentes, legatos Apostolici humiliter susceperunt, & durissimum Uberti Palavicini jugum à suis cervicibus excutientes, eum exire de finibus suis coëgerunt: & sic pars extrinseca Cremonensium ad propria est reversa. Tunc prædictus Tyrannus, qui habuerat dominium Cremonæ, Mediolani, Brixiæ, Placentiæ, Papiæ, & Dertonæ necnon Alexandriæ, secessit ad quædam Castra in montibus constituta, ibiq; suam constituit mansionem.

Qualiter Rex Carolus rebelles in Tusciam expugnavit.

ANno Domini 1267. Rex Carolus Regnò subacto Siciliæ, venit Viterbium, ad revocandum Papam Clementem, & ibidem est ab eo Vicarius Imperii constitutus. Cujus mandata cæteræ Civitates Tusciæ humiliter receperunt: Pisani verò, & Senenses, Burgenses quoque Podii Bonici, præcepta Summi Pontificis, & Regis penitùs contempserunt. Tunc contra predictos rebelles Rex Catholicus movit procinctum: Senensium districtum vastavit. Castrum autem Podii Bonici, in quo de tota Tuscia inclusa erat militum rebellium multitudo, longa obsidione devicit: Posthæc Pisanos in sua duritia persistentes, in manu valida est aggressus, eorum portum succendit, turres evertit, & in mare projecit, omnesque fines Pisanorum circumiens, Villas, Castra, & omnia eorum bona penitùs dissipavit.

De adventu Conradini ex Alemannia.

CUm prædicta in partibus Tusciæ agerentur, Conradinus filius Regis Conradi, Romanorum, Pisanorum, Senensium, Papiensium, & Veronensium literis, & Nunciis excitatus, ad recuperandum paternum Regnum cœpit cordis desiderium ardentissimè applicare. Tunc Principes Alemanniæ, de quorum amicitia confidebat, ad colloquium incitavit: & post multa hinc, & inde proposita, est tandem majorum consilio definitum, quòd ipse sine mora deberet in Italiam proficisci. Protinus egregius adolescens, cum auxilio amicorum, exercitum congregavit, descendensque de Alemannia, venit Veronam, comitantibus eum Duce Bavariæ avunculo suo, Comite de Tirsulo, qui matrem ipsius duxerat in uxorem. Mansit itaque Veronæ tribus mensibus, nihil viriliter agens, quòd nec commodum amicis tulit, nec damnum intulit inimicis. In prædicto igitur spacio temporis, præ defectu pecuniæ, venditis equis, & armis, magna pars exercitus ad propria remeavit. Similiter Dux Bavariæ, ac Comes de Tirsulo, ipso relicto, ad sedes proprias sunt reversi.

Fama itaque de adventu Conradini in Apuliam discurrente, Sarraceni habitantes in Nuceria, rumore hujusmodi confortati, quòd graviter Francorum dominium tolerabant: cæperunt contra Francigenas rebellare, Regionem circa se positam crudeliter deprædantes: Accidit etiam Carolo tunc temporis alia pestis bellica improvisa; nam Fridericus juvenis animosus, frater Regis Castellæ, & illustris Henrici Senatoris Romanorum, cum navali exercitu Siciliam introivit, & quædam loca munita per tyrannidem occupavit. Eo verò tempore Rex in Tuscia rebelles fortiter expugnabat; & tempore illo uxor Regia apud Neapolim diem clausit extremum.

Qualiter Conradinus de Verona perrexit Papiam.

ANno Domini 1268. Illustris Conradinus exiens de Verona cum electa manu militum, fluvium Mincianum, & Oleum transvadavit, & per districtum Cremonæ Papiam perrexit, nullo audente ipsius transitum impedire, licet tota Lom-

Lombardia, præter Veronam, & Papiam, favere Regi Carolo videretur. Cumque in Civitate Papiæ moram aliquot mensibus traxisset, tandem cum auxilio Papiensium ad terras Marchionis Careti transivit, ibique in Mari Tyrrheno, Pisanorum navibus præparatis, navem conscendit, & ad Pisanum Portum prospero cursu pervenit. De isto itaque lubrico cursu Conradini homines mirabantur. Multi quoque ejus egressum, & progressum in reprehensione Regis Caroli, miris laudibus extollebant. Sed Deus omnipotens, qui usque in tertiam, & quartam generationem visitat iniquitatem patrum in filiis imitantibus malos patres, aliter quàm putabant homines, de adolescentulo disponebat.

Qualiter Rex Carolus Conradinum, & Romanos gravi periculo superavit.

CUm igitur famæ testimonio Conradinum venisse Pisas, fuisset per Italiam declaratum, de Lombardia, Tuscia, & aliis Regionibus confluxit ad eum militum maxima multitudo, qui potentiam Regis Caroli deprimere, & Conradinum sublimare pro viribus affectabant. In illis diebus circa Pascha, Rex dimisso Mareschalco cum militia in Tuscia, in Apuliam est reversus, & Saracenorum discursum, ædificatis circa Nuceriam munitionibus, coarctavit.

Post Regis itaque discessum, insurrexit Conradinus contra Lucanos, eorumque districtum vastavit, & Mareschalcum sibi cum Regis militia occurrentem, strenuè superavit.

Eodem tempore illustris Henricus, frater Regis Castellæ, fungebatur in Urbe honore Senatoriæ dignitatis. Iste tanto superbiæ spiritu erat plenus, quod etiam dominium fratris sui Regis Castellæ, nullo modo poterat substinere. Unde relicta Hispania, vagabundus per diversas Provincias discurrebat. Denique cum in præcedenti tempore Romanam Curiam pro suis negotiis visitasset, Romani tunc eum in Senatorem elegerunt. Licet igitur iste consanguineus Regis Caroli esset, quod pater suus frater fuerat matris Regia: ex certis tamen simultatibus inter eos, modis omnibus exaltationem Conradini, & Regis interitum procurabat. Consilio itaque istius acquisierat partem maximam Romanorum, odientium Regem: hac de causa, quod thesauros argenti, & auri manu largiflua eis maximè tribuebat. Quid plura? Senator prædictus, & Romani, Conradinum cum suo exercitu convocantes, ipsum in Urbem, contra mandatum Summi Pontificis, induxerunt: Firmata itaque conjuratione inter eos, unanimiter contra Regem Carolum præliaturi egressi sunt ex Urbe, Conradinus cum suo exercitu, & Senator cum eo cum multitudine militum, & peditum Romanorum, & versus Apuliam properantes, Castra non longè à Civitate Aquila posuerunt. Rex autem in eorum occursum cum exercitu valido properavit, & nona die exeuntis Augusti, in Campo Palentino direxit triplicem aciem contra eos. Similiter adversarii de sua multitudine confidentes, contra Regem suas acies direxerunt: commissumque est bellum lacrymabile, & horrendum, in quo proh dolor! multus ex utraque parte sanguinis hominum est effusus. In primo namque belli congressu duæ Regia acies terribili hostium impetu sunt prostratæ pariter, & fugatæ, occiso crudeliter Mareschalco, quem propter strenuitatem personæ, ac ornatum armorum, esse Regem Carolum existimabant. Jamque milites Conradini, quasi securi de victoria, ad invadendum Saumarios, & detinenda occisorum spolia insistebant.

Rex autem Catholicus, imminente tanto discrimine pugnæ, audire devotè missæ officium non omisit. Quo completo, videns militum suorum ruinam, ex intimo cordis affectu invocavit Dominum prodigia facientem, & B. Virginem, de cujus auxilio (sicut ipse postmodum est testatus) plurimum confidebat, exclamans voce vivifica, hortatus est militiam suam, dicens: O nobilis militia Franciæ, cui ab antiquis temporibus divina potentia contulit gratiam specialem triumphandi de inimicis Ecclesiæ, ac nominis Christiani; nunc incumbit vobis maxima causa, contra inimicos Ecclesiæ præliandi, ut nostrorum nobilium Prædecessorum vestigia imitantes, qui pro defensione Christianitatis pericula gravia pertulerunt, genti nostræ laudem, & gloriam acquiramus. Et si fortè à Divina processerit voluntate, quod in isto prælio moriamur, non contristemur sicut illi, qui spem non habent: quod Cœlorum Regnum obtinebimus pro mercede. Si verò sicut strenui bellatores non deficiamus à nostrorum majorum virtute, victoriam fuerimus consequuti, ex hoc subsequentur nos bellorum maxima merces, gloria scilicet triumphalis, & fama probitatis, longo tempore duratura.

Post quam his, & hujuscemodi verbis, multum animos inflammavit, cum regali acie terribiliter ordinata, more Leonis ad nullius paventis occursum, cum impetu irruit super hostes; & ex eorum multitudine multa millia virorum mira virtute prostravit, victricem manum suam Domino apponente: universos verò in præcipitem fugam convertit. Capta est autem magna multitudo: inter quos simul cum Senatore capti sunt primi Principes, &

viri

viri nobiles, & potentes. Proditores etiam quamplures capti sunt, qui Regem deserverant, & adheserant Conradino. Hos omnes transfugas regie severitas fecit subire sententiam capitalem, Conradinus verò fugiens: de bello quidem evasit; sed dum de loco ad locum tremebundus transiret, deficientem sibi consilio evadendi, tandem incidit in manus quorumdam Civium Romanorum, qui pro immensa pecuniæ quantitate ipsum Regi potentissimo tradiderunt. Rex autem excepit illum gaudens, ipsumque fecit cum summa diligentia custodiri. Paucis itaque diebus post bellum transactum, ingressus est Romam magnificus triumphator, & acclamante populo Romano, suscepit lætanter Senatoriam dignitatem. Constituto itaque pro se in Urbe Vicario, & rebus prosperè ordinatis, in Apuliam est reversus, & post aliquot dies nobilem, & pulcherrimum Conradinum, & coætaneum ejus Ducem scilicet Austriæ, qui venerat cum eo de Alemannis, jussit apud Neapolim publicè decollari,

Qualiter Rex Carolus obtinuit Nuceriam.

ANno Domini 1259. Post longam obsidionem Rex Carolus obtinuit Nuceriam rebellantem. Nam deficientibus victualibus Saraceni attenuati fame, Civitatem, & seipsos Regis dominio tradiderunt. Rex autem evertit mœnia Civitatis, & Christianos rebelles, qui transfugerant ad Saracenos, & persuasione sua eos firmaverant in pertinacis rebellandi, gladio interfecit; illam verò multitudinem infidelium regalis providentia ita dividere procuravit, quòd audaciam resistendi penitùs amiserunt. Quidam autem ex eis errore infidelitatis relicto, baptismi gratiam humiliter receperunt.

His autem temporibus Pisani, & Senenses frequenti hostium insultatione afflicti se, ac sua jugo regalis potentiæ subdiderunt.

Quod Principes Occidentis in Africam transierunt.

POst obitũ benigniss. Regis (*Ludov IX.*) filius ejus Philippus, qui erat in Castris cũ Patre, Regni Franciç obtinuit Diadema: Rex autem Carolus, post Regis obitum, Capitaneus exercitus constitutus est. Rex novus illustris Philippus, & Rex Navarræ moventes à Carthagine, audaciter exercitum ante muros Tunicii perduxerunt: Saracenis, qui de totius Africæ partibus convenerant in auxiliam Civitatis, terga vertentibus, tentoriis, & tuguriis in campo cum omni supellectile derelictis. Adhuc non dum cum exercitu suo advenerat clarissimus Odoardus Rex autem Tunicensis considerans multitudinem Africanorum nullo modo posse substinere impetum populi Christiani, nimio timore territus, compositionem pacis à Regibus postulabat. Reges autem tum propter difficultatem Urbem munitissimam capiendi, tum propter pestilentiam mortalitatis, quæ vehementer exercitum affligebat, tale pactum cum Rege Tunitii pepigerunt; quòd ipse persolveret Regibus omnes transfretationis expensas, & tributum redderet Regi Carolo, & filiis suis, quod ipse solebat persolvere magno Principi Federico. Super hoc additum est in pacto, quòd quamdiu erit bellum contra Saracenos in partibus Transmarinis, dare stipendia tribus millibus militum teneatur. Rex itaque ditissimus hæc, & alia, quæ Reges Christiani petierunt, facere compromisit, & apertis thesauris suis protinus opere adimplevit.

EX GOFFRIDI VITERBIENSIS CHRONICO EXCERPTA.

DE EODEM.

GOtefridus, seu Geffridus, Viterbiensis à Patria dictus, Presbyter, à sacris, & scriniis Imperatorum Conradi III. & Friderici I. ejusque filii Henrici VI. Cappellanus; floruit 1186. Peregrinatione 40. annorum in qua Bibliothecas omnes excussit, cum peritia linguarum vulgarium, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, magnam sibi paravit eruditionem, rerumq; notitiam. Edidit Chronichon Prosa, & Metro ab initio Mundi ad an. 1186. & quia de omnibus Principibus agit, qui in Scripturis Sanctis Dii appellantur, ideo Pantheon vocavit. Multis fabulis, ineptiisque refertum rectè Labbaeus notat.

EX PARTE XVII.

De Leone Græcorum Imperatore, jam Carolo Romæ imperante.

LEo filius Bardi Patricii, Imperator in Græcis, cum quo rursus Carolus pacem perpetuam hoc modo componit, ut alter alterius semper frater nominetur: & alter ab altero semper juvetur: Græcus autem Imperator Orientem, Carolus verò, suique Successores, habeant Romam cum

toto Occidente. Quibus omnibus in pacem compositis, Carolus orationis causa, Hierosolymam per Constantinopolim transit. Factaque ibi oratione, per Siciliam (sicut dicitur) remeavit; atque inde per Calabriam, & Apuliam Romam rediit: ubi recepta benedictione, in Gallias rediens, apud Aquisgranum Ecclasiam Beatæ Mariæ opere mirifico ædificavit,

Carolus revertitur à Hierosolymis.

Dum rate festina Regem vehit unda marina,
Urbe Panormita portum capit absque ruina,
Omne solum Siculi munera solvit ei.
Carolus hic Siculũ recreat baptismate regẽ,
Quem jubet Ecclesiæ Romanæ sumere legẽ,
Catholici populi dogma tulere Dei.
Mons ibi stat magnus, qui dicitur esse Rolandus,
Altar Oliverius similiter ratione vocandus,
Hæc memorãda truces constituere Duces.
Mons ibi flammarum quas evomit Ætna vocatur,
Quo lapis ignitus cũ sulphure præcipitatur,
Hoc ibi tartareum dicitur esse caput.
Latrat ibi Scylla, dat plurima damna Charybdis,
Inde rates pereunt, homines merguntur in ipsis,
Gurgitis unda Phari damna pericla parit.
Carolus videns loculis, quæ damna feruntur ab illis,
Miratur patrias, Ætnæ rutilare favillis,
Urbi Messanæ dixit, amica vale.

Item de eodem.

Transit abinde Pharum, quem gurgite sensit amarum,
Rerum multarum cernens ibi damna suarũ;
Unde ferunt Regem non doluisse parum.
Suscipit hunc Calaber, properant vexilla potentum,
Omne solũ capiunt subita probitate retentũ,
Undique cum pace subdita terra jacet.
Inde per Apuliã miranda potentia Romam
Venit, & Imperii gestavit in Urbe coronam,
Organa cum Cithara, Fistula, trumba sonant.

De Lothario Imperatore, filio Ludovici, & de Ludovico, & Carolo, ejus fratribus.

Diviso Francorum Regno, Lotharius, cui Romanorum Imperium devenerat, . . . Porrò Lotharius Imperator tribus filiis suis Regnum, quod eum contigerat, partitur; Ludovico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Provinciam tradens . . . .

Quum igitur Lotharius, deposito cingulo militiæ, Monachus fieret, Anno ab incarnatione Domini 855. Ludovicus filius ipsius Lotharii Serenissimus sexagesimus tertius ab Augusto Octaviano suscepit Imperium . . . . .

Non multo post tempore transacto (*Anno* 872. & 873.) Adalgisius Dux Beneventanus, sub fiducia Græcorum, adjunctis sibi Campanis, Lucanis, atq; Samnitibus, Ludovico Imperatori rebellari proponit. Imperator itaque collatis copiis Beneventum bello invadit. Cui Adalgisius, in dolo datis muneribus à finibus suis discedere persuadet. Imperator rediens, omnes Civitates Campaniæ, & Lucaniæ, præter Capuam, sine gravibus doloribus cepit. Capua etiam deinde capta, & Episcopo cum Clero portante reliquias ante pedes ejus, cum lachrymis veniam postulante, in gratiam eos recepit, totamque Campaniam, & Apuliam à Græcis mundavit.

Paulopost Imperator, ex consilio Adalgisii Ducis, dimisso exercitu, Beneventum ingreditur; Dux, & Cives circa meridiem in Imperatorem dormientem faciunt insultum; ipsumque cum palatio comburere minantur, nisi jurejurando promittat, se fines eorum ampliùs non ingressurum. Imperator post hanc ignominiosam pactionem Romam venit; ibique coram Joanne Pontifice, qui Adriano successerat, præsente Senatu, causam suam exponit: propter quod Adalgisius Dux à Senatu hostis judicatur. Imperator à juramento, quod non spontè, sed pro vita servanda fecerat, absolvitur per Apostolicum. Quamvis tamen esset absolutus, ad evitandum peccati periculum non ivit Beneventum: veruntamen Reginam illuc cum exercitu destinavit. Adalgisius perterritus in Sardiniam fugit, & ab ira Cæsaris declinavit.

Terra Roberti Guiscardi in Apulia.

Eo tempore (*circa Annum* 1040.) Gens Normanniæ consurgens, sub Roberto Guiscardo, viro strenuissimo, & magnæ recordationis Duce, Apuliam ingreditur, ubi incolas terræ, variis modis, nunc potentia, nunc dolo, & fraude afflixit. Quos dum Leo Papa, Romam cum militia à Gallia rediens, incipit coercere, & ab Apulia intendit expellere; conserto cum eis prælio, multisque prostratis, victus cogitur fugere Beneventum. Tanta autem ibi ex utraque parte cecidit multitudo, ut acervus ibi postea factus ex ossibus mortuorum, usque hodie ab indigenis soleat viatoribus ostentari.

Nor-

Normanni invadunt Apuliam tempore Quarti Henrici Imperatoris.

HEnrici Quarti dum gloria vergit ad imum,
Sentit & Apulia Normãnica prelia primum,
Vincitur & Calaber nunc, Siculusq; finns.
Dux ibi Normannus Willelmus primò notandus,
Postque Robertus Magnus Viscardus adest memorandus,
Cujus & in modico maxima gesta dabo.
Paganos Siculos hic in sua jura redegit,
Apulus, & Calaber victus sibi colla subegit,
Quos modò Willelmus Rex probitate regit.

Robertus Viscardus comburit Lateranum, dum Imperator Papam Paschalem captum Romæ teneret.

NOn erat Henrico licitum defendere terram,
Namque per Imperium fuerat validissima guerra,
Papaque Paschalis vincula captus adit,
Henricus Quintus dum gestat in Urbe Coronam,
Audet Viscardus partim comburere Romã,
Hinc Lateranensis porta perusta fouet.
Transit ut ad Danaos, referunt sibi prælia Græci,
Regia ibi Danai pars extitit hostia lætbi,
Copia fit spolii, miraque massa necis.
Dux erat in rebus pauper, dives probitate,
Addidit ex corio nummos expendere latè,
Cum quibus, & Danai copia victa jacet.
Devictis Danais, post tempora fertilitatis
Reddidit argentum pro denariis coriatis,
Militibus gratis dat sua dona satis.
Robertus Viscardus obit tandem sine prole;
Rogerius Germanus ei succedit honore,
Climata Siciliæ possidet atque fovet.
Rogerius Paganus erat de more vocatus,
Rogerius de Rogerio Comes est generatus,
Gemma sui generis, & probitate caput.
Gemma fuit, regnare sui meruit probitate,
Apulus, & Calaber fit ei subjectus, & Apher,
Quod loquor ecce patet, terra subacta jacet.
Rogerii Regis hic tempus, & acta relinquã,
Cęsaris Henrici Quinti rem primitùs inquã,
Post quoq; Rogerio tempus, & acta dabo.

De Nuptiis Henrici Sexti.

ANno ab Incarnatione Domini 1186. Indictione sexta, sexto Kalendas Februarii, Rex Henricus Sextus cum Regina Constantia, filia Rogerii Regis Siciliæ, nuptias gloriosas celebravit Mediolani apud Sanctum Ambrosium, anno ætatis suæ vigesimo primo, anno autem Regni sui decimo septimo.

Partis XVII. Finis.

EX GUNTERIO POETA LIGURINO, DE GESTIS FRIDERICI I. IMPERATORIS, EXCERPTA.

DE EODEM.

OTtonem Frisingensem, & Radevicum in in sua Poemate per omnia sequitur in factis Friderici Ænobarbi, quem à Mediolano expugnato Ligurinum appellat. Pro sæculo illo, magni spiritus, & ingenii Poeta. Floruit 1150. scholiis eamdem illustravit Jacobus Spigelius Selestadiensis.

EX LIBRO PRIMO.

NEc minus Apuliæ Calabria, qui ex finibus alti
Sanguinis, hic aderant Proceres, quos ille locorum
Invasor patriis migrare Rogerius oris,
Jusserat, & tota profugos Regione fugarat.
Multaque flebiliter crudelia facta tyranni
Dequesti, patria sese tellure fugatos,
Proscriptosq; bonis, indignaq; plurima passos
Morte, vel exilio, vel longo carceris usu
Dãnatos, miseras gemitu rũpente querelas,
Addiderant, rebusq; suis à Principe nostro
Auxilium, & Regni vindictã jure petebant.
Mota manus procerũ, Regẽq; fideliter õnes
Tam manifesta rogant, totius scandala regni
Vindicet, & tantam juris, morumq; ruinam.
Accipit hęc lętus Princeps, gaudet q; rogari,
Materiamque novæ sectandæ laudis habere,
Signaq; trans alpes post prima biennia ferre
Regia, communi procerum juramine sancit;
Ut simul Imperii sacra de sede coronam
Sumat, & injusti fera corrigat acta Rogeri.
Hunc, ut fama, virum, pariter cum fratre Roberto,
Cui propter sensus agiles animiq; vigorem,
Cognomen Viscardus erat, Normannia quondam
Ediderat, sed mente suis, & pectore longe
Prestantes, validosq; manu, formaq; venustos,
Laudis amatores, magnarum semina rerum
Quęrentes, cupidosque suis notescere factis.
Quoq; magis sese clavo de sanguine regum,
Quam de privata Gallorum gente docerent.
Hi dũ sub teneris, & adhuc crescẽtibus annis
Nescio, quid valido tractarent pectore pulchrum,
Ipsa nimirum fortuna, voce latenti,
Exhortante viros, & blanda maxima queq;
Promittente manu, jam spe ventura trahẽtes,
Omne solũ forti patriam cuiq; esse putarunt,
Ausi

Auſi ſunt tota, ſpretis natalibus agris,
Denigrare domo, nomen gentemq; domumq;
Optantes peperiſſe ſibi: nec Gallica tantum
Rura, ſed obruptas excelſis rupibus alpes
Feſtino tranſire gradu: tandemq; per Urbes
Italiæ, Latiaſque domos, quaſi debita rura,
Apuliam, Calabruſque viri petiere penates.
; Regia ſic volucris, primas ut creſcere plumas
Artubus, & teneros dureſcere ſẽſerit ungues,
Naturæ ſectantur iter: jamjamq; parentum
Officio contemnit ali, nidoque relicto
Egreditur, parvoque pudet latuiſſe cubili:
Mox confiſa ſibi ſecuro tuta volatu,
Aut leporẽ venetur agris, aut ætheræ cygnũ
Corripit, & proprios in acuta rupe penates
Ædificabat, ſimileſq; ſibi parat edere fœtus.
Illa quidem tellus nullius muneris expers,
Fœtibus arboreis uberrima, vitibus, agris,
Urbibus, & Caſtris, omniqu; decore nitebat:
Sed vulgus ſtolidum, pravum, rude, futile, vanum, (mum,
Moribus incultum, fragili mane corpore fir-
Ocia longa ſequi ſolitum, fugienſq; laboris,
Mẽte, manuq; pigrũ, nec pace, nec utile bello,
Ergo viri mores hominum, cultuſq; locorum,
Ingeniumq; ſuum, ſollerti pectoris aſtu
Tractantes, ſemperque virus ingentia fortes
Auſa decere rati, potiundi finibus illis
Spẽ rapiunt animo: miſſiſq; fidelibus, omnes,
Frãcigenas, quos aut humilis fortuna parentũ
Aut novitatis amor, ſeu magna audacia mentis
Finibus è patriis ad premia magna vocavit,
Adſciſcunt, tutamq; brevi ſub tẽpore terram
Viribus, arte, dolis, multuq; labore ſubactam,
Civibus expulſis, injuſto jure tenebant.
Teque ſibi, patriæ laudis Robertus, & alti
Nominis herdẽ dignum Boamunde reliquit
Qui mox auſpiciis tibi deſignata paternis,
Antiochena manu cæpiſti mœnia victor
Fatalis, generiq; tuo ſervanda dediſti,
Alter at equivocũ ſibi, conſimilemq; Rogerũ
Progenuit: Patris, qui nunquã degener actis,
Marte ſuo Siculis adjecit plurima Regnis,
Quin & belligeris Byzantion uſque carinis,
Vectus inauratas in regia tecta ſagittas.
Ipſe manu propria juvenili fortiter arcu
Miſit, & æternæ laudis monimenta reliquit.
Hanc tamen hiſtoriæ ſeriem pleriq; relatu
Confundunt, variantq; ſuo, ſolique decorem
Roberto, magni gaudent adſcribere facti,
Cumq; Boamũdo fortem genuiſſe Rogerum
Hunc perhibent, natoſq; ſuis virtutibus ambos
Informaſſe patrem: nec ſolum rebus in illis
Quas jã ſors dederat, ſed quas preſaga futuri
Spondebant mens alta viro, magniq; paratus
Hæredes in ſpem magnam ſuccedere juſſos
Inſtituiſſe ſibi, mandataque fortia pulchræ
Indolis, extremo pueris in fide dediſſe,
Et larga tribuiſſe manu, quecumq; vel hoſtis,
Vel timidus, dignuſq; minus poſſeſſor haberet.
Unde Boamundo noſter Solymarius illam
Externi juris Lybiam, Syculoſque penates,
Et claram Antiochi, quam non dum viderat Urbem
Aſſignaſſe refert, fama vulgata ſequutus.
Rumor, & ambiguo ſcribenti grandia verſũ
Ignoſcat vatis nondum ſatis illa propago,
Et Siculæ ſeries nobis innotuit aulæ:
Ex qua præclaro generoſã ſanguine nuptam
Auguſtos tetigiſſe ſinus, caſtumque potentis
Regis iniſſe thorum lætatur maximus orbis,
Mox Appenninũ ſcopuloſo limite tranſit,
Ingrediturq; tuos bellatrix Tuſcia fines.
Occurrere Duci Proceres, quos bellica Piſa
Miſerat equorei celeberrima Piſa triumphis,
Piſa peregrinis ſtatio bene nota carinis.
Hos jubet in Siculũ cõdito tempore Regem
Cogere belligeros, atque emunire carinas,

JACOBI SPIEGELII SCHOLION.

(IN *Siculum Regem*) Guillelmum Primum filium ejus Rogerii: qui à Cæſare, Imperatore Lothario Saxone Regno Neapolis exactus, poſt quam recepiſſet omnia, tantum titulo Regis Italiæ abſtinuit, contentus inpoſterum Siciliæ Rex appellari. Res ejus ſcribunt inter præcipuos Platina, Sabellicus, Ritius, & Volaterranus. Ex noſtris Otho, Urſpergenſis, Avunculus meus, Nauclerus, & Crantius.

INterea patriis Andreas finibus exul,
Atq; alii Proceres, Siculus quos ille Tyrãnus
Appuliæ totis dudum proſcripſerat oris,
Ceu Poſtliminio Romani jure reverſi
Principis, injecta fines, ereptaque dudum
Jura, manu, firmaſq; urbes, & caſtra tenebant.
Omnibus attonitis, Regemque putantibus ipſum
Pone ſequi, jam jamq; ſuos invadere fines,
Et certè facturus erat, cupiduſq; parabat
Ultrices illuc Cæſar transferre cohortes:
Sed vapor æthereus, rapidique moleſtia cœli,
Et Comitum languor, longuq; labore ſolutũ
Vulgus, & innumero fulgentia funere caſtra,
Ne faceret tenuere virum, monituque fideli
Theutonici Proceres renuentem, & pugnæ parantem
Cepta coegerunt ad Tranſalpina reverti.
Hec de reſponſis divi Pater optime, Regis,
Salva pace tua, tibi reſcribenda putamus.
Nãq; preter ea ſuper addidit, utpote quaſdã
Pactorum tacitas ignaro Principe leges
Contractuſq; novos, & cõſpirata latenter
Fœdera cũ Siculis, melius reticenda videntur,

JACOBI SPIEGELII SCHOLION.

(FŒdera *cum Siculis*) Guillelmus Siciliæ Comes, qui patri Rogerio, quem Lotharius Cæſar Regno Neapolis exegerat, ſucceſſit, ſtatim initu Principatu Eccleſiæ rem contrectare cæpit. Unde Adria-

pus

nus in eum, à se diris primum execrationibus devotum, copias duxit, tamen parum feliciter. Nam apud Brundusium conserta manu, Græcos, & Apulos, qui pro Pontifice stabant ingenti prælio fudit, raptoque mox in Adrianum agmine, compulit ipsum ad ultro offerendum eas pacis conditiones, quas antea respuerat; inter quas erat, & illa, ut scilicet se Regem utriusque Siciliæ declararet.

EX SIGEBERTI GEMBLACENSIS CHRONOGRAPHIA EXCERPTA.

DE EODEM.

Sigebertus in Brabantia Gemblacensis Monachus, in Monasterio Metensi S. Vincentii scholam bonarum disciplinarum pro Monachis, & Clericis aperuit: postea Gemblacum reversus, erudité multa scripsit. Inter ea Chronographiam ab anno Domini 381. ubi desinit S. Hieronymus usque ad annum 1112. in quo ipse obiit. Henricianis partibus pervicaciter addictus, contra Romanos Pontifices nimis infenso animo oblocutus est. Ad ejus Historiam Appendicem contexuit Robbertus Abbas de Monte ad annum 1210.

ANno Christi 669. Constantinus Imperator, qui & Constans, omnibus suis exosus, Syracusis à suis in Balneo est occisus.

Constantius, Constantis filius, post Patrem imperat annis 17.

Mitius quidam in Sicilia Tyrannidem meditatus, mox extinguitur.

Anno 672. Sarraceni Siciliam invadunt, & omnibus direptis, Alexandriam redeunt.

Anno 728. Gregorius Papa, quia Leonem Imperatorem incorrigibilem vidit, Romam, & Italiam, & Hesperiam totam ab ejus jure deficere facit, & vectigalia interdicit.

Anno 831. Sarraceni Siciliam incursantes, etiam Lipparim Insulam devastant, ubi Corpus Bartholomæi Apostoli quiescebat . . . . . Cujus ossa à Sarracenis huc illucque dispersa, & à quodam Monacho, ipso revelante, collecta, Beneventum transferuntur.

Anno 837. Sarracenis ad depredandum usque ad Portum Romanum venientibus, Romani instantia Leonis Papæ, auxiliantibus sibi etiam Neapolitanis, eos bello excipiunt, & cooperante divinitùs sibi gravi turbine ventorum, usque ad internicionem penè victos delent.

Anno 867. Sarracenis Beneventanam Regionem incursantibus, Ludovicus Imperator viriliter occurrit, ad cujus auxilium Lotharius frater ejus properans, multa quidem prælia cum eo strenuè gessit, sed exercitu suo propter intemperiem aeris morbis, & morsibus Aranearum nimis gravato, cum multo suorum dispendio rediit.

Anno 873. Adalgisus Dux Beneventanorum à Græcis seductus, contra Ludovicum Imperatorem rebellat, & Multas Italiæ Urbes ab eo desciscere facit, cui Imperator viriliter repugnans Beneventum, & Capuam capit. Sed dolis Adalgisi persuasus exercitum dimittere, ita ab eo est circumventus, ut non posset evadere, nisi turpi fœdere facto, compulsus jurasset Adalgisio, se nunquam in vita sua Beneventi fines intraturum. Ob hoc Adalgisius à Senatu Romano reus Majestatis, & hostis publicus adjudicatus; & bello contra se decreto in Corsicam fugit.

Anno 891. In Italia Sarraceni Castrum quoddam Fraxinetum occupantes, magno exitio Italiæ esse cœperunt.

Anno 916. Sarraceni à Fraxineto, & Gareliano, monte exeuntes Calabriam, & Apuliam, Beneventum, Romanorum quoque Urbes ita occupant, ut unamquamq; mediam Romani, mediam Sarraceni tenerent, & gravissimè Italiam præmebant.

Anno 923. Africani, qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, per militiam Joannis Papæ, & per auxilium, Romani Græcorum Imperatoris, conserta cum eis pugna, ita atterrantur, ut ne unus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur aut caperetur; multis testantibus, Apostolos Dei Petrum, & Paulum in illo bello visos fuisse ad auxilium Christianorum.

Anno 932. Beneventani contra Græcos bellum agentes, quotquot Græcorum capiebant eunuchizabant.

Anno 998. Hoc tempore quidam Religiosus ab Hierosolymis veniens in Siciliam Reclusi cujusdam humanitate aliquandiù recreatus, didicit ab eo inter cætera, quod in illa vicinia essent loca eructantia flammarum incendia, quæ loca vocantur ab incolis Olla Vulcani, in quibus Animæ Defunctorum luant diversa pro meritorum qualitate supplicia, ad ea exequenda deputatis ibi Dæmonibus, quorum se crebrò voces, iras, & terrores, sæpè etiam ejulatus audisse dicebat plangentium, quod Animæ de manibus eorum eriperentur per eleemosynas, & preces Fidelium, & hoc tempore magis per orationes Cluniacensium

sium orantium, indefessè pro requie Defunctorum. Hoc per illum Abbas Odillo comperto, constituit per omnia Monasteria sibi subjecta, ut sicut primo die Novembris solemnitas omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die Memoria omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui rithus ad multas Ecclesias transiens, Fidelium Defunctorum Memoriam solemniari fecit.

(*Hanc ipsam Historiam largiùs narrat S. Petrus Damianus in Vita S. Odilonis Abbatis Cluniacensis, & exscribit Octavius Gajetanus Tomo II. Sanctor. Siculorum fol.* 100.)

Anno 1036. Simeon, Syracusis Siciliæ Oriundus, & postea Monachus in Monte Sina, hoc tempore clarebat, qui Hierosolymam veniens, longam pro Christo peregrinationem suscepit, & cum Popone Treverorum Archiepiscopo ad Gallias veniens, Treveris in altitudine turris inclusus est, Ibique post multas hominum persequutiones, post multas Dæmonum tentationes, beato fine quievit, cujus merita frequentia miraculorum declaravit.

Anno 1035. Robertus, & Richardus, minuendæ domo multitudinis causa, hoc tempore à Normannia Franciæ digressi Apuliam expetunt; & Italia inter se dissidentibus, dum alteri contra alterum auxilium præstant, hac opportunitate Italos callidè, & fortiter debellant, & successus urgendo suos, nomen suum dilatant, & futuræ prosperitatis sibi viam parant.

Anno 1038. Normanni in Apulia copiis suis à Normannia paulatim adductis, ad invadendam Apuliam fortitudine sua, & Italorum imbecillitate animati, Castellis, & Urbibus, aut dolo, aut virtute captis, in Apulia potenter agunt, vicinisque gentibus terrorem sui nominis incutiunt.

In Apulia erat quædam Statua marmorea, circa caput suum æreum habens circulum, in quo erat scriptum; Kalendis Maii, Oriente Sole, habebo caput aureum. Quod quidam Sarracenus à Roberto Wiscardo Duce Normannorum captus, quid portenderet intelligens, in Kalendis Maii Oriente Sole diligenter notato termino umbræ illius statuæ, infinitum thesaurum, effossa ibidem humo, reperit; Quem pro sua redemptione eidem Duci obtulit.

Anno 1018. Bajamundus Dux Apuliæ, contracto undecumque exercitu, accingitur ad invadendum Constantinopolitaum Imperium.

Anno 1112. *Hoc anno mortuus est Sigebertus Gemblacensis Monachus descriptor præcedentium, & Robertus Abbas de Monte, quam damus Appendicem addidit.*

Anno 1113. Rex Hierusalem Balduinus uxorem duxit relictam Rogarii Ducis Siciliæ.

Anno 1142. Rogerus de Sicilia, post occupatum Calabriæ, & Apuliæ Principatum, Papam Innocentium bello capit, & facta cum eo qualicumque pace, ut ab eo in Regem coronaretur obtinuit, sicque primus de Normannorum genere Regis sibi nomen usurpavit, & postmodum etiam in Africa nonnullas Civitates, sive Provincias occupavit.

Anno 1148. Manuel Rex Græcorum Nuncios Regis Siciliæ, quos ad eum pro exequendo pacis fœdere miserat, detinuit mancipatos carcere; unde iratus Rogerus, misso navali exercitu Corinthum spoliavit, cum quibusdam aliis Civitatibus, & Castellis in Græcia, & infinitam sumens diversi generis paludamentorum, & vestis preciosæ substantiam, cum auri & argenti copia, captivavit de Græcis nonnulla millia, cæpit etiam Insulam Cursolium, & in ejus portu edificavit forte præsidium.

Rogerus Rex Siciliæ exercitum navalem direxit ad fines Africæ, captaque insigni Civitate, quæ dicitur Africa, Svilla, Affax, Clipea, aliisque Castris pluribus, Archiepiscopum Africæ, qui sub servitute Romam venerat consecrandus, ad Sedem suam remittit liberum.

Anno 1149. Conradus, & Manuel Imperatores, convenientes in Græcia, expeditionem parant contra Rogerum de Sicilia, Sed exercitibus profligatis, ob famem, & aurarum intemperantiam, Conradus tamquam rediturus repatriavit in Alemanniam.

Ludovicus Rex Francorum à Palestina navigans, ut in patriam rediret, Græcorum naves incurrit. Cumque ab eis Imperatori Cursolium obsidenti præsentandus deducitur, Georgius Dux navium Regis Siciliæ eos aggreditur; siquidem vastatis, & spoliatis Græcorum Provinciis, usque ad ipsam Urbem Regiam Constantinopolim accedens, sagittas aureas in Palatium Imperatoris fecerat jaculari, & incensis suburbanis de fructu hortorum Regis violenter tulerat; undè rediens, naves Græcorum incurrit, captum Lodovicum Regem eripit, sed captos, Regis obtentu dimittit.

Interim Manuel, recepto in deditionem Cursolio, Siculorum naves per suos insequitur, & captis nonnullis navibus, Rex fuga liberatur, & Rege Rogero, necnon & Papa Eugenio, honorificè suscipitur, atque deducitur.

Anno 1152. Massamuti (*quos quidam Moabitas dicunt*) post usurpatum Mauritaniæ Regnum, Regemque patibulo affixum, etiam Regem Bulgiæ occidentes, Regnum ejus invadunt, ipsamque Siciliam, Apuliam, Romam quoque, se invadere minantur.

Anno 1154. Princeps utilis, & strenuus,

& acti-

& actibus clarus, Rogerus Rex Siciliæ, post insignes de Sarracenis Victorias, & terras eorum occupatas obiit. Nec inferiorem se filium Guillelmum Regem, & victoriarum successorem dereliquit.

Guillelmus Rex Siciliæ, misso navali exercitu, Urbem Taneos, in Ægypto vastat, & spoliat, unde magnæ opes auri, & argenti, ac pretiosæ vestis copia multa deducitur. Sed inde revertentes stolum Imperatoris Græcorum offendunt; & cum essent de Græcia circiter centum quatraginta naves, Siculæ numero pauciores eos vincunt spoliant, & capiunt, & infinitæ opum diversarum copiæ Siculis inde proveniunt.

Massamuti (*idest Mohabitæ de Africa*) in Italia Puteolis castrum spoliant, quos Rex Siciliæ per suos navibus persequens capit, & exterminat.

Anno 1156. Fridericus I. Rex Alemannorum Romam perrexit; & ab Adriano Papa, contra Romanorum voluntatem receptus, & in Ecclesia Beati Petri in Imperatorem ab eo est constitutus. Volens autem ultra progredi scilicet in Apuliam (*condixerant enim sibi per Legatos suos ipse & Emmanuel Imperator Constantipolitanus, qui duxerat uxorem ejus Filiam, ut venientes ex diversis partibus, pessundarent Regnum Apuliæ, & Regem ejus Willelmum*) mutata ejus voluntate in Patriam suam, se recepit. Nec tamen Willelmo Regi Apuliæ bellum defuit. Nam Robertus de Basevilla Comes, qui erat cognatus ejus, & Richardus de Ling, Comes Andriæ, putantes Regem mortuum, cum non esset (*ægrotaverat enim, sed tamen postea convaluit*) sunt per Regnum Apuliæ graviter debaccati.

Anno 1157. Guillelmus Rex Siciliæ Civitatem Barum funditus evertit, præter Ecclesiam S. Nicolai, quia Cives illius Græcis faventes, nequissimè contra ipsum conspiraverant.

Græcos etiam terræ, & mari idem Rex superavit, & de spoliis eorum locupletatus est, & ea quæ perdiderat Castella, & Civitates, in jus proprium revocavit. Exhæredavit etiam Comitem de Basevilla cognatum suum, quia ab ipso desciverat. Nihilominus cum Papa Adriano pacem fecit, concedendo ei consecrationes Episcoporum Regni sui, & Ducatus, sicut antiquitùs eas habuit Ecclesia Romana, undè discordia fuerat inter Patrem suum Regem Rogerium, & Innocentium, & Eugenium Romanos Pontifices. Idem verò Apostolicus concessit ei Regnum Siciliæ, & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ.

Anno 1158. Guillelmus Rex Siciliæ navali expeditione per Admiralios suos cepit Sybillam Civitatem Metropolim, sitam inter Africam, & Babilonem: Est autem eadem Civitas caput Regni Insulæ Gerx, in qua idem Rex habitatores immisit Christianos, & eis Archiepiscopum præfecit.

Fredericus Imperator Alemannorum post Pascha transiens Alpes, obsedit Urbem nobilissimam Mediolanum, & post longam obsidionem, reddita Urbe, & obsidibus datis, processit ulteriùs ad oppressionem, si posset Willelmi Regi Siciliæ.

Anno 1163. Comes Robertus de Basevilla adversus Villelmum cognatum suum Regem Siciliæ rebellat in Apulia, & multis coadjutoribus secum adunatis, majorem partem Maritimarum Civitatum sibi conciliat.

Guillelmus Rex Siciliæ transiens de Sicilia, in Apuliam, cum magno exercitu, Roberto de Basevilla fugato cum complicibus suis, Civitates, & Castella, quæ à se defecerant, recuperat.

Anno 1166. Alexander Papa Romanus, relinquens Senonem, in qua ferè duos annos moratus fuerat, veniens ad Montem Pesulanum, navali subvectione perrexit ad terram Willelmi Regis Siciliæ, licèt insidiæ Piratarum Imperatoris Alemanniæ ei in mari non deessent.

Anno 1167. Obiit etiam Willelmus Rex Siciliæ, & successit ei Vuillelmus filius ejus.

Anno 1170. Catina Civitas Siciliæ terremotu concussa, & prostrata est, & multi in ea perierunt.

Anno 1177. Vuillelmus Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, per Legatos requisivit, & Joannam filiam Henrici Regis Anglorum in uxorem accepit.

Anno 1178. Vuillelmus Rex Siciliæ fecit chartam fieri Joannæ Reginæ suæ uxori de dotalitio suo: cujus partem hic posuimus. Vuillelmus Rex Siciliæ divina favente clementia Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ. Per hoc præsens scriptum damus, & in dotalitium concedimus Joannæ Reginæ, charissimæ uxori nostræ, Henrici magnifici Regis Anglorum filiæ, Civitatem Montis S. Angeli, Civitatem Fixonti, & Civitatem Vestæ, cum omnibus justis tenimentis suis, & pertinentiis earum. In servitio autem concedimus ei de tenimentis Comitis Gaufridi, Alesiuæ, Peschizam, Bizum, Capritæ, Beranum, Sillizum, & omnia alia, quæ idem Comes honore ejusdem Comitatus Montis S. Angeli tenere dinoscitur. Concedimus ei etiam similiter in servitio Candelarium Sanctum Clericum, Castellum Papanum, Bisentinum, & Coniavum. Insuper concedimus, ut fuit de tenimento ipsius dotarii, Monasterium S. Joannis de Lama, & Monasterium S. Mariæ de Pulsano, cum omnibus tenimentis, quæ ipsa Monasteria tenent, de honore prædicti Comitatus Montis

tis S. Angeli. Ad hujus autem donationis, & concessionis nostræ memoriam, & inviolabile firmamentum, presens Privilegium per manus Alexandri Notarii nostri scribi, & Bulla Aurea tympano impresso roboratum nostro sigillo jussimus decorari. Hujus chartæ, & testes, & Regia sigillum invenies in principio libri Origenis super Num.

Anno 1180. Rex Maroc, in cujus potestate est tota Africa, & etiam Sarraceni, qui sunt in Hispania, mittebat filiam suam, ut quidam Rex Sarracenorum duceret eam in uxorem, quam Stolus, & Galeæ Regis Siciliæ invenerunt, & adduxerunt ad dominium suum. Unde Rex lætus pacificatus est cum patre ejus, illa reddita, & pater ejus reddidit Regi Siciliæ duas Civitates, scilicet Africam, & Sibiliam, quas Sarraceni abstulerant Vvilelmo Regi Siciliæ, Patris istius Regis.

EX SIFFRIDI PRESBYTERI MISNENSIS EPITOME EXCERPTA. Lib. II. ad Annum 1209.

DE EODEM.

Siffridus vixit circa Annum 1307. Chronicon, quod ab orbe condito ad sua tempora pertexuerat, Georgius Fabricius in Epitomen redegit, ab anno Domini 458. quam Pistorius inter Germanicarum Rerum Scriptores edidit.

De Secundo Friderico Imperatore.

PApa Innocentius III. Fridericum II. filium Imperatoris Henrici VI. ad sceptrum Regni sublimavit, adhuc vivente Othone Imperatore, quem pridem idem Papa excommunicaverat. Qui excommunicatus fuit usque ad obitum suum; sed in articulo mortis à Prælatis absolutus est. Fridericus II. Imperium adeptus, regnavit annis 30. Hic erat ingeniosus, studiosus, & literarum scientia magnus; leges optimas pro libertate Ecclesiæ, & contra Hæreticos edidit. Iste supra omnes divitiis, & gloria abundavit. Tandem filios suos Reges constituit super diversa Regna, videlicet Conradum, Meinfridum, & alios. In diebus ipsius tam Latinorum, quàm Theutonicorum, & aliarum Nationum Provinciæ multa pace, & tranquillitate, & abundantia gaudebant.

De Morte Friderici Imperatoris

IMperator Fridericus II. ad extrema vitæ deveniens, perceptis Ecclesiasticis Sacramentis, mortuus est, & sepultus apud Fogiam.

EX CHRONICO REGINONIS MONACHI EXCERPTA.

DE EODEM.

Regino, Natione Germanus, primò Monachus Prumiensis, deinde anno 892. per septemnium Abbas, donec ab æmulis cedere coactus est; obiit circa annum 908. Scripsit ad Adalbaronem Metensem Episcopum Chronicon à Christi Nativitate ad annum 907. libris duobus, quibus Res præcipuè Gallorum, & Theutonicorum attigit: Appendix ad annum 972. à Recentiore Scriptore adjecta est.

ANno 576. His diebus Constantinus Augustus Italiam à Langobardorum manu eripere cupiens, Constantinopoli egressus venit Athenas, in Tarentum applicuit; inde Beneventum intravit, omnesque penè Civitates Langobardorum, per quas venerat, cæpit. Luceriam usque ad solum prostravit. Deinde Beneventum cum omni exercitu circumdedit, ubi Romualdus filius Grimaldi se incluserat. Imperator accepta obside prædicti Romualdi Sorore, soluta obsidione Neapolim proficiscitur. Inde Romam perrexit, cui sexto ab Urbe milliario Vitalianus Papa cum Sacerdotibus, & Populo Romano occurrit, qui obtulit Beato Petro Pallium auro textile, & manens apud Romam diebus 12. omnia quæ fuerant antiquitus instituta ex ære in ornamentum Civitatis deposuit, in tantum, ut etiam Basilicam Beatæ Mariæ quæ aliquando Pantheon vocabatur, discooperiret, tegulasque æreas inde auferret. Post hæc, Neapolim reversus itinere terreno perrexit Civitatem Rhegium, ingressusque Siciliam habitavit Syracusas. Mansit autem in Sicilia sex annos, ubi post plurimas, & inauditas deprædationes, in Balneo à suis extinctus est. Post hujus mortem Mezentius in Sicilia Regnum arripuit, sed absque Orientalis exercitus voluntate; contra quem Italiæ milites, alii per Histriam, alii per Campaniam, alii verò à partibus Africæ, & Sardiniæ venien-

veniente in Syracusas eum vita privarunt. Constantinopolim caput falsi Imperatoris deportatum est.

Hæc audiens Gens Sarracenorum, quæ jam Ægyptum, & Alexandriam pervaserat, subitò cum multis navibus venientes Siciliam invadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, auferentes quoque prædam nimiam, & omnem illum, quem Constantinus à Roma sumpserat ornatum, in ære, & diversis speciebus, ad Alexandriam reversi sunt.

Anno 867. Per idem tempus Gens Sarracenorum in Beneventum ex Africa veniens, Regionem illam invaserunt, cædibus, rapinis, ac incendiis omnia depopulantes: Contra quos Imperator Ludovicus exercitum contrahit, & veritùs ne fortè adversus innumerabilem hostium multitudinem vires Regni non sufficerent, ad fratrem in Gallias Legatos mittit, omninò exposcens, ut ad præfatæ nequissimæ gentis vires extenuandas, audaciamque refrenandam, sibi cum Dei auxilio, virtute quoque Francorum opitularetur. Qui nihil cunctatus, exercitum cum ingenti industria undequaque contrahit, fratrique quanta potuit celeritate in adjutorium venit. Ubi plurima bella gesta sunt, non solum fortiter, sed etiam feliciter, Deo opem ferente. . . . . .

Anno 871. His diebus Adalgisus Dux Beneventanus, Græcorum persuasionibus ruptus, adverses Ludovicum Imperatorem manum levavit. Etenim ejus hortatu plurimę Civitates Provinciarum Samnii, Campaniæ, & Lucaniæ à Ludovico recedentes, Græcorum dominationi se subdiderunt. Quibus cognitis Imperator in Provinciam Samnitum exercitum transfert, petiturus harum Provinciarum caput Beneventum, ditissimam, & opulentissimam Civitatem. Adalgisus adventare exercitum sentiens, timore perterritus ad callida argumenta convertitur, & Benevento egressus Imperatori ultrò se offert. paratum se esse, & semper fuisse ad ejus obsequium profitetur, nunquam defectoribus se assensum præbuisse juramento confirmat: deinde muneribus Regem sibi conciliat, ac mox in pristinam recipitur gratiam. Imperator in Campaniam, & Lucaniam, ad Civitates, quæ defecerant, copias transponit, quas absq; difficultate in deditionem recepit, excepta Capua, quæ quia quadrato lapide erat constructa, audaciam repugnandi Civibus præbuit. Cingitur itaque obsidione, omnisque aditus intrandi penitus intercluditur, in circuitu vastatur, cuncta hostili rapacitate diripiuntur: novissimè vites, oliveta, & cæteræ fructiferæ arbores radicitus exciduntur. Capuani desperatis rebus Episcopum Civitatis adeunt, Corpus S. Germani Episcopi, cujus animą venerab. Pater Benedictus in sphæra ignea ab Angelis in Cœlum viderat deferri, in fetretro levant, & sic portis apertis supplices castra Imperatoris petunt, orantes ejusdem Sancti interventu sibi veniam largiri. Augustus, ut totis pietatis visceribus affluebat, misericordia motus, erratis atque excessui benignè indulsit, præcepitque exercitui ab excidio retrahere manum. Expulsis itaque Græcis, custodes ex numero satellitum in Civitatibus quas receperat, locat, & Beneventum proficiscitur, ubi aliquantisper decreverat immorari. Exercitus longa Civitatum obsidione fatigatus, genitale solum cœpit suspirare, post emersos labores quietem desyderare, conjugum, ac liberorum dulcea amplexus ante oculos mentis revocare, & hac ex causa paulatim quotidiè diffluere. Interim Adalgisus, ut erat callidus ingenio, Imperatorem alloquitur, cur vires suorum nullis existentibus causis profligaret, cur agros, villasq; suæ ditioni subditas hostiliter depopulari permitteret: oporteret ut fessis optata concederet, & regio, quæ jam penè devastata erat clementia Principis salvaretur. Flexus his suggestionibus Imperator exercitum pro maxima parte absolvit, & ad propria repedare permisit: ipse cum paucis in eodem loco remanet, nil adversi suspicatus. Adalgisus Regem suis viribus destitutum cernens, jam dudum conceptam iniquitatem parturit, & cum suæ conspirationis sectatoribus palatium, in quo Imperator meridiè quiescebat, occupare nititur. Rex à strepitu, & clamore irruentium excitatus, lecto desilit, arma corripit, & cum per paucis corporis sui custodibus ad ostium domus turbatus repentina irruptione procedit, aditumque ferro intercludens hostem à liminibus arcet. Adalgisus sentiens non sine discrimine ostia domus esse penetranda, ab introitu pedem retrahit, palatiumque flammis jubet exuri. Interea Rex inducias sibi dari petit, pacemque obnixè deposcit: cui responsum est, non aliter petita impetraturum, nisi priùs jurejurando devovisset, nunquam se diebus vitæ suæ Beneventi fines intraturum, neque ex calumnia, quam tunc patiebatur, vindictam aliquando exacturum. Allatis itaque Sanctorum pignoribus, necessitate constrictus, Sacramentum quod ab eo exigebatur, juravit, statimque postera die à Benevento exivit.

Anno 872. Ludovicus Imperator Romam venit ibique, conventum celebrans, coram Summo Pontifice, multa super Adalgisi tyrannide conquestus est. Tunc à Senatu Romanorum idem Adalgisus tyrannus, atque hostis Reipublicæ declaratur, bellum etiam adversus eum decernitur;

Joannes Papa Imperatorem à juramento, quo se obligaverat, authoritate Dei, & Sancti Petri absolvit, affirmans nihilobesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec Sacramentum esse dicendum, quod contra salutem Reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus, fuerit prolatum. His exortationibus Principis animus ad rediviva certamina provocatur: tamen ne à suis perjurus diceretur, nequaquam ipse contra Tyrannum procedit, sed Reginam cum exercitu dirigit. Adalgisus certis indiciis colligens, bellum adversus se summis viribus parari, hostemque, ac se Tyrannum esse denunciatum, suæ nequitiæ conscius, metu perterritus, & spem vitæ in fuga ponens, in Corsica Insulam secessit, ibique ad tempus istuit.

AD WILLELMI GEMETICENSIS EXCERPTA SUPPLENDUM.

Ex Typographi inadvertentia, omissum fuit typis mandare Caput quadragesimum secundum Libri Sexti Willemi Gemeticensis, de Ducibus Normannorum. Ne quid in hac Collectione Rerum Sicularum deesset, hic dare disposuimus: folio 912. addendum.

CAPUT XLII.

De morte Roberti Vuiscardi Ducis Apuliæ, & de probitatibus ejus, & posteritate, & qua occasione Rogerius Nepos ejus factus est Rex.

HAc tempestate) Anno 1083 mortuus est Robertus Vuiscardus Normannigena, Dux Apuliæ. Hic relicta priore uxore propter consanguinitatem, de qua susceperat filium nomine Bohamundum, duxit Primogenitam filiam Gaumarii Principis Salernitæ, nomine Sichelgaitam, favente Gisulfo fratre prædictæ puellæ, qui Gaumario Patri successerat. Gatteclinia verò soror ejus minor nupsit Jordani Principi Capuæ; filio Richardi Senioris, patri verò Richardi Junioris. Hujus Jordani Avus fuit Raynulphus, qui primus præfuit Normannis in Apulia, qui etiam condidit Urbem nomine Ausam (*Aversam.*) Genuit autem Robertus Vuiscardus ex Sichelgaita filios tres, & filias quinque. Filiæ verò adeò excellentissimè maritatæ sunt, ut una earum matrimonio copulata sit Imperatori Constantinopolitano.

Hic Robertus duos Imperatores in uno vicit prælio, Alexium Græcorum in Græcia, Henricum Romanorum in Italia. Satis enim victus est Henricus, qui audita fama Ducis Rudberti, nec viribus Saxonum, & Alemannorum, nec etiam mœnibus Urbis, quæ caput est Orbis, confisus, vel tutiùs concitus aufugit. Boamundus autem, licet haberet magnam terram in Apulia, tandem cum cæteris Normannis, & Francis, perrexit dimicare adversus Saracenos, qui tunc temporis omnes ferè Civitates Romaniæ tenebant. Debellatis tandem Paganis, & subjugatis Urbibus, Antiochia, & Jerusalem, & cæteris multis, Boamundus adeptus est Principatum Antiochiæ, & Hæredes ejus post ipsum, scilicet filius ejus Boamundus, natus ex Constantia filia Philippi Regis Francorum, & post istum Raymundus filius Vuillelmi Comitis Pictavorum, qui filiam Secundi Boamundi duxerat uxorem.

Roberto itaque Duce obeunte, successit ei filius suus de secunda Conjuge primogenitus, nomine Rogerius, cognomento Bursa. Hoc etiam Rogerio deficiente, & filiis suis post ipsum, Rogerius Patruelis ipsius, filius Rogerii Comitis Siciliæ, fratris Roberti Vuiscardi, solus tam Apuliam, quam Siciliam obtinuit. Hic autem procedenti tempore de Duce factus est Rex; causa altercationis duorum Apostolicorum, qui simul fuerant Romæ ordinati. Innocentius videlicet Secundus, & Petrus Leonis. Quorum ultimus concessit Duci Rogerio, ut Regio Diademate uteretur, ideo quod idem Dux parti ipsius favebat. Accidit hoc circa Annum ab Incarnatione Domini 1130. vixerunt verò ambo ferè 8. annis simul. (*& mortuo Anacleto, Innocentius II. Rogerio ad obedientiam Sanctæ Sedis reverso, anno 1139. Regni dignitatem confirmavit.*)

EX

EX ROGERI DE HOVEDEN ANNALIUM PARTE POSTERIORE EXCERPTA.

DE EODEM.

Rogerus Hovedenus Eboraci in Anglia nobilibus ortus Parentibus, ac Primarius Theologiæ in Academia Oxoniensi Professor, vixit usque ad annum 1200. Inter domesticos Henrico II. Angliæ Regi aliquando fuit, quo defuncto, scripsit Historiam, seu Annales Gentis suæ, ab Anno 731. quo desinit Beda Historia, & ad Annum 1199. perduxit.

Ubi de Richardo Primo Anglorum Rege.

Est itaque sciendum, quod Robertus Vvilcardus natus fuit in Normannia, & miles factus diù de familia fuit Henrici Regis Angliæ, filii Vvillelmi Bastardi. Qui licet fuisset miles probus in armis, tamen nullam gratiam potuit invenire ditandi apud Regem illum. Unde factum est, quod cum uxore sua, & filiis, & fratre suo reliquit Normanniam, & Romam adiit: & accepta à Summo Pontifice licentia, & consilio subjicere sibi barbaras nationes, confluebat ad eum multitudo magna virorum ei adhærentium. Et recedens inde intravit Apuliam; & videns eam terram bonam, & fertilem, & habitatores illius indoctos armis, sæpè invasit eos in manu forti, & armata, & vicit eos, & obtinuit terram. Et totam Apuliam, & Calabriam, & Principatum Capuæ subjugavit sibi, & eripuit eas de manu Imperatoris Romanorum, & dedit eas Tancredo filio suo. Deinde magnum congregavit navigium, jactans quod ipse Imperium Constantinopolitanum invaderet, & totum sibi subjugaret. Sed interim dum navigium ejus præpararetur, contigit quod ipse, & Tancredus, & Boimundus filii ejus, in una die commiserunt prælium contra Dominum Papam, & contra Imperatorem Romanorum, & contra Imperatorem Constantinopolitanum, ita quod ipse Robertus Vviscardus commisit prælium contra Imperatorem Constantinopolitanum, & unus filiorum suorum contra Papam, & alter contra Imperatorem Romanorum: & ille, & uterque filiorum suorum, in una eademque die obtinuerunt victoriam. Deinde Robertus Viscardus intravit navigium suum, & uxor ejus cum eo, & subjugavit sibi Insulam de Cuversu, & Insulam de Crete, & Insulam de Rhodes, & alias Insulas multas eripiens eas de manu Imperatoris Constantinopolis. Deinde venit ad portum, qui nunc nomine suo nuncupatur portus Vviscardi. Et cum inde progredi voluisset, & intrare Romaniam, Imperator Constantinopolitanus timens valdè adventum illius mandavit uxori suæ, quod, si ipsa prædictum Robertum Vviscardum morti tradidisset, & sic terram suam de eo liberasset, ille duceret eam in uxorem, & faceret eam Imperatricem Constantinopolitanam: Concessit autem mulier se facturam, quod Imperator petebat; & nacta opportunitate temporis, & loci, porrexit Roberto Vviscardo marito suo venenum bibere; & mortuus est, & ibidem in Insula, quæ usque in hodiernum diem dicitur portus Vviscardi sepultus est, & totus exercitus ejus dissipatus est. Mulier autem fugit ad Imperatorem Constantinopolitanum, qui statim adimplavit omnes conventiones suas, & duxit eum in uxorem, & coronavit in Imperatricem, & cum omnis sollennitas debita facta fuisset ei, & in desponsatione, & in coronatione, & in nuptiis ita solemniter, quam illa diceret Imperatori: Domine, vestri gratia jam perfecistis mihi omnem conventionem nostram, Imperator facto silentio, coram omnibus ostendit conventionem, quam fecerat cum illa, & qualiter illa morti tradiderat maritum suum: & petiit ab iis judicium de illa: & judicaverunt eam ream esse mortis. Et sic translata de nuptiis ad supplicium, accenso rogo injecta est, & in cineres redacta. Rogerus verò frater prędicti Roberti Vviscardi, debellavit Siculos, & totam sibi subjugavit Siciliam, & factus est Comes Siciliæ. Sicilia Insula est magna, & antequam præfatus Rogerus debellasset eam, inhabitata fuit à Paganis, & erat de dominio Imperatoris de Africa. Sed prænominatus Rogerus, expulsis inde Paganis, legem Christi instituit, & fecit in ea duos Archiepiscopatus, & sex Episcopatus. Deinde uxorem duxit, de qua unum solum genuit filium, quem vocavit nomine suo Rogerum: & fecit illum Ducem Apuliæ, & dedit illi Calabriam, & Principatum Capuæ, defuncto Tancredo, filio Roberti Vviscardi, sine prole. Deinda obiit prędictus Rogerus Comes Siciliæ, & Rogerus filius ejus Dux Apuliæ successit ei in Comitatu Siciliæ. Et paulopost, per consilium Comitum, & Baronum suorum, fecit se coronari in Regem Siciliæ. Et iste Rogerus ita factus est primus Rex coronatus in Sicilia: qui uxorem duxit, ex qua genuit duos filios, & unam filiam: quorum primus vocatus est Rogerus, & alter Vvillelmus, & filia ejus vocata est

Con-

Constantia. Et ipse dedit filio suo primogenito Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ. Qui uxorem duxit inconsulto patre suo, & genuit ex ea filium unum, quem vocavit Tancredum. Deinde obiit, patre suo adhuc vivente. Deinde obiit pater suus Rex Siciliæ, cui successit in Regno Vvillelmus filius, qui uxorem duxit, de qua genuit unum solum filium, quem vocavit nomine suo Vvilielmum. Iste Willelmus ultimus successit patri suo in Regnum, & dedit Tancredo fratri Avi sui Comitatum de Laliche. Et Constantiam sororem Avi sui, dedit Henrico Regi Alemannorum, filio Friderici Romanorum Imperatoris in uxorem. Et fecit jurari ei Regnum Siciliæ post illum, si ille decessisset sine prole. Et deinde ipse Willelmus Rex Siciliæ, duxit sibi in uxorem Joannam filiam Henrici Regis Angliæ, filii Matildis Imperatricis: sed ille Willelmus Rex Siciliæ obiit sine prole. Quo defuncto, Tancredus prædictus Comes de Laliche, immemor Sacramenti, quod cum cæteris fecerat Henrico Regi Alemannorum, usurpavit sibi Regnum Siciliæ, & factus est inde Rex coronatus. Quod cum Henricus Romanorum Imperator audisset, magno congregato exercitu, intravit terram Regis Tancredi, & adducens secum uxorem suam Constantiam, hæredem Regni Siciliæ, obsedit Salernum, & infra 15. dies reddita est ei, & uxori suæ, & ipse dimisit eam ibi; & ipse procedens inde obsedit Neapolim, ubi cum ipse moram fecisset per 6. septimanes, amisit ferè totum exercitum suum, ex corruptione aeris; & ipse ægrotavit usque ad mortem. Et cum vidisset se nihil posse proficere adversus eam, recessit, & abiit ad Civitatem suam Meian. Quod cum audissent Salernitani, injecerunt manus in Dominam suam Constantiam Imperatricem, & tenentes tradiderunt eam Tancredo Regi Siciliæ. Et Imperator Alemannorum dolens, & confusus de amissione uxoris suæ, scripsit Cœlestino Papæ, ut per auxilium illius recuperasset eam; quæ postmodo reddita est ei per auxilium Domini Papæ.

Eodem anno 1176. veneruet in Angliam Nuntii Willelmi Regis Siciliæ, videlicet Episcopus Trojocensis, & electus Capuæ, & Comes Florius ad Henricum Regem Angliæ Patrem, & petieruut ab eo Joannam filiam suam donari in uxorem Willelmo Regi Siciliæ Domino suo. Habito igitur inde Consilio Londoniis, Rex pater consilio universorum Episcoporum, Comitum, & Baronum Regni, concessit Regi Siciliæ filiam suam. Et cum illa concessione præmisit Rex ad Regem Siciliæ Episcopum Trojacensem, & Joannem Norvvicensem Episcopum, & Parisiensem Rofensem Archidiaconum, & Baldevvinum Bulot, & Richardum de Camuile. Et Rex Pater interim præparavit Joannæ filiæ suæ, & itineri suo necessaria. Quibus more debito completis, Rex misit Joannam filiam suam Regi Vvillelmo Siciliæ in uxorem. Quæ cum Panormum veniret in Siciliam, una cum Ægidio Ebroicensi Episcopo, & aliis nuntiis Domini Regis, tota Civitas eis applausit, & tot, & tanta accensa sunt luminaria, ut Civitas penitus crederetur comburi, & stellarum radii pro fulgure tantorum luminum nullatenus possent comparere. De nocte enim intraverant Panormum. Ducta est ergo prædicta Regis Angliæ filia super equum regium, vestibus regalibus insignita, in quoddam palatium, ut ibidem desponsationis suæ diem gratius posset expectare. Paucis itaque lapsis diebus prænominata Regis Angliæ filia desponsata est Vvillelmo Regi Siciliæ, & solemniter coronata Panormi, in Cappella regia, coram Ægidio Ebroicensi Episcopo, & aliis nuntiis Regis Angliæ, qui propter hoc missi fuerant. Desponsata itaque, & coronata fuit, die Dominica ante ingressum Septuagesimæ, Idibus Februarii. Et dotata est honorificè de Comitatu Sancti Angeli, & de Civitate Siponti, & de Civitate Vestæ, & pluribus aliis tam Castellis, quàm locis. Unde Rex Siciliæ fecit ei Chartam suam in hac forma.

Charta Willelmi Regis Siciliæ, quam fecit Joannæ filiæ Henrici Regis Angliæ de dote sua.

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Rerum fœdus, & concordiam humanorum inter cætera pacis bona ligat fortiùs, & astringit vinculum conjugale; quod & Sacramenti altitudine venerandum, & ipsa suæ institutionis est singularitate præclarum, & solemni ab initio mundi, & temporis consuetudine celebratum. Cujus itaque virtus, & forma, quia de divina institutione traxit originem, nec de peccato induit maculam, nec de longevi serie temporis defeetudinis potuit sentire jacturam. Quin etiam id honoris venerando accessit misterio, ut maris, & feminæ consensus in matrimonium Christi, & Ecclesiæ teneat Sacramentum. Tanti ergo mysterii ratione simul, & venerátione inducti, nos Vvillelmus divina favente gratia Rex Siciliæ, & Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Joannam puellam Regij excellentia sanguinis Illustrissimam, Filiam Henrici magnifici Regis Anglorum, divino nutu, & felici auspicio sacri lege matrimonii, & maritali nobis fœdere copulamus: ut bonum conjugii castæ dilectionis

tionis fides exhibebat, unde nobis in posterum proles regia, Deo donante, succedat, quæ divini gratia muneris virtutum simul, & generis titulo ad Regni possit, & debeat fastigium sublimari. Quia verò dignum nostra est celsitudine, ut tam nobile, ac insigne conjugium decenti dodario debeat honorari, per hoc præsens, Reginæ charissimæ uxori nostræ Comitatum Montis S. Angeli, Civitatem Siponti, & Civitatem Vestæ, cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis earum. In servitio autem concedimus ei de tenimentis Comitis Godefridi, Alesinæ, Peschizam, Bicum, Caprile, Baranum, & Filizum, & & omnia alia, quæ idem Comes de honore ejusdem Comitatus Montis S. Angeli tenere dignoscitur. Concedimus etiam ei similiter in servitio: Candelarium Sanctum Clericum. Castellum Paganum, Bersentium, & Cagnanum. Insuper concedimus, ut sint de honore ipsius donarii, Monasterium Sanctæ Mariæ de Pulsano, & Monasterium S. Joannis de Lama, cum omnibus tenimentis, quæ ipsa Monasteria tenent de honore prædicti Comitatus Sancti Angeli. Ita quidem ut ipsa Regina uxor nostra prædicta omnia semper recognoscat, ab hæredibus nostris, nobis nostra ordinatione in Regnum succedentibus, & de omnibus præscriptis tenimentis servitium, pro ut exigit feodum eorum, integrè & illibatè jam dictis hæredibus nostris faciat: & maneat semper in eorum fidelitate. Ad hujus autem donationis, & concessionis nostræ memoriam, & inviolabile firmamentum: Privilegium præsens per manus Alexandri Notarii nostri scribi, & Bulla aurea nostro Typario impressa, roboratum nostro sigillo, jussimus decorari in quo familiares nostri, & aliæ personæ præcepto nostro se scripserunt hoc modo

Ego Vvalterus Panormi Archiepiscopus.
Ego Alfanus Capuanus Archiepiscopus.
Ego Richardus Syracusanus Episcopus.
Ego Bartholomæus Agrigentinus Archiepiscopus.
Ego Nicolaus primus Messanensis Archiepiscopus.
Ego Ruffus Cosentinus Archiepiscopus.
Ego Theobaldus Episcopus Abbas Regii Monasterii S. Mariæ Novæ.
Ego Robertus Catanensis Episcopus.
Ego Vvido Cepheliensis Episcopus.
Ego Ebias (*Elias*) Trojanus Electus.
Ego Justus Mazensis Episcopus.
Ego Robertus Tricaricensis Episcopus.
Ego Petrus Galethanensis Episcopus.
Ego Joannes Potentinus Episcopus.
Ego Robertus de Bizino.
Ego Robertus Malcuvenanz.
Ego Alexander Gupilensis.
Ego Matthæus Domini Regis Vice-Cancellarius.
Ego Robertus Casertanus Comes.
Ego Amphusus Comes Scrulac.
Ego Focelinus Comes Loret.
Ego Hugo Comes Cathasarii.
Ego Richardus Fundanus Comes Admiratus.
Ego Vvalterus de Moac Regii fortunati Stolii Admiratus.
Ego Aldevvinus de Candida Domini Regis Senescallus.
Ego Berardus gentilis regie private Maisnede Constabularius.
Ego Richardus Sacri Regii Palatii Logotheta.
Ego Bomalis (*Rainaldus*) de Monteforti Magister Justitiarius.
Ego Persicus Regiæ Curiæ Magister Justitiarius.
Ego Fredericus Regię Curię Justitiarius.

Data in Urbe Panormi Felici, per manus Vvalteri venerabilis Arch episcopi Panormi, & Matthæi Regi Vice-Cancellarii, & Richardi Venerabilis Episcopi Syracusani familiarium Domini Regis. Anno Dominicæ Incarnationis 1177. Mense Februarii, Ind. X. Regni verò Domini nostri Vvillelmi Dei gratia Magnifici, & Gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Anno undecimo, feliciter Amen.



Rex ergo (*Henricus II.*) Pater omnibus Imperatoribus, & Regibus, quos sibi putabat amicos, de infortunio, quod ei acciderat per promotionem, quam ipse filiis suis fecerat, conquestus est, ne ipsi exaltent filios suos supra id, quod debent, commonens. Unde Vvillelmus Rex Siciliæ ei in hac forma scripsit.

Henrico Dei gratia illustri Anglorum Regi, & Duci Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comiti Andegaviæ, Vvillelmus eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, salutis felicitatem, & de hostibus desideratum victoriæ Triumphum. In receptione literarum vestrarum cognovimus, quod quidem sine admiratione maxima proferre non valemus, videlicet quod ordine humanitatis oblito, & naturæ lege soluta, insurrexit filius in parentem, in genitorem genitus, commota sunt viscera ad bellum intestinum, irruerunt ad arma præcordia, & quod novum prodigium est, & nostris temporibus inauditum, caro desevit in sanguinem, & se ipsum quærit sanguis effundere. Et quoniam ad tanti furoris impetum compescendum, potentiæ nostræ auxilium loci incommoditas non admittit, eo quo possumus charitatis affectu, quem locorum spacia non concludunt, personam, & honorem vestrum devotius amplectentes, dolori vestro compatimur, persecutionem vestram molestè ducimus, & quasi propriam reputamus. Confidimus autem, & speramus in Domino, cujus judicio Regum judicia terminantur: quod diutiùs non permittet filios vestros tentari supra id quod possunt, vel debent: Et qui factus est obediens patri usque ad mortem, Ipse in iis filialis lumen obedientiæ inspirabit, per quod caro, & sanguis vester sunt, & relictis hostilitatis erroribus, agnoscent se filios, redibunt ad patrem, naturæ solidabunt incommoda, & debitæ dilectionis fœdera pristinus ordo continebit.

In eadem posteriore Parte, ubi de Richardo I. Anglorum Rege, dum ejus expeditionem in Terram Santam describit,

DIVISIO REGNORUM SECUS MARE.

ET est sciendum, quod in medio viæ inter Marsiliam, & Siciliam sunt duæ Insulæ magnæ; quorum major dicitur Sardinia, & alia dicitur Corzhege, & multæ Insulæ sunt in circuitu Siciliæ; quarum quedam sunt ardentes, & in mari illo circa Sardenam, & Corzhege sunt pisces similes siccis, qui volant in aera exeuntes à mari. Et cum volaverint quasi per unum stadium, iterum descendunt in mare, & sunt ibi falcones multi volantes post pisces illos, & insequentes ut rapiant ex illis escam sibi. Et qui hoc vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: quia cum ipse in mensa sedisset, videlicet in alta navi, quidam ex piscibus illis volantibus cecidit ante illum super mensam. Et est notandum, quod una Insularum illarum, quæ sunt in circuitu Siciliæ major cæteris dicitur Muntgibel, quæ ita vehementer ardere solebat, quod magnam partem maris in circuitu ejus desiccabat, & pisces comburebat, sed jam diù ardere cessavit meritis, & precibus B. Agathæ Virginis, & Martyris. Quadm enim die, cum ignis vehementiùs solito exiret à fornace Montis Gibel, & appropinquasset Civitati Cathanensium, ubi Sanctum Corpus Beatæ Agathæ requiescit; Paganorum multitudo fugiens ad sepulchrum ejus, tulerunt velum ejus contra incendium: & ignis reversus est in mare, & comburens desiccavit mare ferè per unum milliare, & pisces combussit, de quibus multi evaserunt semiusti, & ex genere illorum sunt ibi, usque in hodiernum diem pisces semiusti, qui dicuntur pisces S. Agathæ. Et sic contingerit, quod aliquis illorum piscium captus fuerit ab aliquo piscatore, statim dimittitur abire propter reverentiam B. Agathæ, ad laudem, & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui semper est mirabilis, & gloriosus in Sanctis suis. Robertus itaque de Sablaill, & Richardus de Camilla, & Vvillelmus de Forz de Ulerum, transeuntes cum navigio Ricardi Regis Angliæ inter Africam, & Hispaniam post tempestates plurimas, quas in itinere illo perpessi sunt, pervenerunt Marsiliam, in octavis assumptionis S. Mariæ feria quarta, cum toto navigio illis commisso; & non invento ibi Rege Domino suo, per octo dies fecerunt ibi moram, propter quosdam necessarios navium apparatus. Deinde sequuti sunt Regem, & in festo exaltationis Sanctæ Crucis venerunt Messanam in Sicilia feria sexta, & die Dominica sequenti venit illuc Philippus Rex Franciæ, 16. Kal. Octobris, & Margaretus Admiralis, & Jordanus del Pin, & cæteri Civitatis Custodes, honorificè susceperunt eum, & tradiderunt ei palatium Tancredi Regis Siciliæ ad hospitandum ibi. Cum ergo Ricardus Rex audisset, quod navigium suum Messanam venerat, decimo tertio die Septembris à Salerno recessit, & transiens ante Civitatem Archiepiscopalem, quæ Melfe dicitur, & ante Civitatem Archiepiscopalem, quæ Conze dicitur, decimo octavo die Septembris, venit ad Civitatem, & Castellum, quæ dicuntur Escale. Juxta hoc Castellum est Insula parva, ubi dicuntur fuisse scholę Lucani. Et adhuc est ibi camera pulchra sub terra, in qua

Luca-

Lucanus studere consueverat. Nocte sequenti jacuit Rex in Villa, quæ dicitur Lacerart in Priorata Montis Cassiæ. Nono decimo die Septembris transiens Rex per Prioratum, qui dicitur Sanctus Michael de Josaphat, venit ad alium Prioratum ejusdem ordinis, qui dicitur Sancta Maria de Fosses, & ibi est Castellum, quod dicitur Sanctæ Lucbeæ. Vicesima die Septembris transiens Rex per Castellum, quod dicitur Lamante, venit ad Villam, quæ dicitur Sancta Eufemia. Vicesima prima die Septembris venit Rex ad Melide, & ibi honorificè susceptus fuit, & procuratus in Abbatia Sanctæ Trinitatis. Ibi est turris lignea juxta Abbatiam, per quam Robertus Vviscardus expugnavit; & obtinuit Castellum, & Villam de Melide. Vicesima secunda die Septembris Rex Angliæ recedens de Melide cum uno solo milite transivit per Villam quamdam parvam, & cum transisset, vertit se ad domum quamdam, in qua audivit accipitrem, & intrans domum cepit illum, quem cum dimittere noluisset, rustici multi undique adcurrentes impetum fecerunt in eum cum lapidibus, & fustibus. Et cum unus illorum cultellum suum in Regem extraxisset; Rex eum cum lato gladii sui verberans: gladium suum fregit, & aliis lapidibus obruit, & sic vix evadens ex manibus eorum venit ad Prioratum, qui dicitur Labainarie, & nullam ibi moram faciens transivit Fluvium magnum, qui dicitur Lefar de Messines. Et juxta turrim lapideam, quæ est ad introitum del Far in Sicilia, jacuit nocte illa in tentorio. Fluvius autem ille del Far dividit Calabriam, & Siciliam. Et ad introitum del Far prope Labaniarie est periculum illud marinum, quod dicitur Scylla, & in exitu ejusdem Fluvii est alium periculum maris, quod dicitur Charibdis. Vicesima tertia die Septembris Richardus Rex Angliæ venit Messanam in Sicilia, cum bureiis multis, & aliis magnis navibus, & galeis in tanta gloria, & sonitu tubarum, & buccinum, quod tremor apprehendit eos qui in Civitate erant. Rex verò Franciæ & sui, & omnes Principes Civitatis Messanæ, & Clerus, & Populus stabant in littore admirantes super his, quæ viderant, & audierant de Rege Angliæ, & de potestate ejus; qui cum applicuisset, statim loquutus est cum Philippo Rege Franciæ, & post colloquium istud Rex Franciæ statim eodem die intravit naves suas, volens procedere versus terram Hierosolymitanam; sed cum à Portu exisset, statim illo die vento sibi in contrarium mutato, dolens, & invitus Messanam reversus est. Rex verò Angliæ intravit domum Reginaldi de Muhec, ubi hospitium suum præparabatur in Suburbio extra Civitatem infra vineas. Vicesima quarta, & vicesima quinta die Septembris venit Rex Angliæ ad hospitium Regis Franciæ loqui cum eo, & è diverso.

Interim Ricardus Rex Angliæ misit Nūcios suos ad Tancredum Regem Siciliæ, & liberavit de custodia ejus Joannam sororem suam quondam Reginam Siciliæ. Vicesima octava die Septembris exivit Rex Angliæ obviam Joannæ sorori suæ, quæ eodem die venit Messanam de Panormo per galeas missas à Rege Tancredo. Vicesima nona die Septembris, scilicet S. Michaelis, venit Rex Franciæ ad hostium sororis Regis Angliæ, & vidit eam, & gavisus est. Tricesima die Septembris Rex Angliæ transivit Fluvium del Far, & cepit munitissimum locum, qui dicitur le Baniare, & prima die Octobris introduxit sororem suam in locum illum munitissimum, & dimittens eam ibi cum militibus, & multis aliis servientibus Messanam rediit. Secunda verò die Octobris cepit Rex Angliæ Monasterium Griffonum, videlicet locum munitissimum, quod est in medio Fluminis del Far inter Messanam, & Calabriam, & posuit in eo victualia sua, quæ de Anglia, & aliis terris suis venerant, & expulsis inde Monachis, & servientibus eorum munivit illud militibus, & aliis Custodibus. Cum autem Cives Messanæ vidissent, quod Rex Angliæ in Castello de la Baare cum sorore sua milites, & servientes posuisset, & quod ipsi Monasterium Griffonum occupasset, habuerunt suspectum, conjicientes, quod totam occuparet Insulam si posset; & inde de facili poterant contra eum suspectum commoveri. Unde contigit, quod tertia die Octobris discordia emersit inter exercitum Regis Angliæ, & Cives Messanæ, & in tantum excrevit ex utraque parte indignatio, quod Cives clauserunt portas Civitatis, & Dominus Rex in equo velocissimo per exercitum cursitabat, baculo verberans; quoscumque ex suis actingebat, volens illos ab Insula cohibere, sed nequivit; tandem redivit ad hospitium suum, & cum se armasset, iterum exivit ad extinguendam malitiam, si posset. Postea intravit cymbam unam, & ivit ad Palatium Regis Tancredi ad consulendum Regem Franciæ super his, quæ acciderant. Interim per consilium Seniorum Civitatis, discordia illa quievit; & depositis ex utraque parte armis, reversus est unusquisque in domum suam. Quarto die Octobris venerunt ad Regem Angliæ, Ricardus Archiepiscopus Messanæ, & Vvillelmus Archiepiscopus de MonteRegali, & Vvillelmus Archiepiscopus de Risa, & Margaritus Admiralis, & Jordanus de Pino, & alii multi familiares Regis Siciliæ, & ad-

duxe-

duxerunt secum Philippum Regem Franciæ, & Reginaldum Carnotensem, & Manasser de Lengris Episcopos, & Hugonem Ducem Burgundiæ, & Petrum de Nevers, & Gaufridum de Pertico Comites, & de familia Regis Angliæ Vvalterum Rothomagensem, & Girardum Auxiensem Archiepiscopos, & alios multos, in quibus habebant fiduciam ad pacem faciendam inter ipsos, & Regem Angliæ. Et cum illi de pace facienda diù tractassent, & eam penè reformassent, Cives Messanæ processerunt in magna multitudine congregati super montes, & expectaverunt quidam prompti, & parati proditiosè in Regem Angliæ irruere; & quidam fecerunt insultum in hospitium Hugonis le Brun, & clamor illorum non modicus venit ad aures Regis Angliæ, qui statim relicto colloquio Regis Franciæ, & prædictorum omnium, præcepit omnes suos armari: & ipse cum paucis ascendit montem arduum, quod nemo putaret ullo modo posse contingere; & cum ad summitatem montis cum magno labore pervenisset, quotquot in monte fuerant, cum fuga celerrima Civitatem intraverunt: & Rex sequutus est eos in ore gladii. Milites autem & servientes Regis Angliæ ad portas, & muros Civitatis cum Civibus fortiter congressi sunt, & multos, & duros lapidum ictus sustinentes, aliquando portas intraverunt, aliquando vi expulsi sunt, & occisi fuerunt ibi ex hominibus Regis Angliæ quinque milites, & viginti servientes, vidente Rege Franciæ, & nullum auxilium eis faciente, quamvis ipsi essent confratres in illa peregrinatione. Rex verò Franciæ, & sui Civitatem sunt ingressi, & per medium illorum ibant tutissimè. Homines autem Regis Angliæ tandem post maximos labores, in tantas vires excreverunt, quod per vim portas Civitatis fregerunt, & murum undique ascenderunt, & ita ingredientes Civitatem obtinuerunt, & statim signa Regis Angliæ in munitionibus per circuitum murorum posuerunt. Unde Rex Franciæ plurimum indignatus est, & postulavit, ut signa Regis Angliæ deponerentur, & ut signa sua imponerentur; sed Rex Angliæ hoc permittere noluit: sed tamen, ut voluntas Regis Franciæ impleretur, Rex Angliæ signa sua deposuit, & tradidit Civitatem in Custodia Hospitalarium, & Templariorum, donec perficerentur ei omnia, quæ ipse exigebat à Tancredo Rege Siciliæ.

De Concordia facta inter Regem Philippum Franciæ, & Richardum Regem Angliæ apud Messanam: Quæ præteritur cum rem Siculam nō pertineat Tantummodo hic excribitur Concordia inter ipsum Ricardum, & Tancredum Siciliæ Regem.

ET est sciendum, quod omnia supradicta constituta sunt consilio, & voluntate Regis Franciæ, & Regis Angliæ, & Regis Siciliæ, Tertia verò die post captionem Civitatis Messanæ Principes Civitatis Messanæ, & totius Provinciæ dederunt Regi Angliæ obsides de pace sibi, & suis servanda, & quod in manu ejus Civitatem Messanæ liberam tradent, nisi Tancredus Rex Siciliæ Dominus eorum celerius pacem fecerit cum illo de omnibus exigentiis, quas ab eo exigebat. Ipse enim à Rege Tancredo exigebat Montem S. Angeli cum toto Comitatu, & aliis pertinentiis suis ad opus Joannæ sororis suæ, quem Vvillelmus quondam Rex Siciliæ maritus ejus dedit ei in dodarium, & Cathedram auream ad opus ejusdam Joannę de consuetudine Reginam illius Regni; & ad opus sui ipsius mensam auream de longitudine duodecim pedum, & de latitudine unius pedis, & semis; & quoddam tentorium de serico magnum, adeo quod ducenti milites in eo possint simul manducare: & duos tripodes aureos ad prædictam mensam auream substinendam, & viginti quatuor cuppas argenteas, & totidem discos argenteos, & sexaginta millia salines de frumento, & totidem de ordeo, & totidem de vino, & centum galeas armatas cum toto apparatu, & cum victu Galiotarum ad duos annos. Hæc omnia petebat Rex Angliæ ad opus sui ipsius sicut Hæres Regis Henrici, cui supradictus Vvillelmus Rex Siciliæ omnia supradicta præparaverat, & diviserat quando in extremis laboravit. Cui Tancredus Rex Siciliæ in hæc verba respondit: Ego dedi Joannæ sorori vestræ decies centena millia de terris pro quieta clamantia dodarij sui, antequam à me recederet, & de reliquis exigentiis vestris, faciam, quidquid facere debuero secundum consuetudinem Regni hujus. Unde factum est, quod per consilium sapientum virorum Rex Siciliæ dedit Regi Angliæ viginti millia unciarum auri pro quieta clamantia dotarii sororis suæ; & alia viginti millia unciarum auri pro omnium supradictorum quieta clamantia; quæ in jure petebat de divisa Vvillelmi Regis Sicilię defuncti, & pro matrimonio contrahendo inter Arthurum Ducem Brittannię, nepotem suum, & filiam Regis Tancredi. Quibus ex utraque parte concessis, Richardus Rex Anglię in hac forma scripsit Tancredo Regi Sicilię.

Char-

Charta Pacis factæ inter Richardum Regem Angliæ, & Tancredum Regem Siciliæ.

TAncredo Dei Gratia illustri Siciliæ Regi, & Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Richardus eadem Gratia Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ; salutem in eo, qui dat salutem Regibus. Cum pro suventione terræ Jarosolymitanæ, quam peccatis exigentibus, ex majore parte Paganorum incursus obtinuit, & inimicorum Crucis Christi gladius devastavit, susceptum, inspirante Domino, peragrinationis iter ageremus, per terram vestram transitum facientes, apud Messanam Civitatem vestram, moram facere compulsi sumus, ventorum, & maria, & temporia inclementia navigationis nostræ propositum detinente; ubi inter populum nostrum, & Cives præfatæ Urbis seditione casu exorta, damnum hinc & inde contigit rerum, & virorum. Unde visum est pluribus, & ea occasione fraterna inter nos charitas, & dilectio turbaretur. Curavimus itaqua, ut decebat peregrinationis nostræ propositum; tum per nos, & dilectos, ac fideles familiares nostros; tum per venerabiles Archiepiscopos vestros; scilicet Richardum Archiepiscopum de Messana, & Vvillelmum Archiepiscopum de Monte Regali, & Villelmum Archiepiscopum de Risa, & Richardum filium venerabilis viri Walteri Cancellarii vestri, & alios viros egregios missos à latere vestro, statuimus, ut illibatæ pacis inter nos arctius fœdera firmentur: Cujus formam in ævum duraturam scripturæ memoria contineret. Promisimus ergo vobis, & Regno vestro, & toti terræ dominationis vestræ, per nos, & nostros, terra, & mari pacem perpetuam nos fideliter servaturos, sopitis omnibus quęstionibus, quas tum de dodario sororis nostræ Reginæ; tum de rebus aliis per nostros vobis Nuncios feceramus: hoc nihilominus addito, ut quamdiu in Regno vestro moram fecerimus, ad defensionem terræ vestræ ubicumque præsentes fuerimus, vobis auxilium præbeamus, quicumque vellet eam invadere, aut vobis bellum inferre. Hujus autem pacis tenorem, & formam, quam in voto habemus, & in proposito gerimus, vobis, & vestris, illæsa fide, servare per Vvalterum Rothomagensem, et Girardum Exoniensem Archiepiscopos, et per Joannem Ebracensem, et Bernardum Bajonensem Episcopos, et per Jordanum de Humez Constabularium nostrum, et per Vvillelmum de Curci, et per Richardum de Camuilla, et per Girardum Talebot, et per Robertum de Sabluil, et per Guidonem de Croum, et per Guarinum filium Geroldi, et per Bertramnum de Verdun, et per Vvillelmum Chamberlangum de Tancervile, et per Robertum de Novoburgo, et per Hugonem Bardolf, et per Vigain de Cheresburg. et per Gillebertum de Wasculli, et per Hugonem le Bruin, et per Joannem de Piller, et per Amauri de Muntfort, et per Andream de Chavenui, et per Vvillelmum de Fora Dulerum, et per Gaufridum de Rancune, et per Amauri Jorel, et per multos alios de familia nostra fecimus juramentis pręstitis coram pręd ictis Archiepiscopis ad hoc ipsum efficiendum à vobis destinatis, et viris illustribus vestris in animam meam firmari, sicut capitularis forma continet. Ut autem pax ista, et fraterna dilęctio tam multiplici, quàm arctiori vinculo connectatur pręd ictis Curiæ vestræ Magnatibus, id ex parte vestra tractantibus, Domino disponente, condiximus inter Arthurum egregium Ducem Brittanniæ, nepotem nostrum, et hęredem, si fortè sine prole nos obire contingerit, et filiam vestram matrimonium in Christi nomine contrahendum: ut cum illa, Deo propitio, ad nubiles annos pervenerit, et vos eam mittatis ad locum ubi pars utraque consenserit, pręd ictus nepos noster eam infra dies quindecim post quam ad eum venerit, debest in uxorem legitimam desponsare; aut si celsitudini vestræ placuerit, eam infra annos nubiles desponsari, pręd ictus nepos noster juxta beneplacitum vestrum id faciet, si Summus Pontifex dispensabit. Volentes autem ei tanquam illustri Dominæ, et magnifici Regis filiæ, dodarium, quod conveniat, dessignari, de Ducatu nepotis nostri tale dodarium ei pro parte ipsius nepotis nostri paciscimur, et quod ad præsens per pręfatos fideles nostros jurari fecimus, et ab ipso nepote nostro concedi, et à magnificentia vestra pro matrimonio isto: scilicet viginti millia unciarum auri nos recepisse ad opus nepotis nostri fatemur: Hoc in pacto veniente, ut si, (quod absit) morte alterius interveniente, aut culpa nostri nepotis, aut nostra, vel partis ipsius, matrimonium ipsum non fieret: nos aut hæres nostri vobis, aut vestris hęredibus, supradictam pecuniam integram, sine difficultate restituemus. super his autem, videlicet, et de pace, quam vobiscum firmavimus, et de matrimonio contrahendo, et de pecunia restituenda, si forte pręd ictis caussa accidentibus, matrimonium non extaret: Dominum Papam, et Romanam Ecclesiam, in fidejussione ponimus; ut si forte, quod Deus avertat, et ex parte nostra pacis integritas frangeretur, potestatem habeat Romana Ecclesia nos, et terram nostram districtiùs coercere. Simi-

liter et ad matrimonium contrahendum potestatem habeat nos, et partem nepotis nostri constringere: vel si propter causas prædictas non fieret matrimonium; ad restituendam pecuniam, nos ut hæredes nostros, aut terram nostram cogere habeat potestatem. Id quoque de fidejussione Romanæ Ecclesiæ nos ita facturos, prædictorum virorum nos obligavimus juramentis, sicut capitularis forma continet, quam vobis misimus sigilli nostri oppositione signatam. Si autem, nobis sine hæredibus decedentibus, ipse ad Regnum nostrum hereditario jure pervenerit, de Regno nostro tale illi dodarium designamus: videlicet antiquum, & consuetum dodarium Reginarum Angliæ.

Capitularis forma, quæ facta est inter Richardum Regem Angliæ, & Tancredum Regem Siciliæ.

EGo N. juro super hæc Sancta Dei Evangelia, quod Dominus meus Richardus Rex Angliæ, ab hac hora in antheà servabit Domino Tancredo Regi Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, & Regno ejus, & toti terræ dominationis suæ, pacem perpetuam per se, & per suos terra, & mari: & quamdiu ipse Dominus meus erit in Regno Regis Tancredi, dabit ei auxilium ad defendendum terram suam, ubicumque ipse fuerit in terra Domini Tancredi Regis Siciliæ, quicumque vellet eam invadere, aut ei facere guerram: & quod Dominus meus pacem istam manu sua jurabit; si Dominus Rex Tancredus similiter pacem manu sua juraverint. Et si aliquando (quod absit) Dominus meus vellet pacem istam infringere; ego ponam me in captione ipsius Domini Regis Tancredi, ubi ipse voluerit, & hæc omnia Dominus meus Richardus Rex Angliæ, & ego bona fide, & sine frande, & sine malo ingenio tenebimus: Sic Deus nos adjuver, & hæc Sancta Dei Evangelia, & Sanctorum Reliquiæ. Amen. Et est sciendum, quod in eadem forma juraverunt Archiepiscopi, & Episcopi, & ceteri homines Regis Tancredi in animam ipsius se, & suos pacem servaturos Richardo Regi Angliæ, & suis in mari, & terra, quamdiu ipsi fuerint in terra sua. Et si ipse Tancredus Rex Siciliæ, & sui pacem non servaverint, prædicti Archiepiscopi, & cæteri qui Sacramentum illud ex parte Regis Tancredi juraverunt, ponent se in Captione Richardi Regis Angliæ, ubi ipse voluerit. Et est sciendum, quod Rex Tancredus dedit Richardo Regi Angliæ alia viginti millia unciarum auri pro quiete clamantia omnium quæstionum, quas fecerat tam de dodario sororis suæ Reginæ, quàm de omnibus aliis ex gestis suis, & ut Tancredus Rex Siciliæ securior esset de omnibus supradictis conventionibus, Richardus Rex Angliæ in hac forma scripsit Summo Pontifici.

Epistola Richardi Regis Angliæ ad Clementem Papam, de pace facta inter ipsum, & Tancredum Regem.

REverendissimo Domino, & Beatissimo Patri, Clementi, Dei gratia, Sanctæ Sedis Apostolicæ Summo Pontifici, Richardus, eadem gratia, Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, salutem, & sincere in Domino devotionis affectum. Justiorem exitum facta Principum sortiuntur, cum à Sede Apostolica robur, & favorem accipiunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ colloquio diriguntur. Proinde dignum duximus ad notitiam Beatitudinis vestræ transmittere, quæ inter nos, & Dominum Tancredum illustrem Siciliæ Regem publicè nuper, & admodum necessario sunt celebratæ contractu. Sanè dilectionem fraternam, & pacem perpetuam cum eo firmavimus, quam Magnatum nostrorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & plurimorum virorum illustrium juramentis, ei, & suis, & Regno suo, & toti terræ dominationis suæ, nos illibata fide promisimus servaturos. Cum etiam jam pacis, & amicitiæ fœdus arctiori adhuc vinculo astringentes, inter Arcturum egregium Ducem Britanniæ, Charissimum nepotem nostrum, & hæredem, (si nos decedere sine prole contigerit) & illustrem filiam ejus matrimonium, volente Domino, condiximus contrahendum; quod Domino largiente debitam consumationem accipiet, cum illustris puella nubiles annos attigerit; aut prædicto Domino Tancredo Regi placuerit, ut infra nubiles annos illa in uxorem nepoti nostro desponsanda tradatur, nos ipsum nepotem nostrum hoc facturum concessimus, si Sancta Romana Ecclesia decrevit similiter dispensare. Pecuniam verò, quam pro matrimonio ipso, ad opus nepotis nostri ab eodem Domino Rege Tancredo recepimus: scilicet viginti millia unciarum auri, si forte, quod absit, morte interveniente alterius, aut culpa nostra, aut nostri nepotis, aut partis ipsius, matrimonium non fieret; nos aut hæredes nostri ipsi Domino Regi Tancredo, aut hæredibus ejus, ex integro restituere, præstitis super hoc Sacramentis, ex parte nostra tenemur. Ut igitur tenor pacis initæ, & initiati matrimonii fides cum integritate debita ex parte nostra, & nepotis nostri servetur, sicut ipsi Domino Tancredo, interposita jurisjurandi religione, firma-

firmavimus, Sanctitatem vestram, & Sanctam Romanam Ecclesiam obnixè rogamus, quatenus, & firmatæ pacis servandæ perpetuò, & matrimonii consummandi, vel si ex prædictis causis matrimonium ipsum non fieret, restituendæ pecuniæ Sancta Sedes Apostolica fidejussionem pro nobis suscipiat erga Dominum nostrum Regem Tancredum, & hæredes ipsius: Cujus fidejussionis onus, ut confidenter vobis, cum Romana Ecclesia suscipiat, præsentium literarum testimonio vobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ liberam concedimus potestatem, nos, & heredes nostros, & terram nostram districtius coercere; si vel contra pacem præfatam venerimus, vel prædictis causis matrimonio non sequuto, nos aut heredes nostri solutionem pecuniæ negaverimus: ad honorem utriusque nostri vestra novit Beatitudo spectare; si mediante Romana Ecclesia pacis pariter, & matrimonij bonum ad congruum finem deveniat, unde multiplex in futurum utilitas consequatur. Testibus nobis ipsis. 1. die Novembris, apud Messanam.

Sed antequam pax ista esset concessa, & confirmata, inter Regem Angliæ, & Regem Siciliæ, Margaritus Admiralis, & Jordanus de Pin, familiares Regis Tancredi, quibus ipse Civitatem Messanam tradiderat custodiendam, de nocte abierunt adducentes secum familias suas, quas habebant in auro, & argento, domos verò, & galeas, & alias possessiones illorum saisivit Rex Angliæ in manu sua, illis abeuntibus. Deinde Rex Angliæ fecit fieri fossatum unum, & latum, & profundum per medium Insulæ, quæ est in flumine del Far, in qua est Monasterium Griffonum, ubi thesauri, & victualia ejus custodiebantur: cujus fossati longitudo totius Insulæ continet latitudinem, ab una ripa in alteram; & finis ejus terminatur in Charybdim. Et est sciendum, quod in fluvio illo del Far de Messines sunt illa duo pericula maris maxima, scilicet, Scylla, & Charybdis; quorum unum, scilicet Scylla, est ad introytum del Far propè Prioratum de la Bainare, & alterum, scilicet Charybdis, est propè exitum del Far: ad cujus cognitionem facta est turris lapidea in prædicta Insula juxta fossatum Regis Angliæ. Et est sciendum, quod Scylla semper evomit, & in altum jactat undas, & ideo necesse est, ut transeuntes elongent se ab ea, ne isanis obruantur aquis. Charybdis verò indesinenter attrahit, & absorbet aquas; & ideò caveant sibi transeuntes, ne absorbeantur ab ea. Quidam tamen incanti vitare Scyllam volentes, cadunt in Charybdim. Deinde Rex Angliæ dum pax inter illum, & Regem Tancredum facienda moraretur, firmavit sibi Castellum forte in supercilio montis ardui extra muros Civitatis Messanæ: quod Mategriffum vocaverunt. Griffones verò ante adventum Regis Angliæ erant potentiores omnibus Regionem illam inhabitantibus, & odio habebant omnes homines Ultramontanos; adeo quod pro minimo habebant illos interficere, nec erat qui adjuvaret. Sed ex quo Rex Angliæ illuc venit, malitia illorum quievit, & potestas eorum minuta est, & facti sunt viliores omnibus inhabitantibus terram illam; & sperantes se posse contra Regem Angliæ, sicut potuerunt contra ceteros in diebus antiquis, inciderunt in foveam, quam fecerunt, & facti sunt profugi in terra. Gens autem Anglicana in maxima habebatur reverentia in Regno Siciliæ.

EX GUILLELMI MALMESBURIENSIS MONACHI HIstoria, de Gestis Regum Anglorum, Excerpta.

DE EODEM.

GVillelmus Malmesburiensis, cognomine Sommerses, atque aliter dictus Bibliothecarius, Monachus Benedictinus, in litteris satis eruditus. Historiam Anglicanam quinque complexus est libris; incipit à primo Anglorum adventu, usque ad annum 1142. quo & vixit.

ANimabat, & excitabat ipse (*Willelmus*) Rex Anglorum virtutem suam, propter Roberti Wiscardi memoriam, pronuncians pudendum, si illi fortitudine cederet, quem nobilitate præiret. Siquidem Robertus, mediocri parentela in Normannia ortus, quæ nec humi reperet, nec altum quid tumeret, paucis ante adventum Vvillelmi in Anglia annis, cum quindecim militibus abierat Apuliam, penuriam necessariorum gentis illius ignavæ stipendiis correcturus. Nec multi fluxerunt anni, quod stupendo Dei munere, totam terram in potestatem accepit. Nam ubi viribus destituebatur, ingenio callebat, oppida primò, mox Civitates, suæ dictioni associans. Ita ergo profecit, ut se Ducem Apuliæ, & Calabriæ, fratrem Richardum Principem Capuæ, alterum Rogerum Comitem Siciliæ faceret. Postremò data Apulia filio Rogero, cum altero filio Boamundo Adriaticum Pelagus transivit; statimq; Dyrrachio capto, super Alexium Imperatorem Constantinopolitanum ulteriùs progre-

grediebatur: Sevientem retinuit Nuncius Hildebrandi Apostolici. Imperator enim Alemannorum Heericus filius Henrici (*de quo supra memoravimus*) iratus contra Papam, quod excommunicationem in eum propter investituras Ecclesiarum promulgaverat, cum exercitu veniens Romam obsedit, Hidelbrandum expulit, Guibertum Ravennatem introduxit. Quo per literas expulsi Wiscardus audito, relicto Boamundo cum militibus, ut inchoata paterna persequeretur, Apuliam rediit; contractaque velociter Apulorum, & Normannorum manu Romam tendebat. Nec subsistit Nuncium advenientis Henricus, quie cum falso Papa, sola fama territus, terga daret. Vacua ab obsessoribus Roma, legitimum Præsulem accepit; Sed non multò post eadem violentia qua priùs,amisit.Tunc quoque Alexius audiens Rodbertum ad sua necessariò revocatum, summamque bello manum imponere sperans, super Boamundum, qui partes relictas tuebatur, irruit. Sed Normannus gentilitii roboris tenax adolescens arietantes Græcos, & cæteras, quæ convenerant, gentes, usu militari, quamvis multum numero inferior, fugæ tradidit. Eodem quoque tempore Veneti, gens mari assueta, Vviscardum, propter quæ venerat sedatis, transfretare volentem aggressi, superiorem calamitatem senfere, pars mersi & exsi, pars fugati. Ille ceptam enavigans viam multas Civitates Alexii suæ voluntati applicuit. Substulit Imperator maleficio, quem virtute nequibat, uxori ipsius connubium augustale mentitus; Cujus insidiis elaboratum virus hauriens interiit, meliorem exitum, si Deus voluisset, emeritus; invincibilis hostili ferro, & domestico obnoxius veneno. Sepultus est apud Venusam Apuliæ, habens Epitaphium:

Hic terror mũdi Wiscardus,hic expulit Urbe,
Quem Ligures Regem, Roma, Lemannus habent.
Parthus,Arabs, Macetumque Phalanx, non texit Alexie,
At fuga; sed Venetum nec fuga, nec Pelagus.

Loquitur de Balduino II. Hierosolymorum Rege.

DEinde ad supplementum rerum, quas amiserat, simul & ad legitimum connubium, non multò post Comitissa Siciliæ Jerosolymam venit, tantas Gazas cubiculo Regis inferens, ut mirùm cuivis videretur, unde mulier tam infinitos pretiosæ supellectilis æmulos coacervarit; & tunc quidem illam thoro recepit; sed non multò post dimisit. Ajunt incommodo tactem, quo ejus genitalia cancer morbus incurabilis exhesit. Illud constat, Regem prolis inopem fuisse; nec mirùm, si homo, cujus odium erat ægrescere, uxoris amplexus horruerit, omnem ætatem in bellis deterens. *Et infra*.

Principatus Antiochenus ad Boamundum spectat filium Boamundi, de quo nunc dicam.

Boamundus, Roberti Guiscardi ex Normanna filius fuit. Alter Rogerus ex Appula genitus,qui cognomen Marsupii (*Bursa*) à Patre meruit, quod paterno, & curioso intuitu deprehendisset eum jam à tenero libenter nummos numerare. Nam Boamundus ætatis majuscula, nihil erat, quod retineret, sed etiam puerilia Xenia dispertiret. Itaque Rogerus Apuliam, quæ sibi materno genere competere videbatur, accepit. Boamundus cum genitore ad Dyrrachium bellum profectus est. Cumque Oppidani fiducia Mœnium jactitarent ideò Urbem Dyrrachium nominatam, quod contra omnes obsidiones imperterrita duraret; Et ego, inquit Guiscardus, vocor Durandus, & eo usque in obsidione durabo, quo Civitati nomen auferam; ut non Dyrrachium, sed Mollucium amodo dicatur. Cujus responsi Constantia effecit, ut confestim pavefacti portas aperirent. Ita tutus à tergo cæteras Urbes usque ad Thessalonicam leviore labore subegit. Jamque illuc pervenerat, jam Alexium tum per se, tum per filium vinci posse docuerat, eum uxoria fraude deceptus ingens dispositum morte destituit. Tum verò Boamundus Apuliam reversus, aliquot Castella fraterna indulgentia tenuit, multa ipse virtute, & prudentia coquisivit.....

Ex ejusdem Auctoris Lib. I. de Gestis Pontificum Anglorum; ubi de S. Anselmo Cantuaria Archiepiscopo.

OMnibus amori, & honori erat, adeò ut Rogerius Dux Apuliæ, apud quem Rex Angliæ illum literis insimulandum curaverat, spretis næniis, longè aliter sententiam suam in viri honorem transferret: Illi Villas, illi Castella, illi postremò quęcumque placerent, offerens, tantum remanentia sua terram suam beatificaret.

EXCERPTA EX ROGERIO DE HOVEDEN,

Addenda folio 963. & ex errore omissa.

DEinde Rex Angliæ (*Richardus*) pro amore Dei, & salute animæ suæ, & parentum suorum, quietum clamavit in perpetuum (*idest treguam*) per totam terram suam citra mare, & ultra. . . . . : Et charta sua confirmavit, Anno secundo Regni sui, Mense Octobris, apud Messanam . . . . . . Eodem anno 1190. plusquam centum millia Paganorum, qui erant in Regno Siciliæ, servi Regis Vuillelmi, post mortem ejus indignati sunt servire Regi Tancredo; Tunc quia Henricus Rex Alemannorum calumniatus erat Regnum Siciliæ, tum quia Richardus Rex Angliæ Regnum Siciliæ ingressus, magnam illius partem occupaverat. Et abierunt in Montana cum mulieribus, filiis, filiabus, & pecoribus suis, & habitaverunt ibi, opprimentes Christianos, & multa mala eis facientes. Sed audito quod pax, & filialis concordia esset inter Regem Angliæ, & Regem Tancredum, redierunt in servitutem Regis Tancredi & datis ei obsidibus de pace servanda, reversi sunt in domos suas: colentes terram, sicut coluerunt eam tempore Regis Vuillelmi, & servi facti sunt sub Rege Tancredo . . . . .

Eodem anno, Philippo Rege Francorum, & Richardo Rege Anglorum moram facientibus apud Messanam in Sicilia: Mense Decemb. 14. Kalendar. Januarii feria 4. audita sunt tonitrua magna apud Messanam, & visa sunt fulgura multa, & terribilia discurrere, & unus ictus fulminis cecidit in una Galearum Regis Angliæ, & demersit eam in profundum, percussitque murum Civitatis Messanæ, & magnam illius partem contrivit. Milites autem, & Servientes Regis Angliæ, qui custodiebant Monasterium Griffonum, in quo erant thesauri Regis Angliæ, dixerunt pro certo, se vidisse globum igneum, super pinnaculum Monasterii illius, qui non erat comburens, sed illuminans, & ibidem moram fecit, quamdiù tempestas sæviit, & cessante tempestate recessit globus ille igneus. Admirantibus illis, & diligenter requirentibus quid hoc esset, Griffones ibidem Deo jugiter servientes responderunt, quod sic semper evenit, quandocumq; tempestas fit.

Rex Angliæ interim, dum moram facit apud Messanam, fecit omnes navigii sui naves Duci in terram, & eas refici: nam multæ earum per corrosionem vermium deterioratæ erant. Sunt enim in fluvio del Far vermes graciles, qui In lingua illa vocantur Beom, quorum cibus est omne genus ligni: qui cum alicui ligno adhæserint, nunquam nisi per vim inde recedent, donec perforaverint illud: foramina autem faciunt stricta cum intrant; & corrosione ligni adeo crescunt, & pinguescunt, quod exeuntes faciunt foramina lata. Interim Richardus Rex Angliæ, fecit parari petrarias, & alias machinas suas bellicas, quas secum in terram Jerosolymitanam laturus erat. . . . . . .

Inter nomina Magnatum, qui anno 1190. in obsidione Achon, seu Ptolemaidæ obierunt recensentur. Rogerus Comes de Apulia, & Jocellinus Comes de Apulia.

Anno 1191. Prima die mensis Martii. Richardus Rex Angliæ recessit à Messana, & perrexit inde usque ad Civitatem Cathinensium (ubi requiescit Sanctissimum Corpus B. Agathæ Virginis, & Martyris) ad loquendum cum Tancredo Rege Siciliæ, qui illuc obviam ei venerat. Cum ergo Rex Tancredus audisset adventum Regis Angliæ, exivit obviam illi, & cum summa reverentia, & honore regiæ excellentiæ debito suscepit eum, & introduxit in Civitatem. Et simul euntibus illis ad tumbam Beatæ Agathæ Martyris, ante ingressum Templi occurrerunt Clerus, & Populus laudantes, & benedicentes Dominum, qui eos in tantæ dilectionis fœdere avocavit. Facta igitur oratione ad sepulchrum Beatæ Agathæ, Rex Angliæ ingressus est Palatium Regis Tancredi cum illo, & habitarunt ibi simul tribus diebus, & tribus noctibus. Quarta autem die Rex Siciliæ dona multa, & multa in auro, & argento, & equis, & pannis sericis misit Regi Angliæ; sed ipse nihil inde recepit præter annulum quendam parvulum, quem in signum mutuæ dilectionis accepit. E contra Rex Angliæ dedit Regi Tancredo gladium illum optimum, quem Britones Caliburne vocant, qui fuerat gladius Arthuri quondam Nobilis Regis Angliæ. Præterea Rex Tancredus dedit Regi Angliæ 4. magnas naves, quas vocant Ursers, & 15. galeas; & cum Rex Angliæ recessisset ab eo, ipse in propria persona sua reduxit eum usque ad Tavernim per duas dietas magnas à Civitate Cathinensium. Et in crastino cum Rex Angliæ recedere vellet, Rex Tancredus tradidit ei quoddam breve, quod Rex Franciæ miserat illi per Ducem Burgundiæ, & mandaverat per breve illud, quod Rex Angliæ proditor erat, & pacem, quam cum illo fecerat, non servarat; et si ipse Rex Tancredus vellet cum Rege Angliæ in bello congredi, vel de nocte invadere, ille & gens sua auxiliarentur ei ad Regem Angliæ, & exercitum suum destruendum. Et respondit illi

Rex Angliæ: Proditor non sum, nec fui, nec ero; & pacem, quam vobiscum feci, in nullo sum transgressus, nec transgrediar quamdiù vixero: & de facili credere non possum, quod Rex Franciæ hæc de me vobis mandaverit, cum ipse Dominus meus sit, & socius adjuratus in illa peregrinatione. Cui Rex Tancredus respondens ait. Ego trado vobis literas, quas ipse mihi misit per Ducem Burgundiæ, & si Dux Burgundiæ negaverit, quod ipse has literas mihi ex parte Domini sui Regis Franciæ attulisset, ego id dirationare adversus eum paratus sum per unum de Ducibus meis: & sic cum literis de manu Regis Tancredi receptis, Rex Angliæ Messanam reversus est.

Eodem die Rex Franciæ venit Tavernim (*Tauromenium*) & loquutus est cum Rege Tancredo, & cum illo moram fecit ibi per unam noctem, & in crastino rediit Messanam. *Prosequitur inde enarrare dissidium, & pacificationem inter Regem Angliæ, & Philippum Regem Franciæ, qui eodem anno tertio Kalendas Aprilis Sabato recessit à Portu Messanæ cum toto navigio suo.* Rex verò Angliæ, & exercitus ejus remanserunt apud Messanam post recessum Regis Franciæ. Et eodem die quo Rex Franciæ recessit à Messana, venit illuc Regina Alienor mater Richardi Regis Angliæ, & adduxit secum Berengeram filiam Sanctii Regis Navarræ, quam idem Rex Angliæ in uxorem erat ducturus. Et quarta die sequenti prædicta Regina Alienor iterum recessit versus Angliam per Romam transitura. . . . . . Abeunte igitur Regina Alienor, filia Regis Navarræ remansit in custodia Regis Angliæ, cum sorore ejusdem Regis, Joanna Regina Siciliæ.

Mense Aprilis, quarto Idus ejusdem Mensis feria quarta obiit Clemens Papa Tertius, cui successit Jacintus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedim, & in ipsa Vigilia Paschæ ordinatus est in Sacerdotem; & in die Paschæ, qui in 18. Kalendas Maij Anno 1191. evenit, in Romanum Pontificem consecratus est, ab Octaviano Hostiensi Episcopo, & vocatus est Cœlestinus Papa Tertius. Crastino autem consecrationis suę Dominus Papa transtulit se à Laterano usque ad Ecclesiam Beati Petri, & venit ibi obviam ei Henricus Alemannorum Rex cum Constantia uxore sua, & cum copiosa plebe armata. Romani verò clauserunt portas Urbis, & custodierunt eas in manu forti, & armata, non permittentes eos intrare. Dominus verò Papa ante ostium Ecclesiæ Beati Petri supra gradus recepit Sacramentum à prædicto Alemannorum Rege, quod ipse Ecclesiam Dei, & jura Ecclesiastica fideliter servaret illibata, & quod rectam justitiam teneret, & quod Patrimonium Beati Petri, si quid inde ablatum esset, in integrum restitueret, & quod Tusculanum ei redderet. Deinde introduxit eos Dominus Papa in Ecclesiam, & unxit eum in Imperatorem, & uxorem suam in Imperatricem. Sedebat autem Dominus Papa in Cathedra Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes suos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix similiter de pedibus Domini Papæ. Dominus autem Papa statim percussit cum pede suo coronam Imperatoris, & dejecit eam in terra, significans quod ipse potestatem ejiciendi eum ab Imperio habet, si ille demeruerit: Sed Cardinales statim arripientes coronam imposuerunt eam capiti Imperatoris . . . . Interea Richardus Rex Angliæ Mense Aprilis fregit, & comminuit Castellum suum, quod dicebatur Mategriffun ante regressum suum à Messana, sicut promiserat Regi Tancredo: & feria quarta ante Cœnam Domini ipse cum toto exercitu suo, & navigio suo, recessit à Portu Messanæ cum 150. magnis navibus, & cum 53. galeis bene armatis, & in die Parasceves Domini circa horam diei nonam venit ventus horribilis ab Austro, & navigium ejus dissipavit. Rex verò cum parte navigii applicuit in Insula Cretæ; deinde in Insula Rodes. Buscia autem magna, in qua erant Regina Siciliæ, & filia Regis Navarræ, cum multis de familiaribus Regis, & duæ aliæ Busciæ, cum illa tempestate adhoc sæviente, pervenerunt ad Insulam Cypræ; Rege nesciente, quò Busciæ illæ devenissent. Post tempestatem misit Rex galeas quærere Busciam illam, in qua Regina soror ejus, & filia Regis Navarræ erant, & invenerunt eas extra Portum de Limesaun, aliæ duæ Busciæ, quæ cum illis venerant ante Portum de Limesaun, perierunt. in quibus multi milites & servientes de familia Regis submersi sunt. . . . . .

Eodem die post victoriam Regis Angliæ, soror ejus Regina Siciliæ, & filia Regis Navarræ intraverunt Portum de Limesaun cum cætero navigio Regis. . . . . .

Et eodem die 4. Idus Maii in Vigilia Pentecostes Regina Angliæ, & Regina Siciliæ soror Regis Angliæ, & filia Imperatoris, de Cypre applicuerunt apud Acchon, cum majori parte Storii (*Stolii*) Regis Angliæ.

Ubi

Ubi Auctor agit de recessu Philippi Regis Franciæ de Accbon, & de itinere ejus.

PRopè Insulas suas, quarum una dicitur Chefelleute, & altera Jagert, est Muscua (*seu Muzzun*) Civitas deserta, quam Rogerus Rex Siciliæ destruxit.

Deinde est Portus Wiscardi. Est itaque sciendum, quod Robertus Wiscardus natus fuit in Normannie, & miles factus, diù de familia fuit Henrici Regis Angliæ, filii Vuillelmi Bastardi. Qui licet fuisset miles probus in armis, tamen nullam gratiam potuit invenire ditandi apud Regem illum. Unde factum est, quod cum uxore sua, & filiis, & fratre suo reliquit Normanniam, & Romam adiit; & accepta à Summo Pontifice licentia, & consilio subjicere sibi barbaras nationes, confluebat ab eum multitudo magna virorum ei adhærentium. Et recedens inde, intravit Apuliam, & videns eam terram bonam, & fertilem, & habitatores illius indoctos ermis, sæpè invasit eos in manu forti, & armata, & vicit eos, & obtinuit terram. Et totam Apuliam, & Calabriam, & Principatum Capuæ subjugavit sibi, & eripuit eas de manu Imperatoris Romanorum, & dedit eas Tancredo filio suo. Deinde magnum congregavit navigium, jactans quod ipse Imperium Constantinopolitanum invaderet, & totum sibi subjugaret. Sed interim dum navigium ejus præpararetur, contigit quod ipse, & Tancredus, & Boimundus filii ejus, in una die commiserunt prælium contra Dominum Papam, & contra Imperatorem Romanorum, & contra Imperatorem Constantinopolitanum, ita quod ipse Robertus Wiscardus commisit prælium contra Imperatorem Constantinopolitanum, & unus filiorum suorum contra Papam, & alter contra Imperatorem Romanorum: & ille, & uterque filiorum seorum, in una eademque die obtinuerunt victoriam. Deinde Robertus Wiscardus intravit navigium suum, & uxor ejus cum eo, & subjugavit sibi Insulam de Cuverfu, & Insulam de Crete, & Insulam de Rhodes, & alias Insulas multas, eripiens eas de manu Imperatoris Constantinopolis. Deinde venit ad Portum, qui nunc nomine suo nuncupatur Portus Wiscardi. Et cum inde progredi voluisset, & intrare Romaniam, Imperator Constantinopolitanus timens valdè adventum illius mandavit uxori suæ, quod si ipsa prædictum Robertum Wiscard morti tradidisset, & sic terram suam de co liberasset ille duceret eam in uxorem, & faceret eam Imperatricem Constantinopolitanam. Concessit autem mulier se facturam, quod Imperator petebat: & nacta opportunitate temporis, & loci, porrexit Roberto Vuiscard marito suo venènum bibere: & mortuus est, & ibidem in Insula, quæ usque in hodiernum diem dicitur Portus Vuiscardi, sepultus est: & totus exercitus ejus dissipatus est. Mulier autem fugit ad Imperatorem Constantinopolitanum, qui statim adimplevit omnes conventiones suas, & duxit eam in uxorem, & coronavit in Imperatricem: & cum omnis solemnitas debita facta fuisset ei, & in desponsatione, & in coronatione, & in nuptiis, ite solemniter, quod ita diceret Imperatori: Domine, vestri gratia jam perfecistis mihi omnem conventionem nostram: Imperator facto silentio, coram omnibus ostendit conventionem, quam fecerat cum illa, & qualiter illa morti tradiderat maritum suum; & petiit ab iis judicium de illa: & judicaverunt eam ream esse mortis. Et sic translata de nuptiis ad supplicium, accenso rogo injecta est, & in cineres redacta.

Rogerus verò frater prædicti Roberti Vuiscardi debellavit Siculos, & totam sibi subjugavit Siciliam, & factus est Comes Siciliæ. Sicilia Insula est magna, & aurequam præfatus Rogerus debellasset eam, inhabitata fuit à Paganis, & erat de dominio Imperatoris de Africa. Sed prænominatus Rogerus, expulsis inde Paganis, legem Christi instituit, & fecit in ea duos Archiepiscopatus, & sex Episcopatus. Deinde uxorem duxit, de qua unum solum genuit filium, quem vocavit nomine suo Rogerum; & fecit illum Ducem Apuliæ, & dedit illi Calabriam, & Principatum Capuæ, defuncto Tancredo, filio Roberti Vuiscardi, sine prole. Deinde obiit prædictus Rogerus Comes Siciliæ, & Rogerius filius ejus Dux Apuliæ successit ei in Comitatu Siciliæ. Et paulopost, per consilium Comitum, & Baronum suorum, fecit se coronari in Regem Siciliæ. Et iste Rogerus, ita factus est primus Rex, coronatus in Sicilia: qui uxorem duxit, ex qua genuit duos filios, & unam filiam, a quorum primus vocatus est Rogerus, & alter Vuillelmus, & filia ejus vocata est Coestantia. Et ipse dedit filio suo primogenito Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ. Qui uxorem duxit inconsulto patre suo, & genuit ex ea filium unum, quem vocavit Tancredum. Deinde obiit pater suus Rex Siciliæ, cui successit in Regno Vuillelmus filius ejus, qui uxorem duxit, de qua genuit unum solum filium, quem vocavit nomine suo Vuillelmum. Iste Vuillelmus ultimus successit patri suo in Regnum: & dedit Tancredo fratri avi sui Comitatum de Laliche. Et Constantiam sororem avi sui, dedit Henrico Regi Alemannorum, filio Frederici Romanorum Imperatoris in uxorem. Et fecit jure-

jurari ei Regnum Siciliæ post illum, si ille decessisset sine prole. Et deinde ipse Vuillelmus Rex Siciliæ, duxit sibi in uxorem Joannam filiam Henrici Regis Angliæ, filii Matildis Imperatricis: Sed ille Vuillelmus Rex Siciliæ obiit sine prole. Quo defuncto, Tancredus prædictus Comes de Laliche, immemor Sacramenti, quod cum cæteris fecerat Henrico Regi Alemannorum, usurpavit sibi Regnum Siciliæ, & factus est inde Rex coronatus. Quod cum Henricus Romanorum Imperator audisset, magno congregato exercitu, intravit terram Regis Tancredi, & adducens secum uxorem suam Constantiam, hæredem Regni Siciliæ, obsedit Salernum, & infra 15. dies reddita est ei, & uxori suæ, & ipse procedens inde obsedit Neapolim, ubi cum ipse moram fecisset per 6. septimanas, amisit ferè totum exercitum suum, ex corruptione aeris; & ipse egrotavit usque ad mortem. Et cum vidisset se nihil posse proficere, adversus eam, recessit, & abiit ad Civitatem suam Melan. Quod cum audissent Salernitani, injecerunt manus in Dominam suam Constantiam Imperatricem, & tenentes tradiderunt eam Tancredo Regi Siciliæ. Et Imperator dolens, & confusus de amissione uxoris suæ scripsit Cœlestino Papæ, ut per auxilium illius recuperasset eam: quæ postmodo reddita est ei per auxilium Domini Papæ.....

Anno gratiæ 1199. qui est annus decimus, & ultimus Regni Richardi Regis Angliæ, fuit idem Richardus in Normannia apud Danfrunt die Natalis Domini; qui sexta feria evenit...... *Decessit Richardus Octavo Idus Aprilis feria 3. ante Dominicam in ramis Palmarum, quo defuncto Joannes frater ejus Regnum accepit.* Et eodem anno 1200. Mense Septembri Joanna, quæ data fuerat uxor Raimundi Comitis de S. Egidio, quondam Regina Siciliæ, soror quoq; Joannis Regis Angliæ, obiit in Normannia apud Rothomagum, & delata ad Abbatiam fontis Ebraudi, ibidem sepulta est inter velatas;

EX ARBATIS URSPERGENSIS CHRONICO EXCERPTA.

DE EODEM.

Conradus à Lichtenau, nobilis Germanus, Præmostratensis Ordinis Abbas Cœnobii Urspergensis: obiit Anno 1240. Ex variis aliorum Historiis, ut ipse præfatur, contexuit Chronicon à Belo Assyriorum Rege, ad Annum Christi 1229. Pauca in eo leguntur, quæ ad Rem Siculam spectant, nisi prope finem, ubi, studio partium abactus, pro suæ Nationis Imperatoribus, non pauca contumeliosa de Innocentio III. & de Gregorio IX. Pontificibus valdè piis, & doctis, procaciter congessit. Auctorem alioquin, judicio Bellarmini, satis diligentem, & posita hac prævia admonitione, lectu dignum, in nostris Excerptis omittere non putavimus.

ANno Dominicę Incarnationis 663. Constans Imperator anno 21. Regni sui Romam veniens, obtulit super Altare S. Petri pallium auro textile, toto exercitu cum cæteris Ecclesiam intrante. Voluit autem, & Regnum transferre Romam, quia odiosus factus erat Byzantiis, eo quod Martinum Papam ignominiosè tractans exiliavit, & Maximi, sapientissimi viri manum, linguamque truncavit, duosque Anastasios discipulos ejus tormentis, & exiliis tradidit, & multos orthodoxorum verberibus, & proscriptionibus, & exiliis damnavit. Propter talia cunctis odiosus effectus, sex annos fecit in Sicilia, ibi cum quodam die Balneum fuisset ingressus, introivit cũ eo quidam Andreas, obsecundans illi. Et cum cœpisset sapone Gallico deliniri, sumens Andreas Situlam, dedit eam in verticem Imperatoris, & statim fugit. Imperator verò cum tardaret in Balneo, insiliunt hi, qui foris erant, & reperiunt eum occisum. Quo sepulto, Mitium quendam Armenium fecerunt Imperatorem, vi cogentes eum; erat autem valdè decorus, & speciosus: Filius autem ejus Constantinus, audiens de Patris obitu, cum multo navigio Siciliam intravit, & aggressus Mitium interfecit eum, cum occisoribus Patris sui; ordinatisque Hesperiis, Constantinopolim rediit, & Romanis cum Tiberio, & Heraclio fratribus imperavit.

Anno Domini 730 *Leo Isauricus Imperator Iconomachiæ jam impius Protagonista*: Misit, & ad Papam Romanum Gregorium II. ut similiter faceret (*Sacras Imagines comburens*) Ille verò noluit, sed omnia tributa Romanæ Urbis, & Italiæ sibi dari prohibuit. *Tunc impius Imperator, ne de Sicilia, sibi subjecta, annui Canones, qui Patrimonium Divi Petri appellabantur, Romam in posterum mitterentur prohibuit.*

Anno Domini 797. Dum Carolus Magnus esset Aquisgrani, Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, venit, portans Epistolam Constantini Imperatoris, quem magnificè suscipiens, post paucos dies absolvit.

Ad Annum Domini 1109. (*Ubi de Conradi*

radi filii Henrici IV. Imp. defectione contra Patrem, inter ejusdem præclaras laudes, addit Auctor) Indeque Deo, & hominibus semper extitit amabilis; Cœlibatus pudorem perpetualiter servare cum proposuisset, coactus tamen à suis filiam Rogerii Ducis Siciliæ (*Rogerii I. Siciliæ Comitis*) famosissimi penè nostrorum temporum viri, duxit uxorem: cujus tamen castè usus est conjunctione, ut vix crederetur eam unquam cognovisse.

Anno Domini 1182. Imperator (*Fridericus I. Ænobarbus*) apud Maguntiam maximum festum, & convivium celebravit, convocatis ibidem Principibus, & Baronibus totius Regni, sed & de aliis Regnis quampluribus. In quo Conventu duo de filiis ipsius, videlicet Henricus Rex, & Fridericus Dux, gladios accinxerunt.

Desponsavit postmodum prędicto Henrico filio suo Dominam Constantiam, filiam Rogerii quondam Regis Siciliæ, quam tunc in potestate habebat Vuillelmus Patruus ejus, qui eam enutrivit, & ipsius nomine Regnum gubernavit. Alteri quoque filio Duci desponsavit filiam Regis Ungariæ, qui tamen morte præventus, ipsam non traduxit.

An. Dñi 1191. Henricus (*VI. Imperator*) Romæ à Cœlestino Papa coronatur. Sed Romanis rebellantibus non potuit adipisci coronam, quia priùs traderet eis Tusculanum . . . .

Accepto itaque Diademate Imperiali, progreditur Imperator in fines Apuliæ. Nam Regnum Siciliæ, & Apuliæ, jam mortuo Vuillelmo jure hæreditario ad Dominam Constantiam uxorem ipsius devolvebatur, quamvis illius quidam Dancredus (*Tancredus*) Nepos Reginæ occupaverit, quo mortuo quidam alii diversa loca, & Castella occupaverant. Progrediens igitur Imperator cum exercitu, Neapolim Civitatem munitissimam obsedit. Ubi in æstivo tempore multi Theatonicorum perierunt, & ab obsidione discessit Imperator inglorius. Missis autem Nunciis de Alemannia, fecit adduci Uxorem suam, cujus, ut dictum est, erat Terra. Hæc in ipso itinere apud Cumas à quibusdam Latronibus inhonestè tractata est, & à Salernitanis capta. Imperator verò reversus est in Alemanniam, relinquens in Apulia Diepoldum quendam fidelem suum, ut medio tempore contra hostes ipsius pugnaret.

Anno Domini 1193. Richardus Rex Angliæ in Austria captus à Duce Lupoldo traditur Imperatori, Imperator verò centum millia Marcarum sibi ab eodem data, fecit militibus dari in soldum, & magnum adunavit exercitum in Apuliam; & Salernum manu armata expugnavit; de cujus præda ditatus est exercitus.

Anno Domini 1194. Tota Apulia, & Sicilia, & Calabria ejus subduntur Imperio, & de subjectione, & fidelitate vades accepit quosdam Nobiles, & potentes Terræ, inter quos erant Archiepiscopus Salernitanus, & duo Comites Germani fratres ejusdem, & quidam Margaritus, qui potens fuerat in mari Pirata.

Anno Domini 1195. Rursus quidam Comites, & Barones in Apulia rebellant Imperatori, quocirca Imperator, missa legatione, vades, quos acceperat in Alemannia jussit oculis excæcari, quod & factum; præter Episcopum: Rebelles quoque captivatos diversis suppliciis, & horrendis fecit interimi. Eo tempore Imperator Marquardum de Annioullit, Dapiferum, & Ministerialem suum libertate donavit, & Ducatum Ravennæ, cum Romania, Marchiam quoque Anconæ sibi concessit. Præfato etiam Diepoldo quasdam Provincias Apuliæ commisit, ponens eum in quodam Castro, quod vocabatur Rocca de Arce. Hi duo bella Imperatoris strenuè peregerunt. Philippo quoque fratri suo dedit uxorem Dominam Erinam (*Irenem*) filiam Regis Græcorum, quam reperit in Palatio Panormitano; Desponsata siquidem fuerat filio præfati Dancredi; tradens ei dominium totius Tusciæ, & Terram Dominæ Matildæ.

Anno Domini 1196. Natus est Imperatori filius Fridericus, qui postea tenuit Imperium.

Anno Domini 1209. Otto hujus nominis IV. . . . . Imperium accepit, & regnavit annis 4. & à Regno pellitur, quod propter ipsius superbiam præcipuè contigisse creditur . . . Eo anno, tempore vernali, & æstivo expediens se Imperator Otto, & proficiscens circa festum S. Michaelis Romæ coronatur ab Innocentio Papa III, ... Insignia Imperialia apud Mediolanum commisit, . . . Inde peragrans partibus Tusciæ, & Marchiæ, contra juramentum, quod fecerat Domino Papæ, manu hostili cæpit invadere terras S. Petri ad Ecclesiam Romanam pertinentes. Præterea juramenta, quæ fecerat de reformanda pace cum Philippo Rege Franciæ, & Friderico Rege Siciliæ, ... omnino respuit observare. Quin imo manu hostili Apuliam intravit, & multas Civitates ad Regem Siciliæ pertinentes, in suam potestatem redegit, & Principatum Capuæ cum Palatio ejusdem Civitatis accepit, & in eodem permanere cæpit. Cumque super his ad resipiscendum frequenter admonitus à Papa fuisset, tandem contumax, & rebellis existens, ab eo fuit excommunicatus.

Anno Domini 1210. Otto (*Imperator*) excom-

excommunicatus denunciatur. Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemię, Dux Austriæ, Dux Bavariæ, & Lantgravius Thuringiæ, & alii quamplures convenientes, Fridericum Regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem coronandum, cui etiam olim, cum adhuc in cunis esset, juraverunt fidelitatem. [*Fridericus igitur II. eligitur in imperatorem. Hic Polygottatos dictus est: novit enim Latinè, Theutonicè, Græcè, Saracenicè; seu Arabicè loqui. in legibus, in Poesi, in oratorio peritus*] Nuncios itaque mittunt, qui hanc electionem tam in Romena Civitate, quam apud Fridericum Regem Siciliæ promoveant, & ipsum in Alemanniam perducant. Mittitur in hac legatione nobilis vir Heinricus de Nifen, & Anshelmus de Junstigen vir ingenuus . . . . . Heinricus remansit Veronæ, quatenus favorem Lombardorum præfato Regi acquireret: Anshelmus verò, magno labore, & periculis plurimis Romam usque pervenit, ibique consilio, & interventu Domini Innocentii Papæ obtinuit, ut à Civibus, & Populo Romano Fridericus Imperator collaudaretur; & de ipso factam electionem Pape confirmavit.

Tunc prædictus Anshelmus progressus pervenit ad sæpe dictum Fridericum Regem Siciliæ, vixque obtinuit apud illum ut iret in Alemanniam. Uxor namque ipsius, filia Regis Aragonensis, quam priùs uxorem habuerat Rex Ungariæ, plurimum studuit eum revocare, ne iret. Similiter & multi Potentes Siciliæ, timentes evenire sibi periculum propter fraudem Alemannorum. At ipse, cum parvulum jam ex conjuge haberet filium, Heinricum videlicet, postmodum Regem factum, relictis, Uxore, & Filio, & Terra, viriliter iter arripuit, ad accipiendum Imperium, & primò Romam applicuit. Ubi, accepto favore, & consilio Domini Papæ, Januam pervenit. Hujus itaq; Civitatis Cives iter sibi parent securum, timebant enim incursus Mediolanensium, & ipsum Papiam usque perducunt. Tunc Papienses, & Cremonenses coadunati, usque in Vallem Tridentinam illum conducunt.

Anno Domini 1211. Otto in Apulia quasdam Civitates accepit, & Capuam pervenit, ubi & hiemavit. Eo tempore cum venissemus ad Curiam Romanam, vidimus ibidem virum Religiosum, Abbatem de Morimunt, qui à festo S. Michaelis, ut ipse asserebat, usque ad Quadragesimam, quinque vicibus transierat à Rome usque Capuam, jussu Domini Papæ, quatenus pacem reformaret inter Papam, & Imperatorem. Cęterum Imperator Otto nulla ratione flecti potuit, quin vellet expellere de Terra præfatum Fridericum Regem Siciliæ, & de Philippo Rege Franciæ ultionem quærere . . . . . . Sanè ne tanta turbatio fieret in Ecclesiis, & Populo Christiano, voluit Dominus Papa sustinere omne damnum, quod sibi Imperator in terris Ecclesiæ Romanæ intulisset, aut inferret. Hanc formam compositionis cum recusesset Imperator admittere, Dominus Papa tanquam vir animosus, & confidens in Domino, tria ardue negotia simul explere disposuit.

Anno Domini 1212. Laboravit Papa super depositione Ottonis Imperatoris. . . . Secundò transmisit litteras per omnem Christianitatem pro successu Terræ Hierosolymitanæ. Tertiò pro coadunando Generali Concilio litteras per Orbem transmisit. . . . . .

Interim eodem Anno Fridericus Imperator electus, cum non posset directo itinere venire in Alemanniam, de Valle Tridentine per asperrima loca alpium, & invia, & juga montium eminentissima, obliquando iter suum venit in Rhetiam Curiensem: ibique receptus ab Episcopo Curiense, & Abbate S. Galli, & Nobili viro Henrico de Sacco, perductus est usque ad Civitatem Constantiam . . . . Otto Imperator interim veneret de Thuringia, volens comprehendere, aut interficere Adversarium suum . . . . Sed à multis derelictus non poterat occurrere sepe dicto Friderico ad pugnam . . . . [*apud Brisacum Otto seditione Civium periculum passus*] laboriosè satis in Saxoniam rediit, & sic de Regno pellitur: & Fridericus Aquisgrani coronatur. [*Anno Domini 1214. Otto contra Philippum Regem Franciæ bellum inferens. ingenti suorum clade victus, à suis derelictus, & profugus in Saxoniam, tandem Anno 1218. obiit, ut ait Jacobus Strada, ab excommunicatione absolutus.*]

Eodem Anno 1215. Abbas electus fuit (*Author de se*) & translatus in Ursperg.

Anno Domini 1216. Innocentius Papa III. obiit apud Perusium 16. Kal. Augusti, cui successit Honorius III. . . . . .

Anno Domini 1219. Fridericus in Imperatorem electus, negotia Imperii in Alemannia disponit, & se præparat, ut sequenti anno veniat Romam coronandus.

Anno Domini 1220. Fridericus Romæ coronatur in Imperatorem in Basilica Sancti Petri, de mandato Domini Papæ, per ministerium Domini Ugolini, tunc Hostiensis Episcopi, postmodum Apostolici. Ubi Imperator de bonis, & prædiis Imperii in Italia sitis, multa contulit Ecclesiæ S. Petri, & vota votis accumulans, de manu ejusdem Episcopi rursus Crucem accepit ad perficiendum iter Hierosolimitanum . . . . . .

An-

Anno Domini 1221. Res Imperii in Lombardia, & in Tuscia cupiens (*Imperator*) disponere, à Bononiensibus, & quibusdam aliis Civitatibus inhonestè tractetur, & insignia Imperii, videlicet Coronam, & alia, remittit in Alemanniam . . . . Filium quoque suum Henricum, jam circiter octo annos habentem, nutriendum, & gubernandum commisit Cunrado de Baune, Pincernæ, & Ministeriali suo in Castro Vvintersteten. Qui eorumdem Ministerialium, & aliorum Principum interventu, postmodum à Patre suo, & Principibus Rex constituitur, & Aquisgrani coronatur, cum patre suo Imperium adepturus.

Imperator quoque contra duos Comites Tusciæ, videlicet Matthæum, & Thomam, qui occupaverant quædam Castra, & Terras suæ ditionis, in Apulia pugnare cœpit, & expugnatos omnibus bonis privavit. Qui postmodum confugientes Romam, præsidium Sedis Apostolicæ implorant; quo circa Imperator multotiens conquerebatur, quod inimicos suos, & hostes publicos Sedes Apostolica foveret . . . .

Anno Domini 1221, & annis sequentibus, Fridericus Imperator in Sicilia, & Calabria, & Apulia pugnavit contra Saracenos, & alios sibi rebelles, & ipsos suæ ditioni viriliter subjugavit. . . . .

Hinc Author pergit narrare expeditionem Crucesignatorum in Palestinam, & validam Damiatæ obsidionem, postea addit: Videns autem Soldanus, quod ab obsidione non posset eos repellere, vel suis auxilium conferre; cœpit de pace tractare. Volebat autem reddere Civitatem Hierosolymam, & eam reparare in muris, & ædificiis sicut erat quondam, quando Pater suus Saladinus cœpit eandem. Insuper omnem Terram, quam possidebant Christiani, exceptis duobus Castris, volebat restituere, quatenus recederent ab obsidione. Quam compositionem Legatus Sedis Apostolicæ, qui aderat, & Templarii, & alii Rectores exercitus, pro sua superbia, admittere recusabant. Ideo contigit, ut ad modicum lætificati, gaudium, quod stultè de prospero successu acceperant, infeliciter perderent. (*Nam expugnata tandem Civitate, cum Christiani inter dua brachia Nili fluminis tentoria fixissent, à Soldano, & aquarum inundatione, & Saracenico exercitu coangustati, ad Damiatæ restitutionem ignominiosè adacti sunt.*) Sicque factum est ut exercitus Christianus, qui priùs in superbia, & in abusione elatus, absque Deo in suis viribus confidens, fiduciam habebat inanem, confunderetur, et tam Damiata, quam Terra Sancta adhuc perdita inveniretur. . . (*& hæc ideo notata sunt quia consentanea iis, quæ ab Autore de Friderici II. Imperatoris expeditione narrantur.*)

Anno Domini 1223. Henricus Rex Romanorum effectus, Agnetem filiam Luipoldi Ducis Austriæ accepit in uxorem, de consilio Patris sui Friderici Imperatoris.

Anno Domini 1224. Damiata perdita fuit.

Anno Domini 1225. Ludevvicus Dux Bavvariorum, Curator Regis Henrici, in rebus tam propriis, quàm Imperialibus, in Alemannia efficitur.

Anno Domini 1226. ab Imperatore Curia Cremonæ conditur post Pentecosten; quæ ne fieret, ut multi credunt à Cardinalibus, et Curie Romana impeditur. . . . Eodem anno Agnes Regina Aquis coronatur.

Anno Domini 1227. Honorius Papa obiit Mense Maii. Cui successit Gregorius IX, qui priùs Hugolinus Hostiensis Episcopus dicebatur, natione de Anagnia. Hic . . . . . primo anno Pontificatus sui cœpit excommunicare Fridericum pro causis frivolis . . . et postposito omni ordine judiciario; sicut idem Imperator in Epistolis suis rescripsit Principibus Alemanniæ, retexens omnem progressum vitæ suæ, et conservationem, et actionem, et innocentiam pro succursu Terræ Sanctæ. Cujus Epistolæ series hæc est.

EPISTOLA FRIDERICI II.
Ad Principes Alemanniæ.

FRidericus, Dei Gratia, Romanorum Imperator, Principibus Alemanniæ etc. In admirationem vertitur vehementem, etc. Hujus Epistolæ seriem longum esset ponere, ideo quæ jam quæ in ea explicantur, breviter describemus, videlicet qualiter Imperatrix Constantia in extrema voluntate ipsum Imperatorem adhuc in cunabulis positum, commisit in sinu, et tutela Romanæ Ecclesiæ, quoniam per spiritualem, et temporalem ejus potentiam melius poterat indemnitatibus pupilli provideri, sed tamen tam de persona periculum, quàm de Regno suo non defuit magnum detrimentum, et pupillaris hæreditas in multas partes est discissa. Deinde in præjudicium ejusdem Friderici, cum jam esset electus, Ottonem de Saxonia ad Imperiale fastigium sublimavit.

Item qualiter mirabiliter præter humanam conscientiam ipsum in multis periculis conservavit, et demum ad Imperium sibi debitum præter humanum sensum reduxit, dejiciendo Ottonem superbum, et exaltando humilem. Item qualiter Aquis Crucem accepit, et rebus Imperii in Alemannia dispositis, Romam coronandus advenit

venit, ficut hæc omnia fuperiùs plenè defcripta funt. Item excufat fe de perditione Damiatæ. Item commemorat, quanta ftipendia præmiferit ad fubfidium Terræ Sanctæ, videlicet ut jugiter in fuo foldo haberet ibi Milites Ultramontanos septingentos, & de fuis ferè trecentos, quibus & paffagium, & neceffaria miniftravit.

Per evidentem quoque infirmitatem excufat fe, quòd eo anno non iffet ultra mare, cum etiam iter arripuiffet, & nostro Langravio in itinere gravis infirmitas eum redire compuliffet. Narrat etiam, quomodo pro faciliori liberatione Terræ Sanctæ Reginam Hierofolymorum, ad fuggeftionem Honorii Papæ acceperit in uxorem. Ex his omnibus conqueftiones facit Principibus, quòd pro tot beneficiis ab Ecclefia non potiùs remuneratur, quam excommunicatur, ideo & de Papa conqueritur, quòd nuncios fuos honeftos, videlicet Archiepifcopum Brundufienfem, & alios, in concilio fuo non folùm audire contempfit, fed nec ad præfentiam fuam, vel concilii admittere voluit. Multa quoque alia in eifdem literis funt defcripta.

(*Perperam Epiftolæ ipfius Friderici teftimonio Imperatorem Auctor abreptus excufare nititur.*)

Eodem Anno 1227. Multi Hierofolymitanum iter arripiunt, & plurimi in Apulia moriuntur, inter quos Sifridus, Augustenfis Epifcopus, & Langravius de Turingia, & alii multi, tam divites, quàm pauperes de medio funt fublati. Cumque Papa nollet defiftere ab excommunicatione Imperatoris, ipfe Imperator convocavit ad fe de Civibus Romanis potentiffimos, & nobiliffimos de familia eorum, qui dicuntur Frangentes panem, & de aliis, ad quos præcipuè refpectum habebat Populus Romanus, habuitque eum illis tractatum, qualiter eos faceret vaffallos Imperii; & ut fibi facerent hominium, & fideliter affiftant in omnibus caufis. Juffit itaque eofdem fub certa extimatione precii, & cenfus computare, quantum valeant omnes res ipforum immobiles, quas habebant in Civitate, tam in ædificiis, quàm in agris, & vineis, & mancipiis, & aliis rebus. Quo facto, omnes res illas dato precio, comparavit ab eis, & eafdem res ipfis in feudum conceffit, ratione fidelitatis, quam deberent fibi, & Imperio. Quo circa iidem reverfi, cum Papa rurfus excommunicaret Imperatorem, fecerunt, ut à Populo pelleretur turpiter extra Civitatem, unde apud Perufium eo anno, & fequenti ibi permanfit. Romani quoque cæperunt pugnare contra Viterbienfes, quorum vineas, & alias terras vaftaverunt ufque ad muros Civitatis. In aliis quoque terris, Papæ Civitati adjacentibus, idem faciebant. Papa quoque contra ipfos, & Imperatorem excitavit præfatum Joannem, Regem Hierofolymitanum, & Matthæum, & Thomam Comites, & alios, quos poterat de Tufcia, & Lombardia, multamque pecuniam erogavit militibus in foldum.

Anno Domini 1228. Imperator volens explere votum fuum, & pacatum fibi efficere Papam, transfretavit ad Terram Hierofolymitanam, priùs tamen eodem anno condixerat Curiam Principum Alemanniæ in Quadragefima, apud Raveonam, à qua fimiliter impeditus fuit nonnulla, & legationibus Domini Papæ. Nam Veronenfes, & Mediolanenfes non permiferunt aliquos tranfire per fines fuos, fpoliantes rebus fuis etiam ipfos Crucefignatos, ut afferebant, autoritate Domini Papæ, quid, proh dolor, nephas eft dicere. Nihilominùs tamen Imperator venit ad Terram Sanctam, Menfe Augufto, & applicuit apud Achon, & ibi permanfit; ubi ut ajunt, multa fuftinuit, ex perfida proditione Templariorum. Soli verò Hofpitalarii de domo Sanctæ Mariæ Teutonicorum fideliter fibi aftiterunt fimiliter Januenfes, & Pifani, & alii milites, qui cum ipfo, & pro ipfo advenerant. Veneti verò vacillabant.

Eo anno, & fequenti tractabatur de pace, inter Imperatorem, & Soldanum, & gentes ipforum. Papa verò captata occafione de abfentia Imperatoris, copiofum exercitum deftinavit in Apuliam, & Terras Imperatoris in fervitio Chrifti demorantis, quod nefandiffimum eft dicere, abftulit, & fibi fubegit, & Crucefignatos ne transfretarent, omni ftudio prohibuit, tam in Apulia, quàm in Lombardia. Quis talia facta rectè confiderans non deploret, & deteftetur, quæ indicium videntur, & quoddam portentum, & prodigium ruentis Ecclefiæ?

Anno Domini 1229. fit compofitio in Quadragefima, inter Imperatorem, & Soldanum. Hierufalem quoque, & Nazareth, & Joppæ cum Terris adjacentibus, & aliis quibufdam locis Imperatori reftituuntur, & treugua inter Chriftianos, & Sarracenos ufque ad decennium ftatuitur. Cumque Imperator fuper hoc laudabili, & gloriofo facto, refcriberet Domino Papæ, & gaudium annunciaret Chriftianitati, Papa literas illas abjecit, & refpuit. Eo anno Imperator Pafcha Domini cum multis expenfis, more regio, coronatus procedens, Hierofolymis celebravit. Ædificia quoque Civitatis reftituit, & Joppen, quæ erat deftructa, reædificavit, & alia quamplurima loca, ubi Chriftianos collocavit. Cum hæc agerentur in Ultramarinis partibus, Papa cum fuis complicibus, ut afferebant

ho-

hominès, famam fecit in Apulia divulgari, Imperatorem esse mortuum. Quocirca Civitates, quæ adhuc adhærebant Imperatori, disponebant se tradere sub dominio Papæ, & omnes Alemannos de Terra Sancta redeuntes, & ibidem in Apulia demorantes, durissimo, & nequissimo facinore interficere. Sed Deus misericors alter providit, & homines suo servitio deditos, ad laudem, & gloriam nominis sui clementissimè conservavit. Tempore siquidem æstivo, ejusdem anni, Imperator reversus, venit in Apuliam, ante alios, qui revertebantur. Cujus reversione certissimè comperta, crudelitas sævientium, & furor invadentium conquievit. Multi nanque tam de Ultramontanis, quàm de partibus illis Christiani, & Sarraceni coadunati sunt ad Imperatorem, ut haberet maximum exercitum, & fortissimum, cæpitque terras sibi ablatas, recuperare; & hostes de finibus suis expellere. Nihilominùs quoque omni tempore, quamdiu denunciabat eum Papa excommunicatum, beneficium absolutionis humiliter cum omni obedientia, & devotione, & justitiæ exhibitione postulavit. Super causis verò, quæ inter ipsum, & Papam vertebantur, diffiniendis, advocavit Principes Alemanniæ, qui venerant in Italiam: Videlicèt Patriarcha Aquilejensis, Archiepiscopus Salezburgensis, Episcopus Ratisponensis, Luipoldus Dux Austriæ, & Dux Dalmatiæ, & Histriæ. Quibus advenientibus, Imperatore manente apud Capuam, tractatum est de pace, & concordia, inter Imperium, & Sacerdotium, & Regnum Siciliæ, & absolutione Imperatoris. Multis aliis quoque mediantibus, tum de Curia Romana, quàm etiam Italia, & Alemannia. Sanè hæc compositio, cum non posset perfici eo anno, dilata est usque in annum sequentem.

Huc usque Chronicon Abbatis Verspergensis.

EX EADMERI HISTORIA NOVORUM EXCERPTA.

DE EODEM.

Eadmerus, sive Edmerus, sive Edinerus, seu Edmundus, Anglus, Monachus Benedictinus Ecclesiæ Canturiensis; claruit An. 1121. S. Anselmi Archiepiscopi discipulus, omniumque ejus laborum, & itinerum Comes individuus: S. Andreæ in Scotia postea Episcopus; demum abdicato Episcopatu, in suo Cantuariensi Monasterio sancto fine quievit. Scripsit, pari fide, ac stilo, pro illo sæculo, excellenti, Historiam Novorum, idest sui sæculi, Libros VI. ab An. 1066. ad An. 1122. Item de Vita S. Anselmi Canturiensis Archiepiscopi Libros II. & alia Opera.

Libro II. Autor, S. Anselmi Canturiensis Archiepiscopi, Anno 1097. declinantis persecutionem Vuillelmi II. Anglorum Regis, iter habetur, Romam versus, ad Urbanum II. à quo circa Kalendas Maii benignè exceptus, & Barensi Concilio adesse invitatus, cum eodem ad Rogerium Siciliæ Comitem, qui alterius Ducis Rogerii, Roberti Vuiscardi filii, auxiliator, Capuam obsidebat, pervenit: ibique usque ad Civitatis deditionem, ineunte Mense Julio permansit. Postea, ex Goffridi Malaterræ Historia cap. ult. & Eadmeri duobus adducendis locis colligitur, S. Anselmum, ad vitandos Aestatis calores in Monasterium S. Laurentii divertisse: Et Urbanum II. ad colloquendum cum Rogerio Comite, sibi amicissimo, Salernum usque fuisse progressum, donec adesset tempus Concilii, in proximo Mense Octobris celebrandi.

Libro II. His ferme diebus (*An.* 1097.) Rogerus Dux Apuliæ, adunato grandi exercitu, Capuanam Civitatem à sua dictione resilientem obsidebat, & auditâ famâ Anselmi, directis Nunciis, rogavit eum venire ad se, cupiens illum videre, & alloqui, atque per eum his quæ saluti suæ adminiculari poterant, informari. Ivit ergo Pater ad eum. Adhuc longè eramus; & ecce Dux ipse, copiosa militum multitudine septus, Patri occurrit, ac in oscula ruens, ei pro suo adventu gratias egit. Plures ex hinc dies in obsidione fecimus, remoti in tentoriis à frequentia, & tumultu prestrepentis exercitus. Cùm autem inter hæc Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illò adventaret, & ei ab Anselmo, ac Principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti sæcularis gloriæ pompa prosecutus, ductus est in tentorium, quod et propè nos erat cæteris excellentiùs constitutum. Sicque donec Civitas in deditionem transiit, obsidio illius Dominum Papam, & Anselmum vicinos habuit; ita ut familia illorum magis videretur una, quàm duæ, nec facilè quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum.

Sed quid faciam? Si dilectioni, si reverentiæ, si honori, qui Anselmo ab universis, inter quos habitabat eo tempore, & veniebat, exhibebatur, scribendo singulatim immorari voluero, non immeritò indiscretionis argui potero. Tantum dico, quòd licet Rex Angliæ, qui illum, ut prædi-

dictum est, de Regno suo pepulit, tam literis, quàm largis muneribus omnes, quos ratus erat ei posse detrimento existere, conatus fuerit adversus eum commovere; tamen nihil profecit, quin potiùs ex his perspicaciter intellectum est, virum simplici justitiæ viam tenere, & omninò contra æquum fatigari. Nam cum literæ, quæ directæ fuarant, nullam ipsi, qua jure argui posset, culpam referendo inveherent, nec latores earum à literis ipsis pejora dicendo dissentirent, factum ut & viri justitia firmiùs crederetur, & injustitia hominis eum non æquo judicio fatigantis, magis ac magis publicata detestaretur. Quippe igitur ex hoc illius cœperunt causæ favere, illius commodo, illius honori se suaque pro voto certatim impendere. Dux ipse, ad quem ipsa mandata præ cæteris lata fuerunt, non consideratis eis, Patrem multis precibus ad hoc flectere nisus est, quatenus secum dignaretur remanere, & optimas terrarum suarum tam in villis, quàm in Castellis, seu Civitatibus, juxta electionem suam, dono accipere, easque in usus suos, suorumque, dum viveret, proprio jure vindicare. Aliter igitur molimina Regis in Anselmum processerunt, ac ipse ratus fuerat. Obsidione dehinc soluta, Anselmus cum Papa ad Aversanam Civitatem vadit. Papa Civitatem; Anselmus multa prece invitatus, Abbatiam Sancti Laurentii, hospitandi gratia, petiit. Igitur Anselmo ab ipsius Cœnobii Fratribus perfectæ charitatis obsequium exhibetur, & loquendi solito more, quæ Dei sunt, auditus studiosè præbetur.

Considerans itaque Anselmus apud se quantam mentis inquietudinem, & perturbationem fuerit passus in Anglia, & quomodo nulins exceptis aliquibus Monachis, eum gratia fructificandi Deo audire voluerit, quantaque mentis tranquillitate potitus, & quam fructuoso studio sit à cunctis auditus postquam exivit de Anglia, omni desiderio fervebat, curam Angliæ ac Pontificatus deserere, & eis perpetim abrenunciare. Huic quoque desiderio non parum roboris impendebat, quòd omnium dubietate sublata videbat impossibile fore, suos, & Willelmi Regis mores in unum ampliùs concordare.....

Ex eodem Eadmero in Vita S. Anselmi longè ante finem.

HIs diebus Rogerius Dux Apuliæ Civitatem Capuam obsederat. Qui fama viri (*S. Anselmi*) permotus, mittens rogavit eum venire ad se: ascendimus, ivimus, & plures in obsidione dies exegimus, remoti in tentoriis à frequentia, & tumultu perstrepentis exercitus. Erat autem ubi eramus quædam Ecclesiola penitus deserta, & juxta hostium cisterna desuper diruta, magnæ profunditatis hiatum sua diruptione prætendens. In qua Ecclesia velut in Camera pro velle conversabamur, tam quieti, quàm operi in ea indulgentes, & Ducem ipsum cum suis nobiscum singulis diebus, ad quæ volebamus in promptu habentes. Quadam verò nocte cum in ea dormiremus, contigit Anselmum sui corporis necessitate silentio surgere, & ne inquietaremur suo more lento pede ad hostium tendere. Quod cum exisset, & immemor foveæ, per tenebras in partem divertisset, in profundum cecidit, clamosa voce cadendo dicens: Sancta Maria. Ad quem sonitum nos, ac socii nostri, qui in tentoriis quiescebant, expergefacti, lectis prosilivimus, accurrentes hominem in profundo vidimus, & præ timore simul, & angustia cordis exanimati ferè sumus. Quod ipse percipiens, mox levato capite comi vultu, jucundo intuitu nobis indicit nihil læsionis lesa perpessum. Descendentes igitur quidam ex nostris ex altera parte ipsius præcipitii, qua via erat descendendi, eduxerunt eum à loco sanum omninò atque incolumem. Cum post hæc Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illo adventaret, & ei ab Anselmo, & Principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti mundialis gloriæ pompa prosequutus, ductus est in tentorium, quod juxta nos sibi erat cæteris excellentius constitutum. Sicque donec Civitas in deditionem transiit, obsidio illius Dominum Papam, & Anselmum vicinos habuit, itaut familia utrorumque magis videretur una quam duæ, nec facilè quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum. Papa namque colebratur à cunctis, quemadmodum Pater, & Pastor communis: Anselmus verò diligebatur ab omnibus, sicut homo mansuetus, & mitis, & cui suo judicio nihil debebatur à quovis. In Papa denique supereminens vigebat cum dignitatis auctoritate potestas; in Anselmo mira, & quæ cunctos demulcebat, pura cum simplicitate humilitas. Multi ergo, quos timor prohibebat ad Papam accedere, festinabant ad Anselmum venire, amore ducti, qui nescit timere. Maestas etenim Papæ solos admittebat divites, humanitas Anselmi sine personarum acceptione suscipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam, ut de Christianis taceam. Siquidem nonnulli talium; nam eorum multa millia in ipsam expeditionem secum adduxerat homo Ducis Rogerus Comes de Sicilia; nonnulli inquam talium fama bonitatis ejus inter suos exciti mansionem nostram frequentabant, & sumptis ab Anselmo corporalibus cibis, gratiosi revertebantur, admiran-

randam viri benignitatem suis prædicantes, quam experiebantur. Unde in tanta deinceps veneratione etiam apud eos habitus est, ut cum per castra illorum, quæ in unum locata erant transiremus, ingens multitudo eorum elevatis ad Cœlum manibus ei prospera imprecarentur, & osculatis pro ritu suo manibus propriis, nec ne coram eo genibus flexis, pro sua eum benigna largitate grates agendo venerarentur. Quorum etiam plurimi, velut comperimus, se libenter ejus doctrinæ instruendos submisissent, ac Christianæ Fidei jugo sua per eum colla injecissent, si crudelitatem Comitis sui per hoc in se sævituram non formidassent. Nam revera nullum eorum pati volebat Christianum impune fieri. Quod qua industria, ut ita dicam, faciebat, nihil mea interest; viderit Deus & ipse.

Bone Lector, ne per hoc contra Rogerii præclaram pietatem judices; cum haud difficulter appareat perfidorum Maumetanorum versutia. Infidelitatis obstinationem mendacio obtegentes, triumphatori Principi de ipsis, quem oderant, detrahere, & adblandiendo sanctis viris, eorum beneficia ita captare studebant; Inimicis quando unquam credendum?

Dehinc soluta obsidione, Anselmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus est, quatenus ab onere Pontificali eum absolveret, & quieti liberum vacari concederet. Verùm cum, in quantum quidem ad effectum spectabat, in nihilum laborasset; fretus benedictione ejus, Schlaviam reversus est opperiens ibi tempus concilii, quod idem Papa apud Barum Kal. Octob. erat celebraturus. Cui Concilio dum Anselmus se præsentasset, & persuasus à Papa Græcos in processione Spiritus Sancti, utpote quem à Patre, non à filio procedere astruebant, errantes, rationabili atque Catholica disputatione confutasset; Magni apud omnes habitus est, & veneratione dignissimus comprobatus.

Finito Concilio, Romam cum Apostolico profecti sumus. Transactis autem aliquantis diebus, venit Romam Willelmus ille, cujus in exitu Angliæ mentionem fecimus, &c.

SANCTI BERNARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS

EPISTOLÆ TRES

Ad Rogerium Siciliæ Regem.

DE EODEM.

B*Ernardus, in Burgundia Anno 1091. nobilibus Parentibus natus, Cistercii Anno 1113. Monachum induit. Post duos Annos Abbas Clarevallensis electus, vixit ad Annum 1153. Dum pro tollendo schismate Petri Leonis, qui nomen Anacleti, cum Pontificatu Romano usurpaverat, fortissimus Sanctæ Sedis Zelotes invicto animo laborat, contra Rogerium Anacleto adhærentem, ab eoq; confirmatum in Siciliæ Regem, acriter stilum acuit: nec alio nomine, nisi Siculi Tyranni, illum appellare dignatus est in aliquibus Epistolis, quas excerpere non renuimus, ut pleniùs ejusdem Principis actus, inter tot discrimina hauriantur. Hujusmodi vocabulo nuncupatur, Epist. 127. ex Persona Ducis Burgundiæ scribentis Guillelmo Comiti Pictavorum de Anacleto Pseudo Pontifice.* Habet tamen Ducem Apuliæ, sed solum ex Principibus; ipsumque usurpatæ Coronæ mercede ridicula comparatum. *Et Epist. 129. ad Januenses:* Audivimus venisse ad vos Nuncios Ducis Rogerii, quid attulerint, quidve retulerint, nos nescimus, Verùm ego, juxta illud Poetæ, ut verum fatear, semper timeo Danaos, & dona ferentes.... Quod si militare placet, & vestræ fortitudinis, ac strenuitatis iterum experiri vires; non quidem præsumendum adversus vicinos, & amicos; cum magis Ecclesiæ inimicos expugnare deceret: Sed & Regni vestri invasam à Siculis defensare Coronam. Super illos sanè, & honestiùs acquiretis, & justiùs possidebitis acquisita. *Et Epist. 130. ad Pisanos:* Me Auctore, Tyranni Siculi malitiæ Pisana constantia non cedit; nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumvenitur dolis. *Et Epist. 139. ad Lotharium Imperatorem:* Non est meum hortari ad pugnam; est tamen (securus dico) Advocati Ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione Schismaticorum rabiem; Est Cæsaris proprium vendicare Coronam ab usurpatore Siculo. Ut enim constat Judaicam Sobolem Sedem Petri in Christi occupasse injuriam: sic proculdubio omnis, qui in Sicilia Regem se facit, contradicit Cæsari. *Et Epist. 140. ad eumdem Imper: tota in Commendatione Pisanorum est; & ad Historiæ lucem exscribenda.*

Miror cujus instinctu vel consilio, vigilantiæ vestræ subripi potuerit, ut homines digni certè duplici honore, & gratia, contraria à vobis audirent (Pisanos dico, qui primi, & soli, interim adhuc

huc erexere vexillum adversus invasores Imperii) Quam justius in eos Regia incanduisset indignatio, qui Populum strenuum, & devotum, quacumque occasione offendere ausi sunt; & præcipuè tempore, quo accincti in multis millibus suis exierant oppugnare Tyrannum, ulcisci injuriam Domini sui, & Imperialem defensare Coronam. Ut enim congruentissimè assignem huic Genti, quæ olim de Sancto David dicebatur: Quæ nam, quæso, in omnibus Civitatibus, sicut Pisa, fidelis egrediens, & pergens ad Imperium Regis? Nonnè hi sunt, qui nuper Regni illum unicum, ac potentissimum hostem (*Reg. Rogerium*) ab obsidione Neapolis fugaverunt? Nonnè hi sunt, qui etiam quod penè incredibile dictu est, in uno impetu suo expugnaverunt Amalphiam, & Rebellam, & Scalam, atque Atturinam, Civitates utique opulentissimas, & munitissimas: omnibusq; qui antehac tentaverunt, usque ad hoc tempus (ut ajunt) inexpugnabiles? Quam dignum, quam æquum, quam plenum ratione, & justitia fuerat, ut fidelium terra interim, saltem dum hæc attitarent, ab omni hoste secura consisteret, tum pro præsentia Summi Pontificis, quem jamdudum exulem Pisani apud se, summo honore servabant, & servant: tum pro servitio Imperatoria, pro quo & ipsi tunc temporis exultabant. Factum est autem per contrarium, ut gratiam qui offenderunt, & qui servierunt iram mererentur. Sed Vos fortassis adhuc ista nesciebatis. Oportet ergo nunc, quando res est nota Vobis, imo & decet, & expedit mutare Vos, & verbum, & animum, ut viri Regiis magis favoribus, & muneribus honorandi à vestra parte de cætero audiant, & recipiant prout meriti sunt. O quantum meruere Pisani, quantum adhuc mereri possunt? Sat est dictum Sapienti. *Epist. denique 176. ad Innocentium II. sic ait*: Porrò nostram citra Montanam Ecclesiam noveritis fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in vestra obedientia, promptam ad servitium. Nequaquam nos Beneventi, non Capuæ, non ipsius Romæ terret, Deo sic judicante amissio: scientes Ecclesiæ Statum non armis æstimari, sed meritis. . . . . . Glorietur Tyrannus Siculus quantum vult, glorietur in malitia, quod potens est in iniquitate; nostra autem virtus in infirmitate perficitur. . . . . . . *Hæc Sanctus Abbas de Rogerio dissidente ab Ecclesiæ consensu. Cum verò Anno 1138. mortuo Anacleto, Rogerius Innocentium II. pro vero Pontifice summo habuit, & adoravit, ab eoque Regalia insignia Apostolico Diplomate firmata recepit, tunc aliter à Sanctissimo Viro gloriosus Rex, quasi Sol extra nubem refulgens, juste judicio, tribus Epistolis iis colendus asseritur.*

Ad Rogerium Regem Siciliæ Epistola 207.

LOngè latèque satis dilatata est magnificentia vestra super terram. Etenim gloria Nominis vestri, quos fines non attigit? Sed audite consilium diligentis vos. Studete, quod in vobis est, hanc ipsam gloriam referre ad illum, à quo est, si non vultis eam perdere, aut certè perdi ab ea. Hoc autem si fiet, si inter eos, quos regiæ magnificentiæ celebris opinio evocat de longinquo, discretionis oculum aperitis, manumque extenditis non tam cupidis, quàm egenis. Et verè beatus, qui intelligit non super cupidum, sed super egenum, & pauperem. Illum, inquam, pauperem, qui invitus petit, & verecundè accipit, & accipiens glorificat Patrem suum, qui in Cœlis est. Cùm autem Deo sua gloria de vestro munere ex ore egentium ita fideliter resignabitur, uberiori proculdubio rivo fluat vobis, necesse est, ille fons gloriæ, qui diligentes se diligit, & glorificat glorificantes se; ut qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metat. Pro hujusmodi obsecro vos ponere oculos vestros super latorem præsentium, quem pro certo ad vestram regiam præsentiam non cupiditas traxit, sed coëgit necessitas. Necessitas (dico) non sua, sed suorum, multorum videlicet, à quibus missus est, servorum Dei fidelium. Audite patienter quid patiantur. Audite & compati nini: quia si compatimini, & conregnabitis. Nec contemnendum Regi regnare cum talibus. Ipsorum est enim Regnum Cœlorum, qui contempserunt vitam mundi. Facite vobis illos amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis à terreno Regno vestro, recipiant vos in suum Regnum æternum.

Ad eundem Epistola 208.

SI me quæritis, ecce ego: & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Fertur namq; mea humilitas invenisse gratiam apud Regiam Majestatem, ita ut quærat videre me. Et quis ego sum ut dissimulem beneplacitum Regiæ Accurro, & qui quærebar, ecce, adsum: non in præsentia corporis infirma, in qua despexit Dominum Herodes, attamen in visceribus meis. Nam quis me separabit ab his? Sequar eos quocumque ierint: & si habitaverint in extremis maris, non erunt absque me. Habes Rex lumen oculorum meorum, habes cor meum, & animam meam. Quid si modicum nostri abest? Corpusculum loquor, vile istud mancipium, quod & si voluntas exponeret; sed retineret necessitas. Non valet sequi volantem animum, quoniam infir-

infirmum est, & solum penè illi superest sepulchrum. Sed quæ cura? Anima mea in bonis demorabitur, cum semen meum hæreditabit terram. Semen meum, semen bonum germinabit, si tamen in terram bonam ceciderit. Lætabitur, & declarabitur in crassitudine anima mea, quippe (ut confido) dabitur illi de fructu manuum suarum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo, ut patienter feram ab his vel corpore separari. Non mireris Rex. Ante elegissem à corpore peregrinari, quam istos amittere, si solus causæ deesset Deus. Suscipe illos tamquam advenas, & peregrinos, veruntamen Cives Sanctorum, & domestici Dei: parum dixi Cives, Reges sunt. Ipsorum est enim Regnum Cœlorum, jure, & merito paupertatis. Non decet frustra è longinquo esse vocatos, & suis sedibus exules inutili peregrinatione vagari. Putas poterunt cantare Canticum Domini in terra aliena? Sed non rectè forte dixerim alienam, quæ semini bono spontaneum expandit sinum, & preciosum depositum jam læto in gremio piè fovere suscepit. Cecidit. Ut video, cecidit granum bonum in terram bonam, & optimam: Spero in Domino, quòd radicabit, germinabit, multiplicabitur, & referet fructum in patientia. Porrò hunc cum Rege partibor, & unusquisque secundum suum laborem accipiet.

Ad eumdem Epistola 209.

HAbetis quod petistis, fecistis quod permisistis, Quos in verbo vestro exposuimus, & misimus peregrinari, Regia sunt liberalitate suscepti. Occurristis eis cum panibus, eduxistis eos in refrigerium, constituistis eos super excelsam terram, ut comedant fructus agrorum, ut sugant mel de petra, oleumq; de saxo durissimo: butyrum de armento, & lac de ovibus, & ficus cum medulla tritici, & sanguinem uvæ bibant meracissimum. Et hæc quidem terrena sunt, sed cœlestia mercantur. Sic itur ad astra, talibus hostiis promeretur Deus. Istorum est enim Regnum Cœlorum, qui Regi terræ in terra viventium reddere poterunt pro his terrenis vitam, & gloriam sempiternam. Misimus vobis Magistrum Brunonem, olim mihi per dies multos individuum Comitem, nunc autem Patrem multarum quidem animarum lætantium in Christo, sed egentium in sæculo. Experiatur & ipse munificam manum Regis, ut augeatur numerus amicorum, qui ipsum recipiant In æterna tabernacula. Quod illi facitis, mihi facitis: quia quod illi deest, à me exigitur. At quia marsupium nostrum minùs sufficiens est, ad vestram Λnè, quod aliquanto grossius esse liquet, pauperem Christi meritò destinare curavi.

S. PETRI VENERABILIS ABBATIS CLUNIACENSIS EPISTOLÆ TRES.

DE EODEM.

P*Etrus Mauricius, illustri genere in Arvernia natus, ingressus Cluniacense Monasterium, in eo nonus Abbas eligitur, Anno 1123. cognominatus ipsum ob morum gravitatem, et doctrinam, venerabilis. Romanis Pontificib. Innocentio II. Calestino, & Lucio item II. in maximo pretio fuit, & Rogerio Regi charus, obiit anno 1157.*

LIBRO IV. EPISTOLA 3. ANNO 1139.

Illustri, & glorioso Regi Siciliæ, Domino, & amico Rogerio, frater Petrus, humilis Cluniacensium Abbas, salutem ab eo, qui dat salutem Regibus.

PEr me, ait Dei sapientia, Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. De quorum numero, quia Vos esse cœlestis censura censuit, eidem supernæ moderationi, quas possumus, gratias agimus: non tantum quia sublimitatem vestram magnis populis prætulit, sed quoniam maximè eisdem populis vos præferendo providit. Inde enim lætamur, inde in Domino gloriamur: inde celsitudinem vestram, & si vultu incognitam, veræ dilectionis brachiis amplectimus: & ut ad honorem nominis sui, ad salutem populi sui omnipotens Salvator vestram Regalem potentiam magnificet, & conservet, humiliter & frequenter precamur. Quis enim non gaudeat, quia non sotis viribus, si necesse fuerit, collaboret, ut post santos bellorum, & malorum turbines, tam profundæ pacis bonum à Deo per vos Siculis, Apulis, Calabris, multisque aliis gentibus collatum, conservetur, augeatur, dilatetur? Quis Ecclesiæ Dei se membrum agnoscens, de tantarum Ecclesiarum tam inconcussa, & stabili pace per vos, ut dixi, & restituta, & conservata in Domino non exultet? Quis audiens Clericos, Monachos, milites, rusticos, omnstos pecuniis, & diversis mercibus mercatores, omneque genus hominum in terra vestra manentium, aut per eam transeuntium tyrannorum, raptorum, insuper ipsorum latronum, omni timore sublato, sua omnia pacificè obtinere. quis, inquam, tanta bona per unum bonum Principem tot, tantisque hominum generibus impendi audiens,

 non

non quas potest Regi Regum gratias agat, & ut tali Regi Regnum ab eo conservetur, & augeatur, imploret ? Ista me, ut dixi, ad vos amandum, primitus impulerunt: ista ut inter magnos Reges, Romanos dico, Francos, Anglos, Hispanos, maximos Cluniacensis Ecclesiæ amicos, & benefactores, vos quoque admitterem, coegerunt. Ea de causa jam ex multo tempore pro pace, pro honore, pro salute vestra, & apud Deum, peccatorem, & apud homines, prædicatorem me constitui: & ad idem agendum tam de nostris, quàm de alienis, quos potui, attraxi. Testis est horum conscientia mea, testis Romanus Cancellarius, testis & ipse Dominus Papa: quem Romæ, quem intra Gallias constitutum, præsens verbis, absens literis, de pace vestra sæpe conveni, & ne inimicis vestris vestram pacem, jusque perturbantibus crederet, & rogavi, & monui. Quod licet diù dilatum, sed nunc tandem ad effectum perductum, nos & omnes quicumque audire potuerunt, pacis amatores lætificat, & ad gratiarum actiones Deo persolvendas invitat. Rogo ergo, & in quantum possum vos, ut charissimum, & sublimem amicum admoneo: ut hanc pacem Pastoris vestri, ac summi Ecclesiæ Dei Magistri toto affectu amplectamini, toto annisu retinere studeatis, quatinus & ipse de vobis, sicut de optimo, & speciali filio, & vos de ipso sicut de benigno, & singulari Patre, in spiritualibus pariter & temporalibus gaudeatis. Filium nostrum Gaufridum, cum literis vestris omnem benevolentiam redolentibus, ad nos venientem, vobis cum his literis remittimus: atque tam ipsum, quam commissum ei Monasteriolum, quod solum adhuc in Regno Siciliæ vestra Cluniacus habet, regiæ clementiæ commendamus: & quia tam se, quàm locum eumdem singulariter à vobis diligi retulit, gratias agimus. Idcircò autem dixi, adhuc solum illud nos in Regno Siciliæ habere: quia quod non solum diù manere debeat, de tanti amici singulari amicitia omninò præsumo. Nam si hoc Deus cordi Regio inspiraret, & per vos in Regno vestro de jam jacto semine in multam frugem parvum illud principium multiplicaret: cresceret, & in corde nostro multiplicandæ in terra illa monasticæ Religionis affectus. Quia sicut benè novit sapientia vestra, spes lucri majoris, majus efficitur fomentum laboris. Lucrum autem majus vocavi, multiplicatæ Religionis augmentum, quam major numerus Monachorum melius potest servare, quam parvus: quia, ut ait Scriptura sacra, væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem: & sicut rursum loquitur, frater fratrem adjuvans, sicut Civitas fortis, & munita. Major ergo si fieri posset, fratrum vel locorum numerus, majorem in nobis succenderet propagandæ Religionis affectum: quia in eorum multiplicatione majorem sentimus esse profectum. Nec utilior posset accrescere regiis gazis thesaurus: quam ille, quem de terris ad Cœlos translatum præda non diripit, latro non subripit, & juxta Sanctum Evangelium, tinea non corrumpit, fures non effodiunt, nec furantur. Animet vos, & ad benè agendum magis, magisque succendat, non solum, quod præcipuum est, timor Dei, maximum Regnorum omnium robur, sed etiam, quam præmisi, probitatis vestræ fama, per Regiones hac illacque diffusa: quoniam magnifico Regi timore Dei justitiæ colla submittere gloriosum est, & famam optimam velle dilatare, utile simul, & honorificum est.

LIB. IV. EPISTOLA 37. ANNO 1145.

Glorioso ac Magnifico Principi, Rogerio Siciliæ Regi, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, bonorum Regum dignitatem, & gloriam.

GRatias omnipotenti Regi Regum: qui sublimitatem vestram inter universos Christiani Orbis Reges, ac Principes, quadam specialis magnificentiæ gloriæ insignivit, quadam gloriosi nominis fama singulariter exaltavit: in tantum, ut cum plures Regii nominis habeatis consortes, magnanimitate, prudentia, probitate, nullos aut penè nullos habere inveniamini pares. Indicat hoc Sicilia, Calabria, Apulia: ex non modica sui parte, in quibusdam aliis Regionibus, subjecta vobis Italia: quæ cum ante vestra tempora, vel receptacula essent Sarracenorum, vel foveæ prædonum, vel speluncæ latronum: nunc gratia misericordiæ Dei incitante studia vestra, juvante labores vestros, factæ sunt pacis domicilium, tranquillitatis hospitium, & velut alterius pacifici Salomonis pacificum, ac jocundissimum Regnum. Utinam, quod Secretorum omnium cognitore Deo teste non adulans dico, inquam, miserabilis atque infelicis Tusciæ partes felici vestro Imperio cum adjacentibus Provinciis adjungerentur, & res perditissimæ pacifico Regni vestri corpori unirentur! Verè non tunc sicut nunc, res divinæ atque humanæ nullo servato ordine confunderentur: non Urbes, non castra, non burgi, non villæ, non stratæ publicæ, non ipsæ Deo consecratæ Ecclesiæ, homicidis, sacrilegis, raptoribus, exponerentur. Non pœnitentes, non peregrini, non Clerici, non Monachi, non Abbates, non Presbyteri, non ipsi supremi ordinis Sacerdotes, Epi-

Episcopi, Archiepiscopi, Primates, vel Patriarchæ, in manus talium traderentur, spoliarentur, distraherentur, & quid dicam? verberarentur, occiderentur. Hæc planè universa, multaque his similia, tam nefanda, tam execranda, justitiæ regiæ gladio succisa cessarent: ursorum, pardorum, luporum, ungulæ rapaces languerent; & ut de beato, ac magno viro Job dictum est, omnes bestiæ agri, quæ nunc in prædam insaniunt, pacificè vobis essent. Sed luit adhuc scelerum pœnas, & gemit misera terra sub flagello divino: quia in his omnibus nondum est aversus furor Dei, sed adhuc manus ejus extenta. Spem tamen maximam gero, & in Jesu salutari meo, omniumque suorum confido: quod multorum id desiderantium pauperum desiderium exaudiet Dominus, & præparationem cordis eorum audiet auris ejus. Sed ne fortè quorumdam hominum, & ex semetipsis alios metientium corrupte corda, me in corde, & corde loqui, aut venditorem olei suspicientur; reprimendus est sermo, ne si casu ad aliquem talium Epistola vobis missa pervenit, meditentur inania, & suspicentur falsa. Novit enim testis, & conscius meus in excelsis, me neque aliter loqui quam sentio, neque ob aliud, ut & notum Vobis sit, id me sentire, quod sentio, & ut regalis nobilitas vestra magis ac magis animetur ad meliora, agnoscens me ista, quæ dixi, multosque mecum sentire. Nam ut sæpe majestati vestræ mandavi, & verum est, his de causis ante viginti annos, super omnes Reges, & Principes temporis nostri, uno excepto, qui mortuus est, ut pacis amatorem, & scelerum vindicem, sinceriter dilexi, & hujusmodi effectum vobis usque ad ultimum diem servare proposui. Hac de causa in conspectu Romanorum Pontificum, Regum, Principum, majorum sive minorum, hæc atque similia vestra bona semper extuli, & personam vestram, Regnumque omnipotenti Deo, Religiosisque tam nostris, quam aliis Congregationibus, studiosissimè commendavi. Sed de his hactenùs. Nunc autem notum fieri volo magnitudini vestræ, me venisse Romam aliquantis hebdomadibus ibi mansisse: finitisque innumeris penè Cluniacensis Ecclesiæ negotiis, ad vos usque transitum facere decrevisse. Sed sicut præteritis annis idem facere frustra conatus sum, sic & modo id incassum volui; quia multiplici cura jam dictæ Ecclesiæ revocante, non potui. Causa mihi veniendi ad vos duplex erat, ut ad personam vestram mihi præ cæteris, ut præfatus sum, Regibus charam, sicut millies optaveram viderem, & necessitates vestri Cluniacensis Monasterii vobis incognitas Regi specialiter, ut credimus, nos amanti notas facerem. Hoc quia, ut dictum est, per me ipsum implere non valui; loco mei probum, & sapientem virum, venerabilem Fratrem nostrum A. Cluniacensem Sacristam, nobilissimæ liberalitati vestræ transmisi; ut quod dicerem dicat, & si vobis non displicet, etiam quod audirem audiat. Clamat ad vos, & pulsat ad ostium amici, vestra Cluniacensis Ecclesia; ut sicut benignitatem vestram ad se diligendum commovit, ita munificentiam vestram ad sibi benefaciendum commoveat. Urget hoc ipsa necessitas, & infinitæ illius magni, ac famosi Monasterii, ut notum est cunctis, expensæ: quod à primo fundationis suæ lapide, ab omnibus solet colligere, quod possit universis effundere. Factum est à sui principio, non solum externorum hospitium, non tantum confugientium asylum: sed, ut sic loquar, publicum Reipublicæ Christianæ ærarium. Agit parcius in proprios, profusius in alienos, nec attendit quid possit, sed quid superveniens velit. Ea de causa, nec sua ei, nec aliena sufficiunt: quia longè major est quantitas erogatorum, quam liberalitas largitorum. Additur necessitati, quod soliti beneficiorum proventus, deficientibus bonis Regibus, & Principibus, defecerunt: quoniam modernis adjacentium terrarum Potentibus, & si benefaciendi nobis adsit voluntas, deest facultas. Inde est quod Cluniacus debitores multos, benefactores habet paucos. Amat, & ut credimus, multum amat Theutonicus Rex: amat Hispanus, amat Anglus, amat, & alius nobis propinquior, Rex Francorum Cluniacum: & cum horum, & similium erga nos sit amor magnus, est penè amoris effectus nullus. Pares sunt prædecessoribus suis in amando; sed dispares in largiendo. Diligunt, juxta Joannem Apostolum, quod non detrahens dico, verbo, vel lingua: non opere, vel veritate. Et quid multa? Ut verbis Psalmistæ Deo loquentis vobiscum loquens utar: Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Dereliquerunt enim vobis, & velut priscis adjutoribus destitutam, dimiserunt jam dicti Reges vobis Cluniacensem Ecclesiam: ut quia ipsi nobis largi esse volunt, sed, ut dicunt, non possunt, vos quia per gratiam summi Regis potestis oramus, ut etiam, & velitis. Thesaurizate ergo vobis, secundum verba Domini, thesauros in Cœlo; ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Implete, si placet, effectu aliorum nudum affectum, ut sicut penè omnes nostri sæculi Reges, & Principes, multis, ut supra dictum est, probitatibus vincitis: sic & in isto tam divino, tam fructuoso opere superetis. Si quod minùs dictum est, à

jam

jam dicto præsentium latore, viro prudente, quærere, & audire poteritis.

LIB. VI. EPISTOLA 16. ANNO 1150.

Magnifico Principi, Domino Rotgerio Regi Siciliæ, Frater Petrus, humilis Cluniacensium Abbas, salutem præsentem, & Regnum sempiternum.

QUantum sublimitatem vestram diligamus, quantum actus vestros prosperari, & in Domino, & in sæculo velimus, novit ille, qui novit omnia. Audientes obitum filiorum vestrorum valdè doluimus, & tam pro sospitate vestra, quàm pro animabus illorum; Missas celebrari, orationes ad Deum fundi, eleemosinas fieri, in Conventu nostro præcepimus. Non solum autem nunc, sed & sæpè diebus solemnibus, & majoribus capitulis nostris; inter alios Reges, amicos, & benefactores nostros, vestri memoriam frequentamus. De cætero notum facimus regiæ magnitudini vestræ, nos multum dolere de inimicitiis, quæ inter vos, & Dominum Regem Theutonicorum, seu Imperatorem Romanorum versantur. Multum enim tam ego, quàm multi alii, discordiam illam sentimus obesse Regnis Latinis, & Christianæ Fdei propagationi. Nam cum multa, sicut frequenter audivimus, augmenta Ecclesiæ Dei, hoc est, Sarracenorum, proveniant; longè, ut credimus, majora provenirent, si firma pax, & concordia, vos, & Regem supradictum uniret. Est aliud, quod longè magis accendit animos nostros, & animos penè omnium Gallorum nostrorum, ad amandam, & quærendam pacem vestram; illa scilicet pessima, inaudita, & lamentabilis Græcorum, & nequam Regis eorum de Peregrinis nostris, hoc est Exercitu Dei viventis, facta prodito. Ut enim, juxta quod in mente mea video loquar, si necesse esset, quantum ad Monachum pertinere potest, non recusarem mori; si mortem tantorum tam nobilium, immò penè totius Galliæ, & Germaniæ miserabili fraude extinctum florem, justitia Dei per aliquem suorum dignaretur ulcisci. Neminem verò sub Cœlo Principum Christianorum video, per quem tam benè, tam congruè, tam efficaciter, sicut per vos, opus hoc tam sacrum, tam Cœlo, & terræ optabile, posset impleri. Nam per gratiam Dei, quod non adulans dico, juxte quod ex præteritis operibus vestris, & ex verbis multorum conjicio; ad tantum bonum istud perficiendum, aliis Principibus, & animo sagacior, & opibus ditior, & virtute exercitatior, & ipso insuper loco propinquior estis. Exurge igitur bone Princeps, quod voce quidem mea, sed tam meis, quàm omnium votis dico; exurge in adjutorium populo Dei, aelare sicut Machabæi legem Dei; ulciscere tot opprobria, tot injurias, tot mortes, tantum tam impiè effusum sanguinem exercitus Dei. Paratus sum ego pro jam dicta pacis causa, mox ut se opportunitas præbuerit, Imperatorem supradictum adire; & adhibitis mecum, quos potero, tot viribus, omni studio, de pace tam Deo amabili, inter vos, & ipsum reformanda, & confirmanda tractare. Rescribam, Deo volente, vobis statim post colloquium, quod invenero, & cuncta vobis literis patefaciam.

EX JOANNIS SARISBERIENSIS EPISTOLIS, ET POLYCRATICO EXCERPTA.

DE EODEM.

JOannes, Saresberiensis, à loco natali dictus; Romanis Pontificibus Eugenio III. Hadriano IV. & Alexandro III. & Canturiensibus Archiepiscopis Theobaldo, & Sancto Thoma eximiè charus. Vir sui sæculi decus, & ornamentum. Scripsit Epistolas num. 303. Polycraticum, sive de Nugis Curialium, libros VIII. Vitam S. Thomæ Cantuar. Archiep. & alia Opuscula.

Epistola 159. Domino Exoniensi.

DE cætero Dominus Papa (*Alexander III.*) in Urbe prosperatur. (*ubi reidierat Anno 1167.*) Cremona contra Theutonicum (*Fridericum I. Imperatorem*) cum aliis Civitatibus pro certo dicitur rebellare. Episcopus Tusculanus, & Ubaldus Cardinalis diem suum obierunt. Obiit quoque Willelmus Rex Siculus (*hujus nominis Primus*) cui successerunt filii sui, alter in Regnum (*Willelmus II.*) alter in Ducatu Apuliæ (*Henricus Princeps Capuæ natus Anno 1159. qui obiit An. 1171. aut 73.*) & in extremis agens 40. millia florinorum Joanni Neapolitano tradi fecit, ad nsum Domini Papæ. Filius quoque, qui ei successit in Regnum, totidem misit....

Ex Epistola 271. Hugoni de Lant.

HÆc est eadem, quam excerpsimus ex libro III. Epistolarum S. Thomæ Cantuariensis Epist. 80. cum hac inscriptione: Amicus Amico. Joannis Sarisberiensis est. Quam Divo Thomæ, circa Annum 1169. scripsit,

&

& quam inter excerpta ex Epistolis illius Sancti, ad pleniorem, sequentis Epistolæ intelligentiam reponere debuimus. Ibi eam videre ne prætereas.

Scienti Joannis Saresberiensis est illa Epistola, quam ex Codice Vaticano lib. 2. Epist. 61. citat Baronius, ad Annum 1168. In ea Joannes Alexandrum III. certiorem facit N. de Rebus, quæ Romæ à Paschali Antipapa agebantur, & de iis, quæ interim gerebat Alexander III. de quo hæc refert.

PRosperatur autem adhuc Beneventi, ubi Nuncii Regiæ Angliæ, & Nuncii Domini Canturiensis in ipsius præsentia convenerunt. Et quidem utrique benignè, & honorificè recepti sunt. Sed Regalium Nuntiorum sicut justitia minor, sic pompa, & ostentatio divitiarum major. Cum autem Dominum Papam blanditiis, & promissis dejicere non prævalerent, ad minas conversi sunt. . . . . At vir Dei nec terrore concuti, nec seduci potuit blandimentis . . . . . Detumuit spes eorum (*Regis Nuntiorum*) & videntes se hac via contra justitiam non posse proficere: miserunt in Siciliam Nuntios, & litteras Regis sui, quibus muniti venerant, ut ope Siculi Regis, & Reginæ possent aliquid à Domino Papa adversus Ecclesiam impetrare. Sed Christianissimus Rex Francorum, præsagiens hanc versutiam malignantium, Panormitano electo (*erat is Stephanus Perticensis, & ipse Anglus*) causam Ecclesiæ, & Domini Canturiensis commendavit ut propriam.

Et quidem in Sicilia strenuè pugnatum est pro Divo Thoma, & pro coexulibus consanguineis suis, qui ibidem perfugium invenerant: & nostris temporibus adhuc eorum illustres hæredes Syracusis, & Saccæ in magna extimatione tenentur.

Ex Epistola 110. Domino Papæ Alexandro.

ENarrat aliquos à Canturiensi Archiepiscopo Thoma excommunicatos, impenitentes fuisse absolutos à convocatis Angliæ Episcopis, inani absolutione, ut multis probare nititur; tandem hæc addit: Nec satis mirari possum, qua mente Sacerdos ausus est innuere Sacerdoti, ut Siculorum, vel Hungarorum exemplo, tantis pravitatibus tolerantiam adhiberet, . . .

EX EJUSDEM AUTORIS POLYCRATICO, SEU DE NUGIS CURIALIUM

LIBRO VII. CAP. 19.

EGregium quiddam accidit in Apuliis, temporibus meis: Regnante Rogero Siculo, contigit vacare Ecclesiam Avellinam (*An. 1143. ex Ughelle To. VIII.* Campaniæ Apuliæ, & Calabriæ. Robertus (*Roselli*) dicti Regis Cancellarius præsidebat (*Annis 1140. a 1145. 1148. ex Pirro*) Vir quidem in rebus gerendis strenuus, & sine magna litterarum copia acutissimus. In primis Provincialium facundissimus; eorum non impar eloquio, verendus omnibus privilegio potestatis, & morum elegantia venerabilis; eoque mirabilior in partibus illis, quod inter Longobardos, quos parcissimos, ne avaros dicam, esse constat, faciebat sumptus immensos, & gentis suæ magnificentiam exhibebat: erat enim Anglicus natione. Ad eum itaque viri tres accesserunt; Abbas quidam, alter Archidiaconus, tertius Laicus quidam præpositus Regis, fratris sui Clerici causam agens; singuli clam pro jam dicto Episcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? Adhibitis familiaribus, seorsum cum unoquoque eorum convenit de pretio. Emptio itaque, & venditio undique perfecta est; de solutione implenda sufficientissimè cautum, pignoribus, & fidejussoribus datis; diesque præfixus est electioni solemniter celebrandæ.

Cum itaque ad diem Archiepiscopi, & Episcopi, & multæ venerabiles personæ convenissent, præfatus Cancellarius competitorum causas, & quid cum unoquoq; eorum egisset, exposuit, dicens, se exinde ex Episcoporum sententia processurum. Damnatis ergo competitoribus Simoniacis, pauper Monachus, & totius rei ignarus, canonicè electus, approbatus, & introductus est. Illi tamen coacti sunt solvere id, in quo se obligaverant, usque ad ultimum quadrantem. Utinam ita agatur cum Proceris nostris &c. . . . . . .

EXCERPTA EX VITA, ET EPISTOLIS S. THOMÆ, CANTURIENSIS ARCHIEP: ET MARTYRIS.

DE EODEM.

Sanctus Thomas, Londinensis, Parentum mediocrium illustris Proles, Archidiaconus primùm Canturiensis, deinde Angliæ Cancellarius, tandem Archiepiscopus Canturiensis; Ecclesiasticæ libertatis assertor constantissimus, pro qua, & in vehementem indignationem Henrici II. Angliæ Regis incurrit, & Martyris Coronam promeritus est. Virorum Eruditorum Mæcenas fuit. Eruditus & ipse. Epistolas ad diversos scripsit, quæ in quinque Libros regestæ, cum ejus Vita, à Christiano Lupo editæ sunt.

Ejusdem Sancti Vitam de plurium narratione collectam, idest Joannis Saresberiensis, Heriberti de Rosabam, Willelmi Monachi Canturiensis, & Alani Abbatis Deobesberiensis, scribi in unum fecerunt Dominus Petrus Rogerii, & Gregorius Papa XI.

In ea Cap. XIV. Libri II. habetur, ex Willelmi narratione.

De Proscriptione totius cognationis Archiepiscopi (quæ accidit Anno 1164.)

REx autem (*Angliæ Henricus II.*) cum redeuntibus Nunciis, se in suis petitionibus didicisset repulsum, res omnes Archiepiscopi, suorumque confiscari præcepit; totam ejus cognationem, omnes qui eum familiaritate, vel quovis titulo contingebant, proscriptos addixit exilio. Non infanti vagienti, non decrepito seni, non in puerperio mulieri decubanti parcebatur. Processit ulteriùs furor inanis, & piis omnibus horrenda crudelitas. Nam compulsi sunt adulti jurare, quod contristandi causa Archi-Episcopum, ubicumque reperiretur, expeterent. Prohibitumque est, ne pro eo oraret Ecclesia, quod pro Hæreticis, & Schismaticis facere consuevit. Quotidiè igitur ad eum nova exulum confluebat multitudo: Nisi quod plerique à præfato juramento Auctoritate Apostolica absoluti in Flandria remanserunt. Hi præsertim, qui propter ætatis, vel sexus infirmitatem, & multam, quæ tunc erat, inclementiam temporis absque multo sui dispendio ad Archi-Præsulem, sicut juraverant, proficisci non valebant. Cæteri verò quotidie glomerati veniebant ad eum ejulantes, & plangentes, quod essent sic à natali solo expulsi, bonis suis proscripti, & ab Amicis, & proximis suis elongati. Et ita quotidie virum Dei monebant. Quanta igitur anxietate, putas, premebatur, cum assiduè præ oculis non haberet, quorum miseriæ causa erat, & quibus præter compassionem parum vel nihil conferre poterat. . . . . Vir itaque Apostolicus, & fratrum Potentatus, Nationes, & Regna, audientes hæc mox obstupuerunt, & factum admodum profanantes, Archi-Præsuli, & tali, ac tantæ ejectorum turbæ totis pietatis visceribus compassi sunt. Unde Archi-Episcopus, eo quod tantam turbam secum ferre non posset, ipsos per diversas Nationes, & Provincias, ac diversas personas cum literis suis supplicatoriis transmittebat. Qui omnes ab eis, ad quos missi sunt, tum tantæ malitiæ odio, tum favore mittentis benignè suscepti sunt. Omnibus itaque sic propitiante Domino provisum est in brevi, ut inter ipsos egens nullus esset: Plurimi etiam feliciùs in exilio, quam in Patria degerent.

LIBRO I. EPISTOLA 56.

Thomas Canturiensis Archiepiscopus Stephano Cancellario Regis Siciliæ.

PRobabile quidem est, quod vos pro salute, & consolatione multorum in locum nobilitati, & meritis congruum erexit Dominus, ut facultas rerum possit respondere virtuti, & voluntas nata, aut potiùs data à Domino, indigentibus subvenire, gratum sortiatur effectum. Ad vos itaque multi concurrunt, sed nullum sine consolatione audivimus redeuntem. Novus Lucifer ab Oriente resplendet in Orbem occiduū, & sine fines claritatis radios in auspicium publicæ felicitatis vibrat, & omnes contritos corde confortans persuadet instare tempora meliora. Sed nunquid Ecclesia Dei letitiæ publicæ fructu sola privabitur? Numquid frustrabitur spe suâ, quæ vos aluit, pro qua major sanguine generosis, & propria virtute Nobilis Pater vester se toties exposuit gladiis, & in Confessione Christi, ut spes Fidelium est, in pace insecutus palmam Martyrii? Verùm inter omnes Ecclesias Sancta Canturiensis magis affligitur, nec est dolor, sicut dolor ejus. Omnes amici ejus dereliquerunt eam: Immò & persecuntur inter angustias. Si quis legis defensor est, Regis censetur inimicus. Disperguntur, proscripti sumus. Crimen nostrum est assertio Ecclesiasticæ libertatis. Eam namque profiteri, læsæ Majestatis reatus sub Persecutore nostro est. Ille enim solus fidelis creditur, cui Religionis contemptus placet, qui Divinam persequitur Legem, cui

grata

grata est contumelia Sacerdotum, qui carnificinas veterum Tyrannorum velut Justitiæ Sacrarium veneratur. Quia mutire ausi sumus pro domo Domini, exulamus cum omnibus Cognatis, & Amicis nostris, quorum onus est filius sororis nostræ. Quem vestræ celsitudinis liberalitate, ubi necessè habuerit, tanto affectuosius petimus sublevari, quantò nos & alios, qui pro Domino patimur, justum est de nobilitate vestra spem concipere firmiorem. Rogamus etiam, ut eidem credatis in his, quæ vobis ex parte nostra dicet, & apud Ecclesiam Romanam causam Dei, & nostram, si forte fuerit opportunum promoveatis.

EPISTOLA 57.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus Mathildi (lege Margarita) Reginæ Siculorum.

SErenissimæ Dominæ, & in Christo charissimæ Mathildi, (*Margaritæ*) Illustri Reginæ Siculorum, Thomas Divinâ dispensatione Cantuariensis Ecclesiæ Minister humilis salutem, & sic temporaliter regnare in Sicilia, ut cum Angelis æternaliter exultet in Gloria.

Licèt faciem vestram non noverimus, gloriam tamen non possumus ignorare, quam & generosi sanguinis illustrat claritas, & multam magnamque virtutum decorat titulus, & famæ celebritas numerosis præconiis reddit insignem. Sed inter cæteras virtutes, quas cum aliis auditoribus gratanter amplectimur, liberalitati vestræ debemus, & qua nunc possumus devotione, gratias referimus ampliores, quæ Coëxules nostros, Proscriptos Christi, & consanguineos nostros, fugientes ad partes vestras à facie persecutoris, consolata est in tribulatione sua, quæ profectò magna pars veræ, & Deo gratissimæ Religionis est, si pro justitia patientibus clementia ferat solatium, si pauperibus opulentia suffragetur, si Sanctorum necessitatibus absoluta potestatis communicet amplitudo. Talibus enim hostiis promeretur Deus, exhilarescit, & dilatatur gloria temporalis, & omnium Bonorum gratiosus conciliatur affectus. His specialiter inter alios tamen promeruistis & nos, qui totum id quod sumus, & possumus, ad vestrum devovemus obsequium. Cujus devotionis primitias, quas pro tempore potuimus, excellentiæ vestræ nuper obtulimus, preces vestras apud Regem Christianissimum promoventes, sicut perpendere potestis, ex precibus ejus dilecto nostro Illustri Regi Siciliæ porrectis, & ex verbis Venerabilis Prioris Crispiniacensis, quem & eruditio literarum, & vitæ sinceritas, & integritas famæ Bonis omnibus amabilem, & commendabilem reddunt. Est enim Vir probatissimæ conversationis, sanæ doctrinæ, & quantùm ad humanum spectat examen, perfectæ pro tempore Sanctitatis, quem tanta reverentia à sublimitate vestra desideramus, & petimus exaudiri, quanta totam Occidentalem Ecclesiam, si vestris pedibus assisteret, audiretis. Et hoc quidem tum pro suæ personæ reverentia, tum pro merito, & autoritate Cluniacensis Ecclesiæ, cujus procurat necessitates, quæ in Orbe Latino dignoscitur à diebus Patrum nostrorum in Monastica Religione perfectionis gloriam quasi propriam possedisse. In cæteris, quæ vobis ex parte nostra direxit, ei, si placet, credatis ut nobis, Valete.

EPISTOLA 58.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus (Richardo) Syracusanæ Ecclesiæ Clerico (Episcopo Electo)

HUmanitas vestra non provocat ad suadendum, & nostris collata beneficiorum exhibitio nos vobis, & vestris multipliciter reddit obnoxios. Hoc ergo officiorum ingressi commercium urgente necessitate præsertim, cum benigno creditore contrahere non veremur, sperantes in Domino, quòd nostra misericorditer debita vobis solvet, & aliis, qui se timentes, cum expedit, ab omni articulo necessitatis absolvit. Recepistis Coëxules, & Consanguineos nostros, sed proculdubio ipsum recepistis in illis, qui se fideliter promittit redditurum, quidquid uni pauperum suorum fuerit erogatum. Vobis in his conterraneorum nostrorum conciliastis gratiam, gloriam permeruistis apud Posteros, & nos emptitios vestros constituistis. Et quia nobis ad præsens colloquium Divina dispositio subtrahit, Latori præsentium sic à vobis credi postulamus, ut nobis: Cujus fidei creditum est, quòd nequaquam literis censuimus committendum. Est enim Vir literarum eruditione conspicuus, præditus morum gratia, Monasticæ Religionis Sanctitate præsignis, & inter probatos Cluniacenses appetendæ perfectionis exemplar. Is Cluniacensis Ecclesiæ necessitates, & Christianissimi Regis, & nostra mandata procurat. Et cum illum pro debita reverentia receperitis, & nos. Unum tamen est, quod in aure vestra secretius consuluisse, rogasse, & obtinuisse consideramus, ut nobilis viri Stephani, Panormitani Electi, revocationem diligenter procuretis apud Regem, & Reginam, tum ob causas, quas in præsenti de industria reticemus, tum ut præfati Regis, & totius Regni Francorum gratiam vobis eternaliter comparetis. Valete.

LIB. II. EPISTOLA 56.
Thomas Cantuariensis Archi-Episcopus Richardo Electo Syracusano.

MUltam nobis consolationem dilectionis vestræ literæ attulerunt, quæ vestræ, quam plurimum exoptamus, salutis indices, eloquii venustatem, Fidei sinceritatem, prudentiæ gratiam referebant, & quod his omnibus majus est, singuli apices fervore suo ad amorem Dei, & honestatis cultum, non modo tepentem, sed & frigescentem poterant inflammare. Ex illis autem patenter innotuit, quod nec fortunæ temeritas, nec distantia locorum, nec temporis tractus exinanire potuit, immò nec infirmare, quam nec aquæ multæ prævalent extinguere; charitatem. Preces enim, & illas affectuosas, porrexistis pro nobis Amico vestro Domino Willelmo Papiensi: Et utinam non incassum. Sed ille, si posset licitum libito coæquare, nobis esset clavus in oculo, & sagitta in latere, mortificans animas, quæ non moriuntur, & vivificans illas, quæ rejecerunt, & projecerunt vitam. Parcat illi Deus, & consortibus suis, ne in extremo examine noster, & Coexulum nostrorum, immò & Ecclesiæ sanguis de manibus eorum requiratur, eò quod dederint cornua peccatoribus, & quantum in eis est, profanandam gentibus, & conculcandam exposuerunt Legem. Sed quid ista revoluimus, nisi ut Ecclesiæ compatiamini, & nobis apud Deum, & Ecclesiam Romanam, si forte fuerit opportunum, præbeatis orationum suffragia? Erit contra eos testimonium majus Joanne, quia opera, quæ faciunt testimonium perhibent de eis. Ecclesia quidem liberabitur, & nos, quandiù placuerit Deo, libenter exilii naufragium patiemur, dispersi in omnem ventum cum miseris nostris, quorum unus est Lator præsentium G. . . . . . Sororis nostræ filius, quem ubi auxilio vestro eguerit, tantò vobis securiùs commendamus, quantò de vestra dilectione magis confidimus, agentes Deo gratias, quod nos tanti fecit, ut pro eo totus sanguis noster, & nostrorum exquirat ad pœnam.

EX EPISTOLA 80. LIBRI III.
AMICUS AMICO.

Aliam non habet inscriptionem hæc Epistola.

IPsam secretò Joannes Sarisberiensis D. Thomæ Cantuar. Archiep. misit, docens illum, qui fuerint conatus Regis Henrici II. *contra ipsum, & quæ impensæ, ut is à Gallis dimoveretur, vocareturque Romam ab ipso Papa Alexandro* III. *atque ab eodem transferretur in aliam Ecclesiam; quippè cum Rex cognovisset, non posse proficere per viam Friderici Imperatoris, cui adhærere non dubitasset, Italiæ Civitates, Mediolanum, Cremonam, Parmam, Bononiam, Papiam, permagnis promissionib sollicitaverat, ad suû assequeretur propositum. Insuper addit.*

Domino verò Papæ obtulit. Quia data pecunia liberaret eum ab exactionibus omnium Romanorum, & decem millia marcas adjiceret. Concedens etiam, ut tam in Ecclesia Cantuariensi, quam in aliis vacantibus in Anglia, Pastores ordinaret ad libitum. sed quia fidem multa promissa levabant, & in precibus manifesta continebatur iniquitas, repulsam passus est. Et quod per se impetrare non poterat, Regis Siculi (*Willelmi* II. *adhuc adolescenti.*) viribus conatus est extorquere. Sed nec ille, licet toto nisu ad hoc Syracusanus Episcopus (*Richardus Palmeri Anglus*) & Comes Robertus de Basavilla (*Regi Siculo propinquus*) multiplicaria intercessoribus laboraverint, exauditus est pro sua reverentia, vel potentia, vel gratia, quamvis eam in Ecclesia Romana plurimum habeat. Dimissi sunt ergo Nuncii Regis impotes voti, hoc solum impetrato, ut Dominus Papa mitteret Nuncios, qui pacem procurarent . . . .

Hæc cum rescisset S. Thomas, & quod ob eam causam Romam vocandus esset ab ipso Alexandro Pontifice, mirum in modum perturbatus est, scripsit Epistolam ad Humbaldum, sive Ubaldum Cardinalem Episc. Ostiensem, qui multoties Legatus venerat in Siciliam, post multas querelas hæc de his habet.

Ex Epistola S. Thomæ, quæ à Baronio citatur ad An. 1169 n. 3.

QUia legem Dei transferre nolumus.... quærit ut nos citra necessitatem, præter utilitatem, contra auctoritatem ad aliam Ecclesiam transferamur .... Quid enim aliud sibi vult, quod Mediolanenses, Cremonenses, & Parmenses in exterminium nostrum mercede corruptos, sollicitat? Quid Papiensibus aut aliis Italiæ Civitatibus nocuimus unquã, ut nostrum exilium procurarent? In quo læsimus Sapientes Bononiæ, qui sollicitati precibus, & promissis, perniciei causæ nostræ quam audierant, voluerunt dare consensum? Certè nos Robertum de Bassavilla non proscripseramus, & tamen sollicitationibus inductus est, ut nostram apud vos procuraret proscriptionem. Dolo tamen postea cognito, pœnitentia ductus, rogavit, ne ipsius injusta petitio audiretur. Richardus Syracusanus (*Episcopus*) electus, corruptus, accepta spe Lincolniensis Episcopatus, persecutores nostros juvit opibus, armavit consilio, viribus roboravit. Nam & ipsi Regi Siculo, intra cujus fines modo consistitis, ut eum caperent in perniciem Ecclesiæ, & nostram, Filiam Regis Angliæ (*Joannam*) copulandam in matrimonium promiserunt,

EX

EX LIBRO II. CODICIS VATICANI EPISTOLA 30.
Ad Alexandrum III. apud Baronium ad Ann. 1168. n. 13.

POstquam S. Thomas in ea Epistola retulit Pontifici operationes reprehendas Legatorum in Anglia, & inhibitiones sibi illatas ne in negotia Regni contra Regem se ingereret addit tandem .... Hoc certum habeat Vestra Serenitas, quia si voluissemus à principio pravis consuetudinibus acquiescere, non esset alicujus Cardinalia, immo vero hominis alicujus necessarius interventus. Frustra que nobis, auctore Domino, Siculorum aut Hungarorum proponuntur exempla, quæ nos in die judicij minimè excusarent, si tyrannorum barbariem præferremus Apostolicis institutis, & sæcularium insolentiam Potestatum crederemus potius formam esse vivendi, quam testamentum æternum confirmatum morte, & sanguine Filij Dei.......

Convenire videtur hæc exemplorum rejectio eum ea, quam supra pag. 981. col. 2. adduximus, ex Epist. 110. Joannis Saresberiensis ad eumdem Sanctum Pontificem: Quibus respondere posset, minimè reijciendas Siculorum, & Hungarorum consuetudines, dummodo ex Pontificum Decretis, non ex Regum voluntate, inibi invaluerint: ut sunt Jura Sicula, quæ super Decreta Urbani II. pro Comite Rogerio, & Adriani IV. pro Rege Vuillelmo I. (ut est apud Baronium) innituntur.

D. MICHAELIS DE JUDICE ABBATIS CASINENSIS,
IN EPISTOLAS JOANNIS SARESBERIENSIS, S. THOMÆ CANTUARIENSIS, ET PETRI BLESENSIS, EXCURSUS HISTORICUS

INter subcesiva Manuscripta Adversaria, eruditionis ergo à me collecta, omnium pœnè antiquorum Authorum, tum ex Græcia, cum ex Latinis, quos habemus, excerpta reposui, quæ ad Rem Siculam, Historicam, Naturalemque pertinere videbantur. Et cum ex ijs, quæ ad Historiam Siculo-Saracenam, Normannam, Suevam illustrandam prodesse poterant, publico Literatorum commodo, edenda in hac Bibliotheca libenter præbuissem; excursum hunc Historicum, quem ibi pro meo usu notaveram, ad uberiorem supra editarum Epistolarum, & illius ævi Siculę Historiæ intelligentiam, etiam hic addere non renui.

Animadvertendum etenim in eo venit, Normannorum Gentem, Sæculo Decimo reparatæ salutis, in fonte Baptismatis omni feritate deposita, sibi concessæ Neustriæ, Galliarum Occidentali Provinciæ, Normanniæ Nomen, & celebris Ducatus dignitatem contulisse. Sæculo dein Undecimo, eadem bellicosissima Natio è suis receptis finibus egressa est; eodemque tempore, Angliam, per Vuillelmum vulgò Conquestorem; & Apuliam, Calabriam, & Siciliam, per fortissimos Tancredi ab Altavilla filios, suo subegit Imperio. Indeque usque ad finem Duodecimi Sæculi, frequentes, facilesque in Historia leguntur Illustrium Virorum, Anglo-aut Franco-Normannorum transfretationes in Siciliam. Volenti quippe, libentique animo, è Patrio solo ad ejusdem Nationis Contubernales proficisci, & sæpius ad jucundæ Cognationis Affines commeare videbantur.

Ideoque Celebriores Normannos è Gallia, aut ex Anglia, Sæculis XI. & XII. in nostram Insulam appulsos hic adnotare conabor, & Historiæ Siculæ, cujus pars præcipua illi fuerunt, clariorem lucem attulisse confidam. Ij sunt:

I.

RIchardus de Linges, seu de Linghen, qui, ut scribit Robertus de Monte, in continuatione Sigeberti Gemblacensis, Ann. 1145. Nuper de Bajocensi Comitatu in Siciliam perrexerat (est Bajocum, vulgò Bayeux, Civitas Episcopalis Normanniæ in Provincie Bessin) & Rogerium Siciliæ R. in Tripolitana expeditione in Africam secutus, & strenuus miles compertus, à R. Rogerio Andri, Ægæi Maris insulæ, quam non diu ante Græcis abripuerat, Comitatu remuneratur. Hic Anno 1155. Roberto de Bassavilla contra Vuill. I. Sic. Regem se adjunxit, ex Carolo Dufresne in notis ad lib. IV. Joann. Cinnami.

II.

RObertus Rofect, Natione Anglus, ut apparet ex Joannia Saresberiensis Polycratico, lib. VII. cap. 19. cujus egregium factum excerpsimus, & suprà edidimus fol. 981. Fuit Rogerio Reg. Cancellarius Annis 1140. ad 1148. ut notavit clarissimus Pirrus, in Chronologia Regum Siciliæ, inferius apponenda.

III.

RIchardus Palmer, Anglus, incertùm quo anno in Siciliam transgressus, ab anno 1157. legitur Syracusanus Episcopus

Electus. Vir generis nobilitete, experientia, eruditione, cœterisque virtutibus insignis; utroque Vvillelmo, patre & filio Siciliæ Regibus, inter omnia, & implicetissima Reipublicæ negotia detentus invenitur.

De ipso, meo judicio, perperem opinatus est Pirrus in Notitia Ecclesiæ Syracusanæ, transfretesse aliquando in Angliam, ut de Connubio inter Vvillelmum II. Sicil. R. & Joannam Henrici II. filiam ageret: Et quod, dum ibi moraretur, ope S. Thomæ Cantuariensis, Lincolnienlem Episcopatum apud Angliæ Regem sibi procuravit, & non obtinuit. Ex Epistola enim Divi Thomæ fol.984. col.2. epparet Nuncios R. Henrici II. in Sicilia, ut voluntatem Richardi Syracusani Electi, & R. Vvillelmi contra Divum Thomam compararent, Richardo Lincolniensem Episcopatum, Vvillelmo cum Joanna conjugium obtulerunt, & Richardus quidem, qui ente quinque annos, Propinquis Divi Thomæ coexulibus in Sicilie humanissimum perfugium aperueret, exoptata spe amplissimæ Dignitatis in Patria deceptus, voluntati Henrici R. adversus Divum Thomem adhærere non fuisset veritus, nisi constanter R. Vvillelmi II. Pietas obstitisset.

IV.

VAlterus seu Gualterus Ophamilius, Natione Anglus, Regi Angliæ propinquus si Mario Aretio fidem præstare deberemus, deipso Ptiseus *Tor 2. de Rebus Anglicis, de illustribus Angliæ Scriptoribus*. Vir fuit à morum probitate, & insigni cognitione, maximè in omni humaniori litteretura plurimum commendatus: His nominibus Henrico Anglorum Regi factus à Secellis, in quo munere cum spectata viri virtus megis ac magis in dies innotesceret, Rex, qui Filiam suam Joannem nuptui dare constitueret Vvillelmo Juniori Siciliæ Regi, Gualterium illuc præmisit, (ante Annum 1151.) ut futuri Generi animum adhuc tenerum liberalibus artibus, & omni, quæ Regalem decet prolem, meliori disciplina imbueret, sollicitèque informaret. Quantum verò Rex adolescens sub eo Præceptore profecerit, innuit Petrus Blesensis Epist. 66. ad ipsum scriptem enno 1171. infre fol.496.

Post resignetionem Stephani Perticensis Anno 1169. electus est Panormitanus Archiepiscopus, & Regni Cancellarius. Anno deinceps 1170. renunciata morte Stephani Cancellarii in Syriæ partibus, pœnes Velterum summe Regni potestas, & negotiorum cognitio fuit: Qui sibi Regem eatenus suspecta satisfamiliarita devinxerat, ut non tam curiam quam ipsum Regem regere videri potuerit. Hæc de eo Falcendus. Post Vvillelmi II. nuptias, curæ Pestorali intentus, & ejusdem Regis in extruendis Templis æmulans pietatem, Anno 1178. Cœnobium Cisterciense cum S. Spiritus Templo; Anno 1185. Basilicam Metropolitanam Panormi, pro suis magnificentissimè viribus, erexit. Obijt circa Annum 1194.

V.

BArtholomæus Ophemillus, genere Anglus. Ipse, & frater ejus Gualterius supra notatus ex humili stirpe oriundi, si Petro Blesensi fides, qui Gualterio scribens Epist. 66. *Benedictus Dominus*, ait, *quia visitavit, & fecit misericordiam suam vobiscum, de pulvere egenum vos erigens, ut sedeatis cum Principibus, & solium gloriæ teneatis*. Fuit Bartholomæus intimus familiaris Regis Vvillelmi II. In multis Privilegijs Vicecancellarij titulo se subscribit. Ecclesiæ Agrigentinæ Anno 1172. præficitur. Anno 1177. interfuit Sponsalibus, & coronationi Reginæ Joannæ, filiæ Henrici II. Regis Anglorum, Vvillelmi II. Uxoris. Constantinopolitanæ Legationis munere Anno 1187. perfunctus est. Anno demum 1194. post mortem fratris sui Valterij, Archiepiscopus Panormitanus est renuncietus. Tandem à Marqualdo in exilium ectus, Agrigenti Monachum induit, ibique decessit Anno 1201.

VI.

PEtrus, Blesensis à Natali solo dictus, Est Blesum (*Blois*) Galliæ Oppidum super Ligerim, inter Aurelianum, & Turonem: Nomen dedit Provinciæ non longè à Normannia distantis. Comitum Blesensium illustris est Memorie apud Hadrianum Valesium, *in Galliarum Notitia*. Ait enim, Gellonem Rollonis primi Normanniæ Ducis cognetum, & socium itineris & bellorum; à Carolo Simplice, pro pace etiem ab eo redimenda, sub ligia fidelitate donatum Monte, qui Blesum dicitur, cum ejus territorio. Et cum deinde etiam Gello & sui Baptismum recepissent, ut firmam sibi statuerent sedem, Castrum in eodem Monte constructum, & Gello, primus Comes Blesensis fuit institutus. Hinc epparet & Blesenses fuisse Normannos. Petrus itaque Blesensis, perastis humanarum literarum, jurisque utriùs curriculis, valedicens profanis scientijs in quibus excellebat, Theologiæ, & sacris Disciplinis totum se tradidit. Adscriptus jam fuerat inter Carnotenses Canonicos, quando, instente Margerita Regina Siciliæ, à Rotrodo Archiepiscopo Rothomagensi, Petrus in commeatu Stephani Perticensis in Siciliam, Anno 1167. missus est, ut Regem Vvillelmum II. adolescentem, eminentioribus facultatibus studiorum, & Regalis prudentiæ erudiret. Imposito muneri per annum utiliter incubuit, ut ipse de se testatur, *Epist.66.* scribens Anno 1171. Gualterio Panormitano Archiep. qui prius fuerat Regis Præceptor.

Scitis

Scisis quod Dominus Rex Siciliæ per annum discipulus meus fuerit. Et qui à vobis versificatoriæ, atque literatariæ artis primitias habuerat, per industriam & sollicitudinem meam beneficium scientiæ plenioris obtinuit. Quod addit, Regem post ejus discessum abjecisse libros, forsitan ex concepta malevolentia, ut solet, obloquitur. Favorem Reginæ, Regis, & Cancellarij Stephani, apud quem summa Rerum erat, propterea adeptus; exinde, si ipsi credamus, Aulicorum invidiam incurrit, eisque procurantibus, ut à Curia honoris specie removeretur, ad Neapolitani Archiepiscopatus infulas vocatus, adire recusavit. Ob ejusmodi factum, se in exemplum præbet, *Epist.* 131. cuidam Nepoti suo Monacho, quod neglecto studio sacrarum literarum, & solitudinis, ambiret amicitias Principum, & Mundi. *Tu verò*, (inquit) *frequenter ex ipsius Papæ Alexandri III. qui nunc sedet, ac plerisque Cardinalibus ejus, qui in diebus meis Legatione functi sunt, fratrie etiam mei, & Abbatis Sancti Dionysij, aliorumque Magnatum, qui in terra sunt relatione cognoscere potuisti, quòd cum in Sicilia essem Sigillarius, & Doctor Regis Vuillelmi II. tunc pueri, atque post Reginam, & Panormitanum Electum* (Stephanum Perticensem) *dispositio Regni satis ad meum penderet arbitrium: quidam mei æmuli machinantes me à familiaritate Regis excludere, procuraverunt, ut Ecclesia Neapolitana me in Archiepiscopum eligeret, ac per majores Capituli ordinationem meam comuni decreto, & voto unanimi postularet. Vocatus autem non ivi, rogatus, & tractus multipliciter, non consensi.* Et Epist. 72. Ad Amicum & socium, contra quam acriter invehitur, quòd per invidiam auctor fuerit, ut ipse Blesensis in familiam Archiepiscopi Senonensis non adscisceretur, alijsque beneficijs Ecclesiasticis excideris: Ista repetit. *Recola quantas insidias æmulorum in Palatio Regis Siculi* (*Guillelmi II.*) *quandaque expertus sum; qui cum multipliter me à Regis latere studuissent, & non possent avellere, prius ad unum Episcopatum, & alterum, demum ad Neapolitanam Metropolim postulari, & solenniter elligi me fecerunt. Ego autem ad hoc nullo potui fraudis artificia inclinari. Sciebam enim, quòd ad hoc, & circa hoc tota eorum versutia versabatur, ut ab Aulica conversatione remotum aperta persecutione obruerent.* Exortis interea in Sicilia, Anno 1168. & 1169. contra Stephanum Perticensem Curiæ & Regni perturbationibus, quas fusè complectitur Falcandus, Petrus infirmitate per annum decantus, sequi discedentem Stephanum non valuit, & Anno 1170. cum alijs quadraginta francis in Galliam remeavit: quod ipse Vuillelmo fratri suo in supra edita Epistola 90. fol. 497. animo præter modum contra Siculos exulcerato enarrat his verbis: *Ego autem, cum in illa tribulatione, & egressu Domini* (Stephani) *medio emitræo* (Hemititræo, Febri Tertiana) *laborarem, de mandato Domini Regis, curæ & custodiæ Salernitani Archiepiscopi commissus sum, qui non minorem circa me diligentiam exhibuit, quam si Dominus, aut filius ejus essem. Ex qua autem convalui, accessi ad Dominum Regem, petens ab eo, & Magnatibus Curiæ licentiam recedendi. Rex autem per Dominum Salernitanum & per R.* (Richardum) *Electum Syracusanum me sollicitare multipliciter fecit, ut in Curia ejus, & in Sigilli officio remanerem: sed non potui ad hoc precibus, aut promissis, aut muneribus inclinari.* (vide animum nullis blanditijs demulciendum) *Terra siquidem illa devorat habitatores suos, timensque à malitia inhabitantium in ea, in hoc redegeram meorum desideriorum summam, ut haberem licentiam, & cum securitate recessum. Quia igitur exire Siciliam in equis, & proficisci per Calabriam mihi, & omnibus qui mecum erant, suspectissimum videbatur: ibi quandam Genuentium Navem . . . . . dedit mihi Dominus Rex munitam omni genere victualium, cum mattis, cum cultricis, cum tapetis. Præstita itaque à Genuensibus juramento de exhibenda mihi fidelitate,* (Nota in re Nautica Juramentum) *ac tutela mei corporis, qui circiter quadraginta poterans extimari, ut evaderem mortem terræ, me morti maris exposui.* Inauditam adversi animi ingratitudinem suismet verbis ostendit Blesensis; dum, ne declamatoriam Antithesimi *Mortis terræ, & maris:* preteriret, in eadem orationis Periodo, benignitatis, & munificentiæ Regis Siciliæ citò oblitus, Siciliam, in qua tot beneficia se recepisse profitetur, *Terræ devorantis habitatores suos*, virulento Elogio condecorat.

Implacabili odio Siculis infensus, in Aulam Henrici II. Anglorum Regis adscitur, ibique acres illius Regis querelas in Vuillelmum II. Siciliæ Regem, ob hospitatos S. Thomæ Cantuariensis coexules Propinquos, ex præconcepto ingenio, fovisse verosimile videtur: Indignationem tamen Regis contra Sanctum Antistitem, & si compescere minimè potuit, minus tamen quam debuerat, ut colligitur ex ejus Epistolis, mitigare sategit. Post inclyti Martyris necem, Richardo, illius in Cantuariensi Primatu successori, in Cancellarij ministerio adhæsit Anno 1175. Etiam tunc pertinacis iræ non oblitus, nomine sui Præsulis, Alexandro III. scribens, *Epist.* 54. & Apologiam retexens pro Episcopis, qui Aulam Regis Anglorum seqaebantur, Anglos Antistites quidem, ex publica utilitate, excusat, imò defendit; non destitit tamen Siculis Episcopis detraheret dum illos in exemplum adducit. *Porrè*

(in-

(inquit) *Archiepiscopi, vel Episcopi, qui in Curia Regis Sicali conversatur, per septenniam aut decenniam à Curia non recedaat: nec refert vivaat aut decesserint quantum ad Ecclesiasticorum bonorum custodiam, vel regimen animaram*. Maximè autem adversùs sacrum ordinem Episcoporum Siculorum obfirmatus deprehenditur *In Opusculo VIII. De Institutione Episcopi*: dum pro uno Agrigentino Episcopo, Gentili, è Pannonia adventitio, temporalibus alioqui nimium intento, qui in conjuratione contra Stephanum Perticensem inventus, Anno 1169. Carceri traditus fuerat, & post dies libertati redditus: Hoc factum singulare, & quod pro circumstantijs, disceptandum veniret, de omnibus Regni Episcopis, quasi ipse vidisset, depredicat in predicto Tractatu, scripto, ut apparet, Anno 1176. effervescente immodicè adhuc ira de non oblitis dissidijs. *Quidam*, ait, *per usurpatas secali administrationes, se vinculo Curiali obnoxiant, & quasi renunciaverint sua Privilegio Dignitatis, calcaleam darioris eventus expectaut. Nam pro causa hujusmodi hodie in Sicilia mancipati saat Episcopi quidam carceralibus vinculis, nec aliquod expectaat ab Ecclesia Romana solatiam: quibus improperatur à Sammo Pontifice, ut bibantè calicee, quem sibi temerè miscuarunt*. Hæc largius, ut par erat, tradita sunt, & quia fragmenta aliqua, supra non edita, Petri Blesensis dare debuimus, & unde manifestiùs pateret irrevocabile odium in Siciliam, & Siculos, perpetuò ejus stilum exacuisse Ipse tandem, ex ingenio, quietis impatiens, depositus ab Archidiaconatu Batoniensi, post varios casus, & labores, Canonichus Londinensis obijt Anno 1200.

VII.

GUlielmus, Petri Blesensis frater. Monachus Benedictinus, Vir planè doctus in Ecclesiasticis disciplinis, & in amœnioris Poetices lusibus. Sic eum laudat Petrus, in epistola 92. quam supra edidi fol. 500 *Nomen vestram diutarniore memoria commendabile reddunt Tragedia vestra de Flaura, & Marco; Versus de Pulice & Musca; Comedia de Alda: Sermones vestri, & cetera Theologicæ facultatis Opera; quæ utinam diffusiùs essent, ac celebriùs publicata. Plus honoris accrevit Vobis ex vestris operibus; quam ex quatuor Abbatijs*. Utinam ea ingeniosa monumenta non omnia perijssent: Nomen Gulielmi non omisissent Bellarminus, Alex. Natalis, Du Pin, Cave, cæterique, quod sciam, scriptorum Ecclesiasticorum Collectores: Inter Poetas Latinos saltem reposuisset Jo: Ger. Vvossius. Num in comitatu Stephani Perticensis Anno 1167. simul cum Fratre Petro Blesensi, aut antehac venerit in Siciliam, incertùm: Pro compertò tamen habetur, designatum fuisse, ut ad Episcopatum Catanensem promoveretur, nisi ab Joanne Agello, ejusdem honoris cupiditate, interceptus fuisset. Quod ex eadem Petri Blesensis Epist. 92. fol. 502. apparet: *Veridica etiam commeantium relatione cognovi, quod in ultionem Domini Stephani* (Perticensis) *Catanensis Civitas terremotu concussa est, & subversa* (Anno 1169. die 4. Februarij) *in qua filius ille superbiæ* (supradictus Joannes de Agello) *Frater Matthæi Notarij, qui Vobis Episcopatam supplantaverat fraudaleater, & adversus innocentes proditoriam suscitaverat factionem; intereeptus & obrutus, animam ministram iniquitatis, & ancillam Satanæ ractavit*. Hæc si advertisset diligentissimus Pirrus, inter electos pro Catanensi Ecclesia, Gulielmum Blesensem numerasset, & Joanni Agello fortè tot annos Episcopatus non dedisset; dum, minimè certiùs comperto anno obitus Bernardi Episcopi antecessoris ejus, Joanni ab anno 1156. Episcopatum assignat: cujus confirmationem & Pallium, non nisi Anno 1168. obtinuit ab Alexandro III. ut apparet ex Bulla, quam integram habemus apud eumdem Pirrum Lib. III. in Notit. Eccles. Catanensis. Indeque inferri potest, quod, interlabente hoc 12. annorum spatio, Gulielmus Blesensis, ob eximiam pietatem, & doctrinam Anno 1167. aut antea, fuerit postulatus Episcopus Catanensis, à Monachis illius Cathedralis Canonicis, irritamque factam Postulationem, ob ambitum Joannis Agelli, captantis sibi Episcopatus dignitatem, favore Regalis Curiæ, malis artibus extortam; tandemque anno 1168. die 26. Julij confirmatam, quam non nisi annum supra quinque menses tenuit, usque ad diem 4. Februarij anni 1169. (Advertendum hic, Annum in antiquo Computo Siculo initium habuisse die 25. Martij)

Interea temporis Margarita Mater Regis Vvillelmi II. & Regni Gubernatrix, Monasterium S. Mariæ de Maniacio ad radices Montis Ætnæ ædificare, pro sua devotione jusserat; ad cujus Regimen Gulielmum Blesensem in Abbatem designavit. Quin etiam, ut venerabilis Viri meritis, cui Episcopatus sublatus fuerat, faceret satis, pro eodem Monasterio, quod unitum, seu subjectum voluit Monasterio S. Mariæ Novæ Montis Regalis, à filio Rege Vvillelmo, admirabili magnificentia tunc ædificari cœpto, obtinuit à Nicolao, primo Archiepiscopo Messanensi exemptionem ab omni Diœcesana Jurisdictione: Et ab Alexandro III. Summo Pontifice impetravit pro electo Abbate Gulielmo Blesensi confirmationem concessæ libertatis, & paucissimis ad illud tempus concessum, honorem Insignium Pontificalium, Mitræ scilicet, Annuli, Sandaliorum &c. De libertate à Potestate Diœcesana Ecclesiæ Messanensis habetur

betur Diploma prædicti Nicolai Archiepiscopi, sub die primo Maij 1174. in Historia Ecclesiæ, & Monasterij Montis-Regalis à me ipso edita Anno 1702. In collectione Privilegiorum, in calce Voluminis fol.65. De usu verò Pontificalium Insignium, licèt desideretur Bulla Alexandri III. satis abundè de ipsa Pontificia concessione loquitur Petrus Blesensis Epist.90. scripta anno 1175. & infra edita fol.497. exprobrans fratri quasi quoddam grande piaculum, si vellet de sacris Insignibus, & de concessa libertate gaudere. *Retulit mihi*, inquit, *quidam nuncius vester, qualiter Dominus Papa Vos Mitra proprij capitis, & alijs ornamentis Episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo, sed Insignia Episcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto, &c.* quæ fusè acri stilo in eam rem edisserit. Commotus adeò tantis asperrimis comminationibus bonus Abbas, ut severo fratri morem gereret, & Insignibus Pontificalibus, & libertati, & ipsi Abbatiæ renunciavit. Quo audito Petrus Blesensis, Anno 1176. secundam, & congratulatoriam misit Epistolam 92. supra editam fol.500. ad sydera extollens Gulielmi magnanimitatem in resignatione Dignitatum, & ad revisendos Patrios Lares exhortans: de quibus, & de sibi invisis Siculis, ecce quam declamatoriè encomia exaggerat, & jurgia. *Sumus frater in dulci-francia, quæ sola, teste Hieronymo, monstra non habet. Bonum nos hic esse. Vivant in Sicilia, qui proditiones, & venena procurant; adulationis officiarij, & qui aures Magnatum, vento inanis gloriæ prurientes, venenosa suavitate demulcent..... Mihi sufficit si istic vivam, & moriar, ubi natus sum, & nutritus. Vita circularis mihi accepta est, ut cum nascendi exordio, vitæ meæ limiretur excursus. Vale.* Cætera de Gulielmo Blesensi, & quo anno, & quorsum è Sicilia discesserit, me latent, nec ad rem nostram interest investigare. Hoc tantum ex Historia Montis-Regalis colligitur, loco citato fol.71.73.76. Anno 1177. alium fuisse Abbatem Monasterij Maniacensis, nomine Timotheum, ad cujus favorem Theobaldus, primus Abbas, & Episcopus (*idest Abbas nullius Diœcesis, immediatæ Sedi Apostolicæ subjectus, & cum Potestate Ordinaria*) Monasterij Sanctæ Mariæ Novæ Montis-Regalis, Reginæ Margaritæ fundatrici, & Timotheo Abbati Maniacensi, utpote suo Diœcesano plurimas exemptiones impertitur, & concedit. Similiter Anno sequenti 1178. majora tribuit eidem Timotheo Abbati Nicolaus Archiepiscopus Messanensis, cum libera Jurisdictione super plusquam triginta Rurales Ecclesias Monasterio addictas, & in Diœcesi Messanensi existentes. Fusius, quam par videri poterat hæc de Gulielmo Blesensi disseruimus, quæ lucem conferre valent ad Pirri Ecclesiæ Catanensis, & ad nostram Metropolitanæ Montis-Regalis Historiam.

VIII.

STephanus Perticensis, filius Rotrodi, seu Rotronis, sive Rotroci Comitis Perticensis. Est Perticus, hodie (*Perche*) Galliæ Provincia, inter Belsiam (*Beasse*) ad Ortum, Normanniam ad Boream, & Cenomanos (*Mans*) ad Occidentem; Ejus caput Noviodunum (*Nogent*) erat Stephanus Archiepiscopo Rothomagensi Rotrodo, & Margelinæ Navarræ Reginæ Consobrinus, indeque Margaritæ Reginæ sanguine valdè proximus, ut ipsa apud Falcandum: *Ecce*, inquit, *completum video, quod plenis semper votis expetij. Nec enim aliter quam fratres proprios diligere quidem, & honorare debeo filios Comitis Perticensis, per quem ut verum fatear Pater meus Regnum obtinuit. Namidem Comes Patri meo Terram amplissimam, cum Nepte sua, Matre mea, dotem dedit, quam in Hispania multis periculis, ac diuturnis laboribus expugnatam Sarracenis abstulerat. Nec ergo mirari debetis, si Filium ejus, Matris meæ Consobrinum, loco mihi Fratris habendum censeam, & de remotissimis partibus ad me venientem gratanter accipiam.* Venit in Siciliam Anno 1167. statimque Reginæ favore Archiepiscopus Panormitanus, & Regni Cancellarius designatus, summam rerum suscepit, maximaque dexteritate moderatus est. Stephanum S. Thomas Cantuariensis Patronum acquisivit, cum initio Anni sequentis illi causam suam, & Propinquos coexules, in Sicilia benignè antea receptos, enixè commendasset: *Epist.56. Lib.2. infra fol* 981. Idemque officium pro Sancto Thoma Rex Franciæ Ludovicus VII. Stephano exhibuit. Simultates plurimæ interea contra Cancellarium ex invidia in Aula exoriuntur: Quæ Anno 1169. & *Messanæ*, & Panormi in immensum turbarum, etiam inter utrumque Populum exundantes; Stephano tandem, Gallorum suorum familiarium culpas luenti, pro gratia concessum fuit, Archiepiscopatu Panormitano resignato, in Syriam navigare. Ibi Hierosolymis, Anno 1170. in Domo Amalrici Regis obijsse, & in Templo Sancti Sepulchri tumulatum narrat Petrus Blesensis *Epist.98. infra fol.501. De Stephano fusè Falcandus in Hist. Siciliæ, infra à fol.458. ad finem.* Præterea de hac illustri Stirpe quæ invenire potuimus ad rem nostram pertinentia prosequamur.

Comes Perticensis, de quo locuta est

Regina Margarita, fuit Rotrodus, de quo Joannes Mariana in Hist. Hispan. Lib. X. cap. 10. hæc memoratur. Alphonso VI. Rege Castellæ, & ut vocari voluit, Hispaniarum Imperatore, expeditionem Cæsaraugustanam parante, *ad ejus famam multi ex universa Regis ditione, sed ex Galliæ finibus Viri Principes exciti ad arma, auxilio venerunt. Gasto Bearnensis, Rotro Perticarum, Centullus Bigerorum Comites.* (Bigorre, latinè Benearnia, & Bigeronum, Provinciæ Galliæ, ad radices Pyreneorum Montium Sitæ) *Ex utraque Gente validus conflatus exercitus Cæsaraugustam omni ex parte circumsedere cepit, salutis Anno 1118. mense Maij. Suburbium, quod interfluente flumine ab Urbe direptum est, intra octavum diem expugnatum. Rotro Perticarum Comes, ipsa obsidionis tempore, cum sexcentis equitibus abs Rege missus, Tutelam, nobile Vasconum Oppidum, ad Hiberi ripas loco munito constitutum, improviso occupat. Navatæ operæ merces fuit ejus municipij Principatus,* Anno verò 1134. occumbente in martis acie sine filijs Alphonso Castellæ Rege, sub cujus imperio Aragonum, & Navarræ Regna devenerant, Aragonenses Ramirum Monachum, Vascones Garsiam Ramirez, antecessorum naturalium Dominorum legitimè hæredes, sibi Reges elegerunt. Non sine contentionibus Garsias Thronum ascendit, quas Rotronis Perticensis ope superavit; ejusque favore non tantum Imperium novum tutatus est, sed etiam ditionis fines dilatavit. Acceperat enim elapsis annis in Uxorem Rotronis Neptem Mergelinam (*filiam, & Margaritam vocant Stephanus Garibay, & Mariana citatus*) & cum ea, Dotis nomine, Tutelæ Principatum. Tutela (*hodie Tudela*) ex præcipuis Navarræ Urbibus, nomen tribuit uni de quinque ejusdem Regni Præfecturis. *Eadem habentur apud Stephanum Garibay Tomo III. Hist. Hispan. de Regib. Navarræ, lib. 23. cap 6. & lib 24. cap. 3.*

Ludovicus Morerius, in Magno Dictionario Historico, in Voce: *Perche*: Roderico Ximenio, & Hispanis Scriptoribus contradicit, qui Margelinam, non Neptim, sed filiam asserunt Rotronis; Comitumq; Perticensium ibi Geneologiam, quam ex Oderico Vitali collegit, prosequitur. Per illustris Familiæ Tabulam Geneologicam lectoris oculis hic exhibere, acceptum fore putamus. In ea desiderantur, quo signandi forent loco, Gilbertus Comes Gravinæ, & ejus filius Bertraadus; Ugo item de Rupeforti, & Robertus de novo Burgo, & fortè etiam Gaufridus. Hos Falcandus Reginæ consanguineos appellat, & nos de ijs infra

CO

COMITUM PERTICENSIUM TABULA GENEALOGICA.

GUERINUS, Comes Bellismi in Pertico; Propter Uxorem Melisandam Comes VII. Perticensis: vivebat circa Ann. 1000.

GEOFRIDUS I. Com. Chatheandun, & Retrou, Retrudi in Pertico: vivebat Ann. 1031.

UGO, Com. Perticensis Chateaudun; obijt sine filijs.

ROTRONUS I. Comes Mortaigne, Mortaniæ in Pertico; & post fratris mortem Comes Perticensis.

GEOFRIDUS II. Com. Perticensis. Auxilia præstitit Ann. 1081. Vvillelmo Conquestori, Duci Normanniæ, in expeditione Anglicana. Uxorem duxit Beatricem fil. Hilduini Com. Roucy, obijt Ann. 1110.

ROTRONUS II. Com. Perticensis. Uxores duxit. 1. Mahandam filiam Henrici I. R. Anglorum. 2. Heruigem du Heureux, de Ebroito in Normannia. Perenniter celebris in expeditionibus ultra-marinis, & in Hispaniam, obijt 1149.

Juliana, Uxor Gilleberti Domini Aquilæ.

Margarita Uxor Henrici Beaumontis

Ex prima Uxore Philippa, Uxor Eliæ fil. Fulconis Com. Andegavensis.

Ex 2. Uxore. ROTRONUS III. Com. Pertic. obijt in oppugnatione Ptolamaidis, An. 1191.

Stephanus Archiapiscopus Panormitanus, & Regni Siciliæ Cancellarius.

Margarita, seu Margelina, Ann. 1134. Uxor Garsiæ Ramiri R. Navarræ: ex ea nati Sanctius R. Navarræ, Alphonsus, Dom. Castri Veteris, Blanca, Reg. Castellæ, &

Rotronus Archiepisc. L. Rothomagensis, ab Ann. 1166. ad An. 1182.

GEOFRIDUS III. obijt in Syria Ann. 1205.

Margarita, Ann. 1150. Uxor Vvillelmi I. Regis Siciliæ, obijt Anno 1183.

THOMAS, obijt Ann. 1217. cui successit Ludovicus VIII. R. Franciæ, & exinde Comitatus Perticensis illi cessit Coronæ.

Rogerius, Natus Ann. 1151. obijt Ann. 1161.

Vvillelmus II. Rex Siciliæ: Natus Ann. 1153. obijt Ann. 1189.

Henricus, Natus Ann. 1159. obijt An. 1172.

Rotro-

IX.

ROtronis II. Comitis Perticensis itaq; Proneptis fuit Margarita Siciliæ Regina, Garsiæ Ramiri, Navarræ Regis filia, ex Margelina quarto loco nata, & Sanctij VI. Sapientis, Regis Navarræ soror, sicuti & Alphonsi Castri-Veteris Domini: prout ipsa de se professa est, & in superiori Tabula apparet. Ann. 1150. nuptui tradita Vvillelmo I. Regi, trium filiorum Mater efficitur. Rogerij Anno 1152. Vvillelmi Anno 1153. Henrici Anno 1159. Defuncto anno 1161. Rogerio filio, & anno 1166. Vvillelmo Rege marito, Regnum in minoritate Vvillelmi II. filij, inter multiplices turbas, & Magnatum simultates, piè, & prudenter administravit. Obijt tandem illustris Heroina, Heroum Progenies, Anno 1183. & in Metropolitana Ecclesia Montis-Regalis tumulatur.

Rotrodi II. Comitis Perticensis item Nepos fuit, & frater Mergelinæ, seu Margaritæ Reginæ Navarræ, ut in superiori Tabulæ signatur, Rotrodus, Quinquagesimus Archiepiscopus Rothomagensis. Rothomagum (*Rovan Roano*) est Normanniæ caput. De ipso hæc Claudius Robertus in Gallia Christiana, fol. 15. Rotrodus, vel Rotoldus, seu Rotrocus, Archiepiscopus Rothomagensis, Anno 1166. Kalendis Octobris; fuit antea Episcopus Eliensis in Anglia, & Bajocensis in Normannia, & fortè Ebroicensis, Quique strenuè pro S. Thoma Cantuariensi Archiepiscop. decertavit, *ex Baronio Ann. 1167. & 68.* Nonnullis etiam vocatur Ægidius, ex nobili Gente Comitum Perticensium. Sedit usque ad Annum 1182.

X.

GIlbertus, incertùm si ex illustri Comitum Perticensium familia, aut potius ex Margelinę Reginæ Navarræ filijs oriundus, cum ex Hispania in Siciliam venerit, & Anno 1159. inter eos Nobiles onmeretur, qui convenientes in Apulia conjurationi Majonis se opposuerunt. *Cum quibus erat* (Inquit Falcandus) *& Comes Gilibertus, consanguineus Reginæ, cui Rex* (Vvillelmus I.) *nuper ex Hispania vocato Gravinæ dederat Comitatum.* Æquivocè profectò alio in loco loquitur idem Auctor: *Nec eam* (Reginam Margaritam) *diu sua fefellit opinio. Paucis enim interiectis diebus, fama præcurrente compertum est, Stephanum Comitis Perticensis filium, in Siciliam venientem ad Comitem Gravinensem, Fratris sui filium, divertisse, &c. Lj Fratris sui filium*, quem respicit, Stephanum, an Margaritam? Diligentiori indagini in medio relinquimus. Gilbertus porrò Anno 1161. & ipse de Vvillelmi Regis ineptitudine pertæsus, cum contra illum adhæsisset cæteris Apuliæ Comitibus, solus in conjuratorum exterminio, Reginæ sibi consanguineæ favore, à Rege veniam, & copiarum Regalium in Apulia Præfecturam obtinuit. Anno 1167. mortuo Rege Vvillelmo, ex Apulia Panormum, indeque cum Regina & Regali Curia Messanam pergens, opportuna attulit auxilia in tumultibus contra Richardum Syracusanum excitatis, à cujus artibus, ut à Curia removeretur, Anno 1168. in Apuliam denuò contra Friderici I. Imperatoris minas amandatur: Anno 1169. Matthæus Notarius de Gilberti absentia confidens, diram conjurationem contra Stephanum Perticensem Cancellarium suscitare, & perficere ausus est; post quam exilium è Regno etiam Gilberto armata manu indicitur; qui abire coactus, in Syriam cum Uxore, & filijs transfretavit.

XI.

BErtrandus, Giliberti filius, Anno 1167. Andriæ Comes à Regina Margarita renunciatur: circa Annum 1170. cum Patre à Regno expulsus.

XII.

UGo de Rupeforti, Reginæ consanguineus, incertùm quo vinculo, & quo loco in Perticensium familia signandus, Anno 1167. de Francia cum Stephano Perticensi in Siciliam venit; cumque inter alios octo Comites, eodem anno à Regina creatos, ultimum nominavit, Catacensi Comitatu donatum. Solus inter Stephani socios cum eo è Sicilia non expulsus est, quia inquit Falcandus, *nullius consilij, audaciaque homo erat, ut vel occultè paraturus insidias, vel ex præcipiti magnum ausurus aliquid timeretur: ideo ei parcere maluerunt, ut sic Reginæ indignationem aliquatenus mitigarent.*

XIII.

RObertus de Novo Burgo: Inter Perticensium Comitum Agnatos in Tabula ejus Nomen non legitur: de quo Falcandus. *Regina Margarita scripserat Avunculo suo Rothomagensi Archiepiscopo, ut aliquem de Consanguineis suis, vel Robertum de Novo Burgo, si fieri posset, vel Stephanum Comitis Perticensis filium sibi transmitteret.* Ejus, quia Siciliam non vidit, ad Rem Siculam meminisse sufficiat.

XIV.

GAufridus, Filium Retrodi II. Comitis Perticensis, & fratrem Stephani Cancellarij verbis expressis enunciat Falcandus, cum Anno 1169. Messanæ à seditiosis contra Cancellarium tumultuantibus spargerentur voces: *Alij Stephanum Cancellarium asserebant procul dubio Regem factum. Nam Gulielmum Regem interfectum esse, Henricum fratrem ejus in Castello maris clausum obsidione vellari.*

Alij,

Alii, quibus sanior mens, non ipsum Cancellarium, sed Gaufridum quemdam ejus fratrem regnaturum. Et ob hoc Odonem Querrellum cum ingenti pecunia transiturum in Gallias, ut ejus opera, ductuq; prædictus Gaufridus in Siciliam transfretaret, & Constantiam, Rogerii Regis filiam, uxorem duceret. Quod somnium, à turbarum incentoribus inventum, evanuit. In Tabula Geneologica Gaufridum fratrem Stephani non conspicimus, sed Geofridum, cujus Nomen, & Gaufridi, vario dialecto, idem est. Geofridus III. autem Nepos, non frater est Cancellarii, Margaritæ Reg. Consobrinus. Ejus ætas quidem non repugnaret cum Constantiæ nuptiis, quam, Posthumam Rogerii Regis, natam pro certo scimus Anno 1154. Errorem aut Morerii, aut Falcandi, aut factione commoti Vulgus Messanensis, examinandum aliis dimittimus. Nihil enim ad Rem Siculam pertinet Gaufridus, cujus tantum nudum Nomen in Siciliam transmeavit. Et hæc sunt, quæ de celebri Perticensium Comitum familia invenire potuimus. Reliquos Francos, aut Anglo-Normannos in Siciliam appulsos adnotare prosequimur.

XV.

ODo Querellus, Carnotensis Canonicus, Stephanum Perticensem in Siciliam secutus, ejusdem domus Præfecturam adeptus est, illique Stephanus plusquam expediret deferebat. Quem cum neque literarum scientia, neque sæcularis prudentiæ dexteritas commendaret, inexpletæ cupiditatis homo, nullum in extorquenda pecunia attendens modum, & in conciliandis amicitiis non virtutem, aut fidem, sed munerum quantitatem considerans, maximam Cancellario conciliavit invidiam. Dum Messanæ esset, jussus asportare in Arelatensium fines Henricum Reginæ fratrem, de quo infra, cum nimis ultra præscriptum tempus moras protraheret, plurimasque interim rapinas in Cives, & Græcos exerceret, vehementi contra eum concitato tumultu, ab Henrico, in illo conspirationis calore è custodia elapso, furenti plebi traditus, crudeliter discerptus interiit.

XVI.

JOannes Lavardinus, Hierosolymam versus cum aliis Francis, Anno 1168. iter instituerat. Panormum appellens, in Cancellarii Stephani contubernium, ascitur; cujus acta Cancellario non parum attulerunt incommodi, nam Anno 1169. eodem procurante, Caccabi Oppido, quod Matthæi Bonelli fuerat, à Regina muneratur. Cum autem Oppidanos illos plurimis opprimeret injuriis, mediamque partem omnium rerum mobilium, quas habebant exigeret, & super iis populi querelæ à Cancellario reficerentur, inde turbæ, & seditiones, quæ Cancellarium cum Lavardino è Sicilia expulerunt, exortæ.

XVII.

RObertus Comes Mallenti, unus de Francis qui magis Stephano Cancellario adhærebant: Illi, imprudenti consilio, extremam perniciem attulit: hortatus enim est nè sine Rege expeditionem contra Messanenses susciperet; & alia vice inermem Panormi inter Aulicorum insidias detinuit. Pro ipso nihilominus fortiter stetit, usq; dum, abjurato Regno Siciliæ, Stephanus, traducendus in Syriam, navem conscendit, tunc cum cæteris Francis Robertus patrium solum repetiit.

XVIII.

HErveus Floridus, Cancellario Stephano familiaris, Cum ejus domum contra concurrentes seditiosos custodiendam suscepisset, ab ipsis transfossus occiditur.

XIX.

MAtthæus Bellifinensis, Stephano acceptus, & familiaris: Anno 1168. cum ægrotasset, à Medico Salernitano venefica potione sublatus est.

XX.

HEnricus, seu Rodericus, filius nothus, sed rejectus, Garsiæ Ramiri, Regis Navarræ. Circa Annum 1167. ipse, & plurimi Hispani milites, auri spe velificante, in Siciliam contendunt. Ejus imaginem nobis tribuit Falcandus: *Statura parvus, barba rarissimus, pallida nigredine cutem fœdatus, indiscretus, elinguis; præter alearum, & tesseræ ludum, nullius peritiam vindicabat.* Statim ut venit à Sorore Regina Margarita Comitatum Montis Caveosi accepit, simul & copiosas auri divitias, quas cum brevi Panormi dissipasset, ad oppidum sibi concessum in Apuliam amandatur. Anno 1168. contra Richardum Molisii Comitem, Reginæ acceptissimum, ex Apulia Messanam, & Panormum pertransiit. Stephano Perticensi, Cancellario ex familiari inimicus, Panormo Messanam, seditiones conflaturus, Regem & Curiam sequutus est. Adaucter ibi Tarenti Principatum, Regum Siciliæ Genitis reservatum, pro se vesana cupidine deposcit, acriterque à Gilberto Gravinæ Comite rejicitur, & in conjuratione ex ore suo deprehensus in Hispaniam cum suis renavigare jubetur. Cumque moram protraheret, & in Rhegii Arce ideò detineretur, inde à Messanensibus seditione commotis liberatus Panormum venit, conjuratisque contra Stephanum Cancellarium socium se præbuit; illoque è Regno ejecto, ipse inter decem viros ad Curiæ regimen ascitur. Post aliquot verò dies, summa post Regem, potestas in Gualterium,

Electum Panormitanum Archiepiscopum, & Regni Cancellariū relabitur. Et cum deinde de exauthorato Henrico Historia Sicula nil referat, vero simile videtur, renovatum illi Decretum abscedendi procul à Regno.

Neque de aliis bujusmodi in Siciliam Advenis minus insignibus oportebit inquirere. Tantummodo obiter animadvertendum veniret, præcipuas hujus temporis in Regno turbarum causas attulisse frequentes Exterorum in Insulam exscensiones, maximè quæ in minoritate Regis Willelmi II. factæ leguntur.

Videlicet in Siciliam novi venerunt: Ante Annum 1159. Gilbertus Reginæ consanguineus non incomitatus accessit.

Anno 1167. Henricus, frater Reginę, cum plurimis Hispanis militibus supervenit. Eodem Anno Stephanus Perticensis cum triginta septem sociis, ut testatur Petrus Blesensis Epist. 46. scripta anno 1173. ad Rich. Syrac, Episc. infra fol. 492. *Triginta & septem Animæ cum Domino Stephano Siciliam sunt ingressæ, omnesque in morte conclusi sunt, præter me, & Magistrum Rogerium, Normannum, virum literatum, industrium, & modestum. Nos solos eduxit Dominus per misericordiam suam de medio umbræ mortis in fortitudine manus suæ.*

Anno 1168. Plurimos milites Transmontanos, cum Joanne Lavardino, qui Panormum nuper advenerant, ex Francia Hierosolymam transituri, Stephanus Cancellarius secum retinuit, ut contra Henrici, & Hispanorum seditiones, Aulicorum etiam inceptas simultates se præmuniret.

Anno demum 1169. cum Stephanus Cancellarius Messanæ esset, variosq; contra cum Henricus intentaret tumultus, noviter de Francia, Normanniaque Clientuli multi ad eum confluxerant sui, qui lęto animo recepti, ut illorum mos est, in contumeliosa verba præcipites, & Curiæ patrocinio licentiùs abutentes, Græcos, & Longobardos Siculos, proditores appellabant, multis eos injuriis lacessentes: & exinde afflatæ discordiarum faces, Reipublicæ tranquillitatem longiùs expulerunt.

Omnium istorum è Sicilia regressus notatur supra, ubi de Giliberto, de Stephano Perticensi, de Henrico Hispano, & de Petro Blesensi. Unum est in quo eidem Blesensi assentiri detrecto, nullum de triginta septem sociis Stephani Perticensis supervixisse, nisi ipsum Blesensem, & Rogerium Normannum: Nam Falcandus scribit de Francis, qui Anno 1169. in defensionem Stephani, Panormi in quodam Campanario se munierant, quod postquam ille Panormo solverat, ut in Syriam navigaret; *Regressi Curiæ familiares ad Campanarium, Comitem Mallenti, cæterosque Francos eduxerunt: Plebisque seditiosos impetus, & adventum Messanensium formidantes, in duobus Castellis* (Panormo conterminis) *Partenico, Carinulaque fecerunt illos interim commorari, donec eis ad transfretandum navigia providerent.* Ex his quis non videat Blesensem, minus veritate perspecta, ad augendam in Siculos invidiam, hoc perperam pronunciasse?

XXI.

JOanna Henrici II. ex genere Normanno, post Willelmum Conquestorem, quinti Regis Angliæ filia, Willelmi II. Siciliæ Regis uxor. Inter novos in Siciliam Advenas ultimo loco, sicuti pro serie temporis debebatur, hujus nostræ Reginæ seposuimus nomen, Venerabile quidem Fœminæ Nomen, sed minimè faustis ominibus in nostram Insulam transmissum; Et quia sine prole, Næniis potius, quam Pæanis suscipiendum. Plurimum ad exactam Historiæ notitiam conferret, si Annum nativitatis ejus definire nobis daretur; aliquam verò lucem haurire dumtaxat nobis conceditur ex nuptiarum Anno Aleonoræ ejus matris cum Henrico II. Aleonora enim filia, & Hæres fuit Willelmi Ducis Aquitaniæ, quæ Anno 1136. ex patris voluntate, cum Aquitaniæ Provincia, Uxor data est Ludovico VII. Francorum Regi; à cujus thoro Anno 1151. propter consanguinitatem sejuncta, statim ab Henrico II. tribus annis antequam Angliæ Regnum acciperet, cum Aquitaniæ hæreditate, in connubii societatem, & postea in thronum assumitur. Ex ea liberos accepit Henricus. Primogenitum Henricum, patri pręmortuum, Richardum in Regno successorem, Gaufredum, Joannem, binos alios in minori ætate defunctos. Itemque Mathildem, quæ nupsit Henrico Duci Saxoniæ, Aleonoram deinde matrimonio traditam Alphonso VIII. Regi Castellæ, ex qua Blanca orta est, Divi Ludovici Francorum Regis, & Caroli Andegavensis Regis Siciliæ mater. Postremò tandem loco nominatur Joanna, de qua agimus, Regina Siciliæ. Minimè tamen decimo loco natam, deducitur ex iis, quæ scribit Joannes Ptisæus To: 1. de Rebus Anglicis; ubi de Illustribus Angliæ Scriptoribus. Enarrat enim, Henricum II. Anglorum Regem ad Willelmum I. Siciliæ Regem, sibi nationali genere, & amicitia fœderatum, transmisisse Gualterum, qui ei à sacellis erat, virum in omni humaniori litteratura commendatum, ut futuri generi sui, Willelmi Junioris, cui filiam suam Joannam nuptui dare constituerat, animum adbuc tenerum liberalibus Artibus, & omni, quæ Regalem decet prolem, meliori disciplina imbueret, sollicitèque informaret. Hæc Ptisæus. Gualterus porrò in Falcandi Historia Siciliæ, Anno 1161.

Ce-

Cephaludensis Archidiaconus, & in Regis Palatio Panormi Regiorum Adolescentium, Rogerii Novennis, & Willelmi Octennis Ludimagister invenitur. Cum enim in seditione per Matthæum Novellum commota, rejecto Willelmo I. Puer Rogerius per Civitatem equo ductus, Rex acclamaretur, Gualterius, ejus Præceptor, convocata virorum multitudine, ne alium Regem vocarent dehortans, pro suo discipulo juramentum ab omnibus exigebat. Innocenti puero quidem hoc factum eodem anno necem intulit, Gualterio in crimen non vocato: Nam anno quoque 1163. seditiosis aliis è carceribus elapsis, & in eodem Palatio tumultuariè excurrentibus, Gualterius idem Willelmum Juniorem undecim annorum, & Henricum quadriennem, Regis filios, è schola, in qua erudiebantur, in Campanarium, primis motibus auditis, incolumes asportavit. Ex dictis apparet, Joannam, quocumque anno post 1152. natam, satis ante pubertatem à Patre in uxorem Hæredis Regni Siciliæ fuisse destinatam. Emendare itaque oportebit Prisæum, qui Willelmo Juniori assignatam asseruit; Nam usque ad annum 1161. ut dictum est, Rogerius Primogenitus, & Regni Hæres venerabatur. Vero consentaneum proinde videtur, Joannam, post fatum Rogerii pueri, & Willelmi I. & Henrici II. Regum voluntate, cum Juniore Willelmo adhuc impubere contraxisse sponsalia; quæ variis casibus, infra exponendis, dilata, & quasi rescissa, usq; ad Annum 1177.tandem completa inveniuntur. Anno igitur 1164. rathis sponsalibus adversam objecit Remoram hospitalis benignitas, qua in nostra Insula asylum invenerunt coexulas propinqui Divi Thomæ Cantuariensis, immaniter ab iracundo Rege Henrico II. è Patria expulsi. De insigni Siculorum in miseros humanitate testem habemus ipsum Divum Thomam, qui in supra editis epistolis, fol. 981. summas de beneficio refert gratias Reginæ Margaritæ, & Richardo Electo Syracusano. Quam impotenti animo acceperit Henricus II. Regum Siciliæ munificam pietatem, deduci potest ex iniquissimis legibus contra illos insontes eodem anno in Anglia latis. Divum Thomam, & ejus propinquos, eorumque fautores, receptores, auxilium tribuentes, declarabant Regis, & Regni proditores, & Rebelles; ideoque omnia eorum bona fisco adjucata, eorum nomen exosum.

Anno sequenti 1165 furibundus Rex Nuncios misit Romam ad Alexandrum III. misitque porrò in Siciliam ad Willelmum I. minitans Papæ, se cum Friderico I. Imperatore Schismatico fœdus initurum, Siculo Regi adjiciens, filiæ sponsalia se rescissurum, illamque traditurum filio Imperatoris, nisi uterque S. Thomam, & ejus propinquos tutari desinerent. Amborum, ut mutua inter eos, & fidelis intercedebat amicitia, eadem fuit mens, & responsio, ut ex Alano, & Baronio in eodem anno colligimus: Auctoritatis esse Sedis Apostolicæ, & moris antiqui ejus devoti Regis Siculi, ut exulibus, & oppressis subvenirent, etiam contra Principum iras, & violentos impetus malignantium. Nec aliam decebat responsionem universalis Ecclesiæ Patri, & Catholico Regi: Sicuti consimilem reddidit Christianissimus Franciæ Rex Ludovicus VII. apud Baronium ibidem. Mortuo Rege Willelmo I. Anno 1166. nihil à liberalibus officiis erga jactatos insontes descitum est, ut habetur in Epistola Divi Thomæ, quam Anno 1168. misit Stephano Perticensi Cancellario, infra fol. 982. Et usque in hodiernum diem probatur ex illustribus illorum hæredibus, qui sub Montilianæ cognomine inter nobiles Civitatis Saccæ numerantur. In iis profectò illustres isti Siciliæ Coloni computari debent, de quibus, ait Willelmus in Vita S. Thomæ, infra fol. cit. Omnibus itaque sic propitiante Domino ita provisum est in brevi, ut inter ipsos egens nullus esset; Et plurimi feliciùs in exilio, quam in Patria degerent.

Propter hanc Siculorum humanitatem frendebat interea furibundus Angliæ Rex; incassum, Anno 1167. laborante Rotrodo Archiepiscopo Rothomagensi, Reginæ Siciliæ Margaritæ Avunculo, sicuti in Baronio habemus, ut Rem inter Henricum II. & Papam Alexandrum III. & Cantuariensem Archiepiscopum componeret; & consequenter sic de Joannæ intermisso matrimonio agere denuò valeret. Ne minimum quidem substitit Regis in S. Thomam implacabile odium, nam, Anno 1168. prospiciens omni alia via cum Domino Papa contra Justitiam non posse proficere, in Siciliam Nuncios, & litteras misit, ut ope Siculi Regis, & Reginæ posset aliquid à Pontifice adversus Ecclesiam impetrare. Ita Joannes Saresberiensis Epist. 61. lib. 2. infra fol. 981. Itemque, Anno 1169. ut contro Sanctum Antistitem, pertinaci iracundia, omnem moveret lapidem, quod S. Thomas scribit Ubaldo Episcopo Ostiensi, infra fol. 984. alios Nuncios, cum aliis exhibendis muneribus, & promissis, misit in Siciliam. Et Richardum quidem Electum Syracusanum, qui plurimum in Curia prævalebat, spe Lincolniensis in Anglia Episcopatus in suum favorem allexit: Willelmum autem II. jam Siciliæ Regem minimè potis fuit, oblatis denuò cum Joanna nuptiis, à pietatis, & justitiæ assumpto tramite retrahere. Neque eo Anno, &

se-

sequenti datum est cogitare de nuptiis: turbis propter Stephanum Perticensem Siciliam commoventibus; apud Angliam Nuncils Papæ indesinenter cum Henrico II. de pace, & de reditu Sancti Thomæ ultrò citròque tractantibus. Postremò tandem controversiis Anglicanis, furori Regis Henrici, & diebus Anni 1170. finem dedit S. Thomæ pro Ecclesiæ defensione illustre martyrium.

Anno verò 1171. ex Sicilia regressus, in Angliæ Aulam vocatus est Petrus Blesensis, qui ut Regem Henricum de Sancti Archiepiscopi nece absolutè innocentem probare nititur, *Epist. 66. fol. 494.* ita spem omnem cupiens abrumpere nuptiarum Joannæ cum Willelmo II. venena, quibus exaravit Epistolas infra editas à fol. 489. ad saturitatem in auribus Henrici sparsit contra Siculos, & Siciliam, nec cessavit odium vomere, & impedimenta aggerare, quousq; Anno 1175. Cantuariam adiens, à Richardo illic novo Archiepiscopo in ejus Cancellarii officium fuit adscitus. Quæ cum Willelmo II. non laterent, & proinde de Joannæ matrimonio jam desperaret; aurem accommodavit oblatis nuptiis cum filia Græci Imperatoris. Et hic corrigendus est Pirrus; *in Reg. Siciliæ Chronol.* & post eum Inveges, *Annal. Panorm.* qui asseruerunt Willelmum hujus Imperialis Puellæ conjugium renuisse. Rem seriò enarrat Romualdus Salernitanus Archiepiscopus, *in Chronico infra fol. 876. Eo tempore, cum Emanuel Imperator Constantinopolitanus frequentibus Nuntiis delegatis filiam suam Zuramariam Willelmo Regi Siciliæ in uxorem tradere promisisset, tandem ex conventione utriusque partis factum est, quod Imperator præsentibus Legatis ejusdem Regis, in animam suam jurare fecit, & juramentum suum, Magnatum suorum, jurejurando firmari, quod in termino, & loco ab utraque parte præfixo, filiam suam Regi pro uxore transmitteret, & simile juramentum ex parte Regis, & suorum familiarium, de filia Imperatoris recipienda præstitum est, & juratum. Quo facto Rex Willelmus utpote Vir legalis, & Deum metuens, juramentum suum observare desiderans, simul cum Henrico fratre suo Capuanorum Principe, Tarentum venit, & ibi Nuncios Imperatoris cum ejus Filia in præfixo loco, & tempore aliquandiu expectavit. Dehinc ad Sanctum Angelum de Monte Gargano orationis studio devotus Princeps accessit, & post hæc Barolum rediit, & ibi aliquantis diebus demoratus est. Sed Imperator juramenti sui, & promissionis oblitus, filiam suam Regi statuta loco, & termino non transmisit. Quo Rex cognito, per terram Beneventanam transiens, Henricum Capuanorum Principem fratrem suum, quia infirmus erat Salernum misit. Prænominatus autem Princeps Galeam ingressus Panormum rediit, & ibi corporis invalescente molestia, anno vitæ suæ tertiodecimo mortuus est, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Panormo, juxta sepulchrum Regis Rogerii Avi sui honorificè est sepultus. Anno Domini 1172. & media mense Junii Ind. V. Rex autem, cum aliquantis diebus moram fecisset simul cum Gualterio Venerabili Panormitano Archiepiscopo, & Matthæo Vicecancellario Galeas ingressus Panormum rediit; ubi Principis fratris sui morte cognita, primò; sicut debuit carni, & naturæ, compassus multum doluit. Dehinc, sicuti decuit rationi & suarum fidelium consiliis acquiescens, sui memor, in Domino consolationem accepit, Anno Domini 1173.* Hæc Romualdus, lucem afferentia circa Joannæ nuptias, de quibus agimus.

Habemus interea hoc eodem Anno 1172. apud Oldericum Vitalem hæc verba. *Henricus frater Regis Willelmi II. ut legaliter viveret, venerabilem filiam Malcolmi Regis Scotiæ ex Margarita duxit.* Puer tredecim annorum, ut dictum est, tunc erat Henricus, eodemque Anno, mense Majo defunctus: indeque ejus morte soluta sponsalia. Probabile porrò videtur, secùs ac opinatus est Inveges *loco citato*, Reginam Siciliæ Margaritam, constituto jam, ut rebatur, Willelmi Regis matrimonio, de collocando minori Filio cogitasse: nec sua intererat, Malcolmum infensum esse Regi Henrico, cujus amicitiam primùm ejus Regis iracundia, deinde turbati Regni sollicitudines, postremò Petri Blesensis calumniæ distraxerant. Experimento tamen cognita Græci Imperatoris perfidia, haud dubiùm, debuit Willelmus de abruptis sponsalibus cum Joanna ejusdem Normanni generis, recogitare: opportunitatem Willelmo contulit perficiendi quod mente conceperat, ipse Henricus Angliæ Rex, qui Anno 1173. inter fastos Sanctorum Martyrum Divo Thoma Cantuariensi adscripto, filiorum rebellione, & discordiarum ærumnis mitior factus, per literas ad Europæ Principes, & ad Siciliæ Regem, de filiorum contumacia conquestus est. Henrico eleganti stilo rescripsit Willelmus; Filiorum erga Patrem exaltans, quam ipse tacitè pollicebatur, obedientiam *infr. fol.* 958. Strenuè interim in iis perturbationibus, voce, & Epistolis, pro pace restituenda laboravit Rotrodus Rothomagensis, forsan ut exinde dilecto Nepoti suo Willelmo II. nuptias cum Joanna conciliaret. Bella nihilominus intestina, admiranda ad sepulchrum Divi Thomæ Henrici Pœnitentia, Concilium Westmonasteriense, & crebræ pro componendis Reipublicæ discriminibus curæ, duobus sequentibus annis,

ita

ita cunctorum in Anglia mentes occuparunt, ut importunum videretur cogitare de nuptiis. Donec Anno 1176. Pronubo ipso Summo Pontifice Alexandro III. Willelmi II. & Joannæ, per varios casus diu dilatæ, feliciter tandem, firmiterque pactę sunt Nuptiæ. Hæc Anno fausto, & placabili, ut appellat Baronius, 1177. completæ sunt; simul cum pace in Anglia inter Patrem, & filios. & in Italia, seu in universa Christianorum Ecclesia, reconciliatione Friderici I. Imperatoris cum Papa Alexandro III. & ei fœderatis Rege Siculo, & Lombardis. Insignes in iis paciscendis, & perficiendis nuptiis interfuere aventus, quos, quia celebre continent Historiæ Siculæ Præconium, operæ pretium duximus ad verbum ex Baronio transcribere.

Millesimo centesimo septuagesimo sexto, scribit Baronius. Inditione nona, sequitur Annus, quo Fridericus Imperator, cum minus polleret viribus, magis, more suo, dolis, atque fallaciis præstans, omnes excogitat artes, ut divelleret Willelmum Siciliæ Regem potentissimum ab Alexandri Romani Pontificis amicitia, & obsequio; & ejus præsidio destitutum, posset ipsum sibi subjicere. Ad hæc implendum opportuno remedio utitur, nimirum ut eum sibi devinciat fœdere nuptiarum; nondum enim ille uxorem acceperat. Ista adeo Ecclesiæ Cattolicæ damnosa moliente Imperatore, Alexander Pontifex intercessit, effecitque, ut Rex Religiosissimus aversaretur, unà cum Imperatore persecutore, etiam progeniem ejus, atque statueret, ut nonnisi Patris arbitrio, nempe ipsius Alexandri Pontificis deliberatione iniret connubium; Qui ipsi suasit, filiam Regis Angliæ Joannam ducere in uxorem: quod hoc anno factum esse, Romualdus Archiepiscopus Salernitanus affirmat: in Chronico hæc habet. *Interea prædictus Cancellarius ex mandato Imperatoris nuntios ad Willelmum Siciliæ Regem transmisit; suadens, & postulans, ut Imperatoris filia in uxorem accepta, cum eo pacem perpetuam faceret, & ipsi se amicabiliter coniuret. Sed Rex Willelmus, utpote Christianissimus, & Religiosus Princeps, sciens hoc matrimonium Alexandro Papæ plurimum displicere, & Romanæ Ecclesiæ non modicam jacturam inferre, Deum, & Alexandrum Papam in hac parte reveritus, Imperatoris filiam uxorem, & ejus pacem recipere noluit. Quod factum Imperator ægrè tulit, & inferius.*

Interea Rex Willelmus, Consilio Papæ Alexandri, Eliam Trojanum Electum, & Arnulfum Caputaquensem Episcopum, & Florium de Camerota Justitiarium ad Regem Henricum in Angliam misit, ut ei Joannam minorem filiam suam in uxorem daret. Rex autem Angliæ Henricus Papæ Alexandri, & Principum suorum consiliis acquiescens, petitioni Regiæ prabuit gratanter assensum, & Filiam suam cum Nuntiis ejusdem Regis, & Principibus suis, usque ad Sanctum Ægidium honestè transmisit. Quo cognito Rex Willelmus Alfanum Capuanum Archiepiscopum, & Richardum Syracusanum Episcopum, & Comitem Robertum de Caserta, cum viginti quinque galeis ei obviam misit. Qui venientes usq; ad Sanctum Ægidium prænominatam Regis filiam intra galeas recipientes usque Neapolim deduxerunt. Hucusq; Romualdus. Agit & de his Rogerius in Annalibus, idemque testatur, Regem ipsum, antequam assensum præberet filiæ matrimonio, consulere voluisse Regni Episcopos, eaque de causa hoc Anno collectũ fuisse Londoniense Concilium, ubi Episcoporum, & Regni Principum rogata sententia, judicatæ sunt nuptiæ hujusmodi profiguæ Anglorum Regno. Sicque missa est Joanna in Siciliam, dato Comite Ægidio Ebroicensi Episcopo, unà cum aliis Regiis Nuntiis. Recitat idem Auctor Diploma donationis factæ per eumdem Willelmum Regem eidem Joannæ uxori; datum illud Anno sequenti nempè Millesimo Centesimo Septuagesimo Mense Februarii Indictione decima: eo namque tempore desponsata fuit, & coronata Regina, die Dominica ante ingressum Septuagesimæ, Idibus Februarii. Sicque, cum Antecessores sui Reges Angliæ cum Germanis iniissent consortia nuptiarum: magis placuit Henrico Regi, exemplo Sanctorum Patriarcharum, Gentili suo Northmanno jungere matrimonio Filiam suam; ipsumque Willelmum Regem, ex antiqua Northmannorum progenie, expetere sibi Generum.

Nuptiarum, & Coronatæ Panormi Reginæ, nobiles pompæ, sicuti & Donationis, seu Dotarii supradicti Diploma, habentur in Excerptis Rogerii de Hoveden, supra fol. 956. Idem verò Diploma, seu Dodarium, aut Dotarium, habetur excusum in Tõt. Actorum Generalium, & Publicorum Cancellariæ Regum Angliæ: Plurimis Tomis editorum, Londini, Anno 1711. Jussu Annæ, Magnæ Britaniæ Reginæ. Cujus Titulus legitur fol. 52. *Carta Regis Willelmi Siciliæ, quam fecit Joannæ filiæ Henrici Regis Angliæ, de Dote sua, qua eam dotavit die desponsationis suæ.*

In paucis vocibus variat lectio, quas hic notandas censemus.

Ubi in Hovedeno fol. 957. lin. 8. habetur: per hoc præsens; ibi additur: *per hoc præsens scriptum damus, & in Dodarium concedimus præfatæ Reginæ.* Et lin. 14. ubi, Comitis Godefridi, ibi legitur: *Golfridi.*

Mmmmmmm Et

Et pro Peschizam; ibi legitur: *Peschiram*. Et pro Filizum; ibi legitur: *Sfilizum*. In subscriptionibus autem Familiarium Regis, ibi in nullo eorum, sicuti in Hoveden, legitur ante uniuscujusque Nomen: *Ego*. Num. 5. post Nicolaum Messanensem Archiepiscopum, ibi additur: *Regiualdus Barrensis Archiepis.* Num. 7. pro, Thenbaldus Episc. Abb. legitur ibi mendosè: *Urcobaldus Epis. Abb.* Num. 10. pro, Ebies, ibi legitur: *Elias*. Ibique, qui habetur in Hoveden, non legitur: Justus Mazensis Episc. & fortè ipse est Tristanus, seu Tustanus Mazerensis Episcopus, qui ex Pirro, Coronationi interfuit. Num. 17. ubi, Gupulensis, ibi legitur: *Capizzi*. Num. 20. ubi Serulac, ibi legitur: *Serullat*. Num. 21. ubi, Facelinus, ibi legitur: *Gulinus*. Num. 23. ubi, Rich. Com. Fundanus: deficit: *Admiratus*. Num. 25. ubi, Aldevuinus, ibi legitur: *Aldroinus*. Num. 28. ubi, Bomalis, ibi legitur: *Bomal.* Et Num. denique 29. deficit ibi: Fredericus Regiæ Curiæ Justitiarius.

In eodem Tomo I. Actorum fol. 42. habetur aliud Monumentum, quod omisit Hoveden, ideo hic exscribendum putavimus.

Willelmus Rex Siciliæ literis suis confirmat quicquid Nuncii sui juraverant de consumatione Matrimonii cum Henrici Regis Filia. Anno Domini 1176.

Henrico Dei Gratia Nobilissimo Regi Anglorum, speciali amico suo Willelmus eadem Gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Salutem.

Honorabiles Magnificentiæ Vestræ Nuncios recepimus honorificè, quorum insinuatione nobis innotuit, quod præsentibus, & jubentibus Vobis, tres nobiles, & spectatæ fidei Viri de Regno vestro, in Anima vestra, consumationem Matrimonii inter Nos, & Filiam vestram juraverunt; qui, & postulaverunt instantiùs, ut idem manu propria juraremus, quod, quia Regno nostro semper, & nostris fuit Progenitoribus insuetum, personaliter jurare, non duximus expedire.

Quare prædicti Nuncii Vestri quæsierunt, ut sicut ab honorabilibus Personis feceratis illud in Anima vestra jurari, sic, & Nos in Anima nostra fieri faceremus.

Nos equidem, & quod à nostris Nunciis in vestra præsentia constitutis super concessione Matrimonii ex parte nostra juratum est, rathi habitione firmamus; & quod Vobis præsentibus in Anima Vestra juratum est, grato assensu recipimus, ac si manu propria jurassetis; Cum unum, & idem putemus Sacramentum, quod vel manu propria fit, vel in Anima jubentis, & præsentia juratur:

Post hæc Nuncii vestri juraverant, quod postquam Nuncii nostri cum galeis ad partes S. Ægidii pervenerint, quamprimum id Vobis innotuerit, nobilissima Filia vestra, eis quam citiùs poterit assignabitur, nostro feliciter matrimonio copulanda. Vestræ itaque intererit, & Vobis cedet ad gloriam, celeriter exequi, quæ initiati Matrimonii perfectionem desiderant. Datum Panormi Vicesimo tertio die Augusti.

Lætanter igitur (sed inauspicato) Anno 1177. celebratæ sunt Nuptiæ: Et Joanne, quæ in Anglia viventem cognoverat, & Martyrem adoraverat S. Thomam Cantuariensem, illius Imaginem principaliori loco in fundo Absidæ celebris Basilicæ S. Mariæ Novæ Montis Regalis, inter Divos, in ejus gratiam, Musivo opere depictam, venerata est. Quod notavi in ejusdem Basilicæ Historie P. I. pag. 156.

Annis exinde sequentibus usque ad 1190. nihil de Joanna; nisi omnium vota, ut ex ea Bono Regi, & Regni bono, Hæres obtineretur à Deo. Quæ Richardus à S. Germano, initio sui Chronici, infra pag. 546. ita commemorat. *Licet fecerit illum* (Willelmum) *Deus præ cunctis Regibus gloriosum, in hoc tamen ingloriosum illum reddidit, quod eum prolis negatione mulctavit. Conclusit enim uterum Consortis illius, ut non pareret, vel conciperet Filium, & ne relinqueret sui superstitem super terram. Quapropter considerans Rex ipse felicitatis suæ tempora à Domino accepisse, & quod eum absque liberis fors fecerat; cogitavit de thesauris suis ædificare sibi Domum in Monte Regali ac honorem Gloriosæ Virginis Matris ejus, quam ditavit, campsit, & auxit &c.* Errat quidem Richardus, cum ait, Willelmum, ut sobolem à Deo impetraret, ædificasse in Monte Regali Templum Gloriosæ Virgini Mariæ dicatum; nam ex Bullis Pontificiis, & ex Regalibus Privilegiis, in ejusdem Templi Historia à me editis, apparet: Monasterium Anno 1174. fundatum, Basilicam Anno 1176. dicatam, & Anno 1182. in Metropolitanam erectam fuisse.

Anno inter hæc 1185. Fridericus I. Imperator, animadvertens Joannæ sterilitatem, animum resumpsit: &, ut adaugeret Domus suæ fortunam, qui non poterat per Filiam suam, Willelmo Regi oblatam uxorem, se in Siciliam ingerere, procuravit ut Filius ejus Henricus, per Sponsalia cum Constantia Regis Rogerii filia, in hæreditatem Regni intromitteretur. Willelmus verò Rex, qui Frederici filiam sapienter, & piè renuerat uxorem, satis improvidè, pravis innixus consultationibus Gualterii Archiepiscopi Panormitani, ejusdem Imperatoris filium Henricum futuram

turum Siciliæ Dominum admisit, & suum instituit Hæredem.

Non diu supervixit Willelmus Rex, Anno enim 1185. ut suppetias ferret Crucesignatis euntibus in Palæstinam, & ex viciniori loco mare custodiret, commeatumque suppeditaret Exercitui Christiano, Tripolim Africæ, tunc sibi subjectam, Veris tempore adjit, reversusque in Autumno, ex nimio illius Regionis calore, æstuanti febre jactatus, obiit, die 18. Novembris, ætatis Anno 36. Regni verò 23. Et Joanna viduata Marito, hoc eodem infausto Anno, die 3. Septembris, Patrem Henricum II. amiserat; Angliæ Coronam suscipiente Richardo Siculæ Reginæ fratre. Nostræ Insulæ, & Regni perturbationes, & clades post Willelmi fatum, etiamnum deflet Ugo Falcandus, dum suam Siciliæ Historiam præfatur: infr. fol. 403. Ipse enim, Anno 1190 Vere ineunte, ait, *Statuebam letum aliquid, ac jucundum de Sicilia scribere..... sed audita morte Regis Siciliæ* (Villelmi II.) *intelligens, ac mecum reputans, quantum hæc rerum mutatio calamitatis afferret, quantum illius Regni quietissimum statum vel hostilis incursus procella concuteret, vel gravis seditionum turba subverteret, repentè consternatus animo, accepta deserui, versaque in luctum Cythara, malui flebiles modos, & lamentationis lugubre carmen ordiri &c.*

Mœstissimum quoque Epicedium in ejusdem Regis obitu recitat initio Chronici Richardus à S. Germano infra fol. 546.

Omnia, ut Falcaldus prædixerat, evenerunt, propter fatalem æmulationem, qua, Regni exitio, divisi erant Gualterus Archiepiscopus Panormitanus, & Mattheus Regni Pro-Cancellarius. Originem dissidiorum hic apponere superfluum; habentur enim in Chronico Richardi à S. Germano, fol. cit. Ex ejus porrò narratione corrigendus omninò venirt Fazellus Dec. II. Lib. VII. cap. 6. Si fas esset extra Joannæ notitias vagari. Signasse sit satis.

Dum igitur à Gualtero Archiep. Panor. & à Rogerio Andriæ Comite, & à plurimis Apuliæ Comitibus, Henricus Svevus, & Constantia è Germania in Regnum vocantur: Interea Panormi à Mattheo Cancellario, & à Siculis Episcopis, & Magnatibus Tancredus, filius Primogeniti Regis Rogerii, ante obitum Patris præmortui, assentiente Summo Pontifice Clemente III. Rex coronatur. Qui Joannam Reginam, teste Rogerio de Hoveden, infra fol. 959. in custodia detinebat; qua Politica ratione, divinare non vacat. Anno dein 1190. ex eodem Hoveden, folio cit. die 16. Mensis Septembris, Philippus Francorum Rex Messanam appulit, & post septem dies Richardus Angliæ Rex, Joannæ Siciliæ Reginæ frater, eumdem Portum intravit: Uterque Rex cum duplici Crucesignatorum copioso exercitu, Christianis in Palæstina ab Ægypti Soldano acriter oppugnatis suppetias ferebat; & licet sacro fœdere conjuncti, nobili inter se adacti invidia, & cum Tancredo Rege, qui in occursum venerat, variis exortis simultatibus, non sine suorum sanguine, & Civitatis Messanæ extremo discrimine, conflictati sunt. Anno tandem 1191. Pax inter eos ab Episcopis Siculis, & Anglis conciliatur, redditur à Tancredo fratri suo Richardo Joanna Vidua cum parte Dotarii, pactis pro supplemento sponsalibus inter filiam Tancredi Alteriam, & Arthurum, ex Joanne fratre Nepotem Richardi, non filium, ut perperam scribit Inveges. Adversis auspicii inter impuberes pactas nuptias disrupit Tancredi post duos annos fatalis ruina. Altaria autem, à captivitate tunc libera, Anno 1198. Gualtero Comiti de Brenna, in Historia Svevico-Sicula memorabilis audaciæ Viro, desponsata invenitur.

Eodem Anno 1191. Mense Martio, venit in Siciliam Aleonora Angliæ Regina, Regis Richardi mater, secumque conduxit, à Filio ducendam Uxorem, Berengariam, filiam Sancii Regis Navarræ, & Margaritæ Siciliæ olim Reginæ Neptim. Regrediente in Angliam Matre, Richardus, nuptias in Syria celebraturus, Sponsam Joannæ Reginæ sorori sociavit, & mense Aprili cum Classe Palestinam versus enavigans, diram maris tempestatem passus, vix mense Majo Accon, seu Ptolemaidem salvus exscendit: & post eum, quas undis mersas deploraverat, Joanna Soror, & Sponsa Berengaria, incolumes applicuerunt.

Richardi in hac expeditione illustria facinora, in Historia Rogerii de Hoveden perquirenda relinquimus: tantummodo prætereundum non videtur, quod Richardus, Anno 1193. post insignes de Soldano triumphos, ut ad repellendum Philippum Francorum Regem, Angliam tunc temporis invadentem accurreret, cum Soldano probrosis pactis induciis, ingloriosus Classem, Patrium Regnum propugnaturus, conscendit. Uxor Berengaria quidem, & Joanna soror, prosperè Angliam appulsæ sunt; Ipse autem, insperato naufragio inter Aquilejam, & Venetias illisus, & pedestri itinere cum paucis incognitus per Pannoniam progrediens, ab Austriæ Duce Leopoldo, sibi infenso captivus detinetur, & Henrico VI. Regi Siciliæ, & Imperatori traditur, à quo insimulatus, inter alia propter affinitatem, & fœdus initum cum Tancredo Siciliæ tunc Rege, nonnisi magno

auri

auri pondere redimitur. In Patriam demum reversus, & exitialibus bellis implicitus, ut sibi Raymundum VI. ab Anno 1194. Tholosatem, & S. Ægidii Comitem Sororio fœdere sociaret, ei Joannam olim Siciliæ Reginam nuptui concessit. Quarto loco, post Ermesindam primò defunctam, & Secundam, & Tertiam à Comite repudiatas, Joanna, circa Annum 1196. nupsit Raymundo, impio quidem à juventute, sed ad eum diem nondum apertè Hæreticorum Tholosanorum, seu Albigentium Sectatori. Et Joanna porrò in hoc fœlix, quod Anno 1197. mater effecta Raymundi VII. qui Paterni Comitatus, sed non iniquitatis fuit hæres, priusquam Maritus Anno 1208. in execranda scelera delaberetur, ipsa piè Rothomagi diem clausit Anno 1200. & delata ad celebre Monasterium Fontis Ebrardi, in Bellaquadræ Occitaniæ Oppido (Beaucaire du Languedoc) inter Velatas tumulatur. *Ex Rugerii de Hoveden infra fol. 968. Et Ludov. Moreri in voce Romon.*

Quo ætatis Anno defuncta sit, perpensis ejus Vitæ Periodis, è vicino attingere nobis datur. Anno enim 1152. ut dictum est, Henricus Aleonoram, à Ludovico VII. repudiatam, cum Aquitaniæ Ducatu Uxorem duxit, & inter novem ab ipsa genitos filios, & filias, si Joanna, quæ à Romualdo supra allegato minor dicitur filia, quintum saltem, aut sextum nascendi locum sortita fuisset, inde infertur non ante Annum 1157. ortum habuisse, & propè triennem, aut quadriennem, ut in Prisæo jam citato habemus, Primogenito Willelmi I. destinatam; indeque vigesimum Annum ingressam Willelmo II. nuptui datam, in Siciliam venisse. Ipso defuncto, Anno 1189. exactis septem Viduitatis Annis, ferè jam Quadragenaria, Anno 1197. ex Comite Tholosano Raymundum VII. peperit, & Anno demum 1200. tres, & quadraginta circiter Annos agens, è vita decessit.

EX BENIAMINI TUDOLENSIS ITINERARIO EXCERPTA.

DE IIS, QUÆ VIDIT IN SICILIA.

De eodem, ex Aria Montano, qui hoc Itinerarium latinè edidit.

Beniaminus, Tudolensis (Tudela, seu Tutela, Navarræ in Hispania Civitas est) Judæus, ex Hispania profectus, per totum ferè Terrarum cognitum Orbem, Israelitas omnes per quaslibet Regiones dispersos visendi studio, peragravit. Peregrinationem suam dilucidè, ac breviter enarrat; itemq; res memorabiles, quas vel ipse vidit, vel à fide dignis ætatis suæ hominibus accepit. Iter ingressus est non ante 1160. nam per Galliam, & Italiam progrediens Romam, in ea, ut ipse ait, Alexander III. Summum Pontificatum gerebat. Anno deinde 1172. qui septimus est Regis Willelmi II. in Patriam regrediens Siciliam invisit, & quædam ejus loca, Anno sequenti, Tudelæ in descriptione peracti Itineris, circa finem inseruit.

Hinc (ex Ægypto) itinere maritimo viginti diebus peninsulam Messanam appuli, initium Insulæ Siciliæ. Sinui cui Siculum fretum nomen est, quique Calabriam à Sicilia separat, imminet. Illic ducenti fermè Judæi: Regio ipsa omnibus bonis, hortis, & pomariis abundat; quò Christianorum plurimi congregantur, Hierosolymam perrecturi: quod istinc commodus datur transitus. Inde biduo in Urbem veni, cui jam Palermo nomen: Maxima est, cum in longitudinem, tum in latitudinem duo patens milliaria; In qua magnum Regis Willelmi Palatium: & ex Judæis mille fermè, & quingenti: Christianorum verò, & Muhammedanorum quamplurimi. Regio fontibus, fluviis, tritico, hordeo, hortis, & pomariis dives; ut in tota Sicilia similis non reperiatur: Urbs enim illa est, quam Rex sibi Regiam constitutam perpetuò colit: cui nomen Alkiciana est. Coluntur etiam ibidem fructiferum Arborum genera omnia: Intra Urbem porrò ipsam maximus Fons scaturit, qui muro vallatus in Vivarii usum cessit, quem Arabes Albahira vocant, variis piscium eò delatis, & inclusis generibus. Ornatur autem lacus regiis naviculis, argento, & auro exornatis, atque depictis. His Rex cum uxoribus suis, animi causa, non raro vehitur. In Regiis etiam hortis magnum Palatium est, cujus parietes auro, atq; argento abducti nitent; pavimentum verò variis marmorum generibus, vermiculato opere, depictum, omnium orbis rerum Imagines refert. Nullum ædificiorum exemplum hujus Urbis ædificiis par spectatur. Insulę initium à Messana sumiturque omnes, qui mundum peragrant, suos habent transitus: qui producti per Cataniam, Syracusas, Mazaram, Petaleriam, Trapanam usque, sex dierũ itinere in ista Insula terminatur. Circa Trapanam autem Corallium repiritur, quod Almurgan nuncupatur. Inde Romam triduo perveniri potest. &c.

EX-

EXCERPTA ALIQUA, SUPRA EDITIS ADDENDA.

PRiusquam ad Res Suevico-Siculas cum Matthæo Paris, qui postremus est de Latinis excerptis, transeamus, omissa quædam, ad Historiam Normannorum pertinentia, addere non pigebit; dummodo benevolo animo bonus Lector sedulam diligentiam accipiat. In hac enim hujus Bibliothecæ recensione, resarciendo secundis curis, quæ aut Calcographi, aut Amanuensis oscitantia omiserat, magis publicæ utilitati, & completo Literatorum studio, quam novo labori, & fortè detrahentium mussitationi, attendere maluimus.

AD EXCERPTA ALBERTI AQUENSIS APPENDIX.

Apponenda Paginæ 822.

DEhinc Rege (*Balduino I.*) à languore suo relevato (*Anno* 1116.) Arnolphus Cancellarius Sepulchri Dominici, nunc, Antistite Gobelino mortuo, Patriarca electus, & constitutus est: Deinde Romam profectus, à Paschali Pontifice Romano benignè commendatus, & reversus, & de omnibus objectis excusatus, Dominum Regem, ex admonitione, & jussione ipsius Apostolici, cæpit arguere, & monere, ut prædictam Matronam, (*Adelasiam matrem Regis Rogerii*) quam duxit uxorem, à thalamo suo amoveret, propter adulterium, quo in prima Conjuge, orta de Principibus Armeniæ peccavit: eo quod legitimas nuptias adulterinis illius fœdavit connubiis. Interdixit etiam illi hac de causa, quod consanguinitatis ejusdem Matronæ, orta de sanguine Gallorum reus haberetur. Ex hac admonitione, constituto Concilio apud Ptolemaidam in Ecclesia Sanctæ Crucis, Rex ab uxore sua sequestratus est, Arnolpho Patriarcha hoc agente, & omni Clero, & ipso judicante. Illa verò tristis, & dolens, ab hoc vinculo maritali Synodali lege soluta, in Siciliam navigio est reversa. Rex verò ab ipsa die (*& ut antea, ex invaletudine quotidie metuens se morturum*) & deinceps, in observantia indictæ pænitentiæ persistens, mira abstinentia, & castimonia, ab omnibus illicitis corpus edomuit, à Deo tactus, & monitus.

AD EXCERPTA WILLELMI ARCHIEPISCOPI TYRENSIS APPENDIX:

Apponenda Paginæ 925.

EX LIBRO XIII. Cap. 22.

PEr idem tempus (*circa Annum* 1106) Comes Siciliæ Rogerus classem Galearum quadraginta multo studio paratam, ad partes Africæ dicitur direxisse: ubi earum adventu præcognito, provinciales præmoniti, providè se habentes, nullam hostibus nocendi sibi præbuerunt opportunitatem: imò è converso Galeas, quas penes se habebant, studio non inferiore armantes, prædictos malefactores suos, infecto negotio redeuntes, cursu celerrimo persequentes usque in Siciliam devecti sunt. Quo pervenientes cum Galeis octoginta, Urbem Syracusanam, nobilem, & antiquam, longa pace desidem, securam, & nihil tale verentem, aggrediuntur subito, & protinus occupant violenter. Impugnata etiam Urbe, Cives obtruncant gladiis, nemini parcentes sexus intuitu, vel ætatis: quibus autem parcebatur, omni morte durior servitus parabatur. Porrò Episcopus loci, (*Uge eo anno ex Pirro erat Epis.*) cum paucis Ecclesiæ Clericis, ad suburbana fugiens, vix evasit.

EX LIBRO XV. Cap 12. IV.

FUlcone Rege Hierosolymorum, Anno 1136. *graves ortæ sunt discordiæ inter Raymundum Pictaviensem, ex Dote Uxoris Constanciæ filiæ Boamundi II. Antiochiæ Principem, & Radulphum Antiochenum, Patriarcham, propter jusjurandum fœderis, & reverentiæ, quod anno antecedenti Rodulpho Princeps detrectaverat. Hanc arripientes occasionem Patriarchæ æmuli* inquit Tyrius,

Habentes tantum studiorum suorum cooperatorem (*Raymundum Principem*) animosius ejus impugnationibus insistentes, Romam proficiscuntur. Erant autem adversarii ejus Lambertus, vir quidem litteratus, ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus, & honestæ conversationis, sed sæcularium mo-

modicam, aut nullam habens experientiam; & Arnulphus quidam Calaber natione, nobilis genere, litteratus, & in sæcularibus plurimum circumspectus. Hi interpositis appellationis vocibus, consentiente, & favente Principe, Romam profecti (*Innocentio II. Papa*) Eum etiam invitum, sed per Principem compulsum, eamdem viam arripere coegerunt. Factum est itaque, quod Arnulphus præcesserat, & in Siciliam compendioso itinere præfectus, conjunctis sibi de amicis, & consanguineis, quia de Calabria erat oriundus, ubi postmodum fuit Cosentinus Episcopus (erat enim valdè nobilis, ut diximus) Dominum Rogerium Apuliæ Ducem, cui notus erat, convenerat, dicens: Ecce Princeps egregie, in manus tibi, optatò, sed & gratis datur hostium tuorum immanissimus, Antiochenorum Patriarcha, qui tibi & hæredibus tuis in perpetuum Antiochiam abstulit, sublimato in eo Principatu Viro ignoto, contra juris ordinem. Ecce eum attu: tibi Dominus: & consumata ejus peccata dederunt præsentem, Eja expergiscere, tracta quomodo eum habeas, certus quia per eum ad hæreditatem jure tibi legitimo successionis debitam, iterum tibi parare poterit introitus, qui tibi per eumdem negatus est indebitè. His verbis motus Apuliæ Dux (*Rogerius hoc anno ab Ecclesia Romana nondum Rex Siciliæ vocabatur*) sicut erat Vir solertissimus, in singulis maritimis Urbibus locari fecit insidias, ut adveniens, statim captus, & vinculis mancipatus in Siciliam protinus dirigatur. Ille verò, prospera usus navigatione, nihil tale veritus, Brundusium applicans, juxta Ducis mandatum, sublatis omnibus, quæ secum, tanquam Princeps potentissimus, detulerat, sed & dispersa familia, vinctus traditur eidem Arnulpho in Siciliam ante Ducem pertrahendus. Hic primum Arnulpho juxta desideria datum est in hostem, & impium persecutorem suum pro libero desævire arbitrio; & vices æqua lance reddere pro his, quæ de manu ejus acceperat duplicia. Tandem in præsentia Ducis constitutus, habitisque cum eo familiaribus colloquiis, & conventionibus interpositis, sicut Vir erat prudens, & facundissimus, & honestissimam habens personam, receptis universis cum omni integritate, quæ amiserat, sed & familia restituta, spondens quod in reditu per eumdem Ducem sit habiturus regressum, cum omni honestate Romam pergens, dimittitur.

Compositis ut potuit Romæ rebus suis, Patriarcha Antiochiam regressurus. Ad Ducem Rogerium in Siciliam reversus est. Qui redeuntem honorificè suscipiens, postquam mutuis colloquiis sæpè & multum ad invicem plura, & quæ sufficere videbantur, familiariter contulerunt: datis eidem à Domino Duce Galeis quotquot ad iter remeandum habuit necessarias, secundis usus flatibus in Syriam devectus, fauces Orontis attigit: &c.

EX LIB. XVIII. Cap. 2. & 3.

His diebus (Anno 1155.) Inter Dominum Papam Hadrianum IV. & Regem Siciliæ Dominum Willelmum, Domini Rogerii bonæ memoriæ filium, graves ex causis quibusdam ortæ erant inimicitiæ, & in guerram noxiam res prodierat, ita ut sententiam excommunicationis Dominus Papa in eum jacularetur. (*& paulòpost*)

Interea Rex Siciliæ Beneventanam Urbem, Ecclesiæ Romanæ familiare domicilium, Principibus suis mandat obsideri, & urgentissimis angustiis ejus præcipit arctari habitatores. Quod verbum Dominus Papa molestè ferens supramodum, vicem ei æqua lance volens refundere, Principes proprios contra eum nititur armare. Nec in ea parte fraudatus est desiderio suo. Nam potentissimum Regni sui Comitem, ejusdem Regis Amitæ filium, Robertum videlicet de Bassavilla, cum multis aliis viris nobilibus, quibus auxilium, consiliumque Romanæ Ecclesiæ perpetuò non defuturum pollicebatur, contra eum insurgere persuasit. Exules quoque, quos tam ipse, quàm Pater ejus de Regno ejiciens, bonis fecerat extorres paternis, Viros inclitos, & potentes, Dominum videlicet Robertum de Surrento Principem Capuanum, Comitem quoque Andream de Rupecanina, & alios multos, exhortationibus suis provocaverat, ut in Regnum redirent, & ad jura hereditario sibi debitas accederent possessiones, Romanam Ecclesiam in perpetuum eis non defuturam, in verbo Pontificali spondens eis firmissimè. Utramque nihilominus, Imperatorem Romanum videlicet, & Constantinopolitanum, alterum ore ad os, & manifestè, qui adhuc erat in Italia, alterum verò per literas, sed occultè, ad occupandum Siculi Regnum sollicitat. Sic igitur dum in Italia turbantur tam Ecclesiæ, quàm Regni Siculi negotia, non fuit quoque tractus Orientalis noster absque turba &c.

Ex Cap. 7. Anno eodem. Interea dum Pontifices Orientis una cum Domino Patriarcha fines attigissent Apuliæ, Constantinopolitanus Imperator, verbum Domini Papæ prosecutus, immissis de Principibus suis cum infinita pecunia, consentientibus eis illarum partium Proceribus, Regionem violenter invaserunt, itaut postquam Dominus Patriarcha cum suis ab Hydrunte

usque

usque Brundusium pervenisset, Domini Imperatoris familia Urbem prædictam, tradentibus eam Civibus, jam recepisset in suam, solo præsidio Civitatis, in quo pauci erant, in fidelitate Domini Regis perseverante, Comes quoque Robertus, de quo superius fecimus mentionem, cum iis qui partes suas tam Regis odio, quàm ejus gratia sequebantur, Tarentum Barum, egregias Metropoles, & omnem maritimam Regionem usque ad Regni terminos violenter occupaverat. Prædicti verò magni, & incliti Viri, Robertus Princeps Capuanus, & Comes Andreas, universam Campaniam, quæ vulgari appellatione dicitur Terra Laboris, usque Salernum, & usque Neapolim, & usque Sanctum Germanum, sibi vendicarunt: eratque tota Regio in tanto motu, ut nusquam quies nulquam securitas esset transire volentibus. Romanorum etiam Imperator Dominus Fridericus circa partes Anconitanas cum exercitibus suis moram faciens, tantam in legionibus, quas in Italiam introduxerat, cladem patiebatur, ut deficientibus majoribus, & nobilioribus Imperii Principibus, vix decimus quisque superesset. Unde eos, qui supererant, ad propria redire volentes, cohibere non valens, ipse quoque ad reditum, licet invitus accingebatur. Multa enim supererant negotia, & maximè contra eamdem Siculum Regem, quæ ejus exigebant præsentiam.

Dominus porrò Patriarcha cum suis itineris anxiè deliberabat, qua via ad Dominum Papam in tanto tumultu posset accedere: undique enim prælia, undique seditiones omnem videbantur aditum præcludere. Ansquetinus quoque quidam Regis Siciliæ Cancellarius Urbem obsedit Beneventanam, Nuntiisque Domini Patriarchæ, qui ad hoc missi fuerant, ut ei à prædicto Cancellario Ducatum implorarent, omninò negavit per partes illas transitum, quæ tamen via multò cæteris erat compendiosior &c.

Ex Cap 8. *Anno* 1156. Interea Rex Siciliæ Dominus Willelmus audiens, & crebris edoctus legationibus, quod in partibus Apuliæ Comes Robertus de Bassavilla unà cum Græcia Regionem occupasset violenter, in Campania verò Princeps Capuanus, & Comes Andreas latè sua diffuderint imperia: Dominus quoque Papa (*Adrianus* IV.) in Beneventum se receperat, unde omnibus prædictis vires, & animos ministrabat; congregatis ex universa Sicilia, & Calabria militaribus copiis, cum ingentibus expeditionibus in Apuliam pervenit. Ubi statim circa Brundusium, fugiente Comite Roberto, primo Marte fudit Græcorum copias, & attrito penitus eorum exercitu, Duces eorum captos vinculis mancipavit; gazas quoque, quas intulerunt valdè multiplices, suis intulit tam potenter, quàm feliciter ærariis. Inde recepta universa Regione, quæ ab eo defecerat, & populis gratia restituta, Beneventum obsidet, ubi tam Dominum Papam cum suis Cardinalibus, quàm Cives universos affecit molestiis, ut & victus deficeret, & de salute redderet valdè sollicitos. Ubi Nuntiis intervenientibus, conditionibus occultis reformata est Pax inter eos, exclusis omnibus aliis à fœdere, qui Domini Papæ jussionibus tantis se laboribus immerserant, & periculis. Videntes ergo prædicti nobiles Viri, quod contra spem accidisset eis, & quod Dominus Papa, non obtenta eis Domini Regis gratia, pacem sibi, & Romanæ Ecclesiæ, ipsis exclusis, fecerat, solliciti; anxii pro se cœperunt disquirere, quonam modo possent sanos, & incolumes extra Regnum se facere. Comes itaque Robertus, & Andreas, cum quibusdam aliis nobilibus Viris in Lombardiam properantes ad Dominum Imperatorem se contulerunt. Princeps verò Capuanus ceteris infelicior, dum Garilianum navigio transire parat, à suis vectoribus cum suos jam jam transituros expectaret, captus est, & Regis fidelibus traditus, in Siciliam deductus est, ubi conclusò carcere, & cæcitate violenter inducta, miserabiliter vitam finivit. (*huc usque Tyrius*)

Adnectere his acceptum fore putavimus, quæ addit Baronius circa conventionẽ magnoperè controversam inter Hadrianum IV. & Willelmum I. indeque obvium erit unicuique de Jure Siculo diù discusso judicaret dum nos Monumenta, quæ nostra Historiæ lucem afferant, seligimus. Subdit ergo, pro sua opinione. Baronius, ad Annum 1157. n. 2.

At quomodo potuit Hadrianus liberasse alios, qui nec se ipsum, nec suos liberare potuit, nisi conditionibus indignis valdè susceptis, quas hactenus Pontifex à quibusdam implacabilibus Romanæ Ecclesiæ hostibus inscepisset, tanta jactura Ecclesiasticæ libertatis?

Quomodo autem, & per quos S. R. E. Cardinales ista tractata sint, petendum est ex ejusdem Hadriani Pontificis vitæ Actis, in quibus ista scripta leguntur.

Prædictus Dominus Hadrianus venerabiles Viros, Ubaldum tituli Sanctæ Praxedis; Item Julium tituli Sancti Marcelli, & Rolandum tituli Sancti Marci Sedis Apostolicæ Cancellarium, (*qui postea fuit Papa Alexander III*) Præsbyteros Cardinales, ad Regem direxit, quatenus ex parte Beati Petri eumdem commonerent, ut ab ejus offensis omninò cessaret, de illatis damnis satisfaceret, & Jura Matris suæ

Sa-

Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ ipsi pacificè conservaret. Quibus benignè susceptis, atque tractatis, post mutuam collocutionem, & diversorum altercationem Capitulorum, Rex ipse cum eodem Papa, eis mediantibus, concordavit. Et veniens Rex ad Ecclesiam Sancti Marciani juxta Beneventum positam, ad pedes ejusdem Pontificis humiliter se prostravit, & ligium homagium, & fidelitatem coram circumstante maxima Episcoporum, Cardinalium, Comitum, Baronum, & aliorum multitudine, Ottone Frangipane juramentum pro eo interponente, ipsi fecit. Recepto itaque dicto Rege ad pacis osculum, collatis magnis muneribus ex auro, & argento, & sericis pannis Pontifici, ejusque fratribus, & toti ejus Curiæ, ab invicem læti & cum gaudio discesserunt, huc usque de his Acta. At de his omnibus, quæ cum Hadriano Papa à Rege Siciliæ Willelmo per vim, & metum transacta sunt, extant diplomata tum Regis, tum etiam ipsius Hadriani Pontificis, ex duobus exemplaribus petita, altero Vaticanæ Bibliothecæ, altero Basilicæ Sancti Petri scripto Codice, quorum habita collatione, hic tibi ipsum regium diploma, quod integrum perseverat, primo loco posuimus, sic enim se habet:

In nomine Dei Æterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen.

Domino Hadriano Dei gratia S. R. E. Summo Pontifici, Carissimo Domino, & Patri nostro reverendo, ejusque successoribus Willelmus eadem gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ

Nostræ semper consuetudinis extitit animum nostrum in triumphis, & maximis humiliare successibus, & tunc nos attentius ad omnipotentis Dei obsequium, & cultum mansuetudinis exponere, cum ad majorem prosperitatem, & gloriam nos vidimus pervenire; tales in tranquillis, & prosperis rebus erga nostri Redemptoris obsequium inveniri volentes, ut perceptorum à Rege omnium Regum beneficiorum non appareamus ingrati, & majores successus, atque victorias de brachio virtutis Dei jugiter sperare possimus Hujus quidem nostræ consuetudinis consideratione inducti, cæsis, & comprehensis in manu bellica ad laudem, & gloriam nominis Dei Græcis, & barbaris nationibus, quæ Regnum nostrum nulla earum vi, sed proditorum nostrorum dolositate, intraverant, devictis, & fugatis de finibus Regni nostri turbatoribus pacis, & proditoribus nostris, humiliandos nos sub omnipotenti manu Dei decrevimus, & ad cultum humilitatis propensiùs intendendum.

Discordiis igitur illis, quæ inter Romanam Ecclesiam fuerant agitatæ finem congruum imponere cupientes; cum appropinquavissemus Civitati Beneventi, & inimici nostri ante faciem indignationis nostræ fugissent, venerabiles Cardinales vestros Hubaldum tituli Sanctæ Praxedis, & Julium Sancti Marcelli Præsbyteros Cardinales, & cum eis Rolandum tituli Sancti Marci Præsbyterum Cardinalem, & Cancellarium vestrum, quos ad nostram præsentiam direxistis, eo quo decuit honore suscepimus, & desiderium, ac monita vestra de bono pacis ex ore ipsorum libenti animo audientes, & ipsis, & Majone magno Ammirato Ammiratorum dilecto fideli, & familiari nostro, & Hugone Panormitano, & Romualdo Salernitano venerabilibus Archiepiscopis & Willelmo Calano Episcopo, & Marino Cavensi Abbate fidelibus nostris mediantibus in hunc vobiscum per eos pacis devenimus concordiæque tenorem; videlicet ut de capitulis illis, de quibus inter majestatem vestram, & nos controversia vertebatur, quod subscriptum est, observetur.

De appellationibus quidem ita. Si aliquis Clericus in Apulia, & Calabria, & aliis terris, quæ Apuliæ sunt affines, adversus alium Clericum de causis Ecclesiasticis querelam habuerit, & à Capitulo, aut Episcopo, vel Archiepiscopo suo, seu alia Ecclesiastica persona suæ provinciæ non poterit emendari: liberè tunc si voluerit, ad Ecclesiam Romanam appellet. Translationes in Ecclesiia fient, si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ aliquem de una Ecclesia ad aliam vocaverit, & vos aut vestri successores concedere volueritis. Consecrationes, & visitationes libere Romana Ecclesia faciet Apuliæ, vel Calabriæ Comitatum, ut voluerit, aut illarum partium, quæ Apuliæ sunt affines, Civitatibus illis exceptis, in quibus Persona nostra, vel nostrorum hæredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, nisi cum voluntate nostra nostrorumq; hæredum. In Apulia, & Calabria, & partibus illis, quæ Apuliæ sunt affines, Romana Ecclesia liberè legationes habebit. Illi tamen, qui ad hoc à Romana Ecclesia fuerint delegati, possessiones Ecclesiæ non devastent. In Sicilia quoque Romana Ecclesia consecrationes, & visitationes habeat, & si de Sicilia personas aliquas Ecclesiastici ordinis vocaverit, magnificentia nostra, nostrorumque hæredum pro Christianitate facienda, vel pro suscipienda Corona, remoto malo ingenio, retinebit, quas providerit retinendas. Cetera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia, quæ habet in aliis partibus Regni nostri, excepta Appellatione, & Legatione, quæ nisi ad petitionem nostram, & hæredum nostrorum, ibi

non

non fient. De Eccleſiis, & Monaſteriis terræ noſtræ, de quibus Romanæ Eccleſiæ quæſtio mota fuit, ſic fiat: Vos quidem, & veſtri ſucceſſores in eis habebitis eas, quę in cæteris Eccleſiis, quæ ſub noſtra poteſtate conſiſtunt, ſolitæ ſunt accipi conſecrationes, & benedictiones à Romana Eccleſia; & debitos inſuper, & ſtatutos ei cenſus exolvent. De electionibus quidem ita fiat. Clerici conveniant in perſonam idoneam, & illud inter ſe ſecretum habebunt, donec perſonam illam, excellentiæ noſtræ pronuntient, & poſtquam perſona celſitudini noſtræ fuerit deſignata, ſi perſona illa de proditoribus, aut inimicis noſtris, vel hæredum noſtrorum non fuerit, aut magnificentiæ noſtræ non extiterit odioſa, vel alia in ea cauſa non fuerit, pro qua non debemus aſſentire, aſſenſum præſtabimus.

Præfectò vos nobis, & Rogerio Duci filio noſtro, & hæredibus noſtris, qui in Regnum, pro voluntaria ordinatione noſtra ſucceſſerint, concedetis Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis ſuis, Neapolim, Salernum, & Malphiam cum pertinentiis ſuis, Marchiam, & alia, quæ ultra Marſicam debemus habere, & reliqua tenimenta, quæ tenemus à prædeceſſoribus noſtris hominibus Sacroſanctę Romanę Eccleſiæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabitis honorificè manutenere. Pro quibus omnibus vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & S. R. E. fidelitatem juravimus, & vobis ligium homagium fecimus, ſicut continetur in duobus ſimilibus Capitularibus, quorum alterum penes veſtram majeſtatem ſigillo noſtro aureo, alterum verò Sigillo veſtro ſignatum penes nos habetur. Et cenſum ſexcentorum ſchifatorum de Apulis, & Calabria, quingentorum verò de Marchia, vel æquivalens in auro, vel argento nos, ac noſtros hæredes Romanæ Eccleſiæ ſtatuimus annis ſingulis ſoluturos, niſi forte impedimentum aliquod interceſſerit, quo ceſſante, cenſus ex integro perſolvetur. Omnia verò prędicta, quæ nobis conceſſiſtis, ſicut nobis ita etiam & hæredibus noſtris concedetis, quos pro voluntaria ordinatione noſtra ſtatuerimus, qui ſicut nos, vobis veſtriſq; ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem facere, & quæ præſcripta ſunt, voluerint obſervare; Ut autem, quæ ſupradicta ſunt, tam veſtro, quàm veſtrorum Succeſſorum tempore obtineant perpetuam firmitatem, nec noſtris, aut noſtrorum hæredum temporibus alicujus valeant præſumptione turbari: præſens ſcriptum per manum Matthæi noſtri Notarii ſcribi, ac bulla aurea noſtro Typario impreſſa inſigniri, ac noſtro Signaculo decorari juſſimus. Datum ante Beneventum per manus Majonis Magni Ammirati, anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo quinquageſimo ſexto, menſe Junii, quartæ Indictionis, anno verò Regni Domini Willelmi Dei gratia magnifici, & glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, ſexto, feliciter. Amen.

Confirmavit illa ſuo diplomate Hadrianus Papa obſeſſus, ut vidimus neceſſitate compulſus: quod ſicut invenimus, abreviatum in multis, ita deſcribemus ex Codice Baſilicæ Sancti Petri in Vaticano verbis iſtis:

Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio, Willelmo Illuſtri, & glorioſo Siciliæ Regi, ejuſque hæredibus, quos pro voluntaria ordinatione ſua ſtatuerit in regnum in perpetuum.

Licet ex injuncto nobis à Deo Apoſtolatus officio univerſos Chriſti Fideles paternę charitatis brachiis debeamus amplecti, atque ad pacem eos, & concordiam invitare; Reges tamen, & ſublimiores quaſque perſonas tanto ampliùs diligere, & honorare debemus, atque de bono pacis eos tanto ſtudioſius commonere, quanto Eccleſiæ Dei, & Fidelibus Chriſtianis major inde fructus ſpiritualiter, atque temporaliter dignoſcitur provenire. Conſtat, chariſſime in Chriſto fili Willelme, glorioſe Siciliæ Rex, te inter Reges, & Celſiores perſonas ſæculi eximiis operibus, potentia, operibuſque clarere, ita ut ex vigore juſtitiæ, quam in terra ſub tua ditione conſtituta conſervas, ex ſecuritate pacis, qua omnes par eamdem conſtituti lætantur, & ex terrore, quem inimicis Chriſtiani nominis per opera magnifica incuſſiſti, uſque ad extremos angulos fama tui nominis, & gloria protenoatur. Quod ſiquidem nos, dilectiſſime in Chriſto fili Willelme, eximie diligentius attendentes, & inſpicientes pariter, quantæ utilitates Romanæ Eccleſiæ valeant provenire, ſi celſitudo tua per firmam pacem ei, & concordiam conjungantur: dum in Civitate Beneventana ſecuri, & liberi cum fratribus noſtris eſſemus, ad pacem tecum habendam diligenti ſtudio decrevimus intendere. Miſimus ergo ad excellentiam tuam quoſdam fratrum noſtrorum, ſcilicet *ut ſupra*, & propoſuimus per eos noſtrum de bono pacis, & concordiæ deſiderium, & invitavimus attentius, & monuimus excellentiam tuam ad pacem. Et illius inſpirante virtute, qui ad Cœlum iturus diſcipulis ſuis ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: talem animum tuum invenimus, qualem filii pacis, & Catholici Principis decuit inveniri. Et mediantibus prælatis filiis noſtris &c. *ut ſupra*. In hanc formam pacis

libera, & spontanea voluntate nostra devenimus, ut videlicet de Capitulis illis de quibus inter nos, & excellentiam tuam controversia est, per omnia &c. *ut supra in proximè scripta Regis est conclusione*, pergit: Ut autem quæ supra diximus, tam nostro, quàm successorum nostrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nec tuis, nec tuorum hæredum temporibus alicujus vacent præsumptione turbari; nos ea de communi consilio, & voluntate fratrum nostrorum auctoritate Apostolica confirmamus, & valitura in perpetuum præsentis scripti pagina communimus, & tam à nobis, quàm à nostris successoribus perpetuis temporibus statuimus observanda. Nulli ergo omninò liceat hanc paginam nostræ concessionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare voluerit, omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus indignationem incurrat. Amen, Amen, Amen; Datum eadem die, qua & superior.] ita *in scripto Codice*. Verum illud scito, coactum fuisse iis scriptis profiteri Hadrianum, se esse securum, & liberum, cum ista promitteret, ne acta ex eo infirmari posse: tamen obsessum Beneventi (ut patet ex Tyrio, & aliis ejus temporis Scriptoribus) liquet fecisse necessitate coactum, obidque nullius ponderie esse potuisse; cum alioqui renuntiare juribus Pontificiis, nempè appellationibus deferendis, nec posse ipsos Pontifices, Nicolaus Papa Primus affirmet.

At ista omnia, quæ contra Ecclesiasticam libertatem, urgente necessitate, per vim, & metum extorta sunt ab Hadriano Romano Pontifice per Willelmum cognomento malum Siciliæ Regem: sub Innocentio Papa III. novis pactis, honestioribus conditionibus interpositis, sunt penitus Cassata, atque prorsus abolita, ipsa verò libertas Ecclesiastica suo robore integrata, atque in pristinum restituta, ut suo loco pluribus dicturi sumus &c.

Quibus, pro germana facti scientia, addendam venit Supra signatam Innocentii III. Bullam, ad Constantiam Imperatricem Siciliæ Reginam, quæ in minori ætate filii trimnis Rerum summam moderabatur, in Siciliam deferendam accepit Octavianus Ostiensis Episcopus Cardinalis. Ea, ut apparet in Regesto Epistolarum ejusdem Pontificis To. I. in Epistolis ad prædictam Imperatricem. & ad Campaniæ Episcopos de eadem re, data fuit tertio decimo Kalendas Novemb. 1188. octo tantum dies ante obitum prædictæ Reginæ, quæ è vita decessit Panormi die 27. ejusdem Novembris: minimè autem in Constantiæ manus, ad Jus roborandum, Epistola, & Bulla pervenerunt; quod apertè asseritur ab Anonymo Auctore Vitæ Innocentii III. supra fol 637. Privilegium non pervenit ad illam (Reginam Constantiam) mortis acceleratione præventam.

Animadvertendum etiam hic foret; Hadriani Bullam controversam, seu Concordiam cum Willelmo transactã fuisse per tres citatos S.R.E. Cardinales, quorũ duo ad summi Pontificatus apicem immediatè post Hadrianum IV. ascenderunt. Rolandus quidem, qui Alexander III Anno 1159. & post eum Ubaldus, qui Lucius III. Anno 1181. sicuti & Clemens III. Anno 1188. Celeberrimis, & Sanctissimis istis Pontificibus, nec in mentem venit Hadriani Bullam, ab ipsismet conscriptam revocare. Quin insuper pio fœdere, & maximis, mutuisque favoribus conjunctos duobus Willelmis, I. & II. legimus in Baronii Annalibus, & in nostris supradictis excerptis; & in Regesta Bullarum Pontificium, in fine Historiæ Ecclesiæ, & Monasterii Montis Regalis. Hæc pauca ex occasione innuisse satis.

Ex lib. XX. Cap. 3 Æstate igitur sequenti (*Anno* 1169.) Vir nobilis Dominus Stephanus Domini Regis Siciliæ Cancellarius, & Panormitanæ Electus Ecclesiæ, adolescens bonæ indolis, & egregiæ formæ, Domini Rotoldi Comitis de Percio frater, agitantibus eum, & adversus eum conspirantis Regionis illius Principibus, invito Rege puero, & Matre ejus reniti non valente, Regno expulsus, cum paucis vix eorum evasit insidias, & ad nos navigio pervenit: Qui non multum postea, valida correptus ægritudine, mortuus est, & Hierosolymis in Templi Domini Capitulo honorificè sepultus est.

Ex Lib. XXI. Cap. 3. Hujus Domini Balduini IV. Anno primo 1174. circa Augusti initium ducentarum navium Classis à Domino Willelmo II. Siculorum Rege ad impugnandam Alexandriam missa, honestas tam peditum, quam equitum copias deferens, descendit in Ægyptum. Ubi, dum ejus Procuratores, & Primicerii incautius se habent, amissis ex utroque ordine quamplurimis, tam captivatis, quàm peremptis gladio, per moram quinque, aut sex dierum, quam circa Urbem fecerant, confusi recesserunt.

Aliam in Ægyptum Villelmi II. expeditionem commemorat Chronicon Pisanum his verbis: Anno 1178. Willelmus Rex Siciliæ misit exercitum magnum in Ægyptum supra Alexandriam initio Julii, qui exercitus fuit 150. Dermonum (*Navium nomen*) pro equis portandis, & milites quinque millia, cum balistariis, & ædificatoribus, & alia genera multa: Qui cum Alexandriæ applicuissent, invenerunt in ipso Portu quandam Pisanorum navem, de Venetiis venientem, & ipsam ceperunt. *Quæ*

ulte-

ulterius gesta sint, incomperta.

Aliam in Graeciam Willelmi II. expeditionem, Anno 1185. invenies in Prolegomenis hujus Bibliothecae fol. 71. in Chronico Fossae Novae.

Postremam demum magnanimi Regis expeditionem Tripolim versus, Anno 1189. qui ejus vitae fuit ultimus, nos supra notavimus, ubi de Joanna Regina fol. 999.

ARNOLDI LUBECENSIS MONUMENTA ALIQUA,

Ad Rem Siculo-Suevicam illustrandam, ex Baronii Annalibus collecta, simul &

ROGERII DE HOVEDEN, ALIORUMQUE FRAGMENTA

De iisdem Rebus, supra non edita,

DE ARNOLDO LUBECENSI.

ARnoldus, *primò Ecclesiae Hildesheimensis Prior, deinde Abbas Lubecensis: Helmoldi Chronicon de Rebus Slavicis supplevit, ab Anno 1171. ad Annum 1209. quo & claruit. Cum hujus Auctoris copia nobis defuerit, ejus parva Monumenta, quae ad nostram pertinent Historiam, ex Baronio, & Inveges in Annalibus Panormitanis Tomo III. collegimus: ampliora excerpta, si in hoc auctore de Rebus Siculis fuerint, dabuntur in secundo Tomo nostrae Bibliothecae.*

B*Aronius ad Annum* 1189. *n.* 14. Moritur hoc Anno (*die* 18. *Novembris*) Willelmus Rex Siciliae absque liberis; Constantia nupta Henrico Regi, ut dictum est, Regni haerede relicta. Sed Tancredus ejusdem Willelmi consanguineus, vendicans sibi Regnum, bellum civile conflavit. Ad quem pellendum Henricus Rex exercitum in Italiam misit. Cumque plurima damna rebellibus intulisset, re adhuc infecta, reversus est in Germaniam. *Haec Rogerius de Hoveden hujus temporis Scriptor*. Romanum autem Pontificem (*Clementem* III.) favisse Tancredo, cui investituram more majorum dederat, *testatur Neubrigensis*. In quantas autem calamitates Siciliae Regnum obitu Willelmi Regis conjectum fuerit, Hugo Falcandus, haud falsus Vates, suae ipsius Historiae exordio narrat. (*quem vide supra fol.* 403.) Et lugens quaeritur de Constantia Regina, quae nupta Henrico Regi, recedens spoliaverat Siciliam divitiis, & postmodum rediens cum Henrico depraedatura esset eam. Interea verò Tancredus, qui à Romano Pontifice accepit investituram, in Sicilia Regnare coepit. *Ita Arnoldus Abbas Lubecensis*.

Baronius ad Annum 1190. *n.* 2. *De Richardo Rege Angliae, ex Rogero de Oveden.* Addit verò ipsum (*Richardum*) cum suis in Siciliam pervenisse die 23. Septembris, atque appulisse Messanam, cum jam Philippus Rex Francorum illuc die 16. Septembris devenisset. Detinuerunt autem Richardum sororis suae Joannae Uxoris Willelmi Regis defuncti negotia, ut ea cum Tancredo Rege, illic regnante pro Willelmo, componeret. *Haec omnia in nostris excerptis edita à fol.* 950.

Idem, eodem anno, n. 13. *ex eodem Rogerio.* Henricus Rex Alemannorum, audita morte Friderici Romanorum Imperatoris patris sui . . . . . misit Nuntios suos ad Clementem Papam, & ad Cardinales, & Senatores Urbis, petens Romanum Imperium, & promittens se in omnibus leges, & dignitates Romanas servaturum illaesas, Clemens verò Papa, habito cum Cardinalibus, & Senatoribus, & Populo Romano, super petitionibus Regis Alemannorum cum deliberatione consilio, concessit Regi Alemannorum, quod petebat, salvis dignitatibus, & consuetudinibus Romanorum. Et statuerunt ei terminum veniendi Romam proximum Pascha sequens (*Haec de his Rogerius*)

Baronius ad Annum 1191. *n.* 1. *ex Arnoldo Lubecensi Chron. lib.* 4. *cap.* 4. His autem ita dispositis, Rex (*Alemannorum Henricus*) cum manu valida Italiam intravit, cum Philippo Coloniensi Archiepiscopo, & Ottone Duce Boemiae, & aliis multis. Cumque appropinquaret Romae, suscepturum Apostolicam benedictionē: Dominus Apostolicus Clemens mortuus est; Pro quo Caelestinus III. in Sede est sublimatus.

Idem, eodem Anno n. 9. Quod verò attinet ad consecrationem Imperatoris, Papa Caelestinus eam distulit. *Causam Arnoldus Lubecensis loco cit. sic narrat.* Videns Caelestinus Regem cum multa jactantia venisse, ad protelandam ejus consecrationem, suam distulit. Sed Romani exeuntes ad Regem, sic ei locuti sunt: Fac nobiscum amicitias, & honora nos, & Urbē jure nostro, quod exhibuerunt Reges, qui ante te fuerunt. Insuper fac nobis justitiam de Castellis tuis, qui sunt in Tusculano, quia sine

inter-

intermissione nos inquietare non cessant: & erimus pro te ad Dominum Papam, ut Coronam Imperii super caput tuum ponat. Qui in omnibus ad voluntatem Romanorum se promptum exhibuit. *Et prosequitur enarrare, ex Rogerio à nobis supra edito fol. 926. insolitam Henrici VI. Inaugurationem: Pontifice imponente, & abjiciente pedibus Imperialem Coronam: falsoque tam novo rationem assignat.*

Idem Baronius, eodem anno n. 13. Sed redeamus ad Henricum nuper creatum Imperatorem, de quo ista habet hujus temporis Auctor *Arnoldus Lubecensis Abbas lib. 4. cap. 5.* Igitur Dominus Imperator, percepta benedictione, profectus est in Apuliam, accepturus totam terram Willelmi Siculi, quæ eum cum Imperatrice Uxore sua (*Constantia*) contingebat. De qua tamen profectione animum Domini Papæ non parum offenderat: quia alius Rex, Tancredus nomine, à Sede Apostolica jam ibi ordinatus fuerat, qui quidem rebellare parabat, sed impetum Imperatoris ferre non valebat. Siquidem Imperatore adveniente, territi habitatores Terræ illius, omnes Civitates munitas, & Castra firmissima, in manu ejus tradiderunt. Venientes autem ad Montem Casinum, ubi B. Benedictus requiescit, cum summa benevolentia ibi susceptus est. Ubi cum esset, apud Sanctum Germanum in radice Montis, filius Ducis Henrici, eo non salutato Romam reversus est. Ubi à quibusdam Romanis acceptis navibus, per aquas evasit. Imperator verò, dissimulata injuria abiit via, qua ceperat, & ita prosperè venit Neapolim, & invenit ibi manum validam, & obstinatos animos eorum, qui intus erant. Imperator verò devastans omnem terram, succidensque vineta eorum, & oliveta, obsidione maxima vallavit Civitatem. Quod non multum attendebant, qui intus erant, quia per maritima intrandi, & exeundi copiam habebant. Ipse verò de Pisa, & aliis Civitatibus cogitabat contrahere naves plurimas, & arctare Civitatem terra, marique. Inter hæc autem appropinquabant dies caniculares, & morius continuos in exercitu faciebant. Tunc temporis mortuus est illic Episcopus Coloniensis, cujus corpus Coloniam translatum est, & ibi cum honore condigno tumulatum. *Hæc Arnoldus Abbas lib 4. c. 5.*

Baronius ad Annum 1193 n. 1. Henricus VI. Imperator audita morte Tancredi, ejusque filii in Sicilia regnantium, exercitu, classeque parata in Campaniam venit. Salernum expugnat, utramque vindictam sumit de Civibus, qui captam Constantiam Augustam miserant ad Tancredum; receptisque Appulis, atque Calabris in fidem, Messanam se contulit, ubi promissionibus allectis Siculis, eosdem in deditionem accepit, pactisque conventis, Reginam matrem cum puero, atque puellis, redegit in suam potestatem. Quos perjurus ipse Imperator Henricus vinculis alligavit, puerumque excæcavit, puellas verò duas sorores custodiri mandavit, unà cum Matre. *Hæc omnia ex Chronica Fossa Nova, supra in Prolegomenis fol. 71.* ubi & asseritur adventus Imperatoris Henrici in Siciliam contigisse hoc Anno, mense Decembris, sicque cladem illam illatam Siculis hoc anno ceptam, in sequentem propagatam fuisse. Addit his *Rogerius de Hoveden in Annalibus* eumdem Henricum Imperatorem jussisse effodi corpora Tancredi, & filii ejus Rogerii, Regiisque nudari Coronis, quas accepisse illegitimè asserebat.

Baronius ad Annum 1194. n. 18. Sed convertamus oculos ad Siculorum clades. Hos enim, *ut, tunc scriptum, habet Chronicon Fossæ Novæ, loco citato*, deceptos promissionibus, Imperatoris Henrici juramento firmatis, præsidiis, & munitionibus spoliatos, bonisque privatos, diversis cruciatibus exagitatos, idem Henricus in Alemanniam secum duxit, simulque Regem puerum, Reginam, puellas, Comites, aliosque diversi generis Principes, & inferioris ordinis homines, de quibus extat Epistola Innocentii Papæ Tertii, cum post mortem Henrici Imperatoris per eumdem censuris Ecclesiasticis sint revocati, hic (ut quo anno facta esse noscuntur, ista sciantur) recitanda, sic se habet:

Innocen. III. *lib.* I. *Epist.* 26.

INter cætera, quæ Dominus in nobis mirabiliter, & misericorditer operatur, magnæ reputandum est miserationis indicium, cum eis pœnam accelerat temporalem, quibus ultio debebatur æterna: sicut in Regno Siciliæ diebus nostris intelligimus accidisse. Cum enim Siciliæ populus, & ceteri de eodem Regno effæminati, otio & pace nimia dissoluti, de suis divitiis gloriantes, sese in voluptatibus corporis lasciviùs exercerent: ascendit in altum fætor eorum, & traditi sunt ob multitudinem peccatorum suorum in manibus persequentium. Usque adeo autem in eos (quod dolentes dicimus) furor exarsit, ut quidam eorum turpi morte damnati, in tribulatione cordis, & corporis animas exhalarent; quidam membrorum mutilatione deformes fierent abjectio plebis, & ludibrium populorum; majores verò ipsorum compedibus, & nobiles manicis ferreis alligati, captivi, & exules in Theutonia macerarentur: reliquis hæreditates suas in extraneis transferri videntibus, & domos suas subjici alienis.

Verum ne compassionis nostræ solatium,

qui

qui patientibus ex susceptæ administrationis debito compati volumus, & tenemur, penitus subtrahatur, quibus ipse Dominus jam videtur ex parte placatus: venerabilibus fratribus nostris universis, Archiepiscopis, & dilectis filiis nobilibus Viris, Marchionibus, Ducibus, Baronibus, & aliis Alemanniæ Principibus dedimus in mandatis, ut dilectam in Christo filiam nostram nobilem mulierem Sibiliam, filium, ac filias ejus, & ceteros de Regno Siciliæ, qui in Teutonia detinentur, à detentionis suæ vinculis absolutos ad nos liberos, excusatione, & dilatione cessante, remittant. Inde est, quod discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si mandatum nostrum forte non fuerit adimpletum, vos in detentores eorum excommunicationis sententiam proferetis, & terris eorum, immò totam diœcesim, in que nobiles ipsi tenentur, vel ad quam fuerint forte translati, interdicto subdatis, neutram relaxeturi sententiam, donec ipsi libertati fuerint pristinæ restituti. Dilectis etiam filiis Capitulo Maguntinensi per Apostolica scripte præcipiendo mandamus, ut sententiam, quam vos propter hoc contingerit promulgere, ratam habeant, & faciant inviolabiliter observari) Ita quidem de his, qui sub Cælestino ducti captivi in Alemanniam, usque ad Innocentii, ejus successoris tempora illic sunt infelici conditione detenti.

Deinde Ugonis Falcandi tristes querelas adducit, quibus in Præfatione sua Siculæ Historiæ, suprà edita fol 403. 4. & 5. præsagiendo deplorat Siciliæ calamitates tunc in ea rerum immutatione imminentes. Demum quæ illa fuerint ex Synchronis Auctoribus exponit Baronius eodem Anno 1194. n. 21. Hoc Anno Imperator Henricus per sacramente decepit Regem, & omnes Comites, & posuit eos in vinculis, & in ergastulis, & omne eurum, & erg ntum, quod de Regno ad manus habere potuit, congregavit, & per terras, & per mare in Alemanniam misit, & ipse per terram reversus est in Alemanniam, deducens secum ligatos Regem, & Comites, & quamplurimos elios. *Hæc Chronicon Fossæ Novæ. vide suprà fol. 72. Nec Episcopis, & Archiepiscopis pepercit, ut patet ex Epistolis Innocentii III. lib.* I *Epist.* 24 & 25. Inter elios enim Nobiles captivos in Germaniam per Imperatorem Henricum translatum fuisse Archiepiscopū Selernitanum constet. Quem quamtumlibet Cælestinus Papa indefesso studio laboraverit liberare, ut ed suam restitueret Ecclesiam, id impetrare nequaquam potuit; adeo ut ad ipsum Innocentium iidem fuerint refusi labores . . . . Porrò non defuerunt, qui absentis Archiepiscopi Ecclesiam invaserint; & laica manu vacantia pro libito conferrent: quorum concessiones nullius esse momenti, idem Innocentius statuit: *Eodem lib* 1. *Epist.* 65.

Eodem Anno num 25. Audiit translatos viros Nobiles Siculos cum Rege puero, atque Regina, & Archiepiscopis in Germaniam: accipe modo translationem factam divitiarum, *quæ ab Arnolde Abbate Lubecensi ita describitur*. Tancredi defuncti Aulam ingressus Henricus Imperator, lectos, & sedilia, mensas ex argento, vasa eorum ex auro invenit purissimo, Reperit etiam thesauros absconditos, & omnem lapidem pretiosum, & gemmarum gloriam, ita ut oneratis centum quinquaginta Sommariis auro, & argento, lapidibus pretiosis, & vestibus sericis, gloriosè ad terram suam redierit. Cum autem terras Theutoniæ attigisset, insecutus est eum celeri cursu Imperatricis Nuntius, qui in Apulia remanserat, nuntians inventos esse omnes thesauros Rogerii Regis. Vetula enim quædam apud Imperatricem erat, quæ de obsequio Rogerii fuerat: Hæc Gazophylacium Regis da paucissimis noverat, quod in muro antiquissimo conservatum, diligentissimè delinito pariete, & superinducta picture, omnibus indagebile videbatur. Cum igitur per ipsam proditum, Imperatori manifestatum fuisset; Imperatrici mandavit, dicens: de ipsis thesauris, quod tibi videtur facito: me eutem scias hoc tempore Apuliam non repetere, &c. Subjicit Auctor de liberalitate Imperatoris in erogandis pecuniis in milites, & pauperes, atque de iis satis.

Baronius ad Annum 1196 *num.* 5. Hoc eodem anno Henricus Imperator sub velato prætextu expeditionis Terræ Sanctæ veniens in Italiam, perditurus Northmannos, diram vindictam exercuit adversus omnes, quos sciret ex Northmannorum gente descendere, & eos in primis, qui alium in Regem erexissent. De tempore autem ejus adventus, in Chronico Fossæ Novæ asseritur, hoc anno pridie Kalend: Decembris venisse Ferentinum Civitatem, epud Latium positem prope Hernicos, ibique pacificè permansisse diebus septem: Postee verò, inquit, ivit Capuam, & invento ibi Comite Richardo de Cerra in ergastulis, fecit eum judicare, & per pedes ed caudam equi ligare, & per lutum omnium platearum Capuæ fecit deducere, & jussit eum post hæc per pedes eppendi, & tam diu in patibulo mortuus mansit appensus, quousque Imperator mortuus est. Post Nativitatem Domini idem Henricus Imperator egressus Capua, ivit in Siciliam xvij. Kal: Februerii) Quænam eutem ibi per eum adversus Northmannos geste fuerint, dicturi sumus anno sequenti, quo fie-

fieri contigerunt.

Baronius ad Annum 1197. n. 1. Henricus Imperator, (ut vidimus anno superiori ex Chronicis Fossæ Novæ tunc scriptis) ex Campania venit in Siciliam ad xvij. Kal. Februarias, ut in Northmannos, qui favissent Tancredo Regi, carnificinam diriissimam exerceret. Hac namque de causa parasse exercitum, & ex Germania in Italiam descendisse testatur Arnoldus Lubecensis his verbis: Imperator sanè ad ultionem inimicorum suorum infinitum contraxerat exercitum de Suevia, Bavaria, Franconia, & aliis nationibus usque ad sexaginta millia) sed quam de illis expetierit ultionem, eumdem audi, dum ait: Contigit autem, ut ipsos adversarios suos comprehenderet, & dignam de eis ultionem caperet, & illi quidem, quem contra se Regem creaverant, diademate imposito, clavis acutissimis cum ipso diademate caput transfixit; filios autem aut suspendio, aut incendio, aut aliis damnavit suppliciis.) hæc ipse. Sed ista non potuerunt facta esse Tancredo, quem jam ante annum superiorem defunctum fuisse liquet: fortasse inverso textu potius intelligenda de illis, qui Tancredo coronam imposuere. Porrò sævitia Henrici adversus Northmannos eo progressa est, ut Constātia Augusta ipsius uxor, propago Northmannorum Regum, indigne ferens, gentem suam demetendam penitus traditam, & extinguendam: adversus virum suum Imperatorem rebellans, armaret exercitum. Quo tandem progressa sint ista, sic accipe à Rogerio in annalibus.

Num. 2. Eodem anno Henricus Romanorū Imperator cepit magnates Siciliæ, ex quibus quosdam incarceravit, quosdam diversis penis afflictos morti tradidit. Margaritum etiam Ammiratum, cui ipse dederat Ducatum de Duraz. & Principatum de Tarento, & Principatum maris, evulsis oculis, & abscissis testiculis, excecari, & ementulari fecit. Constantia verò Imperatrix videns mala, quæ Imperator gesserat cum gente sua, fœdus iniit contra Imperatorem maritum suum, & Panormum pergens, cepit thesauros Imperatoris, quos Reges Siciliæ à multo tempore thesaurizaverant; unde Principes Regni animosiores effecti, injecerunt manus in Alemannos Imperatoris, & interfecerunt eos. Imperator verò fugiens, clausit se in munitione forti, volens, si posset, repatriare. Sed adversarii ejus ita vias ei præcluserant, quod nusquam securus illi patebat egressus.] Sic igitur Imperator in Regno Siciliæ Conjugi tandem deferendum putavit, & quas ipsa vellet conditiones accepit, ut conjugalis fugata concordia postliminio rediret ad propria. Quod enim meditaretur Imperator ipse majora: ne prepediretur bello domestico, pacem quæsivit, petiit, & obtinuit. Qui igitur classe potens in Siciliam pervenisset: haud mediocrem timorem incussit Constantinopolitano Imperatori Alexio Angelo, cum ad eum misit legationem acerbissimam, qua ab ipso peteret quidquid terrarum olim occupasset in Oriente Willelmus Siciliæ Rex, ab Epidauro usque ad Thessalonicam Civitatem, vel ut pro his tributum ingens penderet imperatum.

Num. 3 Qua quidem legatione adeo concussum est Imperium Constantinopolitanum, ut qui moderaretur illud ipse Alexius Angelus, tributi licet importabilis duram conditionem minimè rejiciendam esse putarit, quare ad colligendum aurum sagacissimos Ministros elegerit. Quorum opera expilatas tradit Nicetas choniates fuisse Ecclesias, Monasteria, Imperatorum etiam refossa sepulchra, ut aurum imperatum colligere possent. Erat ejus summa talentorum sexdecim auri purissimi, quod tunc ab eis, qui solvebant, Alemannicum tributum est appellatum. Quod tamen malè collectum videre non meruit, qui illud indicendum jusserat Henricus Imperator, tunc ex humanis exemptus; Cujus interitu respiravit, qui consternatus animo erat Alexius Imperator. Hæc summatim, quæ prolixiori tractatu Nicetas est prosecutus.

Num. 4. Eodem quoque anno, ipsis Kal. Septembris (ut Arnoldus, qui tunc vivebat, testatur) Classis Imperatoris solvit Messana Orientem versus, & felicissima usa navigatione pervenit in Palestinam, ad Portum Accon, vigasima secunda ejusdem mensis, ipsa die, qua in Ecclesia, ut ait, celebratur dies natalis Sanctorum Martyrum Mauritii, & Sociorum. Præfectus est classi Cancellarius Imperatoris Conradus Hildesemensis Electus, tunc verò consecratus Episcopus, cui olim ab Imperatore absente cura Regni Siciliæ fuerat demandata. Sed quomodo tunc Henricus Imperator ægrotare incipiens, mortuus est eodem mense Septembris, die vigesima octava ejusdem, in Vigilia Sancti Michaelis Archangeli, in eo, quod ad annum obitus spectat, hæc habet Chronicon Fossæ Nove:

Imperii Romæ sexto decessit ab anno,
Mille dein centū bis, demptis tribus ab istis
Transierant annis, periit cū pessimus anguis.

&c. plura enim ibi coacervantur in detestationem ejusdem Imperatoris. De die autem obitus Rogerium audi, qui subjicit totidem verbis ista;

Num. 5. Eodem anno Henricus Romanorum Imperator, facta reconciliatione cum uxore sua, & magnatibus Siciliæ, incepit

ægro-

ægrotaret, & misit Savaricum Bathoniensem Episcopum consanguineum, & Cancellarium suum de Burgundia ad Richardum Regem Angliæ, & obtulit ei recompensationem pecuniæ, quam de eo ceperat pro redemptione sua, sive in auro, & argento, sive in terris. Dum autem prædictus Savaricus iret in ista legatione, prædictus Romanorum Imperator obiit in Sicilia apud Messanam, in Vigilia Sancti Michaelis, excommunicatus à Cælestino Papa propter captionem, & redemptionem Richardi Regis Angliæ; & ideo prohibuit idem Papa, ne corpus illius sepeliretur, licet Archiepiscopus Messanæ pro eo multum orasset. Venit itaque præfatus Archiepiscopus ad Cælestinum Papam tribus de causis. Primus ut corpus Imperatoris sepeliretur. Secunda, ut Marcovualdus Summus Imperatoris Justitiarius liberaretur ab obsidione Romanorum, qui eum obsederant in March a Guarneri, non permittentes eum inde exire. Tertia, ut Fridericus præfati Imperatoris filius coronaretur de Regno Siciliæ.

Num. 6. Ad primam verò petitionem respondit Dominus Cælestinus Papa, quod non permitteret corpus Imperatoris sepeliri, nisi de consensu Regis Angliæ, & nisi pecunia, quam ipse de Rege Angliæ ceperat, redderetur. Ad secundam petitionem respondit Papa, quod prædictus Marcovualdus per ipsum liberari non poterat, nisi de voluntate Romanorum. Ad tertiam petitionem respondit Dominus Papa, quod consentiret, si fratribus suis Cardinalibus placeret, ut Fridericus præfati Imperatoris filius coronaretur de Regno Siciliæ. Et factum est ita, datis Domino Papæ mille marchis argenti ad opus ipsius, & mille marchis argenti ad opus Cardinalium. Juravit etiam Imperatrix tactis sacrosanctis Evangeliis, quod prædictus Fridericus natus fuit de legitimo matrimonio prædicti Henrici Imperatoris, & ipsius Constantiæ.]

Num. 7. Antequam autem reliqua de his, quæ spectant Henrici Imperatoris testamentum, enarremus, dicendum primò de ejus filii, nempè Friderici Secundi, natalibus; inde verò de ipsius ætate, quoto Redemptoris anno sit natus, & baptizatus, atque à quo fuerit pariter educatus. Quod ad natalia spectat, jure visus est Pontifex exegisse à Matre Constantia Augusta juramentum, quod ipsa conceperit eum ex Henrico Augusto conjuge; eo quod suspiciones increbuissent, ipsum Fredericum partum fuisse suppositum. Quod & Marcovaldus successori Cælestini Papæ Innocentio scribens, cum bellum adversus eum in Sicilia ageret, palam, certaque fide se probaturum pollicitus fuit. Habent istæ ejusdem Innocentii Papæ Acta, suo loco recitanda (*edita sunt supra fol. 640.*) At ipse Pontifex, quam juramento purgatam suspicionem putavit, eamdem in judicium revocari noluit. Sed quod jam semel sparsum esset in vulgus, tantum abest ut per juramentum Constantiæ abolitum fuerit, ut ex fabulosis colorum pigmentis: scriptis proditis acceperit augmentum. Recitat fabulam Krantius in Metrop. Saxon. lib. 7. cap. 8. (*Auctor iste etiam in alio Tomo, ubi in fine agit de Normannis, in Rebus Siculis perperam se instructum ostendit*) Quæ quidem fidem sibi hactenus conciliavit ex portentoso illo à nobis superius recitato, & confutato mendacio, quo asserebatur, ipsam tunc Constantiam, cum filium peperit, annorum fuisse quinquaginta quinque, vel etiam secundum alios sexaginta; eò quod tali ætate, ut plurimum natura esset impotens, quæ potuisset filium generare: cum tamen testificatione ipsius, qui nuptiis ejus interfuit, & carmine eas cecinit, Goffridus Notarius ejusdem Imperatoris Henrici, testatum reliquerit, triginta tantum annorum ætatis tunc fuisse Constantiam cum nupsit, ita ut cum peperit masculam prolem Anno Redemptoris 1193. fuerit ætatis annorum tantummodo 37. vel ad summum 38. . . . .

Num. 8. Quod pertinet ad annum, quo natus est Fridericus, inconstans est antiquorum sententia. Albertus siquidem Stedensis Abbas eum natum affirmat anno 1195. *Rogerius autem de Hoveden Anno 1190. dum Anno 1197. agens de ejusdem Friderici baptismate, hæc ait*: Eodem anno filius Henrici Romanorum Imperatoris, quem pepererat ei Constantia Imperatrix filia Rogerii quondam Regis Siciliæ, puer septem annorum baptizatus est, & vocatum est nomen ejus Fridericus. sic ipse. Sed puto errore librarii scribentis 7 pro 3. illapsum esse mendum. Siquidem (quod constans est apud omnes) cum idem Fridericus mortuus sit Anno 1250 suæ verò ætatis Anno 57. dicendum est ipsum esse natum Anno 1193. ita ut quadrimus hoc anno 1197. fuerit. Quæ probè conveniunt his, quæ Innocentius III. ad ipsum post mortem matris Constantiæ (Quæ contigit anno sequenti 1198. die 27. Novembris) scribens ait, Epist. 576. Utrumque flere didicit, quam clementis plenè alterum nominere; qui scilicet esset adhuc in infantia constitutus, quæ usque ad septennium propagatur. . . . Baptizatus autem est Assisii, Civitate in Valle Spoletana sita, & quidem ritu solemni. *Nam de his ista idem Albertus Stadensis*: Nocte inquit, quæ præcedit dormitionem Joannis Evangelistæ natus, & quindecim Episcopis, &

Car-

Cardinalibus præsentibus, baptizatus, dictus est Fridericus. *Hæc Stadensis Abbas.* Sed quænam fuerit causa, ut baptizaretur Assisii, didicimus ex Actis vitæ ipsius Innocentii III. ..... nempe quod ab eodem Henrico Imperatore Conradus natione Suevus educator Infantis, jam antea creatus fuerat Dux Spoleti, atque Comes Assisii, cui, utpote fidissimo sibi subdito, & amico, gentili suo, atque Ducissæ ejus Conjugi, Imperator nutriendum dedit ipsum Fridericum infantem: Quem Constantia mater recepit postea, cum est reversa in Siciliam. Qui igitur Comes erat Assisii Conradus Suevus, ibidem Infantem jam quadrimum solemni baptismate baptizandum curavit. His igitur de Friderici primordiis enarratis, redeamus ad patrem ejus Henricum Imperatorem, hoc anno, ut diximus, ex humanis exemptum.

Num. 9. Qui condidit Testamentum, & quidem pium valdè, ut quem pœnituisset in primis persecutionis, quam Romanæ Ecclesiæ intulisset; & quod aliter non potuit, eo saltem testamento satisfaciendum curavit. Recitatur ejus fragmentum in iisdem actis Innocentii Papæ Tertii citatis superius his verbis: In hac fuga perdidit Marcovualdus universam supellectilem suã, & inventum est in quodam scrinio testamentum Imperatoris Henrici, aurea bulla signatum. In quo inter cætera hæc de verbo continebantur ad verbum: Imperatrix consors nostra, & filius noster Fridericus Domino Papæ, & Ecclesiæ Romanæ exhibeant omnia jura, quæ à Regibus Siciliæ consueverunt habere, & Domino Papæ securitatem faciant, sicuti Reges Siciliæ Summo Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ facere consueverunt. Si verò prædicta Consors nostra præmoriatur: filius noster secundum ordinationem nostram remaneat; & si filius noster sine hærede decesserit: Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniat. Si verò filius noster præmoriatur: dilecta Consors nostra Regnum in vita sua retineat; & post mortem suam Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniat. De Imperio ordinamus, quod Dominus Papa, & Ecclesia Romana illud filio nostro confirmet. Et pro hac confirmatione Imperii, & Regni volumus, quod tota terra Comitissæ Mathildis restituatur Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, præter Medisinam, & Argelatam cum eorum pertinentiis. Et insuper ordinamus, & volumus, ut tota terra de Ponte payle, cum Montefortino liberè dimittatur Domino Papæ usque ad Ceperanum; & quod Ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis. Insuper præcipimus Marcovualdo Senescallo nostro, ut Ducatum Ravennatem, terram Bristinori, Marchiam Anconæ recipiat à Domino Papa, & Romana Ecclesia, & recognoscat etiam ab eis Medisinam, & Argelatam cum omnibus pertinentiis in Domino Ecclesiæ remaneant.) huc usque ibi de Regis Henrici testamento. Meminit, & Innocentius Papa in Epistola ad Regem Anglorum ejusdem testamenti Henrici Imperatoris, atque: in ultima voluntate pœnitentia ductus per eumdem filium suum tibi, nempè ipsi Richardo Anglorum Regi, restituendum mandavit, quod scilicet ab eo cum captivus esset, extorserat; & nisi faceret filius hæres, per Sedem Apostolicam cogeretur. Quod postea per ipsum Innocentium Papam præstandum fuit, ut sequenti tomo, suo loco dicetur.

Num. 10. Quænam autem post mortem ejus restituta fuerint Romanæ Ecclesiæ, Rogerius sic pergit narrare: Defuncto itaque Henrico Romanorum Imperatore, magna pars Tusciæ, quam idem Imperator, & Prædecessores sui abstulerant Romanis Pontificibus, reddita est Domino Cælestino Summo Pontifici, videlicet Aquapendente, & S. Chrispina, & Mons Fasiscorum, & Radicofanum, & S. Quiricus cum omnibus pertinentiis eorum, redditæque sunt ei Sicilia, Calabria, Apulia, & omnes Terræ, quæ fuerunt Regis Siciliæ, sicut proprium Patrimonium Sancti Petri, de quibus ipse (ut supra dictum est) constituit Fridericum Henrici Romanorum Imperatoris filium Regem.) Addit ad ista Matthæus Paris: Henricus Imperator legavit Capitulo Cisterciensium tria millia marcharum argenti de redemptione Regis Richardi, ad thuribula per totum ordinem facienda argentea. Sed Abbates tam ipsum Imperatorem, quàm donum ejus detestantes, renuerunt de turpi quæstu acquisitum donum ejus recipere: Quod cum Rex Richardus audivisset, dictum, & factum Abbatum, quod solita caruit avaritia, commendavit. hæc ipse.

Animadvertendum hic venit; in supra à Baronio enarratis, per li Regnum Siciliæ, Ducatem Apuliæ, Principatum Capuæ, & Calabriam, utpote Regei Siciliæ Provincias, & jam Sedi Apostolicæ ligias, significari: non verò Insulam Siciliæ, prout colligitur ex supra editis Monumentis.

EX MATTHÆI PARIS HISTORIA ANGLIÆ EXCERPTA.

DE EODEM.

Matthæus Paris, sive Parisius (Familiæ cognomen est) Gente Anglus, S. Albani Monachus Benedictinus, claruit Anno 1240. ad Annum 1259. Scripsit Angliæ Historiam à Gulielmo I. Conquestore, usque ad sua tempora. Ad rectè de hoc Auctore judicandum, & ne Controversiæ inter Ecclesiam, & Imperium, Religioso lectori in offendiculum vertantur, operæ pretium duximus, eisdemmet verbis Cæsaris Baronii, Henrici Spondani, & Roberti Bellarmini de eo judicium proferre, sic unicuique animadvertere in promptu est, Matthæum quidem contra Sacerdotii Sanctitatem plus æquo oblocutum, & in contentionibus ab eo enarratis aliquando irrepere potuisse commoti animi excessus, & malignantium æmulorum impactas calumnias. Utcumque sit, potioribus, & alibi non obviis Monumentis Historiæ Suevico-Siculæ sic utendum consultum iri censemus, ut ne minimam quidem à sententia trium Illustrium Virorum, quos exscripsimus, discedamus.

Baronius ad Annum 996. n. 55.

Vixit temporibus illis (Gregorii X.) Matthæus Paris, Monachus S. Albani in Anglia, qui Anglicanam Historiam aggressus est scribere ab Anno 1066. ad 1250. Editus est primò Londini in Anglia An. 1570. A quo si demas calumnias, invectivas, dicacitates, & blasphemias in Apostolicam Sedem, ejusque Pontifices (nisi probra illa fuerint additamenta potius ejus, qui primus edidit, Hæretici hominis, cum peculiare sit illis, libros quos potuerint depravare) Aureum sanè dixeris Commentarium, utpote quod ex Epistolis Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, necnon ex Conciliorum Actis, aliisque publicis Monumentis, totidem verbis redditis, egregiè contextum, & coagmentatum inveniatur.

Spondanus Annal. Eccles. ad Annum 1223. n. 7.

Quod enim boni hic Auctor habet, id est, quod plurimas Epistolas à diversis scriptas, & Acta publica verbatim referat; quod sanè negandum non est egregii esse emolumenti. Hæc verò si dempseris, in reliquo nulla tuta fides, cum portentosis plerumque mendaciis, calumniis atrocibus, ineptissimis narrationibus, & insulsis commentis scatere noscatur.

Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Ann. 1245.

Matthæus Paris . . . . . scripsit Historiam Anglicanam ab Anno 1067. ad Ann. 1250. &c. Observatio. Hæc Historia multa habet scitu digna, præsertim de Rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam, & Imperium. Sed quoniam edita est ab Hæreticis Tigurinis, cautè legenda est; non pauca enim leguntur, tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab Hæreticis, ad invidiam conflandam Ecclesiæ.

Unum nobis monere Lectorem remanet, quod in nostris Excerptis, notis marginalibus pro argumento cujuscumque paragraphi usi sumus.

Wiscardus Dux Apuliæ moritur.

Anno Domini 1087. obiit Wiscardus Dux Apuliæ, & successerunt ei duo filii ejus, Rogerus, & Boamundus.

Expeditio Domini Boamundi.

Anno 1096 Interea dum hæc apud Constantinopolim geruntur, Dominus Boamundus, Roberti Guiscardi filius, Princeps Tarentinus, qui ante hyemem cum suo exercitu Adriaticum mare transiens, Dyrrhachium usque pervenerat, per deserta Bulgariæ ad suos, qui ejus sequebantur Castra, pedetentim appropians accedebat. Aderant autem ei viri nobiles, & potentes, quorum hic in parte nomina supponamus. Tancredus Willelmi Marchionis filius; Riccardus de Principatu; & Rainulphus frater ejus; Robertus de Anxa; Hermannus de Kanni; Robertus de Surdevalle; Robertus Tursiani filius; Humfridus filius Radulphi; Richardus filius Comitis Ranulphi; Comes de Russilli, & fratres ejus; Votleis Carnotensis; Alberedus de Cognano; Humfridus filius ejus. Hos autem sequebantur populi Italici, & quicumque Thyrreno, & mari Adriatico includebantur. Hi omnes usque ad Urbem Castoream, Boamundi vexilla secuti, cum à Civibus venalia populo non exhiberentur, contrahere greges, & armenta compulsi sunt violenter. Indeque progressi in Regione Palagonia Castra statuerunt. Ubi audientes quod in vicino erat Municipium solis hæreticis habitatoribus refertum, illuc sub celeritate contendunt, & Castellum violenter occupantes, & ædificia igne conflagrantes prædam immensam, & optima inde spolia abstulerunt.

Expeditio Boamundi in Imperatorem Constantinopolitanum.

CIrca hos denique dies (*Anno* 1109.) Boamundus Antiochenorum Princeps memor injuriarum, quas Alexius Imperator, vir maliciosus, & nequam, peregrinis Hierosolymam transire volentibus, sine intermissione irrogabat, communem volens ulcisci querimoniam, equitum quinque millia, & peditum quadragintamillie virorum fortium congregavit, & terram dicti Imperatoris hostiliter ingressus, universas penè maritimas Urbes in direptionem dedit: deinde Epyrum depopulatus est, tam primam, quàm secundam. Et tandem Brachium obsidens Epyri primæ Metropolim, Regionem undique incendiis consumpsit, & rapinis. Quod audiens Imperator, cum ingenti militia in succursum venit: Sed interveneientibus amicis, Imperator fœdus init cum eo, interpositis juramentis, quod ultra Christi fidelibus in Orientem transire volentibus, sine fraude consilium (*auxilium*) ad iter peragendum ministraret. Et sic fœdere confirmato, idem Boamundus in Apuliam descendit, familiaribus negotiis evocatus. Sequente verò æstate dum Antiochiam rediire disponeret, copiis militaribus undique collectis, valida ægritudine correptus, in fata concessit, relicto filio nomine Boamundo, quem ex Constantia genuerat, filia Regis Philippi Francorum.

Tancredi Mors.

ANno 1112. Obiit Tancredus vir illustris, & in actionibus Hierosolymitanis magnificus, qui Princeps erat Antiochiæ, cui successit Rogerus filius Richardi, vir nobilis, ea conditione, ut quandocumque Boamundus Junior Antiochiam reposceret, illi sine contradictione resignaret.

Rogerus Antiochenus Princeps cum suis à Turcis cæsus.

QUi Rogerus Princeps Antiochenus anno 1119. cum equitibus tercentis, & peditum tribus millibus, contra tres Principes Turcorum, scilicet Damascenorum, & Arabum, qui secum trahebant armatorum sexagita millia, prælium nimis inæquale committens, interfectus est cum suis omnibus, ita quod nec unus evasit, qui casum fidelibus nunciaret.

Boamundus Junior interficitur.

EOdem Anno 1130 Rodoam Halapiæ Princeps, fines Antiochenos hostiliter ingressus, Boamundum Antiochiæ Principem sibi occurrentem, ut ipsum reprimaret, gladio confossum peremit. Rex Hierusalem (*Baldevinus* II.) ab Antiochenis vocatus ...... Rodoam potenter fugato, dedit filiæ suæ (*uxori Boamundi*) Laodiceam, & Gabulum Civitates pro dote, filiæ verò Boamundi parvulæ post mortem suam fecit jurare Antiochiæ Principatum, & sic Hierosolymam remeavit.

De conflictu inter Regum milites apud Messanam.

ANno 1190. Eodem tempore, Rex Francorum Philippus, XVI. Kal. Octobr. apud Messanam applicuit, & hospitatus est in palatio Regis Tancredi. Rex verò (*Angliæ*) Richardus superveniens ix. Kal. ejusdem Mensis ingressum Civitatis habere non potuit: Franci enim metuebant ne victualia duobus Regibus sufficerent, quos multitudo copiosa sequebatur exercituum. Quod cum Rex Richardus cognovisset, misit Marescallos suos ad Majores Civitatis petens, ut exercitui suo victualia venderent foro legitimo, ne inedia deficeret. Cives autem tanto Principi portas suas aperire, & ipsum recipere voluerunt. At Franci superbi (quia omnis superbus impatiens consortis erit) contradicentes non permiserunt, sed armati muros ascenderunt, & omnes aditus defendere conabantur. Rex autem Richardus ad iram, nec immeritò, provocatus, jussit exercitui suo ad arma convolare, & sibi suisque hostibus invitis, violenter aditum præparare. Qui illicò Regis preceptis obtemperantes, valvas viriliter invaserunt, multisque ex Francigenis interfectis, violenter intraverunt: atque, prævio Rege Richardo, omnes in fugam compulerunt.... *Ex quo facto, perpetuæ inimicitiæ inter illos duos Reges, secutæ sunt.*

Rex Richardus quasdam munitiones sibi subjugavit.

TEmpore quoque sub eodem, viij. Kal. Octobris, Rex Francorum Naves ascendit, sed quoniam ventus ei erat contrarius, ipsa die Messanam rediit. Et Rex Richardus prid. Kal. Octob. transiit fluvium qui Far dicitur: & cæpit in Calabria locum munitissimum, qui Lemba maris appellatur. Posuit in eo sororem suam Joannam quondam Siciliæ Reginam. In crastino autem cæpit Castellum inter Calabriam, & Messanam, quod Monasterium Grifonum appellatur. Ubi Grifones insultum facientes in Hugonem Comitem Marchiæ, à Rege Richardo repulsi sunt. Qui januis clausis Civitatis, ad propugnacula muro-

murorum se conferentes, homines & equos multos Regis occiderunt, & quamplures vulneraverunt. Tunc Rex iratus portas Civitatis confregit, & Civitatem violenter cæpit, hominesque suos in ea posuit quarto nonas Octobris, & tertio nonas ejusdem obsidea dederunt ei de pace observanda. Majores Civitatis. Quo facto firmavit ibidem Castrum, quod Mategrifum appellavit.

Rex Francorum, & Rex Anglorum Richardus apud Messanam naves ascendunt.

ANno 1191. IV. Kal. Aprilis Rex Francorum apud Messanam naves ascendit, atque versus Hierosolymam via recta vela direxit. Rex verò Richardus IV. Idus Aprilis, in magna gloria illum sequutus, habuit in Comitatu suo tredecim Buccas, triplici velorum expansione velificatas; habuit præterea 100. Naves onerarias, & 50. Galeas triremes . . . . *Idem Rex cum esset apud Cyprum*: desponsavit filiam Regis Navarræ, nomine Beringariam, quam Regina Alienor ad eumdem Regem adduxerat in Sicilia commorantem.

Rex Angliæ Richardus Anno 1192. ab expeditione Hierosolymitana rediens, à Duce Austria detentus, captivus Henrico VI. Imperatori pretio venditur, à quo in multis accusatur, ad quæ prudentissimè Richardus respondet.

IN primis scilicet, (*illi objicitur*) quod per ejus consilium, & auxilium, Regnum Siciliæ, & Apuliæ, quod sibi jure hæreditario debebatur, defuncto Rege Willelmo amiserit. Pro quo adipiscendo exercitum permaximum, data pecunia infinita, conduxerat: cum idem Rex sibi auxilium fideliter præstiturum spopondisset, ut à Tancredo Regnum illud obtineret. . . . .

Commotio magna in opus Crucis.

ANno 1227. in fine Mensis Junii facta est motio magna in opus Crucis per orbem universum Crucesignatorum: quæ adeo fuit numerosa, ut ex solo Anglorum Regno plusquam 60. millia proborum hominum præter senes, & mulieres profecti referantur . . . . . *Quæ expeditio maximè Gregorii IX Papæ Bulla* Noverit universitas vestra, *&c. quæ affertur, promovetur* . . . . .

Imperator autem Romanorum Fridericus II. qui cum aliis Crucesignatis sub pœna excommunicationis in hoc passagio præscripto à Papa terminum habuit, ut vota Peregrinationis persolveret, ad mare Meditereaneum veniens, cum parvo Comitatu naves ascendit. Sed postquam per triduum ad Terram promissam tendere videretur, dixit se subita infirmitate præceptum, ita quod maris intemperiem simul, & aeris corruptionem non potuit sine mortis discrimine diutius sustinere; unde retortis velis, ad portum, quo mare ingressus fuerat, post dies tres applicuit. Et his ita gestis Peregrini, qui ex diversis Mundi partibus ad Terram Sanctam ipsum prævenerant, sperantes illum Ducem habere, & defensorem ad Crucis inimicos debellandos, audientes dictum Imperatorem in illo mensis Augusti passagio, sicut promiserat, non venisse: animo consternati in eisdem navibus, quibus venerant, plusquam 40. armatorum millia sunt reversi. Quod factum Imperatoris damnosè nimia redundavit in dedecus, & in præjudicium totius negotii Crucifixi. Ob hanc ergo causam, juxta multorum opinionem, Mundi Salvator (*in visione quam supra enarraverat Autor*) ostendit se, ut prædictum est, in Cruce clavis confixum, & cruore conspersum Populo Christiano & quasi singulis, & universis super injuria sibi ab Imperatore illata, querelam deponens.

De Sententia in Imperatorem lata.

ANno 1228. Circa dies istos Papa Gregorius IX. cum Imperatoris Friderici II. contumaciam, simul & Crucifixi contemptum, ut sibi videbatur, impunitum diutiùs distulisset; tandem ne canis videretur latrare non valens, de consilio Cardinalium suorum, ipsum Imperatorem excommunicavit, & latam sententiam per literas Apostolicas in diversis Mundi partibus publicari præcepit. Inter cæteros autem hujus sententiæ publicatores, Stephano Archiepiscopo scripsit in hæc verba:

Gregorius Episcopus, Stephano Canturiensi Episcopo, salutem. . . .

IN maris amplitudine spatiosa Navicula Petri posita, vel potius exposita turbinibus tempestatum, sic jugiter procellis, & fluctibus agitatur, ut ejus Gubernatores, ac remiges vix contingat aliquando inter inundantium imbrium angustias respirare, vix Charibdis voragines transire, vix à Scylla declinare. Nam quandoque prosperis velis ad portum vehitur, subitò ventus irruens ex adverso, impulsus ab illo, cujus halitus ardere facit, ad altitudinem maris, & turbulentum profunditatis Oceanum Navis rapitur, quæ cincta fluctibus mergitur, nec submergitur; quia

In

in ea Dominus reſidens, diſcipulorum tandem clamoribus excitatur, dum fugat ſpiritus inſufflantes, & mari ventiſque imperat, fit tranquillum. Quatuor quidem procellæ quatiunt Navem iſtam. Nam perfida Paganorum turba, Terram inclytam, Chriſti ſanguine conſecratam, impiè detinere contendunt: rabies Tyrannorum, temporalia rapiens, exterminat juſtitiam, & conculcat Eccleſiaſticam libertatem: hæreticorum inſania Chriſti tunicam ſcindere nititur, & ſubvertere fidei Sacramentum: falſorum fratrum, & filiorum doloſa perverſitas concutit viſcera, & latus dilacerat matris ſuæ: ſicque foris pugnæ, intus timores, extra interficit gladius, & domibus mors ſimiliter intentatur. Sicque frequenter fit: Quod Chriſti Eccleſia tot anguſtiis perturbatur; dum alere credit filios, nutrit in ſinu ignem, ſerpentes, & regulos; qui flatu, & morſu, & incendio cuncta vaſtare nituntur. Hinc eſt quod ad monſtra hujuſmodi perimenda, & expugnandas acies inimicas, ac tempeſtatum inquietudines mitigandas, Apoſtolica Sedes his temporibus multa diligentia quemdam Alumnum, Imperatorem videlicet Fredericum; quem quaſi à matris utero excepit, uberibus lactavit, humeris bajulavit, de manibus quærentium animam ejus frequenter eripuit, educare ſtuduit multis laboribus, & expenſis uſque ad virum perfectum perduxit, ad Regiæ dignitatis decorem, & tandem ad faſtigium culminis imperialis provexit; credens illum habere defenſionis virgam, & baculum ſenectutis. Ipſe autem dum in Theutonicam ſe tranſtulit, ad habenas Imperii obtinendas, jocunda, ut credebatur, ſuſpicia, ſed verius pericula matris obtutibus inferebat. Nam ſponte, non monita, Sede Apoſtolica ignorante, Crucem ſuis affixit humeris, vovens ſolenniter ſe in Terræ Sanctæ ſubſidium profecturum: deinde ſe, & alios Crucesignatos excommunicari obtinuit, niſi certo proficiſcerentur tempore. Sed incidenter abſolutionem petiit, & accepit, de parendo ſuper hæc mandatis Eccleſiæ, prius præſtito juramento. Exuberantem autem gratiam ſuper ipſum Apoſtolica Sedes infundens, ut feſtinantiùs ad Terræ Sanctæ tranſiret ſubſidium, ipſum contra morem ad coronam vocavit, qui ad hoc non invitatus, ſed multiplicatis interceſſoribus invitari per magnificos nuncios conſuevit. Sicque idem ſub Crucis vexillo uſque ad hæc tempora negotia pleniùs & perfectiùs conſummavit. Tandem cum manibus fœlicis recordationis Honorii Papæ, prædeceſſoris noſtri, in Beati Petri Baſilica recepiſſet diadema, ſed manibus noſtris, tunc in minori officio conſtitutis, Crucem reſumpſit, voto publicè innovato. Plures ſub ſpe ſui ſubſidii ad Crucem ſumendam induxit, & certum recepit terminum transfretandi. Habito quoque poſtmodum apud Verulas cum Eccleſia Romana colloquio, juravit publicè, ſe in certo termino à Romana ſibi Eccleſia præfigendo, & tamquam Imperatorem honorificè profecturum. Exindè apud Ferentinum in colloquio ſimili, duorum annorum transfretandi elegit ſibi terminum, & præfixit: Sicque tranſiturum, & nobilem Mulierem, natam chariſſimi filii noſtri in Chriſto Joannis Regis Hieroſolymorum, illuſtris ipſius Regni hæredem, in conjugem recepturum ſolemniter præſtito juramento ſpopondit. Adjungens, quod per hoc ad obſequium Terræ Sanctæ, non ut cæteri peregrini, ſed ut Templarii, Hoſpitalarii, ſe in perpetuum obligaret. Appropinquante itaque termino prælibato, cepit excuſationes multiplices pretendere, ſe ad tranſitum aſſerens non paratum: & ut denuo ternorum ſibi daretur terminus annorum, grandia obtulit obſequia Terræ Sanctæ, cum obligationibus ſatis magnis. Apoſtolica verò Sedes, ne tantis laboribus exufflatis, & inutiliter ſic exhauſtis, totum diſſolveretur negotium, quod huic Principi poſt Romanam Eccleſiam principaliùs incumbebat: habito plurium Epiſcoporum, & aliorum virorum conſilio, de contingentibus nil omittens, venerabilem fratrem noſtrum P. Albanenſem Epiſcopum, & bonæ memoriæ G. titulo Sancti Martini Præsbyterum Cardinalem, ad confirmanda illa, quæ Imperator pro Crucis obſequio ſpontaneus promittebat, tranſmiſit. Cumque apud Sanctum Germanum cum pluribus Alemanniæ Principibus pariter convenissent, Imperator propria manu juravit, quod inde ad biennium, ideſt in paſſagio Auguſti, nunc proximo tranſacto; omni excuſatione, & dilatione ceſſantibus, transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad ſuum ſtipendium, pro ſubſidio Terræ Sanctæ, centum millia unciarum auri, in quinque paſſagiis tunc proximo futuris, illuc deſtinaret certis aſſignanda perſonis. Et tunc Cardinales Præsbyteri, de Imperatoris conſenſu in conſpectu Principum, ac Populi circumſtantis, excommunicationis ſententiam publicè auctoritate Apoſtolica protulerunt, in quam incideret Imperator, ſi forte in aliquo defecerit prædictorum. Obligavit inſuper ſe Imperator ad centum chalendras, & quinquaginta galejas ducendas, & tenendas ultramare: & quod inſuper duobus millibus militum paſſagium certis terminis largiretur, in animam ſuam jurari faciens, ſe iſta, quæ diximus impleturum, & ſponte conſentiens, in ſe & Regnum ſuum ferri ſententiam, ſi non fuerint

rint

sint observata? Qualiter autem hæc impleverit, advertas. Nam cum ad ejus frequentem instantiam, multa Crucesignatorum millia, per excommunicationis sententiam coarctati in termino destinato, ad portum Brundusii properassent, quia gratiam suam Imperator subtraxerat Civitatibus ferè cunctis in portubus constitutis, & idem à prædecessore nostro, ac à nobis frequentiùs monitus, ut diligenter pararet omnia, & fideliter, quæ spoponderat, adimpleret: ipse præmissorum, quæ Sedi Apostolicæ, & Crucesignatis per prædicatores, & literas suas fecerat, de sponsione passagii necessariorum, & victus, suæ salutis immemor, tam diù in æstivi fervoris incendio, in regione mortis, & aeria corruptela detinuit Christianum exercitum, ut non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium, & magnatum, pestilentiæ, sitis ariditate, ardoris incendio, ac multis incommoditatibus expiravit. Inter quos defecerunt bonæ memoriæ Episcopi Andegavensis, & Augustensis. Pars verò non modica infirmitate gravata regrediens, in viis, in silvis, & planitiis, in montibus, & speluncis occubuit jam ex parte. Sanè reliqui, vix obtenta licentia, licet galejæ, chalendræ, ac naves sufficientes ad transitum victualium, hominum, & equorum, ut promiserat, non adessent, in festo tamen Beatæ Virginis, cum jam temporis instantia immineret, ut naves transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria incohaverunt: Sed pro nomine Jesu Christi se discrimini committentes, ac credentes Imperatorem cominùs eorum vestigia secuturum. Idem verò evacuatis promissionibus, ruptis vinculis, quibus tenebatur astrictus, calcato timore divino, contempta reverentia Jesu Christi, censura Ecclesiastica vilipensa, ac relicto exercitu Christiano, exposita infidelibus Terra Sancta, devotione populi Christiani abjecta, in suum, & totius Christianitatis opprobrium retrorsum abstractus, & illectus est ad consuetas Regni delicias, objectionem corporis sui frivolis excusationibus, ut dicitur gestiens palliare. Attendite ergo, & videte, si est dolor sicut dolor Sedis Apostolicæ Matris vestræ, sic crudeliter, & toties deceptæ in filio, quem lactaverat; in quem posuit in hoc facto spei suæ fiduciam, in quem tot beneficiorum abundantiam cumulavit. Dissimulans interim, nn occasione inventa, se averteret à Terræ Sanctæ subsidio, exilia Præsulum, spoliationes, captivitates. & injurias multiplices, quas Ecclesiis, viris religiosis, Clericis irrogavit; & obaudiens querelas multiplices pauperum, populorum, & nobilium, Patrimonii Ecclesiæ, clamantium contra Ipsum, quas in aures Domini Sabaoth credimus introisse. Et quamvis Ecclesia Romana tueri debeat filium tanta diligentia educatum, & magnificentia exaltatum; nunc ipsum gemit sine Marte victum, absque hoste prostratum: & in suæ confusionis opprobrium, tam ignominiosè dejectum: Non minus gemit exterminium exercitus Christiani, qui non inimicorum gladiis vel virtute defecit, sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam, quod residua bellatorum, exposita maris periculis, & fluctibus tempestatum, absq; Duce, Præceptore, & Principe ducitur quo ignorat, modicum profectura Terræ Sanctæ utilitatibus. Quibus debitæ consolationis solatium, & opportunæ subjectionis auxilium, impedientibus frumenta procellis, temporisque angustia, juxta votum non possumus ministrare. Gemit insuper excidium Terræ Sanctæ, quam nunc eripi de manibus paganorum sperabamus; quam olim, ut asseritur, recuperasset Christianus exercitus per concambium Damiatæ, nisi semel eis, & iterum Imperialibus fuisset literis interdictum. Qui etiam non fuisset in manibus paganorum inclusus, si galejarum subsidium, ut ex parte sua promissum fuerat, & fieri poterat subsecutum esset. Nam Damiata, quæ ut astruitur, suo tradita nuncio, & aquilis Imperialibus insignita; eodem diu crudeliter spoliata, & per suos deteriorata, viliter, & ignominiosè per ipsos fuit infidelibus restituta. Recurrit etiam ad redivivа suspiria, & amissionem præscriptam recolens Damiatæ, tot laborum angustias, tot expensarum dispendia, tot mortes fidelium, & tot excursus temporum, quæ inutiliter affluxerunt, subortis lacrymis flere non cessat; nec est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus, nec abstergat lacrymas à maxillis. Cum ergo vox ejus in Roma jam sonuerit, & Rachel non solum filios, sed hæc omnia irremediabili lamentatione deploret; quis fidelium à gemitibus, & suspiriis continebit? quis filiorum, cernens aquarum profluvia de matris oculis prodeuntia, lacrymas non effundet? quis matris non compatietur angustiis? nec immensis ejus doloribus condolebit? Quis fidelium propter hæc non ardentiùs inflammabitur ad subsidium Terræ Sanctæ; nu Christiana juventus ex insperato casu penitus prostrata videatur, & ignominiosè animo consternata? Nonne viri cordati, & filii Jesu Christi, debent ad subsidium Terræ Sanctæ tanto fortiùs animari, quanto ignominiam jam amplius resultare conspiciunt ex insperata ruina in Patrem, & filium, in redemptorem atq; redemptos, in Christum, & in populum Christianum? Nos igitur hoc negotium

tanto ardentiùs resumere affectamus, & profundiori consilio alta intendimus remedia invenire; quanto magis necessitas, & ex multis inflata doloribus nostram grandis angustia mentem pavit: & sic cum Dominus populo suo modicum ostendit se iratum, de illius manu hoc tempore sacrificium non acceptans, qui prudentiam non est incitatus illorum, per quem salus in Israel consuevit. Non tamen misericordiæ Dei sunt consumptæ, nec ejus miserationes penitus defecerunt. Sperantes namque in misericordia Dei nostri, qui viam nobis ostendit, per quam in hoc opere prosperè gradiamur, & viros secundum cor suum destinabit, qui præcedant in cordis puritate, ac manuum munditia exercitum Christianum. Ideoque fraternitatem vestram obsecramus in Domino, per Apostolica scripta præcipiendo mandantes; quatenus hæc Clero, & populis vobis commissis fideliter exponentes, ac inducentes eosdem ad hæc exequenda, suos studeant animos præparare; & ipsos ad vindicandam injuriam Jesu Christi sedulis exortationibus invitetis, ut cum ipsos Sedes Apostolica habito majori tractatu sollicitandos providerit, promptos inveniat, & paratos. Porrò ne tamquam canes muti, non valentes latrare, videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo, qui tantam injuriam populo procuravit, imperatorem videlicet Fredericum, qui nec transfretavit in termino constituto, nec illuc in taxatis passagiis præscriptam pecuniam destinavit, nec mille duxit milites per biennium tenendos ad suum stipendium, pro subsidio Terræ Sanctæ ibidem, sed in tribus articulis manifestè deficiens, in bis descriptæ excommunicationis laqueum ultroneus se ingessit, excommunicatum, quamquam inviti, publicè nunciamus, & mandamus ab omnibus arctius evitari: contra ipsum, si contumacia ejus exegerit, gravius processuri. Confidimus tamen adhuc in pii Patris clementia, qui neminem vult perire, quod ejus oculi mentis caligantes, hoc Ecclesiastico delibuti collyrio, si non fuerit animo rebellis, lumine poterunt illustrari, ut suam aspiciat nuditatem, & ignominiam suam, quam incurrit avertat: Sicque recurrat ad Medicum, & ad Matrem Ecclesiam revertatur; per humilitatem debitam, & satisfactionem congruam, salutis remedia recepturus. Non enim ejus salutem in Domino affectamus interire, quem olim sincerè dileximus, in minori etiam officio constituti. Data Laterani, Pontificatus nostri anno secundo.

Imperator itaque Fredericus, cum à referentibus se excommunicatum cognovisset, perturbatus est valdè: & sicut Papa per literas suas in omnibus Christianorum finibus latam fecerat sententiam publicari; ita dictus Imperator scripsit universis Regibus, & Principibus Christianis, conquerens sententiam in eum fuisse injuriosè latam. Denunciavit etiam singulis, & universis, se non frivolis excusationibus, sicut ei Papa mendosè imposuit, à peregrinatione reversum incohata; sed maximè infirmitatis causa; illius super hoc testimonium invocans, qui est testis in cœlo fidelis; Affirmavit insuper, quia quam citius sibi Deus prosperitatem præstiterit corporalem, votum suæ peregrinationis (sicut decet Imperatorem) cum honore congruo persolvere Domino procurabit. Inter cæteros siquidem Catholicos Reges, literas euro bullatas Anglorum Regi transmisit; proponens in eisdem Romanam Ecclesiam tanto jam avaritiæ succensam incendio, & concupiscentia manifesta; quòd bonis Ecclesiasticis non sibi pro voto sufficientibus, Imperatores, Reges, & Principes exhæredare, & tributarios constituere non veretur. Habeat autem de præmissis Rex Anglorum ex se ipso exemplum, cujus patrem, Regem scilicet Joannem, tam diù excommunicatum tenuit, quousque ipsum, & Regna ejus constituit sub tributo. Habeant etiam generaliter omnes idem exemplum de Comite Tholosano, & alios Principes multos; quorum terras, & personas tamdiù sub interdicto concludere molitur, donec illos in consimilem redigat servitutem. Simonias, exactiones diversas, & à sæculis inauditas, quas in Ecclesiasticas personas incessanter exercent; usuras manifestas, & palliatas, quibus hactenus incognitis totum mundum inficiunt, prætermitto. Sermones tamen super mel mellitos, & super oleum mollitos, insatiabiles sanguisugæ; dicentes Curiam Romanam esse Ecclesiam, matrem nostram, ac nutricem: cum sit Curia prætaxata omnium malorum radix, & origo; non maternos, sed actus exercens novercales, ex cognitis fructibus suis certum faciens argumentum. Revolvant hæc inclyti Barones Angliæ, quos Papa Innocentius bullatis literis communitos animavit, ut in unum Regem Joannem, quasi Ecclesiæ inimicum, insurgerent obstinatum. Sed postquam enormiter memoratus Rex, est incurvatus, & se suumque Regnum Ecclesiæ Romanæ, velut effæminatus, mancipavit, prædictus Papa Proceres, quos prius sustinuit, & excitaverat, postposito mundi purè Dominique timore, conculcavit morti expositos, & miserabiliter exhæredandos; ut more Romano, protervo hiatu, quod pinguius erat, proh dolor! absorberet. Et factum est, quod incitante Romanorum avaritia, Principe Pro-

vin-

vinclarum facta est sub tributo, ecce mores Romanorum, ecce laquei Prælatorum, quibus universos, ac singulos quærunt illaquear, nummos emungere, liberos subjugare, pacificos inquietare, in vestibus ovium, cùm sint intrinsecus lupi rapaces; Legatos huc & illuc mittentes, excommunicare, suspendere, punire potestatem habentes; non ut semen, idest, verbum Dei seminent fructificandum, sed ut pecuniam extorqueant, colligant, & metant, quæ nunquam seminaverunt. Sicque fit, ut Ecclesias Sacras, pauperum refugia, Sanctorum Mansiones diripiant, quas pii, ac simplices patres nostri in refectionem pauperum, ac peregrinorum, & Religiosorum sustentationem fundarunt. Et nunc ad Imperia, & Regna degeneres, & ignobiles, (quos solitæ literæ faciunt insanire) eusu temerario contendunt anhelare. In paupertate quidem, & simplicitate fundata erat Ecclesia primitiva: cùm Sanctos, quos Catalogus Sanctorum commemorat, fœcunda parturiret. Sed aliud fundamentum nemo potest ponere, præter illud quod positum est Domino Jesu, ac stabilitum. Porrò quia in divitiis navigant, in divitiis volutantur, in divitiis ædificant, timendum ne paries inclinetur Ecclesiæ, ne maceria depulsa, ruina subsequatur. In nos etiam, novit scrutator omnium, injustè debaccantur: dicentes nos nolle terminis transfretasse constitutis; cum multa me de eo, & Ecclesiæ, & Imperio inevitabilia, ac ardua negotia, præter infirmitatis incommoda detinebant, quorum primum fuit rebellium Siculorum insolentia (*idest Apuliæ*) Nec videbatur nobis sanum fuisse consilium expediens Christianitati, nos in Terram Sanctam transisse, bellum intestinum post terga relinquentes: sicut nec medico, ferro infixo vulneri, fomentum adhibere medicinæ. In conclusione quoque demum hæc adjecit, exhortans orbis Principes universos, ut contra tantam sibi prospicient avaritiam, & iniquitatem, quia (*ut adblateram dicebat*)

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Imperator Fredericus prosequitur Papam.

EX hac itaque Imperator perturbatione commotus, excitavit contra Dominum Papam, & Romanæ Ecclesiæ Patrimonium, seditionem gravissimam; invadens ejus Civitates, & occupans Castella, sicut idem Papa per literas suas Romano Legato Francorum directas, evidenter expressit, in horum verborum tenorem.

Authenticum Papæ.

Gregorius Episcopus, Romano Francorum Legato Salutem, &c.

ATtendite! quæsumus, & videte, si est dolor sicut dolor noster, quia Filium quem nutrivit Ecclesia Romana, & exaltavit, sperans eum propugnatorem habere contra perfidas nationes, ecce nunc persecutorem sentit immanem, & hostem validum experitur. Et ne taceamus atroces injurias, & jacturas enormes, quibus Fredericus dictus Imperator Ecclesiam, & Personas Ecclesiasticas damnabiliter hactenus flagellavit, Patrimonium Apostolicæ Sedis per Saracenos, & alios impugnat: & quod detestabilius est, cum Soldano, & aliis Saracenis nefandis contrahens pactiones; illis favorem, Christianis odium exhibet manifestum, ad exterminandas Domos Hospitales, & Fratrum Militiæ Templi, per quas reliquiæ Terræ Sanctæ hactenus sunt observatæ, impiè anhellando. De mandato enim illius inter Saracenos, & Christianos, fide fracta treugarum, cum Saracenis Domorum prædictarum hostiliter inquietans; occisis, & captis quamplurimis, cum prædas plures abduxissent, Templarii ex hoc moti, insurrexerunt contra ipsos: & cum prædas abstulissent ad valorem sex millium marcarum, Thomas Comes Atterarum, Imperatoris Bajulus, illis redeuntibus, furibundus, & currens, eandem prædam ipsis non audentibus, juxta Ordinis sui instituta, manum armatam contra Christianos erigere, abstulit violenter, & reddidit Saracenis; præter quædam, quæ idem Thomas sibi dicitur retinuisse. Quod si Saraceni prædam euferent Christianis, dictus Thomas non solum ad recuperationem ejus intendit; sed nec pariter, ut Christiani prædam auferant aliquando Saracenis. Quare factum est, ut illi ex hoc violentiores effecti, nostros audacter impugnent: & nostri proditionis formidantes, minus audeant restagari. Et sic effusio sanguinis Christiani, nonnunquam in Imperatoris damnabile lucrum cedit. Adhuc autem Thomas prædictus, vel potius Imperator per ipsum, prædictas domos immaniter persequens, ipsis domibus, & possessionibus, quas habebant, vi arctiori per violentiam spoliavit: easque Privilegiis Apostolicæ Sedis privare contendens, imperiali subjicere jurisdictioni nititur, in manifestam subversionem Ecclesiasticæ libertatis. Centum Sclavos etiam, quos Domus Hospitalis, ac Templi habebant in Sicilia, & Apulia, colligi faciens, eos reddidit Saracenis; nulla exinde recompensatione facta domibus supradictis. Et sic

ser vis

servis Christi, servos præfert Machometti, ut ex præmissis ostenditur evidenter. Adhuc pro certo scias, quod licet dictus Imperator cum paucis militibus mare dicitur intrasse; contra Patrimonium Ecclesiæ magnum exercitum Christianorum, & Saracenorum multitudinem destinavit, ut de observatione fidei, & malignitate constat omnibusque manifestum exhibeat argumentum. Unde, inquam, firmam spem, fiduciamque habemus in illo, qui Ecclesiam suam supra firmam petram fidei stabiliens, quantumcumque irruant venti, & inundent flumina, ipsam tamen non permittet evarti, vel naufragari. Dum itaque videmus eum in subversione Fidei Christianæ ita nequiter machinantem, ita impiè sævientem, possemus extremum periculum formidare. Sed quantumcumque impii prolongetur iniquitas, nunquam tamen in sua poterit pravitate prævalere, sed in ea potius evanescere. Cum igitur ex officio, licet indignis nobis injuncti, providere cogimur ne Minister Machometti in Ministros Christi diurius valeat desævire, sed sæviens potius confundatur, & gloria Christiani nominis exaltetur; dilectioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus per terram Legationis tuæ hæc solemniter prædicans Christifidelibus, ut pro statu Fidei, & Religionis observantia, stent ex animo, tanquam prosequentes singuli proprium interesse, ac salutaribus monitis effectibus eos, & exhortationibus inducere non postponas. Datum Laterani Nonis Augusti Pontificatus nostri Anno secundo 1228.

Populus Romanus tumultuatur contra Papam.

PEr idem tempus, Populus Romanus in Papam Gregorium seditionem excitavit, & in solemnitate Paschali illum ejecarunt ab Urbe; insequentes eum usque Viterbium Castellum suum. Ubi fortiter invalescentes, fugaverunt eum usq; Perusium. Papa aliud vindictæ genus non habens, persecutores suos excommunicationis sententia innodavit: *Post aliqua aliena ad rem nostram.*

Imperator Fredericus in Terram Sanctam applicat An. 1229.

EOdem anno, Fredericus Imperator mare Mediterraneum ingressus, ut Domino votum Peregrinationis persolveret; in Vigilia Nativitatis B. Virginis Mariæ apud Acchon (*Ptolemaidam*) applicuit: venientes ei obviam Clerus terræ, & Populus cum magno honore, ut tantum decebat Virum, illum receperunt: Verum tamen quoniam cognoverant eum à Papa excommunicatum, non ei communicaverunt in osculo neque in mensa, sed consuluerunt, ut Domino Papæ satisfaciens, rediret ad Sanctæ Ecclesiæ unitatem. Templarii verò, & Hospitalarii, in adventu ejus flexis genibus adoraverunt eum, genua ejus deosculantes: & omnis fidelium, qui aderant, exercitus, glorificabant Deum in adventu ipsius: sperantes quod per eum fieret salus in Israel.

Tunc Imperator ad universum exercitum gravem deposuit quærimoniam de Pontifice Romano, quod injustam tulerat in eum sententiam: affirmans se gravissimæ infirmitatis causa, & aliorum arduorum negotiorum, quæ totam tangebant Christianitatem, iter suum ad Terræ Sanctæ subsidium distulisse. Soldanus verò Babyloniæ cum ejus adventum in Syriam cognovisset; misit ei xenia multa, & pretiosa, in auro, & argento, in olosericis, & lapidibus preciosis, in Camelis, & Elephantis, in Ursis, & Simiis, & aliis rebus mirificis, quibus omnibus carent incolæ Occidentis. Invenit autem Imperator tempore, quo Acchon (*Ptolemaidam*) applicuit, Principes, & Rectores ex exercitus Populi Christiani: Ducem de Lemburgo, Patriarcham Hierosolymitanum, Archiepiscopum Nazariensem, Cæsariensem, & Narbonensem: Episcopos Angliæ Wintoniensem, & Exoniensem: Magistros Hospitalis, & Theutonicorum; qui præerant octingentis militibus peregrinis, & peditibus quasi decem millibus, de diversis mundi partibus congregatis. Qui omnes pari devotione ducti, Cæsaream, & quædam munierant Castella, ita quod nil defuit eis, nisi ut Joppen restaurarent, & sic in Sanctam tenderent Civitatem. Imperator itaque cum statum Terræ Sanctæ cognovisset, approbavit plurimum Peregrinorum propositum, & præparatis omnibus ad progrediendum necessariis, processerunt fæliciter prævio Imperatore, & 17 Kal. Decembris apud Joppen prosperè pervenerunt. Sed quoniam unusquisque de exercitu, necessaria victus ad dies plurimos sibi, & equitaturis suis, cum summariis, per terram portare nequivit; & specialiter propter hoc in portu Acchonensi naves essent paratæ, quæ victualium copiam exercitui deferre debebant, cum onustæ velificarent, repentè suborta tempestate, & supra modum tumescentibus procellis, per septem dies continuos Peregrinis Christi victualia fuerunt interdicta. Erat autem tunc timor magnus inter multos, ne iratus Dominus Populum suum delere vellet de superficie terræ. Sed ineffabilis clementia Dei, quæ neminem tentari permittit ultra quam sustinere potest, tandem

dem

dem clamoribus lacrymosis fidelium excitatus, imperavit ventis, & mari, & facta tranquillitas magna. Et continuo, ducente Domino, venit ad Joppen innumera navium multitudo, cum ingenti copia frumenti, & ordei, vini, & omni genere victualium, Ita quod indeficiens abundantia fuit semper in exercitu, usque ad perfectam reædificationem Castri memorati; prout rerum necessitas exigebat....

Papa Gregorius bellum movet contra Fredericum Imperatorem.

CIrca dies istos (*Anno* 1229.) Papa Gregorius nimis moleste ferens, quod Romanorum Imperator excommunicatus, & rebellis ad Terram Sanctam transierat, de illius pœnitentia, & satisfactione, ut rediret ad Ecclesiæ unitatem, non mediocriter desperabat. Decrevit ergo eum quem contumacem vidit, & rebellem; ab Imperiali fastigio depellere, & alium quemlibet, filium pacis, & obedientiæ, loco ejus subrogare. Sed quoniam hujus rei certitudo nobis nonnisi per alios constare potuit, ponemus hic literas Thomæ cujusdam Comitis, quem Imperator cum quibusdam aliis in recessu suo Imperii tutorem constituit, & rectorem; quas Imperatori super hoc negotio in Syriam destinavit, & quas à quodam fide digno suscepimus Peregrino.

Epistola ad Imperatorem.

Excellentissimo Domino Frederico, Dei Gratia, Imperatori Romanorum semper Augusto. Siculorum Regi potentissimo, Thomas Comes Atteranensis, suus in omnibus fidelis, ac devotus, salutem, & de hostibus triumphare.

GRegorius Pontifex Romanus, & Magnificentiæ vestræ hostis publicus, congregato exercitu copioso per Joannem de Brennes, Regem quondam Hierosolymorum, & alios quosdam viros strenuos, quos militiæ suæ Principes constituit, Terram vestram, & hominum vestrorum hostiliter ingressus, cotra legem Christianam decrevit Vos vincere in gladio materiali, quem non potuit dejicere in gladio, ut asserit, spirituali. Nam Joannes præfatus de Regno Francorum, & aliis conterminis regionibus, militiam contrahens non modicam, sub spe Imperii, si Vos possit subigere, de Thesauris Apostolicis suis militibus stipendia ministrat. Itaque idem Joannes, & alii Sedis Apostolicæ Principes militiæ, Terram vestram, & hominum vestrorum hostiliter ingressi, ignem in ædificiis, & villis accumulant, spolia, & armenta rapiunt, homines captos diversis cruciatibus torquent, & ad gravissimam redemptionem compellunt: Nulli sexui parcunt, nec cuiquam extra Ecclesiam, vel Cœmeterium deferunt: Vicos, & Castella capiunt, non habentes ad hoc respectum, quod sitis in servitio Jesu Christi. Et si quis de Imperatore mentionem facit, Joannes de Brennes affirmat, non esse alium Imperatorem præter ipsum. Mirantur super his amici vestri, excellentissime Imperator, & præcipuè Clerus Imperii vestri; qua consideratione, & conscientia, talia facere potest Pontifex Romanus, & contra Christianos arma movere. Maximè cum Dominus dixerit Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Vel quo jure possit ille, qui quasi diebus singulis prædones, incendiarios, & Christianorum tortores excommunicat, & ab Ecclesiæ unitate separat, talibus assensum præbere, & auctoritatem præstare, simul admirantur. Provideatis nunc obsecro, Imperator potentissime, securitati vestræ, & honori, super præmissis: Quia inimicus vester sæpe dictus Joannes de Brennes, omnes portus cismarinos cum exploratoribus armatis non paucis munivit; ut si forte incautus à peregrinatione rediretis, ipsi Vos sub captione conclusum incarceraret, quod Dominus avertat.

Terra Sancta restituta Imperatori Friderico.

EOdem Anno 1229. Dominus noster Jesus Christus Salvator, & omnium sæculorum consolator, visitans misericorditer plebem suam, Civitatem Sanctam Hierusalem, & terram totam, quam Dominus idem, & Redemptor noster Dei Filius suo sanguine consecravit, precibus Sanctæ Ecclesiæ generaliter populo Christiano, specialiter verò Romanorum Imperatori restituit Frederico. Fuit autem aliquid beneplacitum Domino populo suo, qui exaltat mansuetos in salutem, ut faceret vindictam in nationibus, & dissentiones in gentibus Saracenis. Erat enim in diebus istis Soldanus Babyloniæ domesticis undique præliis taliter oppressus, quod ne minus sufficeret ad plura, coactus est cum Imperatore, mediantibus treuguis decennalibus componere, ac Terram Sanctam populo sine sanguinis effusione reddere Christiano. Sicque missum est à Domino. bellum bonum, ut rumperetur pax mala. Sed hujus gratię Divinæ beneficium, ut legenti clarius illucescat, literas legat Romani Imperatoris, quas Henrico Angliæ Regi in hæc verba direxit.

Sffffff Epi-

Epistola Imperatoris Friderici ad Regem Angliæ.

Fredericus Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, charissimo Amico suo Henrico Anglorum Regi salutem, & sinceræ dilectionis affectem.

LÆtentur, & exultent omnes in Domino, & glorientur pariter recti corde, qui ut notam faceret potentiam suam, non in equis, aut curribus gloriatur, nunc dedit sibi gloriam in paucitate virorum, ut cognoscant, & intelligant omnes, quod ipse sit gloriosus in majestate, terribilis in magnificentia, mirabilis in consiliis super filios hominum; pro voluntate sua tempora mutans, & diversarum corda gentium in unum convertens: cum in paucis diebus istis miraculosè potiùs, quam fortitudine illud negotium sit peractum, quod à longè temporibus retroactis, multi Principes, & diversi Orbis potentes in multitudine gentium, nec per vires quantumcumque grandes, nec per metum aliquem facere hucusque quoquomodo potuerunt. Ne igitur desiderium Vestrum longus sermo diu teneat in suspenso, Sanctitati Vestræ cupimus esse notum, quod Nos habentes spem nostram in Deo firmiter, & credens, quod Jesus Christus filius ejus, pro cujus servitio corpus, & animam exposuimus sic devotè, Nos in tam ignotis, & remotis Regionibus non relinqueret, quin saltem pro honore, & gloria, & laude sua consilium, & auxilium nobis tribueret salutare. In ipsius autem nomine ab Acchon procedentes fiducialiter, quintadecima die Mensis Novembris proximi præteriti, prosperè venimus apud Joppen, ut Castro loci ejusdem reædificato, prout decebat, in Hierusalem Sanctam Civitatem eundi postmodum, tam nobis, quam omni Populo Christiano, non solum facilior, imò brevior, & securior pateret accessus. Igitur sub fiducia Divinæ spei nobis apud Joppen existentibus, & super ædificatione Castri, prout exigebat rei necessitas, & causa Christi intendentibus magnificè, ut decebat: dum à Nobis, & peregrinis omnibus sollicitè agerentur hæc omnia, de Soldano Babyloniæ ad Nos, & à Nobis ad Soldanum eumdem Nuncii plures, & pluries venerunt, & redierunt hinc inde. Ipse etenim, & alius Soldanus, qui Xaphat dicitur, frater ejus apud Civitatem Gazam diffusum habentes exercitum, dieta una distabant à nobis. Ex alia verò parte in Civitate Sichen, quæ Neapolis vulgò nominatur, & in campestribus locis sita est. Soldanus Damasci, Nepos eorum cum innumera multitudine militum, & peditum gentis suæ, propè Nos, & Christianos ad unam dietam similiter morabatur. Et cum de restitutione Terræ Sanctæ ab alterutra partium tractaretur, tandem Jesus Christus Dei Filius devotam patientiam nostram, & patientem devotionem ex alto respiciens, compatiendo misericorditer nobis in semetipso, sic fecit, quod Soldanus Babyloniæ Hierusalem Civitatem Sanctam nobis restituit: locum videlicet, ubi steterunt pedes Christi, locum etiam ubi veri adoratores, in spiritu, & veritate Patrem adorant. Ut enim de restitutione hujusmodi certos vos faciamus per singula, noveritis, quod non solum restitutum est nobis corpus Civitatis prædictæ, sed contrada tota, sicut descendit inde usque ad maritimam Castri Joppen, ut Peregrini de cæterò processum liberum habeant ad Sepulchrum, securumque regressum. Hoc tamen adjecto, quod cum Saraceni illarum partium in veneratione maxima Templum habeant, ad adorandum secundum ritum eorum ibi in figuram Peregrinorum illuc frequenter accedant, ipsos de cætero liberè permittamus venire. Verumtamen quot voluerimus, & sine armis: nec hospitabantur in Civitate, sed de foris; & continuò facta oratione recedant. Præterea restituta est nobis Civitas Bethleem, & tota terra media inter Hierusalem, & Civitatem ipsam: Civitas Nazareth, cum tota terra media inter Acchon, & ipsam Civitatem: Tota terra Turonis, quæ largissima est, & ampla, & valdè commoda Christianis: Civitas Sydonis, idest, Saete cum tota planitie, & pertinentiis suis, quæ tanto erit de cætero gratior Christianis, quanto magis extitit Saracenis, & hactenus fructuosa. Maximè cum portus ibi sit nimis congruus, & inde arma, & necessaria multa ad Civitatem Damasci; & de Damasco frequenter ad Babyloniam portarentur. Et quamvis Civitatem Hierusalem sicut melius unquam fuit, reædificare nobis liceat, secundum pactum: nec non & Castrum Joppen, Castrum Cesareæ, Castrum Sydonis, & Castrum Sanctæ Mariæ Theutonicorum, quod fratres ipsius domus in Montana Acchon ædificare cœperant, & ab olim nullo treuguarum tempore permissum extitit Christianis. Ipse tamen Soldanus, usque ad finem treugearum, quæ inter nos, & ipsum per decennium sunt statutæ, ædificia vel Castra aliqua de novo facere, vel ædificare non debet. Sicque die Dominica 18. die mensis Februarii nuper præteriti, die scilicet in qua Christus Dei filius à mortuis resurrexit, & in memoriam resurrectionis Dominicæ à Christianis omnibus tam generaliter, quàm solemniter colitur,

& ve-

& veneratur in orbe concordia hujusmodi, hinc inde extitit juramento firmata. Verè igitur nunc nobis, & omnibus illuxisse denuo visa est dies illa, in qua Angeli cecinere Deo Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis. Ad recognitionem verò tam grandis beneficii, tantique honoris; quæ præter merita nostra, & contra opinionem multorum ad perennem misericordiæ suæ laudem misericorditer contulit nobis Deus, & ut in loco sancto suo vitulum labiorum nostrorum personaliter offeremus eidem, noveritis; quod die Sabati 17. die mensis Martii hujus secundæ Indictionis, cum peregrinis omnibus, qui nobiscum fideliter Christum Dei Filium sunt secuti, intravimus Sanctam Civitatem Hierusalem; & statim tamquam Catholicus Imperator, adorato Sepulchro Dominico reverenter, sequenti die coronam portavimus; quam Dominus omnipotens de throno Majestatis suæ nos habendam prævidens, de speciali gratia pietatis suæ inter orbis Principes nos mirabiliter exaltavit, et sic prosequentibus nobis tantæ dignitatis tripedium, quæ nobis competit jure Regni, magis notorium universis appareat, quòd manus Domini fecit hæc omnia. Et cum miserationes ejus super omnia opera sint ejusdem, cognoscant ortodoxæ fidei cultores de cætero, & enarrent longè, latèq; per orbem, quod ille, qui est benedictus in sæcula visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, & erexit nobis cornu salutis in domo David patris sui. Sanè prinsquam de Civitate recedamus Sancta Hierusalem de magnifica reædificatione ipsius turrium, ac murorum suorum taliter ordinare proposuimus; & ita super hæc intendere volumus diligenter, quod non minor sollicitudo, nec diligentia in absentia nostra habeatur inde, quam si personaliter super hoc ipsi essemus præsentes. Ut autem hæc præsens nostra Epistola exultatione sit plena per totum, & sic limes ejus principio se adaptet in gaudiis; ut regalem animum lætificet, ad incrementum lætitiæ, & totius gaudii præcedentis, amicitiæ vestræ cupimus esse notum; quod Soldanus prædictus omnes captivos illos, quos secundum pactum inter Christianos, & ipsum habitum tempore quoddam Damiatæ perditæ non reddidit: & alios qui postea capti fuerunt, restituere nobis debet modo. Data apud Civitatem Sanctam Hierusalem 17. die mensis Martii Anno Domini 1229.

Descriptio Bullæ aureæ Imperatoris Friderici.

FOrma Bullæ Imperatoris aureæ erat talis: Ex una parte erat Imago Regia, & scriptum in circuitu: Fredericus Dei Gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Ex una parte verò Regalis Imaginis, scilicet super dextrum humerum, scriptum est: Rex Hierusalem; Ex alia parte ejusdem Imaginis, scilicet super sinistrum humerum, scriptum est: Rex Siciliæ. Ex alia autem parte Bullæ, insculpitur quædam Civitas, scilicet Roma, & scribitur in circuitu. Roma Caput Mundi, tenet Orbis frena rotundi. Erat autem Bulla aliquantulum major Bulla Papæ.

Exercitus Christianus intrat Hierosolymam.

INgressus est igitur, ut diximus Sanctam Civitatem Hierusalem exercitus Christianus: & Patriarcha cum Episcopis suffraganeis mundificavit Templum Domini, & Ecclesiam Sancti Sepulchri, Sanctæque Resurrectionis ejusdem, cum aliis Ecclesiis, Sanctisque locis venerabilibus Civitatis; abluentes pavimentum, & parietes aqua benedicta, & agentes processiones in hymnis, & canticis, reconciliaverunt Deo loca universa, diuturnis infidelium sordibus prophanata. Verum quandiu Imperator, qui excommunicatus fuerat, intra Urbis mœnia moram fecit, nullus Prælatorum Missam celebrare præsumpsit. Magister tamen Vualterus, frater quidam de Ordine Prædicatorum, vir Religiosus, providus, ac discretus, & in divina pagina eleganter eruditus, Anglicus natione, qui à Domino Papa officium prædicationis, in quo singulariter floruit, expeditus in exercitu Christi susceperat, quod etiam per aliquod tempus fœliciter impleverat, celebravit Divina in Ecclesiis suburbanis: unde devotionem Fidelium plurimum excitando, ad obsequium Crucifixi, arctius animavit. Deinde Prælatis singulis, tam minoribus, quàm majoribus, ac viris Religiosis Ecclesiis suis sibi restitutis, & possessionibus antiquis: gaudentibus cunctis super beneficiis divinis, quæ præter spem omnium acciderant, intenderunt unanimiter cum peregrinis omnibus ad reædificationem Civitatis, muros cum fossatis, turresque cum propugnaculis, magnis sumptibus, ac studiosis laboribus reparare. Nec solum acta sunt hæc in Civitate Sancta Hierusalem, sed in omnibus Civitatibus, & Castellis illius Terræ, quam Dominus noster Jesus Christus, suis sanctorum pedum suorum vestigiis consecravit, & Sacrosancto Sanguine dedicavit: Eratque tanta in omnes Christianos exultatio, et viderentur terrenis Cœlestia misceri.

De

De superbia, & invidia Templariorum, & Hospitalariorum.

HIs autem sic Deo dispensante ordinatis, invidente antiquo seminatore Schismatum, & discordiarum Sathana, incolæ terræ, præcipuæ Templarii, & Hospitalarii, invidentes factis Imperatoris, sumpserunt cornua ex odio Papali. Audierunt enim, quòd jam Papa Imperium hostiliter invaserat. Volentes igitur omnia magnalia hæc eis ascribi, qui à tota Christianitate tot proventus recipiunt, & ad solummodò Terram Sanctam defendendam, tantos reditus inglutiunt; & quasi in voragine barathri demergunt: significaverunt subdolè, ac proditiosè Soldano Babyloniæ, quod Imperator proposuit adire flumen, ubi Christus baptizatus est à Joanne Baptista, ibidem Christi vestigia, & Præcursoris ejusdem, (quo non major surrexit inter natos mulierum) pedes & in laneis cum parvo Comitatu clam humiliter adoraturus: & ibidem posset ad votum eumdem Imperatorem vel capere, vel trucidare.

Proditio intenta Imperatori.

QUod cum audiret Soldanus memoratus, & super hoc chartam noto sibi sigillo signatam conspexisset; detestatus est Christianorum versutiam, invidiam, & proditionem, & maximè eorum, qui videbantur habitum Religionis cum Crucis charactere bajulare: & advocans duos secretissimos, ac discretos Consiliarios, instillavit auribus illorum universa, ostendens eis Epistolam, cui adhuc signum adhærebat, & ait: Ecce fidelitas Christianorum.

Soldanus revelat Imperatori proditionem suorum.

INspectisque literis, post longam, ac diligentem deliberationem, sic responderunt: Domine, justa est pax utrobique beneplacita, quam violare facinorosum foret: sed ad omnium Christianorum confusionem; mittatis hanc Epistolam cum signo adhęrenti, ipsi Imperatori; & erit vobis amicissimus, & meritò. Quorum consiliis Soldanus obtemperans, misit dictam Epistolam Imperatori; & omnem dolum prælocutum ei denunciavit. Insuper dum hæc fierent, Imperator per diligentissimos, & expeditissimos exploratores suos commonitus, priùs hæsitabat; non credens tantam malitiam de Religiosis prorupisse. Et dum sic dubitaret, venit nuncius Soldani ad eum, dictam portans ei Epistolam; per quam pleniùs de prædictis significabatur. Gaudens igitur, quòd laqueos absconditos evasisset, omnia cautè dissimulabat, usque ad tempus retributionis; & quæ ad reditum in terram suam fuerant necessaria, præparavit. Et hoc fuit Seminarium odii inter Imperatorem, & Templarios, ac Hospitalarios. Verumtamen Hospitalarii minorem notam infamię super hoc facto contraxerunt. Ex eo igitur tempore conglutinata est anima Imperatoris cum anima Soldani indissolubili cemento dilectionis, & amicitiæ; & confederati sunt, & miserunt sibi vicissim munera preciosa; inter quæ misit Soldanus Imperatori unum elephantem. Comperientes autem Templarii, & Hospitalarii cum suis complicibus, Imperatoris peregrinationem, quam fecisse ad flumen Jordanis proposuerat, differri, intellexerunt per illud, & alia inditia, dolum suum effectu caruisse. Patriarcham igitur Hierosolymitanum ad suam attraxerunt conspirationem, qui hanc Epistolam ad diffamandum Imperatorem, dicitur conscripsisse.

Epistola Geroldi Patriarchæ Hierusolymitani.

Geroldus Patriarcha Hierosolymitanus; universis Christifidelibus in Domino salutem.

QUam mirabiliter, ab initio usque ad finem, in grave præjudicium negotii Jesu Christi, & fidei Christianæ contemptum, in partibus cismarinis processerit Imperator, si planè intelligatur, in processu ipsius à planta pedis usque ad verticem, non poterit sanitas inveniri. Quoniam in adventu suo excommunicatus venit vix secum ducens milites quatraginta; & sine pecunia; sperans quod de spoliis habitatorum Syriæ posset suam inopiam sustentare. Primoque in Cyprum veniens, nobilem virum I. de Ybellino, & filios suos, quos ibidem occasione negotii Terræ Sanctæ fecerat convenire; minus curialiter cepit ad suum prandium invitatos. Postmodum Regem, quem ad se venire fecerat, retinuit quasi captum. Sicque per violentiam, & fraudem Regnum penitùs occupavit. Transiit in Syriam his peractis. Cumque in principio verbis mirabilia se promitteret facturum, & se super his coram simplicibus jactitaret: Statim ad Soldanum Babyloniæ pacis nuncios destinavit. Propter quod in conspectu Soldani, & suorum paganorum, factus est contemptibilis: præcipuè cum ipsum intelligerent secum non tantam armatorum multitudinem adduxisse, quod aliquo modo possent per eumdem pregravari. Interea occasione premuniendi Joppen, ad partes illas declinavit cum exer-

citu

citu Christiano, ut magis appropinquaret Soldano; & ut facilius possent discurrere pro pace, vel treugua obtinenda. Quid plura? post longum & latentem tractatum, nullius de terra consilio requisito; pronunciavit quadam die subito, quod pacem fecerat cum Soldano: formam pacis, vel treuguæ nullus vidit quando de servandis conventionibus idem Imperator præstitit Sacramentum. Quanta autem fuerit malitia, quàm fraudolentus tractatus, quorumdam Capitulorum tenore, quæ vobis in scriptis duximus transmittenda, cognoscere poteritis evidenter. Quia Imperator ad magnificandum vocem suam, vocem tantum habere voluit; & vocem obtinuit à Soldano. Dixit enim inter cætera, quòd sibi erat Sancta Civitas restituta: ad quam cum in vigilia Dominicæ, qua cantatur, oculi mei, cum exercitu Christiano veniret; die sequenti Dominica, satis inordinatè, satisque confusè excommunicatus in Ecclesia Dominici Sepulchri, in præjudicium honoris, ac excellentiæ Imperialis manifestum, suo capiti imposuit diadema: Saracenis Templum Domini, ac Templum Salomonis in manu sua retinentibus, ac legem Machometti publicè sicut priùs proclamantibus; non sine peregrinorum confusione maxima, & dolore. Idem verò Imperator, cum se firmaturum Civitatem antea multipliciter promisisset, sequenti die Lunæ summo diluculo, primus Civitatem exivit neminc salutato: sibi fratribus Templi, & Hospitalis præsentantibus solemniter, & instanter, quod si vallet firmare, sicut promiserat, Civitatem; ipsi ei, quantum possent, consilium, & auxilium ad id faciendam compararent. Sed ipse, qui de corrigendo negocio non curabat, videns, quod factum illud nullius firmitatis robur obtineret, nec Civitas, sicut restituta erat, teneri poterat, nec firmari, solummodo voce restitutionis cotentus, ipsa die versus Joppen cum sua familia festinavit. Quod cum viderent peregrini, qui cum ipso intraverant Civitatem, post ipsum noluerunt remanere. Sub sequenti verò die Dominica, scilicet qua cantatur. Lætare Hierusalem, venit Acchon, & in ipsa Civitate populum sibi alliciens, ei quandam libertatem concessit, ut favorem ipsius per hoc mendicaret; Propter quid hoc fecit, novit Deus, & ejusdem opera sequentia demonstrarunt. Cùm autem passagium instaret, & omnes unanimiter peregrini, pusilli cum magnis, visitato Sepulchro, tanquam peregrinatione peracta pararentur ad recessum, cum treuguam non haberemus cum Soldano Damasci, nos videntes terram jam destitutam, & à peregrinis relictam, consilium in arcto constituti, injeramus; ut de eleemosyna piæ memoriæ Regis Franciæ, milites pro communi utilitate retineremus. Quod cum audisset Imperator, significavit nobis, se super hoc admirari, cum treuguas cum Soldano Babyloniæ confirmasset. Respondimus quod adhuc remanebat ferrum in vulnere, ex quo treugua, vel pax non fuit inita cum Soldano Damasci, utpotè prædicto Soldano in hoc ei contradicente: adjicientes, quòd invito etiam Soldano Babyloniæ, eos posset Damascenus nimis damnificari. Respondit Imperator, dicens quod sine ejus consilio, & licentia, qui jam Rex fuit Hierosolymitanus, non debebant milites guerrini retineri in Regno suo. Ad quod respondimus, quod super hoc plurimum dolebamus, quod de his & consimilibus consilium ipsius excommunicati, sine periculo animarum, non potuimus expectare. Et cum ad hoc nil nobis Imperator remandaret; die sequenti fecit extra Civitatem per præconem publicum congregari peregrinos habitatores Civitatis, ac per speciales nuncios, Prælatos simul, & Religiosos in sabulo. Inter quos ipse personaliter constitutus, primò cæpit de nobis graviter conqueri, falsas querimonias cumulando. Secundò ad virum venerabilem Magistrum Templi sermones retorquens, famam suam conatus est publicè variis sermocinationibus non mediocriter obfuscare, & sic culpam propriam, quæ jam manifestabatur, intendebat in alios retorquere, addens quod nunc ultimo milites stipendiarios in suum præjudicium, & gravamen retinebamus. Propter quod ipse jubebat omnibus militibus peregrinis, cujuscumque essent nationis, sicut se suaque diligebant, ne remanerent in terra ab illa die in antea, præcipiens Comiti Thomæ, quem Ballivum in terra relinquere disponebat, ut quemcumque ex tunc inveniret, puniret corporaliter, adeo ut unius pœna, multis foret ad terrorem. Quibus omnibus consumatis, nulla excusatione, vel responsione admissa, ad ea quæ tam ignominiosè fuerant divulgata, recessit. Et statim ad portas Civitatis balistarios poni statuit, præcipiens eis, ut fratres Templi exire permitterent, non intrare. Denique tam Ecclesias, quàm alia loca eminentia Civitatis, muniri jussit balistariis, & loca specialiter, per qua ad nos, & ad domum Templi habebatur accessus: sciatisque quod nunquam Saracenis tam gravis extitit aut nocivus, vel contra eos tantum animosus. Cujus nos manifestam malitiam perpendentes, tam Prælatos, quàm peregrinos duximus convocandos excommunicantes omnes illos, qui contra Ecclesiam, vel fratres Templi, & aliæ terræ Religiosos, vel peregrinos.

ipsi Imperatori consilium impenderent, aut juvamen. Quare magis intumescens Imperator, omnes introitus fecit diligentiùs custodiri, inhibens ne ad nos, vel ad illos qui nobiscum essent victualia deferentes appropinquarent, ponens undique balistarios, & sagittarios, quibus nos, & fratres Templi, ac peregrinos graviter impugnabat. Et ut excogitatam malitiam adimpleret, fratres Prædicatores, ac quosdam Minores, qui in ramis palmarum locis statutis convenerant ad prædicandum verba Domini; per satellites suos rapi fecit de pulpitis, & in terram prosterni, extrahi, & quasi latrones per Civitatem fustigari. Deinde cum videret, quòd per prædictam obsidionem, quod intendebat non obtineret, fecit tractari de pace: ad quod respondimus, quod noluimus pacis tractatum admittere, nisi priùs amotis custodiis balistariorum, & aliorum armatorum, ablatis etiam bonis nostris restitutis, ita quod essent omnia in eo statu, & libertate, qua erant die qua ingressus est Civitatem. Ipse tandem fieri præcepit, secundum quod postulabamus, sed non est effectivè mancipatum: Supposuimus igitur Civitatem interdicto. Videns igitur malitiam suam non posse procedere usquequaque, moram in terra noluit trahere longiorem; imò ac si totum niteretur destruere, balistas, & armaturas, à longo tempore pro defensione terræ reservatas, apud Acchon fecit clam in navibus deponi, & plura Soldano Babyloniæ transmitti, quasi charo suo. Et mittens in Cyprum quosdam milites suos, fecit non minimam ab incolis pecuniam extorqueri: & quod mirabilius nobis videbatur, galeas, quas potuit secum trahere, destruxit. Quod cum audivimus, duximus eum super hoc admonendum. Sed ipse admonitione spreta, simul & correctione, latenter festo Apostolorum Philippi, & Jacobi; per vicum secretum, & portum, galeam intrans; versus Cyprum festinavit, nemine salutato, Joppen relinquens destitutam, nunquam utinam rediturus. Jamjam à Ballivis dicti Soldani intercluditur exitus extra muros pauperibus Christianis, ac Syrianis; plures itaque in via peregrini defecerunt. Hæc & multa alia, quæ relinquimus aliis enarranda, quæ mundus novit, commisit Imperator in Terræ Sanctæ, & animæ suæ detrimentum, quæ Dominus miseratus, cum placuerit, dignetur temperare. Valete.

Hæc autem Epistola cum ad audientiam occidentalium perveniret, non mediocriter famam Imperialem obfuscavit, & multorum favorem ademit. Papa autem ad ejus dejectionem diligentius solito insurrexit, & collectioni pecuniæ hiavit avidiùs.

Quidam excessus in quibus Papa accusat imperatorem.

VEnit eodem tempore in Angliam Magister Stephanus, Domini Papæ Cappellanus, & Nuncius ad Regem Anglorum; missus ut colligeret decimas, Domino Papæ à nunciis ipsius Regis Romæ promissas, ad guerram suam sustinendam, contra Imperatorem Romanorum susceptam. Audierat enim idem Papa de Imperatore præfato multa detestanda, quæ faciebat contra legem Christianam: quorum tenorem in scriptum redigens, per diversas Orbis partes literis Apostolicis publicare curavit. Proposuit autem contra eum imprimis, quod in die Annunciationis Beatæ Mariæ, cum esset excommunicatus, intravit Sepulchri Sancti Ecclesiam in Hierusalem, & ibi ante majus altare propria manu sese coronavit; & ita coronatus, resedit in Cathedra Patriarchatus, & ibi prædicavit populo, excusando malitiam suam, & accusando Ecclesiam Romanam. Imponens ei, quod injustè processerat contra eum, & notabilem eum fecerat invectivè, & reprehensivè, de insatiabili, & simoniali avaritia. Egressus autem ab Ecclesia in Comitatu Satellitum suorum, sine omni persona Ecclesiastica, portavit Coronam usque ad Palatium Hospitalis. Item in Palatio suo Acchonensi fecit ei nubere mulieres Christianas Saltatrices, ad ludendum coram eis; quæ etiam, ut dicebatur, commiscebantur eis. Item, fœdus quod iniit cum Soldano, nemo scivit qua conditione tractatum fuit inter eos, nisi ipse solus. Verumtamen manifestè videbatur, quod magis approbaret (secundum quod perpendi poterat per gestus exteriores) legem Saracenorum, quàm fidei nostræ; qui in multis ritus eorum imitatus est. Item in scripto, quod est inter ipsum, & Soldanum, quod lingua appellatur Arabica Mosepha, continetur; quòd jurantibus per ipsum. Item, spoliavit Canonicos S. Crucis in Acchona quibusdam redditibus, quos recipere debebant in portu Acchonesi. Item, spoliavit Archiepiscopum Nichosiensem in Cypro. Item, protexit quemdam Episcopum Surianorum potentia sæculari, contra Patriarcham, ab excommunicato, & Schismatico ordinatum. Item, spoliavit Canonicos S. Sepulchri oblationibus ipsius Sepulchri, & Patriarcham oblationibus Calvariæ loci, & loci Golgotha, & Canonicos Sancti Templi, oblationibus suis: & per manus Satellitum suorum fecit omnes oblationes istas colligere. Propter quod factum, frater Valterus excommunicavit eum in Civitate Hierosolymorum, & omnes Satellites suos.

Item

Item in die Palmarum, Prædicatores de pulpito, ubi prædicabant, viliter, & violenter fecit deijci, & crudeliter tractari, & incarcerari. Item infra passionem Domini obsedit Patriarcham, & Episcopos Wintoniensem, & Exoniensem, & Templarios, in domibus suis: & eum vidit, se non posse prævalere, confusus dimisit. His igitur de causis, licet aliæ non desint, quicquid egit in Terra Sancta pro nihilo reputans Dominus Papa, movit guerram contra ipsum; asserens instum esse: & fidei Christianæ necessarium, ut tam validus Ecclesiæ persecutor à fastu imperii depelleretur. Et quod his omnibus detestabilius est, contra matrem suam Romanam Ecclesiam, grevem excitaverat persecutionem; ita quod Castella ejus cum terris, & possessionibus occuparat; & velut hostis publicus detinuit occupatas.

Fredericus Romanorum Imperator revertitur in Terram suam.

Eodem anno, cum Fredericus Romanorum Imperator Terram Sanctam Christianitati restituisset, & treuguas decennales à Soldano Damasci impetratas, juramento hinc inde confirmasset, in die Inventionis Sanctæ Crucis, naves ascendit, ut transito mari Mediterraneo, reverteretur in terram suam. Sed quoniam audierat, quod à Joanne de Breones insidiæ sibi parabantur in portubus cismarinis inconsultè timuit applicare; & ne de ejus ceptione gauderent inimici illius, in tuto loco applicuit, præmissis exploratoribus suis, qui conduxerunt illum ad portum securitatis, & salutis. Cùm autem prosperè in Sicilia applicuisset cum modico Comitatu, audivit quod æmuli ejus jam Castella multa subjugaverant, & municipia, & quod etiam per terras Imperii liberum haberent discursum, & debacchanerentur multi Papæ stipendiarii, affluentia pecuniæ inæstimabilis faginati, cum non esset, qui eis obviaret. Sed cùm tandem ejus divulgaretur adventus, confluebant ad eum homines Imperii naturales, qui per fidelitatem ei fuerunt astricti. Quibus vallatus, & ex aliis adventantibus confortatus, audacter prorupit in hostes, & terras emissas, ac castra cepit paulatim revocare.

Imperator Fredericus Sororem Regis Anglorum sibi in uxorem petit dari.

Eodem anno 1235. mense Februario, venerunt apud Westmonasterium duo Hospitalis Theutonicorum cum militibus, & aliis nunciis solemnibus, ab Frederico Romano Imperatore ad Regem Anglorum missi, ferentes literas ipsius euro bulletas, in quibus postulavit Isabellam Sororem Regis sibi matrimonio copulandam. Venientes autem VII. Kal. Martii ad Regem, petierunt literarum, & suæ postulationis responsum sibi dari, ut Regis voluntatem Domino Imperatori possent celeriter nunciare. Rex autem Anglorum, super dicto negotio sollicitus, cum Episcopis, & Regni sui magnatibus cœpit tractare per triduum: qui rem diligenter examinantes, in hoc unanimiter consenserunt, ut puella daretur Imperatori. Et sic III. Kal. Martij respondens, matrimonium petitum concessit. At nuncii cùm postulassent, ut sibi liceret puellam videre, misit Rex Legatos fide dignos pro sorore sua ad turrim Landoniarum, ubi sub vigilanti custodia servabatur. Quam reverenter, apud Westmonasterium perducentes, in præsentia Regis puellam, vicesimum primum ætatis agentem annum, speciosam nimis, flore virginitatis insignitam, indumentis, & moribus Regiis decenter ornatam, Nunciis Imperialibus exhibebant. At illi cum in virginis inspectione visum aliquandiu recreassent, & eam Imperiali thoro dignissimam in omnibus judicassent, confirmarunt matrimonium, in animam Imperatoris interposito juramento, offerentes ei ex parte ipsius Imperatoris annulum sponsalem. Quem cum in ejus digito posuissent, pronunciaverunt eam Imperatricem esse Romani Imperii, communiter dicentes: Vivat Imperatrix vivat. Deinde cùm Legati ea, quæ facta fuerant, sub omni festinatione Imperatori per fideles nuncios intimassent; Post Paschalem solemnitatem misit Archiepiscopum Coloniensem, & Lovaniæ Ducem, cum virorum nobilium multo Comitatu, in Angliam, qui Imperatricem ad ipsum honorificè perducentes, matrimonium jam initiatum, & ratum procurarent, ut in cognitione carnali fieret consummatum.

Preparatio Imperatoris ut expugnaret Italiam.

Sub eodem tempore, Dominus Papa Imperatorem literis cōmonitoriis inhibuit diligenter, ne Italiam hostiliter intraret. Convocaverat enim Imperator tempore æstivali; omnes quas poterat vires Imperiales; ut Italicos insolentes expugnaret, præcipuè Mediolanenses. Erat enim Civitas illa omnium Hæreticorum, Paretinorum, Luciferanorum, Publicanorum, Albigensium, usurariorum refugium, & receptaculum. Videbatur enim Domino Imperatori inconsultum, Terræ Sanctæ per præsentiam sui, & exercitus Dei tam popu-

popolosi succurrere; & post terga falsos relinquere Christinos, quolibet Saraceno deteriores. Mirabatur insuper supra modum, quod in aliquo erat Dominus Papa Mediolanensibus favorabilia; ut videretur in aliquo illis præstare Patrocinium; cum deceat illum esse Patrem piorum, & malleum impiorum. Tamen ob reverentiam tanti Patris, respondit Dominus Imperator Domino Papæ modestè, ac prudenter, in hunc modum.

Responsio Imperatoris ad Papam.

ITalia hæreditas mea est, & hoc notum est toti Orbi. Anhelare ad aliena, & propria relinquere, ambitiosum esse, & enorme: prætertim cùm Italicorum, præcipuè Mediolanensium me injuriis lacessivit insolentia; in nullo mihi debitam exhibens reverentiam. Præterea, Christianus sum, & qualiscumque servus indignus Christi, accinctus ad Crucis inimicos debellandos. Cùm igitur tot hæreses non tantum pullulent, imò sylvescant in Italia, & jam zizania Segetes incipiant suffocare per Civitates Italicas, præcipuè Mediolanensium: transire ad Saracenos hostiliter expugnandos, & illos incorrectos pertransire; esset vulnus infixo ferro fomentis superficialibus delinire, & cicatricem deformem, non medelam procurare. Item, solus sum, & homo sum: nec ad tantum laborem sufficio, ut inimicos Crucis sine magno Comitatu adeam debellaturus incredulos; qui tot sunt, & tam fortes, expugnando. Item, cum sine thesauris magnis ad tam arduum negotium consurgere per me non sufficiam; opes ejusdem Terræ in opem, & ultionem Crucifixi convertere destinavi. Abundat equidem Italia armis, equis, & opibus; hoc terra novit universa.

Ingressus Imperatoris in Italiam, ut Mediolanum occuparet An. 1236.

AUdiens igitur Dominus Papa tam profundi pectoris sermones; ne videretur esse his rationibus irrefragabilibus contrarius, cum simultate consensit. Et ut montes transiens, in Italiam secundùm propositum suum intraret; Spopondit Dominus Papa ei secundùm posse suum, in omnibus necessitatibus paternum indubitanter præstare patrocinium. His igitur magis animatus Imperator, adunato qualem effundere potuit exercitu per edictum Imperiale, intravit Italiam milite stipatus copioso. Cujus impetum horribilem cum Mediolanenses non sine causa formidarent; miserunt ad Dominum Papam ab eo consilium, & auxilium efficax postulantes, Ipse autem, cum multa ei daretur pecunia, & plus pollicereter, misit Mediolanensibus juvamen multum, & consolamen, in Imperatoris detrimentum: quod tamen multis videbatur incredibile, imò potiùs inopinabile, ut in tanta, talique necessitate pater in vitricium verteretur. Exeuntes igitur Cives in multitudine gravi, circiter ad quinquaginta millia armatorum, obviam Imperatori cum Standardo suo (quod Carrucam, vel Carrochium appellant) indubitanter perrexerunt, nunciantes se contra eum bellaturos. Venerat autem eodem tempore quidam miles de Regno Angliæ, Nuncius Domini Regis Anglorum, ad Dominum Imperatorem, Baldevinus da Vair dictus, secreta negotia tam Imperatorem, quàm Dominum Regem suum contingentia, tractaturus: qui super his omnibus, diligentes auditores postea reddidit doctiores. Cum autem audisset Imperator, Mediolanenses in tantam audaciam prorupisse, ut levarent contra eum calcaneum: statim eos prognosticabat hunc ausum ex alio quam proprio sulcimine concepisse. Et librato inter Magnates suos arduo consilio, acclamatum est, ut omnes universaliter ab imo ad maximum, qui ex parte Imperatoris erant, sine mora ad arma convolarent; & vulgò Mediolanensium, quod quasi mures exeuntes de cavernis, Dominum suum ausum est ad bella provocare, & vires experiri Imperiales, hostiliter obviarent. Quod cùm notum esset Mediolanensibus, restiterunt paulisper. Et unus ex senioribus Civibus, ad cujus judicium omnium pendebat sententia, ordinatis admodum coronæ circumstantibus, ait. Audite Cives eximii. Adest Imperator in manu fortissima, & exercitu copioso, qui ut notum est toti mundo, Dominus noster est. Et si fiat hæc lamentabilis congressio, damnum inde eveniet irreparabile: in qua si vincamus, probrosam nec non & cruentam victoriam de Domino nostro invaso reportabimus. Si vincamur, delebit nomen nostrum, & nostrorum, & Civitatis nostræ in æternum, & erimus in opprobrium omni nationi; Cum sit igitur omni casu contingente inhonestum, & anceps ulterius hostiliter progredi, consilium sanum judico, in nostram regredi Civitatem. In qua si nos voluerit violenter impetere, licebit vim vi repellere. Et si tunc Dominus nobis concesserit, vel pacem componere, vel eum à finibus in manu forti remotius arcere, salvabitur Urbs nostra, & fama manebit inviolata. Quod cùm acquiescentes fecissent, gratum fuit in oculis Imperatoris. Et ne videretur timiditas, aut formidolositas, insecutus est eos Imperator, parans obsidionem. Et dum agerentur,

tur, procurantibus vel Romana Ecclesia, vel inimicis Imperatoris; mota est seditio intestina in finibus Alemanniæ, à Duce Austriæ. Ad quam sedandam, literæ quàm nuncii festinantes, tam arduum negotium explicantes, ipsum Imperatorem urgenter revocabant. Obsidione igitur, quam jam perseverat, soluta, rediit in Alemanniam. Mediolanenses autem hoc audito, quædam Castella, quæ Imperator ceperat, & homines suos, quos in eisdem custodiendis posuerat, violenter occuparunt, militibus Imperialibus, & servientibus, quos intus invenerant, trucidatis. Quod cùm audiret Imperator, iratus, nec immeritò, totam in auctorem hujus mali justam refudit indignationem. Et Ducem Austriæ insequendo, illum honore, Terris, Castellis, & Civitatibus, vix vita remanente, spoliavit. . . . . . .

Causa reditus Imperatoris ex Italia.

EIsdem temporibus 1237. Dominus Imperator Fredericus, videns cum malitia invidorum eum ab incepto proposito revocarent in Alemanniam, & quod in opprobrium suum, soluta obsidione, à Civitate Mediolanensi oportuit recedere; inquisivit qui hoc illi impedimentum procurarunt. Et comperto, quod Dux Austriæ moto bello intestino in Alemannia, & quod ipse causa esset, quòd impediretur à suo proposito; hostili impetu irruit in eum, & terris, & honoribus, & thesauris eundem spoliavit.

Imperator convocat omnes Principes Christianos.

EOdem verò anno, Dominus Imperator Fredericus vocavit per solemnes nuncios, & literas Imperiales omnes Principes magnos Orbis Christiani, ut omnes in Nativitate S. Joannis Baptistæ (quæ fatis in confinio, vel propè confinium Imperii, & Regni Francorum sita est) convenirent; de negotiis arduis, tam Imperium, quàm alia Regna contingentibus, tractari . . . . . .

Quod Colloquium suspectum habentes Rex Francorum, & Rex Angliæ effectum non habuit.

Reditus Imperatoris in Italiam cum exercitu copioso.

EOdem etiam anno 1237. circa Festum S. Michaelis, Dominus Imperator cum sedasset seditionem motam in Alemania, & pacificatis ibi omnibus, intravit in manu forti, & exercitu copioso Italiam: nolens omnibus modis multiformes injurias, sibi à Civibus Mediolanensibus sæpius irrogatas, vindicare. Dum enim ipse paulò ante in Alemanniam regrederetur, cum mota perturbatio intestina esset, quam Dux Austriæ in propriam perditionem excitaverat, agnoscentes id ipsi Cives Mediolanenses, quasi ipsum imperatorem inexorabili odio insequentes, suos quos in Castris Italicis jam acquisitis reliquerat, truculenter trucidarunt, Imperialem indignationem sibi diatim provocantes. Et ne inobedientiæ posset redargui, ipsum Dominum Papam, tam per chartas deprecatorias, quam per solemnes nuncios plures, & pluries sollicitatis: humiliter deprecando, ut ipse qui erat caput Ecclesiæ eum juvaret ad acquirendum potenter suam hæreditatem, & injurias multiplices sibi à Mediolanensibus illatas, injustè vindicandum, & hæreticam pravitatem ab omni infami Civitate Italiæ expirandam. Præsertim cum deceat Ecclesiam Romanam, omnium talium, & si alii omnes tacerent, insolentiæ refragari. Sed Dominus Papa dissimulando, hoc audito Romam perrexit, quasi fugiens à facie Imperatoris, nolens, vel impotens eisdem subvenire; Romani verò eum advenientem cum gaudio susceperunt, ne ex tunc, ut priùs, egrederetur, sancientes. Senserant enim se per absentiam suam jam decennalem, magnam pecuniæ jacturam incurrisse.

Bellum inter Imperatorem, & Mediolanenses.

MEdiolanenses verò, audientes Domini Imperatoris adventum, quem meritò ad iracundiam provocaverant, omnibus modis quibus possunt se ad bellum præpararunt: turres annona, pharetras spiculis, inermes armis munientes. Et cum appropinquasset Imperator cum exercitu suo copioso, (qui numerum centum millium, præter Saracenos suos stipendiarios, dicitur excepisse) & venisset ad unam dietam de Civitate, Cives in manu hostili fortissima cum omnibus sibi confœderatis, dispositis aciebus obviam Imperatori imperterritè occurrerunt, tentoria donec dies belli determinaretur, figentes, cum suarum legionum multitudine, quæ ad sexaginta millia computabatur. & Carrochium suum ubi robur exercitus esse videbatur, statuentes. Quod videns Dominus Imperator, suos convocavit Consiliarios, & animans eos verbis bellicis, ait: Ecce eminus ausi sunt apparare insolentes inimici nostri Mediolanenses, non veriti me Dominum eorum ad bellum provocare, veritatis, & Ecclesiæ Sanctæ inimici, quos proprii sceleris pondus labefactabat. Transite flumen. (Erat enim eis amnis, flu-

vius olei dictus, intermedius, dividens utrumque exercitum.) Eriga igitur & expandens signifer meus impiger, victricem aquilam meam; & educite gladios vestros formidabiles, milites mei, quos toties hostium sanguine inebriastis, & impetite in furore vestro mures istos ausos exire de cavernis suis, ut hodie experiantur Romani Imperatoris hastas fulgurantes. Nec mora Mediolanenses in exercitum Imperialem irruentes, Saracenos sibi primò oppositos alacriter suscipiunt in ore gladii; & in brevis horæ spacio trucidant prosternentes. Et procedunt Cives, simili strage exercitum confertum sternere proponentes. Quod comperiens Imperator, cum suis nobilibus, Magnatibus, robustis, & insuperabilibus, qui omnes vires effundendo, glomeratim se hostibus infuderunt, impetum repressit insurgentium. Cives verò, videntes rem agi pro capite, conceptum animum invicem exhortantes, exercuarunt, vires viribus repellentes: & animosiùs congredientes, micantes gladios in corpora inimicorum immerserunt, & initum certamen in cruentissimum bellum suscitarunt. Prosternuntur igitur hinc inde infulti. Clamor congredientium bellatorum, gemitus morientium, tinnitus armorum, hinnitus equorum, assessorum sese comprimentium vociferatio, ictuum fulgurantium frequens malleatio, ipsum aëra tumultibus repleverunt. Tandem post multa hinc inde cruenta certamina, Mediolanenses non potentes ampliùs illo die pondus belli sustinere, regredientes sese in suam recepere Civitatem, in crastino in id ipsum redire proponentes, & Domino Imperatori significantes, ut summo manè fortunam belli diffinitivè viriliter experirentur, & secundum voluntatem Domini exercituum, vel ipsi Cives, vel adversarii eorum, triumphali gaudio sine majoris moræ dispendio potirentur, nec torqueret amplius suspensos animos morosa protractio. Imperator autem hæc audiens, inito consilio, maluit providè, ac cautè hostium furorem reprimere, quàm inconsultè dubia fata Martis ex abrupto continuando, se suosque incertis casibus committere fatigatos. Facta est igitur multorum nobilium utrobique strages miseranda, & à sæculo deploranda. Mediolanenses verò in hoc casu deteriorem calculum reportarunt. Imperator enim tria millia de ipsis Civibus nobilioribus cepit; de vulgaribus verò in ore gladii prostravit infinitos. Postea verò cepit trecentos nobiles insidiis constitutos. Carrochium eorum cepit, & potestatem, scilicet filium Ducis Venetorum, qui maluit in prælio corruisse; aliosque Magnates quàm plures trucidavit. Episcopus quoque eorum, vel in prælio cecidit, vel captus; certum nullum ex se apud nos reddidit relatorem. Ex tunc, igitur, Dominus Imperator in circuitu Civitatis vias, & passagia districtè jussit custodiri; & accessus, & recessus institutorum, & agricolarum appositis custodibus die, ac nocte obstruxit: pontes confregit, itinera custodivit, ut sic debbacantium hostium vires enervaret, & feritatem edomaret. Cives verò contra Deum calcaneum elevantes, versi sunt in arcum pravum, & quasi desperantes, & de Deo diffidentes, in Ecclesiis crucifixum per pedes suspendentes, & carnes sextis feriis, & in Quadragesima comedentes, & multi per Italiam ejusdem desperationis abyssum demersi, conviciantes, & blasphemantes, Ecclesias sordibus, quas indignum est dicere, irreverenter maculantes, altaria magis polluentes, viros Ecclesiasticos expulerunt. Irruit igitur formido, & pavor, super Civitates Italiæ. Et venerunt ex illis multi Civium donaria preciosa offerentes: & ne simili calamitate involuerunt, se, suasque Civitates mancipantes, dederunt dextras Imperatori, priorum exemplis humiliati, ita etiam factum est, quod infra medium Quadragesimæ Dominus Imperator totam Italiam, præter Bononiam, & quatuor alias Civitates, quæ non habebant potestatem resistendi, in manu robusta occupavit. Universitas autem Clericorum Bononiensium nimis sibi timuit: quia significaverat eis anno præterito Imperator, ut in pace recederent, & obedire mandatis ejus contempserunt.

Imperator Fredericus de Crucis negotio sollicitus scripsit Comiti Richardo.

SUb eodem tempore (*Anno* 1238.) Fredericus Romanorum Imperator, sollicitus de progressu Crucesignatorum, & de progressus ordinatione, præcipuè Comitis Richardi, scripsit idem Comiti in hæc verba:

Fredericus Dei Gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Comiti Cornubiæ, dilecto sororio suo, salutem, & sinceram dilectionem. Generalis Terræ commoditas Sanctæ, quæ à Crucesignatorum executione dependat: nos frequenter inducit, ut de prorogatione passagii Crucesignatorum in Regno Franciæ, & aliis partibus Orbis terræ, usque ad præfinitum transguarum tempus, videlicet à primo venturo mense Augusti, usque ad sequentem annum completum, apud ipsos monitis, & precibus instaremus: expedire videntes illius Terræ subsidio, nec non præfectui transeuntium, & honori si à proximo festo Beati Joannis Baptistæ, usque ad diem

sequen-

sequentis anni festum, transitus, tam strenuæ multitudinis ordinatè fiat tempore opportuno. Nec debuimus silentio prætarire negotium, & onus, quod præ cæteris mundi Principibus, ad ejusdem Terræ liberationem, humeris nostris incumbit: pro qua tenemur opem, & opes effundere; qui præmissa deliberatione consilii, ipsis ad Christi servitium potenter accinctis, totius causæ circumstantias plenariè ponderemus, contingentibus non omissis. Illi autem, qui corda, & corpora sua Crucis obsequio deputarunt, & utile cupiunt exhibere servitiem Crucifixo; per nuncios, & literas nostras exinde requisiti, consultationi nostræ consultè, ac providè responderunt, se usque ad prædictum completum treuguarum terminum, exequuturos efficaciter preces nostras. Super quo digna gratiarum actionibus, approbavimus provisum ipsorum deliberationis consilium, & responsum. Ad hæc cum personam vestram videre fraterno cupiamus affectu, & honorem vestri passagii liberaliter procurare t volumus, & rogamus, ut vita Comite per nos, & Regnum nostrum Siciliæ opportuno tempore transeatis; quia nostræ non resideret gratum voluntati, si aliunde nobis invisis transitum faceretis. Maximè cum Regnum nostrum sit taliter constitutum, quòd per illud ad partes transmarinas facilior, & opportunior transitus præbeatur. Datum Vercellis, 18. Februarii, xj. Indictionis.

Nuntiat Imperator Comiti Richardo, quòd natus est sibi filius.

ILlis quoque diebus, Imperator Romanorum quoque Fridericus, in signum dilectionis, scripsit Comiti Richardo, intimans ei ad gaudium, quòd natus ei esset filius de sorore ejusdem Comitis Isabella Imperatrice, sub his verbis.

Fredericus Dei Gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Richardo Comiti Cornubiæ, dilecto sororio suo, salutem, & omne bonum. Rem jocundam, & communibus desideriis expectatam, quæ præ cæteris hominum eotis gratior ex beneficio naturæ suscipitur, per quam sceptra regnantium optata successione beantur: tantò maturiùs ad tuam duximus notitiam perferendam, quantò moram non patitur novitas gaudii succedentis. Adest enim nobis celebris insinuationis jocunditas, quam expectationi vestræ præsentium serie nunciamus; quòd disponente providentia summi Regis, qui dat ortum Regibus, & salutem, ex Augustæ consortis nostræ sororis tuæ fœcundo gremio, datus est nobis octavo decimo die mensis Februarii novus filius, & nepos novus natus est tibi. Cujus ortus Patri, & avunculo cedit ad gloriam, matri renovat gaudium; & spem corroborat subditorum.

Mediolanenses cupiunt reconciliari Imperatori Frederico.

IN illius temporis diebus, Mediolanenses Imperialem potestatem formidantes, miserunt ad Dominum suum Imperatorem sub omni qua potuerunt instantia postulantes, ut ipse, quem verum Dominum, & naturalem palàm protestati sunt, suam ab eis averteret indignationem, & cessans expugnare eos, quasi suos fideles foveret, & protegeret sub alis suæ magnificæ protectionis. Ipsi etiam ex tunc in antea, ipsi quasi Imperatori, & Domino, cum debita servirent reverentia. In cujus obedientiæ testimonio, ut in brachiis suæ dilectionis tu arentur, & pristinæ rebellionis non recordaretur; omnem quam habebant in auro, & argento substantiam, ipsi liberaliter conferrent. Insuper omnia vexilla sua ante pedes Imperiales collata, in signum subjectionis, & obedientiæ, & Imperialis victoriæ, concremarent. Cæterùm, eidem in obsequio Crucis in Terra Sancta militanti, invenirent per annum decem millia armatorum, ad promotionem Ecclesiæ, & sui honorem; ea conditione, ut ipsos Cives sine simultate diligeret, & salvus permaneat status Civium, & Civitatis. Sed hæc omnia Dominus Imperator procaciter refutavit, exigens irrefragabiliter, ut Cives communiter cum sua Civitate, & bonis omnibus, se suaque absolutè suæ manciparent voluntati. Cujus tyrannidi Cives communiter responderunt, quòd hoc nullo modo facerent, dicentes: Timemus tuam edocti experimento feritatem. Malumus sub Clypeis gladio, vel lancea mori, vel spiculis, quàm laqueo, fame, vel incendiis. Ex tunc igitur cœpit Imperator favorem multorum amittere, quia factus est tyrannus inexorabilis; & Mediolanenses propter suam humilitatem, extolli, & liberari meruerunt. Juxta illud: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Cives autem videntes rem agi pro capite, solitò instantiùs se suamque Civitatem armis, & fossatis, & aliarum Civitatem fœdere munierunt.

Fama Imperatoris Frederici obfuscatur.

EJusdemque temporis curriculo, fama Imperatoris Frederici admodum est obfuscata, & maculata, ab invidis Inimicis, & æmulis suis. Imponebatur enim ei, quod vacillans, aut etiam exorbitans,

ie

in Fide Catholica, direxit quædam verba, ex quibus elici, & suspicari potuit, non tantum Fidei Catholicæ in eo imbecillitas, quin imò, quod graviùs, & multò pejus est manifestè, & maximæ hæresis, & dirissimæ blasphemiæ enormitas detestanda omnibus fidelibus, ac plane execranda. . . . . dictum etiam fuit ab æmulis suis ipsum Fredericum Imperatorem plus consensisse, & credidisse in legem Machometti, quam Jesu Christi: & etiam quasdam meretriculas Saracenas sibi fecisse concubinas. Surrepsitque murmur in populum (quod avertat Dominus à tanto Principe) Saracenis à multo tempore ipsum fuisse confœderatum, & amicum fuisse plus quam Christianorum, & id indiciis multis probare conabantur ipsius æmuli, qui famam suam conabantur obfuscare. Si peccabant, vel non, novit ipse, qui nihil ignorat.

Sardinia cessit in ditionem Imperatoris.

IPso quoque anno, dum in Italia Dominus Imperator hyemaret; redditæ sunt ei opulentissimæ Insulæ in mari Mediterraneo sitæ, & Civitati Pisaniæ proximæ: Scilicet Sardiniæ pars maxima, & potissima. Cujus Insulæ jus, ad Patrimonium Beati Petri specialiter pertinere perhibetur. Imperator verò, ipsa ad Imperium spectare ab antiquo asseruit: & per occupationes, & alia ardua negotia Imperialia, Imperatores eum amisisse: & ipsum adeo, eam ad corpus Imperii revocasse. Ego verò juravi, ait, ut jam novit mundus, dispersa Imperii revocare: quod non segniter adimplere procurabo. Misit igitur Dominus Imperator filium suum, ut sibi oblatam reciperet prædictæ Insulæ, contra prohibitionem Domini Papæ, portionem. Quod cum summa indignatione Dominus Papa accepit, ex tunc in manifestam consurgens ultionem: jacturam enim magnam reputavit. Est enim institorum refugium, naufragorum solatium, profugorum asylum Insulas Sardiniæ: quatuor Principibus, quos Judices vocant, gubernata. . . . .

Incrementum iræ, & odii inter Imperatorem, & Papam.

EOdem anno, in Quadragesima, Dominus Papa cum vidisset facta Imperatoris nimis temeraria, & dicta sua peccatum suum excusantia, scilicet quod faventibus quibusdam Magnatibus, & Judicibus Sardinicis, Terram, & Castra Episcopi Sardinici, sibi accepisset, & tenuisset, & constanter assereret, ea esse de substantia Imperii, seque primo suo, & maximo Sacramento juro Imperii servare pro posse, necnon & dispersa congregare: ira vehementissima commotus contra Imperatorem, gravissimas contra eum proponens quæstiones; & reponens quærimonias, scribens, & scribendo constanter, & diligenter persuadens, per plures, & plaries nuncios solemnes, quorum auctoritas meruit exaudiri ut ablata restitueret, & desineret Ecclesiam suis possessionibus viduare, quam constat diuturna temporis præscriptione prædotari. Et more prudentis Medici, qui nunc fomentis, nunc ferro abscissionis, nunc verò utitur adustione, verba intermiscens blandis comminatoria terribilibus amicalia. Sed cum Imperator procaciter retinuisset, & sua facta quibusdam causis apparentibus ratione fultis excusasset, Dominus Papa cum multis tunc præsentibus Cardinalibus Dominica Palmarum, in spiritu ferventis iracundiæ, Fredericum dictum Imperatorem, ac si jam à culmine Imperii dejecissent eum, solemniter excommunicavit, tradens eum Satanæ in interim terribiliter possidendum. Et eisdem verbis utentes, quasi in fremitu furoris intonans, omnes audientes vehementer compulit ad terrorem.

Excommunicatio lata in Fredericum Imperatorem An. 1238.

EXcommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Auttoritate Apostolorum Petri, & Pauli, Fredericum dictum Imperatorem, pro eo, quod contra Romanam Ecclesiam seditionem iniit in Urbe, pro eo quod intendebat Romanum Pontificem, & fratres suos à sua Sede repellere, & contra Privilegia dignitates, & homines, Apostolicæ Sedis libertatem, nec non & Ecclesiasticam conculcare, contra juramenta, quibus super hoc Ecclesiæ Romanæ tenetur temere veniendo. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quòd venerabilem fratrem nostrum Episcopum Prenestrensem, Apostolicæ Sedis Legatum, ne in legatione sua procederet, quam in Albigensium partes, pro corroboratione Catholicæ Fidei sibi commisimus curam, per quosdam Fideles suos mandavit impediri. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quod non permittit quasdam Cathedrales, & quasdam alias vacantes Ecclesias in Regno ordinari, & hac occasione periclitatur libertas Ecclesiæ, perit Fides, quia non est, qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente Pastore. Et sunt nomina dictarum Ecclesiarum vacantium: Cathanensis, Reginensis, Accriviarensis,

Squi-

Squilatensis, Resensis, Potentinensis, Hydrontinensis, Policastrensis, Tarentinensis, Aversanensis, Valvensis, Molopolitensis, Polimanetensiis, Melfrensis, Rapellensis, Cributensis, Alifanensis, Episcopus, Mazarensis, Vigiliarensis, & Frethinensis: Monasteria verò sunt ista: Veousinum, & Sancti Salvatoris Messanensis. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quòd in Regno Clerici capiuntur, & incarcerantur, proscribuntur, & occiduntur. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo qeod in Regno Ecclesiæ consacratæ Domino, destruuntur, & profanantur. Item excommunicamus, anathematisamus eundem, pro eo quod non permittit Soranam Ecclesiam reparari. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quod nepotem Regis Tunicii, venientem ad Ecclesiam Romanam, pro suscipiendo Baptismatis Sacremento, detinet, nec venire permisit. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quod Petrum Saracenum, nobilem Civem Romanum, ex parte Regis Angliæ ad Sedem Apostolicam venientem, cepit, & detinet carceri mancipatum. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quod Terras Ecclesiæ, scilicet Ferrariam, Pingnogomas, Bononiam, Ferrariensem Diœcesim, & Bononiensem, Lucanensem Diœcesim, & Terram Sardinię occupavit, contra juramentum, quo super hoc Ecclesiæ tenetur, temerè veniendo; Item excommunicamus, & anathematisamus eundem, pro eo quod Terras quorundam Nobilium de Regno, quas Ecclesia tenebat ad manus suas, occupavit, & devastavit. Item excommunicamus, & anathematisamus eundem, pro eo quod qualdam Ecclesias Cathedrales, videlicet Mons-Regalis, Cæphaludensis, Cathanensis, Squilateosis, & quædam Monasteria, videlicet Miletensis, Sanctæ Eufemiæ, Terræ majoris, & Sancti Joannis in Lamis, bonis suis spoliavit. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quod multæ Ecclesiæ Cathedrales, & aliæ Ecclesiæ, & Monasteria de Regno, per iniquam inquisitionem fuerunt ferè bonis omnibus spoliata. Item excommunicamus, & anathematiaamus eundem, pro eo quod in Regno Templarii, & Hospitalarii mobilibus, & immobilibus spoliati, non sunt juxta tenorem pacis integrè restituti. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quod in Regno Ecclesiarum Prælati, & Abbates Gisterciensis, & aliorum ordinum, compelluntur per singulos menses dare certam summam pecuniæ pro constructione castrorum novorum. Item excommunicamus, & anathematizamus eundem, pro eo quod contra tenorem, pacis, hi qui adhæserunt Ecclesiæ, bonis omnibus spoliati exulare coguntur tanquam pro scripti, uxoribus, & liberis captivatis. Item excommunicamus, & anathematiaamus eundem, pro eo quod per ipsum impeditur negotium Terræ Sanctæ, & reparatio Imperii Romaniæ. Omnes autem, qui juramento fidelitatis ei tenentur astricti, ab ejusdem observatione juramenti decernimus absolutos, ne sibi fidelitatem observent, districtius inhibentes, quamdiù fuerit vinculo excommunicationis astrictus, super oppressionibus, & aliis gravaminibus Nobilium, pauperum, viduarum, orphanorum, & aliorum de Regno, pro quibus idem Fredericus aliàs juravit stare mandatis Ecclesiæ, ipsum intendimus amovere, & in ipso negotio, dante Domino, procedemus sicut justum fuerit procedendum. Porrò, pro omnibus, & singulis supradictis, pro quibus dictus Fredericus à nobis diligenter fuit admonitus, & frequenter, nec parere curavit, eundem Fredericum excommunicationis, & anathematis vinculo innodamus. Cæterum quia idem Fredericus, de dictis factis suis, multis clamantibus, per universum quasi Orbem, quod de Cathholica Fide rectè non sentiat, est graviter diffamatus: nos, dante Domino, super hoc loco suo, & tempore procedemus, secundùm quod in talibus requirit ordo Juris.

Quantum ira Imperatoris excanduit in Papam.

His auditis, Dominus Imperator in Iram excanduit vehementem, exprobando, & multoties recitando, imponendoque Ecclesiæ, & ejus Rectoribus, quod omnes sibi essent ingrati, rependentes mala pro bonis: recolens quod fluctibus marinis, & mille generibus periculorum se suaque, pro prometione Ecclesiæ, & Catholicæ Fidei incremento, opposuisset. Et quicquid habet honoris Ecclesia in Terra Sancta, ejus labore, & industria affirmavit adquisitum. Sed Papa invidens quod per adquisitionem alicujus laici, Ecclesia tam felix sentiret incrementum, qui tantum aurum, & argentum magis quam fidei augumentum, testantibus operibus, cupiens, mihi paravit supplantationem, & ab omni Christianitate pecuniam extorquens, scilicet decimam partem, toto nisu suo, ut me Deo militantem, & exponentem corpus telis, infirmitati, hostium insidiis, priùs fluctuum sævientium nullis parcentem periculis elaboravit, ut me exheredaret. Ecce quale præsidium patris nostri! Ecce quale præ-

sidium in pressuris Vicarii Jesu Christi! Nec adhuc sufficit furor persequentis. Erexit enim contra me Joannem de Bresne, aliquando Regem Hierosolymitanum, quem novit in bello strenuum, & in militari disciplina peritissimum, & meum validum fuisse inimicum, in confusionem meam, & subversionem mei, talia certè non verentes. Ditavit etiam ipsum pecunia, non minima, quam à pauperibus Prælatis Ecclesiarum, per orbem extorserat impudenter. Audiens talia per fideles meos, quot suspiria, quas lacrymas, dolor iste generavit in corde meo, non est facilè denodare: sed novit, qui nil ignorat. Sed celans præcordialem dolorem sub sereno vultu festinanter, ne fortè id cognoscentes inimici, superbirent exultantes, & fierent nobis graviores, cœpi tractare de pace, & captis treuguis, reditum maturavi. Et cùm repatriassem, inveni Terram meam à Papalibus parentibus, & affinibus occupatam, quorum Dux fuit prædictus Joannes de Bresne, & Capitaneus: quos Deo vindice compræhendi, & juxta merita eorum, qui Crucifixi negotium impediverunt, puniendo recompensavi. Judicet Deus inter me militem suum, & Papam ipsius Vicarium. Novit enim Christus, novit, & mundus, quòd à veritatis tramite non exorbito.

Ecce radix odii, & seminarium. Et factum est schisma in populo. Et redintegratum est per præsentiam Domini naturalis, scilicet Imperatoris, robur Imperii in temporis brevitate.

Literæ Imperiales ad Senatum Populumque Romanum.

EOdem tempore, Dominus Imperator, admirans quòd robur Romanorum nimis enervatum, à constantia suæ subjectionis debitæ, & fidelitatis tam fiducialiter promissæ recalcitravit: permittendo in eundem Imperatorem, Dominum suum naturalem, sententiam excommunicationis inferri in Civitate: tam Curiæ Romanæ Cardinalibus, quam Senatori Urbis, & Romanis, ex intimo cordis, tacto dolore præcordiali, scripsit in hæc verba:

Fredericus Dei Gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, Senatori Urbis, & suis ConRomanis, Salutem. Cum Roma sit Caput nostri, & autrix Imperii, & Romanus Imperator à Romæ vocabulo nuncupetur, ut sibi nostri nominis, & honoria processus, & auspicia debeamus; in admirationem vehementem rapimur, si ubi nostri promovendus est honor, & injuria repellenda, inter eos qui tenentur, & debent pro culmine nostro se murum defensionis opponere insurgentibus ex adverso, ipsis audientibus, & dissimulantibus, contrarium patiamur; propter quod graviter dolere compellimur, quod Romanus Antistes contra Romanum Principem id quod alibi non auderet, sicut dicitur, in Urbe præsumpsit; & Romanum Imperatorem, auctorem Urbis, & benefactorem Populi Romanorum, ipsis non resistentibus, impiè blasphemavit. Ut benefactorum nostrorum tam Proceres, quàm Populum Romanum, quibus specialiter, & communiter studuimus liberali, & spontanea munificentia providere, ac eorum intendimus continuatis augmentis, rectè vocemus immemores extitisse, ac inerti somno detentos, ut de tribulo mallea, non vir esset de tot Proceribus, & turba Quiritum, vel unus de tot Romani populi millibus, qui pro nobis exurgeret, verbum unicum loqueretur, qui nostræ injuriæ condoleret: cum nos Urbem antiquis triumphorum titulis insignitam, novis nostræ victoriæ successibus honoremus, & ad reformandum Romanum nomen, sicut in diebus antiquis, & exaltandum Romani statum Imperii, continuis laboribus intendamus. Qua propter necessariò ducimur, requirere nos, instanter monere, pariter & exhortari, quatenus si omissum est aliqua negligentia, vel torpore: nunc instanter ostendere debeatis, inducentes alios monitis, & exemplo; ut omnes & singuli prompta voluntate consurgant ad nostram, & communem injuriam ulciscendam. Quia cum idem blasphemator noster, ausus alibi non fuisset in nostri nominis blasphemiam prorupisse, de tanta præsumptione gloriari non posset, quòd volentibus, & nolentibus Romanis contra nos talia perpetrasset; cùm potiùs posset vestræ ingratitudini reputari, si quòd ante factum fuit, impedire laudabiliter potuistis, ex post facto nostram, & vestram injuriam, postponatis inultam. Nam cum alterutrum teneamur, & nos Romanum honorem, & Romanos defendere nomen nostrum, si ad hoc vos, & eos negligentes invenerimus, cum nullus timor nos coëgerit ad beneficia Romanorum, sed gratia induxerit specialis, per ingratitudinem istam, licet prorsus inviti cogamur, ab universis exhibitam gratiam revocare. Datum Tervisii, mensis Aprilis die xx.

Idem autem Dominus Imperator Fredericus, Cardinalibus paulò ante præscripserat, & eosdem Romanos in parte movit: Sed nunc postremò commovit vehementiùs. Scripsit in hæc verba Cardinalibus.

Alia litera Imperiales ad Cardinales. Anno 1239.

FRedericus Dei Gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, universis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, lectis amicis suis, salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Cum sit Christus Caput Ecclesiæ, & in Petri vocabulo suam fundaverit Ecclesiam super Petram, vos Apostolorum statuit successores, ut Petro pro omnibus ministrantes, Vos qui estis candelabra Ecclesiæ, super montem, non sub modio constituta, re vera omnibus, qui sunt in domo, effectu bonorum operum luceatis, nec à publica mundi lingua, ex conscientia generali, vos subtrahere intendatis, cum ad singula, quæ Præsidens Sedi Petri proponit statuere, vel denuntianda decrevit, æqua participatio Vos admittit: nisi prævius Religionis Ecclesiæ status, & zelus effervescens evitandi scandali generalis, vobis cautelam gesserit ad futura. Quis enim non miretur, & stupeat, quòd tot venerabilium Patrum Congregatione munitæ Ecclesiæ generali, sedens in Solio (& utinam justus Judex) velit inconsultè procedere, ac suis motibus excandescens, in Romsnum tendit Principem, advocatum Ecclesiæ, ac ad prædicationem Evangelii stabilitum, ob favorem Lombardorum rebellium, exercere gladium spiritualem, si decere liceat, minùs instè, cum alias quicquid ex objectis Ecclesiarum gravaminibus, quæ dicuntur, objiciat, quantumve species individua per me detinentur, vel emendationem receperint, vel ex deliberata nostri provisione concilii sit in proximo, pro ut jussio jam præcessit debita, & integra emendatio secutura. Nam ecce per patentes literas Prælatorum, quos mandatum Apostolicum præstitit meritores, ejusdem testimonium declaratur: & præcedens nostra constitutio super revocatione Prælatorum damna passorum, & de præstanda integra satisfatione Prælatis, jam per literas venerabilis Archiepiscopi Messanensis, vocato ad hoc assessori nostro, transmissas, evidens exhibet testimonium veritati. Propter quod non indignè dolemus, si Pater Apostolicus offendere tam graviter nos intendat. Unde dunt in constantem virum tam vehemens cadit injuria, & si patienter ferre velimns, immanitas negotii non permittit, quin ad ultiones, quibus Cæsares uti solent facti violentia nos impellit. Verumtamen dum consideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus defensoris, si ex quo liceret privatas exercere vindictas, quas in hominem per quem scandalum venit, & in sui participes sanguinis compensare possemus, & in ipsum & suos attentata Sedis injuria redundaret, tolerabiliùs duceremus. Sed cum nec ipse, nec tota propter hoc sua passura progenies, tanti forent, ut culmen imperii zelaret ultionem ipsorum: cùmque Sedis autoritas audaciæ sibi fræna relaxet, & tot venerabilium Fratrum motes eum in concepta fovere pertinacia videatur, angit nos altiori mente turbatio, quòd dum nos intendamus à persequente defendere, oporteat nos defendendo graviùs offendere resistentes: Salva in omnibus Ecclesiæ Sanctitate, quam cultu Sacro, & debita reveretia veneramur. Quapropter venerabilem cætum vestrum affectuosius deprecamur, quatenus motus Summi Pontificis, quos ex causis evidentibus non tam justos, quàm voluntarios mundus agnoscit, ex deliberata modestia compescatis: generali statui, & præsenti quieti mentium, à scandalis providentes. Nam cum ad salutem omnium vestrum favorabiliter alligemur, ab injuriatorum offensa non poterimus æquanimiter abstinere: quin & si obstare principis non possumus, licitè debeat injurias, quas revocare non possumus, injuriis propulsare. Datum Podonii, decima die Martii, undecima Indictione.

Quædam Scripta prognostica.

ET tunc temporis quædam scripta, quę videbantur futurorum esse prognostica, propter imminentia pericula, & discordiam ortam inter tam graves personas, quibus non sunt majores, imò nec pares, ad memoriam sunt redacta, & recenter recitata. Quorum unum est hoc sequens:

Excitabitur Roma contra Romanum, & Romanus substitutus Romam Romano imminuet, alleviabuntur virgæ pastorum, & solatium eorum erit in otio. Turbabuntur seduli, & orabunt, & in lacrymis multorum erit requies. Humilis alludet furibundo, & furor extinguuns palpabitur. Novus grex serpet ad cumulum, & qui intitulantur in Veteri, tenui cibo cibabuntur. Frustrata est spes sperantium, & requiescit solatium, in quo parat fiduciam. Qui in tenebris ambularunt, ad lucem redibunt. Et quæ erant divisa, & dispersa, consolidabuntur. Non modica nubes incipiet pluere: quia natus est immutator sæculi. Leoni substituetur Agnus: Et agni in Leones deprædabuntur. Surget furor contra simplicem, & simplicitas attenuata spirabit. Decor convertetur in dedecus, & gaudium multorum erit luctus. Hæc dicta anno gratiæ 1119. jam instar intellectas comminationes in scripto dicebantur.

Aliud scriptum, quod videtur procurasse

curasse Imperator, fertur tamen pro vero, quod inventi sunt hi versiculi in cubiculo Papæ scripti, modus autem, & auctor penitùs ignoratur.

Fata docent, stelleq; monent, aviumq; volatus,
Totius mundi malleus unus erit.
Roma diù titubans, variis erroribus acta,
Totius mundi desinet esse caput.

Quos versus cùm Dominus Imperator, & alii multi interpretarentur in interitum, & desolationem Papæ, & Romanæ Curiæ redundasse, Papa in eundem Imperatorem hos versiculos retorquebat.

Fama refert, scriptura docet, peccata loquuntur.
Quod tua vita brevis, pœna perennis erit.

Excusatur Imperator per Admonitores. Literæ Nuntiorum.

Videns autem Dominus Imperator famam suam in hac tempestate periclitari, ut innocentiam suam manifestaret, procuravit ut Nuntii ipsi, qui magnæ auctoritatis viri fuerunt, & solemnes, scriberent Domino Papæ, ostendendo suam & imperatoris innocentiam, ac justitiam.

Sanctissimo Patri in Christo Gregorio Dei Gratia Summo Pontifici, sui devoti Herbipolensis, Vuormaciensis, Vercellensis, & Parmensis Episcopi, humilem sui commendationem, & reverentiam tam debitam, quàm devotam. Cum omni reverentia. & devotione recepimus literas Apostolicæ Sanctitatis, per quas missi fuimus admonere Dominum nostrum Romanum Principem, super quibus Capitibus, quæ missa sunt eisdem literis interclusa, Nos autem ex obedientiæ debito, quo tenemur ad tantum debitum, hæsitantes tamen, si monita nostra patienter acciperet, reverenter, & devotè pervenimus. & expositis singulis, quæ capitula continebant, ac vestrarum per eum habita copia literarum, faciente Domino, qui gerit, ac dirigit quò voluerit corda Regum, in admirabili devotione, & insperata humilitate se monitis nostris pronum exhibuit, inclinata Imperialis audientia dignitatis. Ita quod nobis existentibus coram eo, præsentibus quoque venerabilibus, Panormitanensi, Messanensis Archiepiscopus, Cremonensis, Laudensis, Navariensis, & Mutinensis Episcopis, & Abbate Sancti Vincentii, convocatis etiam quampluribus ex Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Minorum, respondit ad singula, quæ proposuimus seriatim, pro ut in sequentibus distinctè, ac plenariè continetur, sicut dominationi vestræ responsionem ipsius juxta seriem Capitulorum expositam, secundùm Apostolicam jussionem sub fido testimonio tenore præsentium declaramus. Propositio Ecclesiæ Montis-Regalis, Cæphaludensis, Cathaniensis, & Squillatensis Ecclesiæ, Milletensis, Sanctæ Eufemiæ, Terræ Majoris, & Sancti Joannis in Lamis, Monasteria sunt spoliata ferè omnibus bonis suis. Item omnes ferè Cathedrales, & aliæ Ecclesiæ, ac Monasteria, sunt per iniquam Inquisitionem, ferè omnibus hominibus suis spoliata. Responsio Imperialis: Insuper gravaminibus Ecclesiarum, quæ indeterminatè ponuntur, quædam ignoranter commissa, corrigi jussa sunt, sine moræ dispendio: quædam verò jam correcta, sicut est in evidenti, de fideli, & industrio nuntio nostro: qui etiam jussus est transire per Romanam Curiam, & consulto venerabili Messanensi Archiepiscopo, juxta consilium suum procedere, ad revocationem eorum, quæ inveniret notabiliter facta. Sic quod in ingressu Regni, circa fines illos invenit quædam, quæ tenebantur per quosdam de familia Imperiali, quibus non pepercit, sed eos statim destituit, restituens destitutos: Cum tamen habuerit in mandatis, quòd ab Imperiali fisco etiam revocaret, si qua inveniret illicitè deprehensa. Sic quod fama eorum, quæ gesserat perveniente ad Curiam Romanam, Dominus Papa dicitur approbasse mittentis providentiam, & diligentiam missi. Qui cùm Regnum in diversas Provincias sit divisum, non dum potuit omnes peragrasse, ut quæ corrigenda invenerit, corrigantur. Item de Ecclesia Montis-Regalis. R. Quod nullum gravamen habuit per Dominum Imperatorem, nisi velit notari de Saracenis, qui occupaverunt bona Ecclesiæ per bellum, qui nec Dominum Imperatorem, nec Ecclesiam recognoscebant, nec in aliquo pro posse suo pepercerunt: imò destruxerant, & depredati fuerant eam, usque ad muros Ecclesiæ, & alicui de Sicilia non parcebant: ita ut in partibus illis nullus, vel ratus Christicola remansisset. Hos revera fatetur Dominus Imperator extarminasse de Sicilia, cum multis laboribus, & expensis: si reputant in hoc gravamen Ecclesiæ, alias nescit, quod unquam gravasset illam, nec vult gravare. Item idem dicit de Ecclesia Cæphaledensi, nisi fortè tangatur de Castro Cæphalensi, quod vult munitissimam arcem supra mare, & stantem in Marchia Saracenorum, tenuerunt semper Reges Siciliæ, & bonæ mamoriæ Innocentius Papa mandavit Legato suo, tunc temporis pro servitio nostro in Sicilia existanti, ut illud reciperet ab Episcopo, ad cujus manus per turbationem venerat, & non de jure, & quod Legatus tempore pueritiæ nostræ faceret teneri, & custodiri pro nobis, nec Episcopo, nec præsenti restituitur, nec de jure resti-

restitui debet, quia non habet jus in re: & aliàs, quod falsarius, homicida, Proditor, & Schismaticus, publico testimonio comprobatur, quare si etiam haberet jus in re, quod absit, restitui non tenetur. Item, idem de Cathanensi Ecclesia: nisi forte tangatur de hominibus demaniis Domini Imperatoris, qui temporibus belli, propter locum securum, & fertilem se Cathanjam contulerunt, Hos fatetur Imperator se ad Demania sua revocasse secundum formam generalis Constitutionis Regni, per quam etiam Comites, & Barones, & omnes de Regno homines, de Demaniis revocant, ubicumque eos invenerint: sive in terris Ecclesiarum, sive in Civitatibus ipsius Imperatoris. Nihilominus tamen super his forma statuta est, & meta temporis posita, ad requisitionem Summi Pontificis acceptata: prout constat ex literis testimonialibus Patriarchæ Antiochensis, & Panormitanensis, & Messanensis Archiepiscoporum. Item, quod cum Ecclesia Miletensis, & Sanctæ Eufemiæ, cum Abbate, & Monachis Terræ Majoris, permutatio congrua facta sit de voluntate Prælatorum ipsorum, & Conventuum, secundùm formam Juris, & ipsi hodiè res tenent, & possident permutatas. Lassale (Casale) verò S. Severii, quod non erat in totum Abbatis Terræ Majoris Accbonensis, ibi quædam jura habebat, quæ tenebat in feudum ab ipso Imperatore, per judicium fuit justè destructum, quia homines illius loci, tempore pertubationis, occiderunt Paulum de Longothan bajulum Imperatoris, & armenta Imperialia diripuerunt: & nihilominùs, ut dictum est, permutatio data est Abbati, & Conventui pro parte sua, & hodie tenent. Locus Lamæ cinctus est per Sententiam ab Abbate Sancti Joannis Rotundi; qui de eo, velut de Refeudali, potuit, & debuit secundùm Jus-Civile, & Canonicum, in Imperiali Curia conveniri. *Propositio Ecclesiæ*. Templarii, & Hospitalarii bonis mobilibus, & immobilibus spoliati, juxte tenorem pacis non sunt integrè restituti. *Responsio Imperialis*. A Templariis, & Hospitalariis verum est, quod per judicium, & per antiquam constitutionem Regni Siciliæ, revocata sunt feudalia, & burgasatica, quæ habuerant per concessionem invasorum Regni; quibus equos, arma, victualia, & vinum, & omnia necessaria ministrabant abundè, quando infestabant Imperatorem, & Imperatori tunc Regi Pupillo, & destituto, omne omnino subsidium denegabant. Alia temen feudalia, & burgasatica dimissa sunt eis, qualitercumque ea acquisierunt, & tenuerunt ante mortem Regis Willelmi Secundi: seu de quibus haberent concessionem elicujus antecessorum suorum. Nonnulla verò burgasatica, quæ emeruet, revocate sunt ab eis, secundùm formam antiquæ constitutionis Regni Siciliæ, quod nihil potest eis sine consensu Principis de burgasaticis inter vivos concedi, vel in ultime voluntate legari, quin post annum, mensem, septimanam, & diem, aliis burgensibus secularibus vendere, & concedere teneantur. Et hoc propterea fuit ab antiquo statutum, quia si liberè eis, & perpetuò burgasatica liceret emere, sive accipere, modico tempore totum Regnum Siciliæ, (quod inter Regiones Mundi sibi habilius reputarent) emerent, & adquirerent: & hæc eadem constitutio obtinet ultra mare. *Propositio Ecclesiæ*: Item, quod non permittit Cathedrales, & alias vacantes Ecclesias ordinari, & hac occasione periclitatur libertas Ecclesiæ, perit Fides: quia non est, qui proponit verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente Pastore. *Responsio Imperialis*: Cathedrales, & alias vacantes Ecclesias, Dominus Imperator libenter vult, & desiderat ordinari: Salvis privilegiis, & dignitatibus, quæ prædecessores sui Reges usque ad sue tempora habuerunt: & quibus ipse modestiùs quàm prædecessores sui hactenùs usi sunt: nec contre ordinationem Ecclesiarum unquam fuit. *Propositio Ecclesiæ*: De Talliis, & exactionibus, quæ contra formam pacis ab Ecclesiis, & Monasteriis extorquentur. *Responsio Imperialis*: Tallia, & collectæ Clericis, & personis Ecclesiasticis, non pro Ecclesiasticis rebus, sed pro feudalibus, & patrimonialibus imponuntur; secundum quod est Jus commune, & obtinet ubique per orbem. *Propositio Ecclesiæ*. De hoc quod Prælati non audent procedere contra usurarios occasione constitutionis Impertalis. *Responsio Imperialis*: Apparet Generalis & nova constitutio contra usurarios edita per Imperatorem, per quàm in omnibus bonis eorum publicè condemnantur, & lecta est coram Prælatis, per quam etiam non interdicitur Prælatis, audacia procedendi. *Propositio Ecclesiæ*: Quod Clerici capiuntur, incarcerantur: proscribuntur, & occiduntur. *Responsio Imperialis*: De captis, & incarceretis nihil novit, nisi quod per officiales Imperatoris aliqui capti sunt: assignandi juxta qualitetem excessuum judicio Prælatorum. De proscriptis verò novit, quod objecto quibusdam crimine læsæ Majestatis, aliqui de Regno sunt proscripti. Novit etiam de occisis, quod propter impunitatem Clericorum, & Monachorum, Venusina Ecclesia gemit obitum Prælati sui, à suo Monacho interfecti: & in Ecclesia Sancti Vincentii, Monachus Monachum interfecit: nec ista inda aliqua vindi-

vindicta, sive pœna canonica subsequnte. *Propositio Ecclesiæ*: De Ecclesiis Domino consecratis, quæ prophanantur, & destruuntur. *Responsio Imperialis*: Nihil omninò scitur, nisi fortè dicatur de Ecclesia Luceriæ, quæ propter diutinam vetustatem per se dicitur corruisse, & quam Imperator, nedum quod reædificari permittat, imò paratus est ad honorem Dei, & Ecclesiæ, de suo pro reædificatione ejuidem Episcopum congruè adjuvare. *Propositio Ecclesiæ*: Quod non permittit reparari Soranam Ecclesiam. *Responsio Imperialis*: Soranam Ecclesiam solam ædificari permittit, sed Civitatem non: ad minùs diebus suis, quæ judicio est destructa. *Propositia Ecclesiæ*: Quod contra tenorem pacis, hi qui adhæserunt Ecclesiæ tempore turb t onis, bonis omnibus spoliati, exulare coguntur. *Responsio Imperialis*: Adhærentes Domino Papæ tempore turbationis contra Dominum Imperatorem, securè in Regno morantur: nisi fortè qui officia, & juridictiones exercuerunt, metu ponendi rationem, vel aliqui, ne causis civilibus, vel criminalibus conveniantur, morantur extra Regnum; de quibus vult Dominus Imperator, quod securè redeant, si sibi, & aliis conquerentibus (non tamen de eo, vel ejus occasione, quod Ecclesiæ adhæserunt) velint facera rationem. Sed cum de forma pacis tractatur, recordatur, quod Dominus Papa contre eam; & contra opinionem ferè omnium fratrum, detinet Civitatem Castellæ. Pro qua detinenda, in præjudicium Imperii, recepit pecuniam, existente Domino Imperatore pro servitio ejus contra Romanos, & expendente proinde ultra centum millia marcarum argenti: adeo quod magnum commodum inde est Ecclesia consecuta, tam de Terra Romanis ablata, & sibi restituta, quàm de libertate Ecclesiastica, reformata in Urbe, occasione servitii supradicti. *Propositio Ecclesiæ*: De nepote Regis Tunicii, quem non permisit venire ad Apostolicam Sedem, ad suscipiendum Baptismi Sacramentum, sed captivum detinet. *Responsio Imperialis*: Quod Nepos Regis Tunicii, non ut baptizaretur, sed ut aufugeret mortem, quam præminabatur patruus suus, de Barbaria fugit in Siciliam. Non tenetur captivus, sed liber per Apuliam vadit: & diligenter quæsitus, si baptizari velit, omninò negat. Si tamen vult baptizari, Dominus Imperator acceptat, & gaudet, prout super hoc respondit aliàs Panormitanensi, & Messanensi Archiepiscopis. *Propositio Ecclesiæ*: De Petro Saraceno, fideli Ecclesiæ, quem tenet captivum, in injoriam Ecclesiæ: & fratre Jordane, qui tenetur captivus. *Responsio Imperialis*: Petrus Saracenus, tamquàm inimicus Domini Imperatoris, & detractor ejus, tam in Urbe, quàm alibi, captus est per eum. Item non in negotium Regis Anglorum venit, sed tantum literas ipsius attulit: ut si fortè caperetur, capto parceremus, attentius supplicantes. Quibus non obtemperavimus, quia Rex nescivit, quas mihi paravit insidias. De fratre Jordane, quod ipsum nec cepit, nec capi mandavit: quamvis enim in sermonibus diffamaverat; sed quia videtur à quibusdam fidelibus suis, qui norunt mores, & versutias ejusdem fratris, quod status, & mora ejus, si fieret in Marchia Tervisii, & Lombardia, suspecta forent, & nociva Domino Imperatori: præstita satisdatione: quod in Marchia, vel Lombardia remanere, vel morari non debeat, ipsum liberari mandabat, & assignari eum jussisset Domino Messanensi Archiepiscopo: si dictum fratrem in prædictum modum, super se recipere voluisset. *Propositia Ecclesiæ*: De eo quod ipse seditionem movit in Urbe contra Ecclesiam, per quam intendebat Romanum Pontificem, & fratres suos à sua Sede repellere, & contra privilegia, dignitates, & honores Apostolicæ Sedis, libertatem Ecclesiasticam conculcare. *Responsio Imperialis*: Seditio mota in Urbe contra Eccclesiam per Dominum Imperatorem, negatur. Sed cum ipse habeat fideles suos in Urbe, sicut Prædecessores sui, tam Romani Principes, quàm Reges Siciliæ soliti sunt habere, quia Senatores aliquando electi per potentiam adversariorum, eos offendere contendebant, adstabat defensioni eorum: sicut adstaret quoties in similibus expediret. Cessante verò causæ, videlicet quod alius Senator communiter electus fuit, cessavit turbatio supradicta: prout constat de rei evidentia, ex testimonio Panormitanensis, & Messanensis Episcoporum. *Propositia Ecclesiæ*: De eo quòd mandavit quibusdam fidelibus suis, ut Episcopus Prenestinus, Apostolicæ Sedis Legatus, detineretur. *Responsio Imperialis*: Super mandato detentionis Episcopi Prenestini, respondit, quod nunquam mandavit, nec etiam id somniavit Dominus Imperator: quamquam de eo id justè facere potuisset, tamquam de inimico suo. Qui licèt missus per Dominum Papam, tamquam vir religiosus, tamen de mandato Domini Papæ, ut ipse dixit, Lombardiam pro magna parte contra Dominum Imperatorem callidè, & perniciosè subvertit, & Lobardos contra ipsum in quantum potuit, animavit. *Propositia Ecclesiæ*: Quod per eum impeditur negotium Terræ Sanctæ, occasione discordiæ, quam habet cum quibusdam Lombardis: cùm parata sit Ecclesia dare

opem

opem, & operam efficacem, ut sibi & honori Imperii, super his, quæ commissa sunt, contra eum à Lombardis, congruè satisfiat: & Lombardi etiam ad hoc ipsum sint præparati: monestur super his omnibus, & responsum ejus significetur nobis. *Responsio Imperialis*: Super negotio Lombardiæ dixit Dominus Imperator, quod illud multoties commisit Ecclesiæ, nec inde est aliquod commodum assequutus: nisi quod prima vice condemnati sunt Lombardi in quadrigentis militibus: quos Dominus Papa tali modo fecit ei solvi, quod ipsos contra ipsum Imperatorem misit in Regnum. Secunda vice, condemnati sunt in quingentis militibus, quos non Imperatori, contra quem commissa erat injuria, sed sub protectione, & ad requisitionem Domini Papæ, & Ecclesiæ, quæ offensa non erat, ultra mare transmitti pronunciavit, quod etiam nunquam factum fuit. Tertia vice, ad requisitionem Cardinalium, scilicet quondam Episcopi Sabinensis, & Magistri Petri de Capua, plenè sicut Dominus Papa dictavit commissum fuit dictum negotium Ecclesiæ, nec unquam postea de hoc fuit verbum; nisi quando Dominus Papa novit, quod Imperator, postquam ei toties fuerat illusum, descendere cum exercitu à Germania in Italiam se parabat, & tunc instanter petiit denuò negotium sibi committi: & Dominus Imperator, licèt in eadem commissione naufragium sæpè expertus fuisset, voluit tamen sibi committere ad certum diem, & sub conditione, quod ad honorem suum, & commodum Imperii firmaretur. Quam conditionem Dominus Papa, prout per literas suas constat, admittere noluit: quamquam ad præsens per literas suas dicat, quod Ecclesia negotium ipsum, salvo jure, & honore Imperii, fuisset definire parata. Et ex hoc patet, quod literæ ipsæ sibi invicem manifestissimè contradicant. Et ne prætendatur, quod in præjudicium Terræ Sanctæ, velit Dominus Imperator jura Imperii in Italiam restaurare, qualiter Dominus negotium Terræ Sanctæ assumpserit, nec duxerit negligendum, apparet per literas suas responsales Regibus orbis, & Crucesignatis in Francia scriptas, qui ipsum in Dominum & Rectorem exercitus elegerunt: per quas etiam respondit insuper eisdem, quod negotium ipsum de Consilio Ecclesię, tractare volebat. Deniq; tamen super omnibus gravaminibus Ecclesiarū corrigendis, Notarius Domini Imperatoris in specialem nuntium, sicut superiùs est propositum, est transmissus. Addidit præteres Imperialis Responsio, quod id quod enormiùs est, & in admirationem, & stuporem omnium audientium verti debet, post recessum supramemoratum Panormitanensis, & Messanensis Archiepiscoporum, quibus Dominus Papa Ecclesię gratiam pro Domino Imperatore promisit, & quod noluit unum, & idem esse cum eo, Domino Imperatore, prout decuit, non modicè hoc attentante, postquam sufficienter fuerat eis ad quædam Capitula missa per eos, responsum, prout in eorum attestatione corrigit, per tergum, & in confusionem eorumdem Archiepiscoporum, eis omninò nescientibus, missæ sunt literæ istæ, & capitula interclusa Prælatis, quæ licet speciem admonitionis contineant, sugillationem tamen Imperialis famę continent manifestè; Ultimo, generale verbum respondit, & proposuit Dominus Imperotor, quod cum ipse diù fuerit absens à Regno, & Regni statum ignoret, quicquid unquam in gravamine Ecclesiarum factum est, quod remaneat emendandum, integrè, & sine difficultate aliqua id emendari mandabit. Et nihilominùs, propter universale bonum, quod ex unione inter ipsum, & Ecclesiam provenit, paratus est omnem prorsus securitatem, quæ Ecclesiam, & ipsum Imperium decent, præstare Ecclesiæ: quod ad honorem, & exaltationem Fidei Christianæ, & ad honorem, & libertatem Ecclesiasticam conservandam, si unum, & idem cum Ecclesis, viribus, & potentia sua ad hoc ex toto conversis. Datum, &c.

Imperator conqueritur de injuriis sibi à Pontifice illatis.

HÆc postquam Domino Papæ intimata sunt in vehementem iracundiam exarsit. Et seipsum justificans omnia hæc prædicta pro frivolis habuit, & inutilibus sermocinationibus, & sprevit quasi commenta contraria veritati. Scribens igitur Principibus, & Magnatibus totius Christianitatis, tam laicis personis, quàm Ecclesiasticis, absolvit quot quot eidem Frederico fidelitate tenebantur, ut non ei tenerentur quasi Domino obedire. Fecit etiam per omnes terras sibi obtemperantes, sententiam latam in eumdem terribiliter, præcipuè autem in Anglis, solemniter publicari, eum graviter diffamando, ipsumque inimicum manifestum Dei, & Ecclesiæ affirmavit. Quod cum Dominus Imperator festina relatione cognovisset, tactus dolore cordis intrinsecùs, prorumpentibus crebris suspiriis, amicis quærimoniam gravem reponens, scripsit in hæc verba.

Literæ Imperiales. v. infra fol. 660.

FRedericus, &c. Inviti loquimur, sed tacere non possumus. Jam enim securis ad radicem arboris posita, & gladios

dies

dius ferè usque ad animam transiens, labia dissolverunt. Jusque datum sceleri scribimus, & populum contumacem dexteram in viscera propria vertisse condolemus. Juri profertur injuria, & voluntas justitię dominatur. Dominum quidam Italiæ, populi sceptrum contemnere conantur Imperii. Ac etiam propriæ commoditatis immemores, libertatis ejusdem vagæ luxuriam quieti pacis imponunt, & æquitati justitiæque prætulerunt. Nec tamen à nobis rebellionem hujus sumpsisse nunc primum exordium extimetis, sed avitas, & paternas prosequimur injurias, & productam jam ad alias regiones, libertatis invidiosè propaginem nitimur supplantare. Sed nec ista dissimulasse aliquolibet modo hactenùs, aut conniventibus oculis pertransisse credatis. Quamprimum enim in nobis pubescentibus, ac mentis, & corporis calescente virtute, ad Romani culmen Imperii, propter spem hominum, nutu solummodo providentiæ divinæ, conscendimus: ac Regnum Siciliæ, præclara maternæ successionis hæreditas, ad jura nostra pervenit: aciem mentis nostræ continuò direximus ad prædicta. Ac demum ad consumationem propositi nostri, miserabili casu de amissione Damiatæ tunc temporis ministrante, cum venerabili Patre nostro H. Summo Pontifice apud Verulas colloquio celebrato, Veronæ de communi consilio pro negotio Terræ Sanctæ, & reformatione Imperii, solemnem Curiam duximus indicendam: ubi tam nos, quàm prædictus Papa, condiximus interesse. Quo proposito, & volubilitate consilii, & motu rerum continuò præsentium immutato: nos à tanto bono recedere non volentes, Ferentini denuò cum Papa præstito collatione habita, Curiam apud Cremonam indiximus: ad quam filium nostrum cum multis Principibus Imperii nostri vocavimus, cum decenti militum Comitatu: nihil de Italiæ partibus ducentes nobiscum milites, prout Imperialis excellentiæ decus, & tantum negotium condecebat. Ex quo Lombardi nobis, & honori nostro rebelles, in spiritu contradictionis assumpti, & in reprobum sensum dati, palliata occasione timoris, propterea quod armatorum consortio fruebamur: & nobis intendere tamquam ipsorum legitimo Domino contempserunt, & ingressu in Italiam viarum difficultate prohibito, filium nostrum, & Principes à nostris aspectibus subtraxerunt. Ad exagerationem dein nequitiæ adhuc occultæ, ac perfidiæ, malitiam manifestam insolentiamque adjecerunt, quod contra nos, & Imperium conspirantes, nobis pręsentibus, & contemptis, conjurationes nefarias contraxerunt. Et sic desiderata filii nostri visione fraudati, in Apuliam redeuntes, quia præparatio passagii transmarini, ad quod tenebamur ex voto, tunc temporis nos arctabat, causam ipsam de satisfactione nobis, & Imperio facienda, arbitrio Summi Pontificis commisimus terminandam; per quem, in quingentis militibus pro negotio Terræ Sanctæ, sub eorum sumptibus per biennium exhibendis, fuerunt nobis arbitrali sententia condemnati. Quos inimico pacis Ecclesiam inter & Imperium discordiam seminante, ipsos contra nos in Apuliam trasmiserunt: & sic per contrariæ satisfactionis modum, præcedentes injurias geminarunt. Redeuntibus autem nobis de partibus transmarinis, ac inter nos, & Ecclesiam dissensione sedata, de reformatione status Imperii concepto proposito inhærentes, apud Ravennam iterum de Consilio Beatissimi Patris nostri G. Summi Pontificis, indiximus Curiam generalem: sub inermi tantummodo, & domestico Comitatu, ut timor armorum, & occasio frivola tolleretur. In qua, ne dum Lombardi prædicti devotionis, & obedientiæ nobis signa prætenderent: imò in oculis nostris, ferè Civitatem Veronæ, & Ezelmum de Romano, tunc temporis ad nostræ fidelitatis obsequium noviter revocatos, extractis eorum Carrochiis, violenter invadere nitebantur, ad reverentiam nostræ præsentiæ, nullo habito omninò respectu.

Accessum etiam filii nostri ad nos, vel nostrum ad eum per terras, & vias Imperii (quæ & si nostræ sint propriæ, tamen omnibus sunt communes) denuò prohibentes: ita quod patris oculus tunc temporis etiam filium non vidisset: nisi quod navali præsidio, amore paterno, qui contineri non poterat, stimulati, nos Aquilegiam sub maris dubia sorte, contulimus: ut prædictum filium nostrum, & Principes, qui ad nos devotè se contulerant, videremus. Nec adhuc defuit clementiæ nostræ constantia, quin aggressionis hostilis furore deposito, iterum & causam ipsam committeremus arbitrio Ecclesiæ terminandam. Ex eo tamen unde credidimus humanitatis eisdem exempla protendere, cornua ipsis indevotionis ereximus: referentes ab eis pro debita fide perfidiam, & pro devotione contemptum, nec ulla de prædictis vexatio tribuit intellectum.

Denuntiatur Imperator in Anglia excommunicatus.

ET cùm versus Scotiam iter Dominus Legatus arripuerat, Capitulum Sancti Albani ingressus est: & priùs facto sermone de Assumptione Beatæ Virginis, (hoc enim infra octavas evenit) Dominum Imperatorem excommunicavit. Monachi

nachi verò sibi de tali permissione, literas excusatorias obtinnerunt. Er eisdem diebus, pluriès in Ecclesia Sancti Pauli Londini, idem Imperator solemniter est excommunicatus: tali Papali aothentico, quod Legato transmissum est, compellente.

Litera Papales acerba contra Imperatorem Legato missa.

GRegorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio suo Ottoni Sancti Nicolai in carcere Tulieano, Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sedes Apostolica, sicut totus ferè orbis facti evidentia didicit, Fredericum dictum Imperatorem, ex quo ipsum ex utero matris excepit genibus, affectu materno prosequens, lactavit uberibus, & humeris bajulavit: quem olim omni penè destiturum auxilio, & dubiis tantùm derelictum eventibus, suo recepit patrocinio confovendum; opponens se potenter invasoribus Regni sui, qui in terram ejus oculos aviditatis injecerant. Cujus jam fines ingressi, eam absque ullo defensionis obstaculo usurpabant: & defendens eundem ab insidiantibus vitæ suæ, qui æmoli saluti ipsius, conabantur animam ejus extinguere; & de terra ipsius memoriam abolere. Cùmque idem protectionis Ecclesiasticæ clypeo præmonitus, personæ, & Regni sui, bonæ memoriæ G. de Gualgenem, Tituli Sancti Anastasii, Presbytero Cardinali, à Sede Apostolica per multos annos deputato Custode, majoris metas attigisset ætatis; tandem ad altioris dignitatis apicem per eam extitit sublimatus. Sed diligentiæ studium circa personam ejus impensum, labores plurimos, quos Ecclesia subiit propter eum, quo ad ipsum perdidisse videtur; cùm tot beneficiorum sit immemor, tantæ gratiæ sit ingratus. Et utinam illius ingratitudinis non excederet terminos, per quam perceptorum bonorum extiteret negatione contentus. Porrò licèt offensa quælibet aculeos doloris importet, illa tamen jaculo graviori percellit; in qua ingratitudo pro gratia rependitur, & pro beneficiis maleficis compensantur. Verùm, quantumcumque ipsum Apostolica Sedes dilexerit, & supremæ culmine potestatis erexerit sæculares, suis tamen exigentibus culpis, de quibus quamquam pluriès à nobis monitus satisfacere non curavit, coacti sumus, licèt inviti, animadvertere in eumdem. Nam etsi Adam divina providentia, excellentia dignitatis, & auctoritatis extulerit, cui omnia animantia terræ subjecit; quia tamen sui jussa præterit plasmatoris, ejus excessibus non peperit. Quæ autem à dicto Frederico; pro tot bonis sibi collatis Ecclesia retributionis præmia reportarit, discretionem tuam volumus non latere, pauca de multis præsenti pagina declarando. In Urbe siquidem gravem movit seditionem: exinde nos, & Fratres nostros, totis viribus nisus excludere; ut sic Apostolicæ Sedis honorem deprimeret; ac libertatem ipsius penitùs conculcaret: contra juramenta præstita temerè veniendo. Et venerabilem fratrem nostrum Prænestinensem Episcopum; dum ipsum ad partes Albingensium disponeremus, pro corroboratione Fidei Catholicæ destinare; per quosdam suos Fideles in viam impediri mandavit. Cathedrales etiam Ecclesias, & alias vacantes Regni sui, nequaquam ordinari permittit: in animarum periculum, & grave detrimentum ipsarum. Eas & quasdam alias, nihilominùs spoliando ferè omnibus bonis suis: & tallias, ac exactiones indebitas Prælatis, Religiosis, & aliis Clericis sæcularibus imponendo. Nobilibus, pauperibus, orphanis, & viduis, usque ad inanitionem extremam deductis, eos ad modicum dura, & crudelis exactorum suorum acerbitas, non patitur respirare: & sic totum ferè Regnum, quod est spirituale Patrimonium Beati Petri, pro quo juramento fidelitatis Apostolicæ Sedi tenetur, & ipsius ligius vassallus extitit: quantum in eo est, in favillam quasi, & cinerem jam redegit. Quod si postquam monitus fuerit à nobis, non duxerit corrigendum: nos super hoc, auctore Deo, sicut expedire videbimus, procedemus. Insuper negotium impedit Terræ Sanctæ, nec non etiam Imperii Romaniæ. Præterea cum tempore concordiæ inter ipsum, & Ecclesiam reformatæ, in manibus Sedis Apostolicæ Legatorum juraverit, Ecclesiæ præceptis obedire: & ipse mandatum ab eis receptum, quòd terram Ecclesiæ, vel terras eorum, quas tunc ad suas manus tenebat, aut ipsorum personas nullatenùs caperet, occuparet, sive etiam devastaret, adimplere contempsit, terram Ecclesiæ occupando: videlicet in Lombardia, Ferrariam, Bondoniam, Pingnogomam, terram quidem Sardiniæ, & Messanensem, Lucapensem Diœceses capiendo, & deiiciendo illos, quos ad manus suas Ecclesia reservavit, & devastando terras ipsorum: licèt ex tunc in eum præsentem, ipsi Legati excommunicationis sententiam tulerint, si super his non faceret, quod mandarent. Idem etiam nepotem Regis Tunicii detinet, ad Romanam Curiam, & Ecclesiam, pro percipiendo sacri Baptismatis lavacro, accedentem. Ac dilectum filium Petrum Saracenum nobilem Civem Romanum, ex parte charissimi in Christo filii nostri il-

lustris Regis Angliæ, ad Sedem Apostolicam missum, & filium ejus, carceri detinet mancipatos. Quia verò super his, & quampluribus aliis excessibus, pluriès à nobis monitus, correctionis medelam non sentiens: cùm suarum sint ulcera indurata culparum, quotidiè deteriora committere non veretur: Nos hæc absque Christi offensa, præterire sub dissimulatione ulterius non valentes: de Fratrum nostrorum consilio, ex parte Dei Omnipotentis (cujus vicem in terris gerimus) licèt invitì: & auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, in eum excommunicationis, & anathematis sententiam duximus promulgandam; tradentes ipsum Fredericum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus in die Domini salvus fiat. Omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab observatione juramenti hujusmodi absolutos: & firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo excommunicationis astrictus. Quo circa devotionem tuam monemus, & exhortamur attentè, per Apostolica scripta tibi præcipiendo mandantes, quatenus prædictam excommunicationis, & anathematis sententiam, singulis diebus Dominicis, & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, solemniter publicari, ac absolutionem, & inhibitionem nuntiari procures, & facias per totam terram tuæ Legationis, modo simili publicari, & etiam nuntiari. Mandatum nostrum taliter impleturus, quòd devotio tua possit exinde meritò commendari. Cæterum, cum præfatus Fredericus de aliis magnis, & gravibus sit plurimum infamatus criminibus, nos dante Domino, super his loco suo, & tempore procedemus, pro ut in talibus negotiis natura requirit. Verùm, quia terroris sonitus semper est in auribus impiorum, & etiam quando pax est, insidias suspicantur: eo quod turbata conscientia semper sæva præsumit: idem Fredericus, priusquam sententia excommunicationis lata esset in ipsum, quasdam Fratribus nostris decrevit literas transmittendas, pro parte inferius annotatas; quæ post eamdem latam sententiam ipsis præsentatæ, ad nostram, & eorumdem notitiam pervenerunt. Unde quia voluit Dominus occulta cordis ejus detegere, qui manifestat abscondita tenebrarum, & cordium secreta revelat: ex ipsarum literarum tenore colligitur, quam gerat devotionem ad Romanam Ecclesiam, matrem suam: quam ad Summum Pontificem, ac Fratres ejus, ad Sedem Apostolicam reverentiam habeat, cujus ratione Regni vassallus existit. Contra nos enim, & ipsos, conspirasse videtur: ex quo, quantum, & quale crimen incurrerit, satis patet. Inter cætera verò quæ sua continebat epistola, hæc habebantur inserta: Propter quod non indignè dolemus, si pater Apostolicus offendere tam graviter non intendat, ut dum in constantem virum tam vehemens cadit injuria, etsi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittat, quin ad ultiones, quibus Cæsares uti soleut, facti violentia nos impellat. Verumtamen dum consideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offensoris, si ex quo liceret privatas exercere vindictas, quas in hominem per quam scandalum venit, & in sui participes sanguinis, compensare possemus: ut in ipsum, & suos attentata nostræ Sedis injuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed cùm nec ipse, nec tota propter hoc sua passura progenies, tanti forent, ut culmen Imperii zelaret ultionem ipsorum: cùmque Sedis auctoritas audaciæ sibi fræna relaxat, tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur: surgit nos altiori mente turbatio: quòd dum nos intendamus à persequente defendere, oporteat nos defendendo graviùs offendere resistentes. Datum Laterani, tertio Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno xiij. *idest Anno* 1239.

Magna iracundia Imperatoris contra Papam, ejusque gravis querimonia.
Anno 1239.

CUmque Dominus Imperator super hac diffamatione certificaretur, factus de Rege Tyrannus, non immeritò magis, ac magis in Mediolanenses, & alios proditores suos, incanduit; quos Papa contra eum juvit efficaciter, & animavit. Medialanenses verò auxilio Papali facti animosiores, & comperientes rem agi pro capite; exierunt impetus furibundos facientes: concomitante quondam Legato de latere Domini Papæ ad eorum auxilium destinato, Ferrariam, & alias Civitates, & Castra Imperialia, dum se Dominus Imperator ad loca remotiora transtulit, violenter occuparunt; loca vicina usque ad exterminium, & internecionem, devastantes. Nec invenerunt obsessi misericordiam; petentes lacrymabiliter Legatum, ut Civitatibus, & substantia eorum omnimoda sibi redditis ad manum, tantùm personis pro Deo parceretur; nec sunt exauditi, sibi penitùs, & absolutè se suamque sibi manciparent. Unde Sancti viri, & Religiosi regiones Christianas inhabitantes; non minimùm admirati tam inhumanam, ac cruentam ferocitatem in Ecclesiastico Prælato, cum imprecationibus multimodis execrabantur; qui tantùm usus gladio mate-

materiali non est recordatus facere misericordiam. Et invasit timor, & horror corda, ne Dominus Deus exercituum effunderet indignationem suam super induratos, & Ecclesia ruinam magnam pateretur: præsertim cùm non curaret pars Papalis preces, vel jejunia, Missas, & processiones, nec præciperet universaliter humiles preces Deo fundere, & sic iram Dei flectere, in quibus solet Ecclesia in tribulationibus respirare, & triumphos de oppressionibus crebrius reportare. Sed spem totam ponens in pecuniæ thesauris, & rapinis, ad gladium, & ultiones proprias irruit frontuosa: unde dolor, & desolatio Christianorum, Magnatum oriuntur comminationes, furor, & rancor, odium, & iracundia inter Ecclesiam, & Imperium: flebile nacta principium, exitum flebiliorem minabantur. His igitur læsus doloris aculeis Dominus Imperator, se intendens excusare, & Dominum Papam accusare; multis Regibus, & Principibus, præcipuè Regi Angliæ, & Richardo Comiti Cornubiæ fratri suo, qui charissimis sororiis suis, in quibus specialiùs confidebat, scripsit in hæc verba.

Literæ Imperiales ad Comitem Cornubiæ Richardum.

FRedericus, Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Richardo Comiti Cornubiæ, dilecto sororio suo, salutem, & omne bonum. Levate in circuitu oculos vestros, arrigite filii hominum aures vestras, orbis scandalum, dissidia gentium, generale justitiæ doleatis exilium: exeunte nequitia Babylonis à senioribus populi, qui populum regere videbantur, dum judicium in amaritudinem, & fructum justitiæ in absinthium convertunt. Sedete Principes, & intelligite populi causam vestram. A vultu Domini judicium vestrum prodeat, & oculi vestri videant æquitatem. Scimus etenim, & in supremi Judicis virtute confidimus, quòd cùm apud vos pondus, & pondus, mensura, & mensura non fuerint, profectò modestiam, & innocentiam nostram in judicii vestri libra præponderare videbitis; calumniosis detrahentium labiis, & venenosis inventionibus fictionum: sed nec nunc primùm causæ nostræ justitiam, & residantia in sede Domini pravitatem, ad publicam mundi notitiam novimus pervenire. Quin præter agillimæ Famæ præloquium, quæ frequenter in maximis virginum aurium deflorat auditum. Nos ipsi, quod primitùs rumor eduxerat, subsequentibus postmodum nostræ serenitatis affatibus firmaremus, qualiter iste novus athleta, sinistris factus auspiciis Pontifex generalis, amicus nostra præcipuus, dum in minoribus esset ordinibus constitutus, beneficiorum omnium quibus Imperium Christianum Sacrosanctam Ecclesiam ditavit oblitus, statim post assumptionem suam, fidem cum tempore renovans, & mores cum dignitate commutans: ac habens quod ammodò de publica turbatione pruritum, in nos supremum, & unicum filium Ecclesiæ, suæ malignitatis aculeos acuisset: dum occasione sumpta, quod propter imminens scandalum evitandum, Sacramento præstito, & lata contra nos excommunicationis sententia nos ad certi temporis obligaverimus transitum, adversa valetudine corporis præpediti: adjectis plurisque capitulis aliis, de quibus antea nunquam fueramus muniti, vel admoniti; excusationibus nostris contra Deum, & justitiam omninò rejectis, excommunicationis sententia nos denuntiavit astrictos. Cui velut in nos primitus de nostra voluntate prolatæ, cum humilitate paruimus absolutionis beneficium, pristina nobis incolumitate corporis reddita, postulantes, dum nos ad transitum instanter pareremus. Quo petito suppliciter, & injuriosè negato, in Terræ Sanctæ subsidium sub pia voti persequutione transivimus existimantes Vicarium Jesu Christi, ad ejus negotium potius, quàm ad conceptæ malevolentiæ contra nos odium aspirare. Sed is, quem speravimus ea solummodo, quæ sursum sunt sapere, & visu cœlestia contemplantem, mente credimus in cœlestibus habitare; subito inventus est homo, quinimmò per inhumanitatis opera non solùm à veritate sepositus, sed ab humanitate discretus: dum præter impedimenta, quæ nobis insidia præparavit, per nuntios, & legatos, qui Soldanum literis suis, quas nos captis ipsarum latoribus in testimonium reservamus, ne nobis terram divino cultui, & Hierosolymitani Regni jurihus debitam, redderet, monuerunt. Regnum nostrum Siciliæ violenter intravit. Sumpta occasione, quod R. filius olim Ducis Spoleti, præter voluntatem, & conscientiam nostram (pro ut nos postmodum per ipsius pœnam evidenter expressimus) terram Ecclesiæ parabat intrare: & non pro ut Sancti per Fidem Regna vicerunt, sed per perfidiam, & perjuria prædicans universis, aut si qui ad perjurium prædicatione solummodo provocari non poterant provocabantur extemplo: dum ipsi Præfecti Papalis exercitus, quo terram facilius obtinerent, nos captos in Syria manifestè jurabant. Redeuntibus nobis de partibus transmarinis, & injuriam nostram propulsantibus solùm, nec juxta magnificum morem Imperii prodeuntibus ad vindictam,

dictam, per concordiæ medios verbum pacis libenter admiſimus. Veram matrem noſtram Eccleſiam, ex cognitione Catholicæ Fidei reperiſſe cognoſcimus, ſed patrem ſemper invenimus ſimulatum: dum ipſa reconciliationis die viam noſtræ confuſionis excogitans, de redeundo in Italiam iterum ſub inermi, & domeſtico Comitatu, nobis inſtantiſſimè perſuaſit: occaſionem ſignificans, ne velut ex priori, & armato proceſſu, timoris cauſam noſtris fidelibus præſtaremus: aſſerendo quod nobis omnia planiſſima faceret. Cujus contrarium per literas, & nuntios ſuos maniſeſtiſſimè procuravit, pro ut conſtat teſtimonio plurium noſtrorum fidelium, qui tunc temporis erant omnium conſcii; velut ex eis quidem participes, & alii Principes factionis. Propter quod, filio, & Principibus noſtris ad nos de Germania venientibus; per rebelles noſtros itineribus publicis undique præpeditis: ſed & eodem filio noſtro apud Aquilegiam, navali præſidio cum ſumma difficultate recepto, ac in Teutonism sb inde deſtinato in Regnum de neceſſitate redivimus: utpote quos ad coercendam rebellium noſtrorum nequitiam, patris conſilium, vel aſtutia potius miſerat imparatos. Ubi quod ammodo reſpirantibus nobis, & capeſſentibus requiem poſt labores, quieti noſtræ Sanctiſſimus Pater noſter invidit, conſiliatoriis ſibi formam aſſumpſit: inſtantiſſimè perſuadens, ut contra Romanos excellentiæ noſtræ devotos, & alios rebelles noſtros de Tuſcia, quæ jura Eccleſiæ, & Imperii detinebant, procederemus audacter: de ſuo favore ſecuri, quod nobiſcum noſtra, & Imperii pondera participare volebat. Et ſic ad multam ejus inſtantiam, Romanos, qui tunc temporis Viterbiam impugnabant, in favorem Eccleſiæ nos oportuit diffidare: ipſo mittente literas latenter ad Urbem, quod hæc per nos præter ſuam conſcientiam, & mandatum, faceremus in odium Romsnorum. Et interim in Sicilia quadam ſeditione ſuborta, oportuit nos neceſſario conferre Meſſanam: ut factioni ibi inchoatæ principiis obſtaremus: occaſione ſolummodo iſta prætenta, quod tam nobilem noſtram Siciliæ Inſulam noluimus amittere: nobis non requiſitis, & omninò celatis, contra omne jus gentium, quod belli ſocios, & participes ſtatuit non relinqui fœdus iniit cum Romanis, per nos ad mandatum ejus, ut diximus diffidatis, non attento, quod nos non ſine dubia vice, & honoris noſtri fortuna inter rebelles, & ſeditioſos noſtros remanentes inermes, copioſam, & ſtrenuam militiam armatorum in ejus ſubſidium miſeramus, quamquam perſonaliter intereſſe nequiveramus. Ad hæc cum conſcientiæ noſtræ integritas, & pura devoti, quam ad matrem noſtram Eccleſiam habeamus, novercalia deliramenta Patris agnoſcere filium non ſinebant: quin quod erat aſtutiæ, caſui reputantes ſatisfactionis noſtræ cauſam in vitricantis arbitrio ſæpius poneremus: qui tantò nobis vice qualibet illudebat acerbiùs, quantò conſtantiùs ſpem uberiorem arbitrii permittebat. Medio deinde tempore, dum de negotio Italiæ per Papam ad honorem Imperii componendo, ex præteritorum conjectura diſcriminum, nulla ſpes nobis remanſiſſet in poſterum, vel exilii, ac perſecutionem eandem congruo tempore ſervaremus, expectantibus repentè credimus arriſiſſe fortunam, reiterata diſcordia inter Eccleſiam, & Romanos: in qua ſic magnificè, ſic devotè theſauros noſtros effudimus, & perſonam, quod omnem omninò conſcientiæ pravæ rubiginem, de malevolentium cordibus credebamus eraſiſſe. His etiam omnibus non contenti, ut de nobis prorſus indubitata ſecuritas Eccleſiæ præberetur, circa ipſum zelo devotionis ſummæ ſuccenſi, & incentivo perfectæ charitatis in Deo. ad præſentiam iſtius Summi Pontificis, perſonaliter ivimus, etiam non vocati, ducentes nobiſcum Conradum chariſſimum filium noſtrũ, nunc Romanum in Regem electum, & Regni Hieroſolymitani hæredem; quem nobis tunc temporia fratris ſui manifeſta traſgreſſio, filium unicum in patarnæ dulcedinis affectione reliquerat: Ac eundem poſt oblatam Eccleſiæ perſonam noſtram, in totum obſidere Summo Pontifici nos offerre non puduit; unionem omnimodam inter nos, & Eccleſiam, ſub atteſtatione divini judicii humiliter poſtulantes: quam dudum nobis anteà iſte Prælatus Eccleſiæ generalis cum eſſet Epiſcopus Oſtienſis, inſtanter ſuaſerat expetendam. Propter quæ omnia, dum ſerenam nobis totius Curiæ faciem aſſertio demonſtrata prætenderet, & verba gratiſſima tam Summi Pontificis, quàm Curialium omnium, ſinceram oſtenderent voluntatem, cum eis omnia perfeciſſe credentes, ſub intentionis noſtræ ſanctæ propoſito, nec minùs ſub obſequiorum noſtrorum fiducia, diſſentionis cauſam inter nos, & Lombardos in ſinu corrupti Judicis toties ſuffocatam, nec non & ſedtionem inter nos diſcordiæ, Cives, & Nobiles Aconenſes devotione promptiſſima duximus exponendum. Sicque de negotiorum noſtrorum omnium proſpera conſummatione ſecuri, in obſequium Eccleſiæ perſonaliter alacri voluntate proceſſimus cum exercitu copioſo; quem ſub magnis ærarii noſtri ſtipendiis congregari tam de Germaniæ, quàm de Italiæ partibus feceramus. Nec priùs à con-

concepti propositi prosecutione destitimus, quàm libertatem Ecclesiæ conculcatam in Urbe, & terram exteriùs occupatam, in statum primum, & debitum, nostra potentia reformevit. Indubitabiliter æstimantes, ut quod obtinere priùs favor justitiæ nostræ non poterat, devotionis obsequia promererentur. Sed eudite retributionem mirabilem, quam pro tanta devotione, pro tot beneficiis, pro tot indubitatæ fiduciæ firmamento, Christi Vicarius Pastor Ecclesiæ nostræ Catholicæ, Fidei prædicator, nobis in singulis reddere procuravit. In primis super negotio ultramarino, quicquid per Ravenensem Archiepiscopum dilectum Principem nostrum, tunc Apostolicæ Sedis Legatum: secundùm formam expressam ab Ecclesia sibi datam, videlicet de reducendo nobis, & prædicto Conrado nato nostro in possessionem plenam, & pristinam omnium jurium nobis sub trectatu in Regno, fueret retionabiliter ordinatum; statim edveniente Cæseriense Archiepiscopo, nec Legato prædicto, nec nuntiis nostris ad Curiam venientibus expectatis, nec ulla majori more protracta, delatos Bizantios potuit numerere, inordinetè fuit ex toto destructum negotium Italiæ, ne dum quod ad honorem nostrum, & Imperii, sicut promiseret, ordinaret, imò petentibus, & instentibus nobis ad revocationem hostium nostrorum, quòd in Lombardie, & Tuscia fideles nostros, tunc temporis divisim exercituum suorum copiis devastabat. Nec nos cum militibus, quos tunc in partibus ipsis, ut diximus, pro Ecclesiæ Provinciis habebamus, ire permisit: nec aliquem nuntium, seu literas voluit destinare, ex quibus per bella campestria sunt quàmplurium streges hominum, & Ecclesierum incendie subsecuta. Adhuc etiam tanta, & superiori nequitia non contentus, Civitatem Cestellæ, per ipsum introactæ turbationis temporibus occupatam, quam reddi nobis forma pacis, & Fratrum suorum omnium consilie suedebant, receptis libris illius monetæ solummodo, quæ ad quinquaginta mercarum numerum non ascendunt; nobis cum eo permanentibus in Riata, & pro eorum marcarum millia multe expendentibus, reddere recusavit. Ecce qualiter Pater noster iste Sanctissimus, nos amabat! Deinde super profectibus nostris omnibus, & super pacificanda nobis Italia (meximè de qualibet Patris, vel vitrici nostri potiùs, benevolentia desperare coacti) apprendimus erma, & scutum, vires de Teutonum partibus (ad ques nos diebus illis, prævaricatio filii nostri de necessitete vocaveret) propter ingressum Italiæ congregantes: militibus strennis institiam nostram armevimus, quam assequi precibus minimè poteramus. Quod cùm, ad notitiem Summi Pontificis pervenisset sub pretextu treugarum pro Terræ Sanctæ subsidio fidelibus populis, & terræ Principibus indictarum, armatum nobis ingressum Italiæ, per Apostolicas literas interdixit. Obligatusque die eodem ipso, quo prædictas treugas indixit; nos tamquem defensorem, & advocatum Ecclesiæ requisivit: quod contra Romenos, quos sibi jura Ecclesiæ subtraxisse dicebet, potenter procedere deberemus: iniquum in nobis reputans, quòd domum nostram, & possessionem avitem; quam nobis infidelium nostrorum rebellio furiosa præcluserat, viriliter ingredi nitebamur: quod justum crediderat in Romanis, qui patri, vel avo, seu parentibus suis in nullo prorsus extiterant obligati. Adjecit præterea in literis antedictis, quod de negotio Lombardiæ in ipsum præcisè sine edjectione temporis, & conditione aliqua, nullo jure, & honore Imperii reservato compromittere deberemus: per quod, vel nos imperpetuum à juris nostri prosecutione cujuslibet suspenderet: vel jus, & honorem Imperii, liberè suffocaret. Quod cùm nobis nec nostrorum consilio Principum, nec præteritorum dispendiorum memoria suaderent: ad ertes alias postmodùm se convertit: mittens nobis obvium in vestimentis ovium lupum rapacem, Episcopum Prænestinensem: per quem apud nos literis Apostolicis de vita sanctissime commendatum, Plecentiam nobis subditam, & nostris amicam, ad factionis Mediolanensis revocavit perjuria: per eum firmiter æstimans, sic universaliter, & in tentum fideles nostros evertere, ut processus nostros in Italiam penitùs enerveret. Qua spe, faciente divine clementia, quæ suum tuetur Imperium, omninò frustratus: clementibus apud eum rebellium nostrorum incendiis, depopulationibus reorum ex stragibus occisorum, quod ipsum de data eis rebellionis secura fiducia, necnon de fide mentita, quod contra nos, & Imperium ipsis assistere promisisset, publicis vocibus arguebant. Quia juxta petitionem ipsorum, occasione prædicte nos excommunicare justè non poterat, impedimenta clendestina nostris processibus undique præparavit: literas, & legatos per Imperium, & ubique per Orbem, ut quoscumque posset, à fide, & assertione nostra seduceret destinando. Quæ omnia cum nostrorum fidelium fides, & emicorum affectio, conscientiam nostram latere non vellent, nolentes edhuc vinci à malo, sed in bono malum vincere cupientes: solemnes nuntios nostros venerabiles Panormitanensem Archiepiscopum, Plorentinum, & Reginensem Episcopos, Magistrum Thad-

 dæum

dæuni de Soessa, Magnæ Curiæ nostræ Judicem, & Magistrum R. Portastellanum Cappellanum; dilectos, ac fideles nostros, ad Sedem Apostolicam duximus destinandos. Quibus oblata sibi per eos ex parte nostra devotione omnimoda, & ratione tractata contra hæreticam pravitatem, & pro Ecclesiastica libertate, de reformandis Ecclesiæ, & Imperii juribus (dudum inter nos, & Ecclesiam expetitis, & expectatis) Summus Pontifex de præsentium Fratrum suorum consilio, legatione nostra in omnibus suis Capitulis acceptata; per eosdem, & Archiepiscopum Messanensem, quem ad nos pro pace sua nuntium destinavit, excellentiæ nostræ promisit, quæ cessari mandaret ubique locorum ab impedimentis omnibus, quæ se nostris processibus objecisse, coram Fratribus suis, & nuntiis nostris fuit professus manifestè, prout hæc omnia per testimoniales Antistitum omnium præfatorum literas manifestissimè comprobantur. Cum qua responsione, nuntiis nostris, & suo ad nostram præsentiam redeuntibus; priùs quàm per tres dietas à Curia recessissent, eis omninò celatis, & in confusionem ipsorum, G. de Monte longo, quem primitùs ad nos nuntium miserat, & contra nos postmodum ad eversionem Mantuanam, & aliorum fidelium nostrorum statuerat, in Lombardia legationis officium plenè commisit; arbitratus ut quanto sibi major daretur auctoritas, tanto majora nobis, & nostris impedimentis pararet. Quibusdam tamen Principibus nostris, Prælatis Italiæ, & Germaniæ, nobiscum in Curia nostra manentibus, literas destinavit; sugillationem famæ nostræ non modicam continentes, certis capitulis interclusis: & specialiter de gravaminibus, quæ quibusdam Ecclesiis Regni nostri dicebantur illata; super quos, mandavit nos per eosdem Principes admoneri. Quorum capitulorum omnium, & responsionum nostrarum ad singula, seriem vobis sub testimonio publico misimus intuendam. Quibus omnibus, coram Principibus, & Prælatis, ac Religiosis quampluribus, cujuslibet ordinis sigillatim ostensis (quamquam de tanta Patris instabilitate confusos se filii reputarent, & de verecundia capitis præsentium robur ora perfunderet) nihilominùs tamen de ipsorum consilio, prædictos Panormitanensem Archiepiscopum, Magistrum T. & Magistrum R. Portastell, excellentiæ nostræ, cum nuntiis Civitatum nostrarum fidelium, ad Sedem Apostolicam duximus remittendos: per quos ad satisfactionem omnem, mora qualibet, & difficultate sepositis, obtulimus nos paratos. Sed nec in his omnibus est aversus furor ejus, quia dictus evangelizantis pacem Christi Vicarius, sed actor schismatis, & dissentionis amicus, contra traditionem Sanctorum Patrum, audiens nuntios nostros portantes omnimodum nostræ devotionis xenium, & metuens ne supervenientibus ipsis obice vallo justitiæ, sine publico scandalo fortè procedere non valeret; præ festinantia nimia conceptum edidit abortivum, in nos supremum Christianorum Principem, die Dominica Palmarum, contra solemnem morem Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ; & in Cœna Domini, postmodum præcipitavit sententiam, per quam (sicut per famam audivimus, licèt hoc credere minimè debueramus, contradicente saniora parte Fratrum suorum) de quorumdam Cardinalium Lombardorum consilio, nos excommunicationis vinculis dicitur adstrinxisse; præpeditis nuntiis nostris per fautores, & satellites suos, de patrimonio pauperum solidatos, qui jam applicuerant; ne ad allegandum justitiam, & innocentiam nostram, ac demum satisfactionem offerendam etiam ad cautelam, ad præsentiam suam, & aspectus publicos pervenirent. De quo licèt nos singulari, & propria ratione, propter nostram justitiam, & infamiam procedentis, malle meritò debueramus, quod perperàm, & inordinatè processerit, cum nequitiam suam editurus fuisset omnimodo, non forsitan anteà crapulisset: dolemus tamen & ex corde dolemus, propter verecundiam universalis Ecclesiæ Matris nostræ, quam Dominus noster Jesus Christus sub specie Virginis Gloriosæ, in passionis testamento discipulo commendavit. Aliàs nobis per talem, quem meritò nostrum Judicem non habemus, nullam posse fieri reputamus injuriam; utpotè cum se priùs inimicum capitalem, quam Judicem nostrum, & opere fuerit professus, & verbo, rebelles nostros, & nostri Imperii publicè confovendo. Indignum præterea se tanti coërtione Principis, & generaliter qualibet Pontificalis auctoritate judicii reddidit; dum Mediolanensem Civitatem, quæ pro maxima parte testimonio Religiosorum quamplurium fide dignorum, inhabitatur hæreticis, contra nos, & Imperium manifesto favore tuetur. Et contra R. de Mandello Civem Mediolanensem, dudum Potestatem Florentinum, & Clarentinum, Episcopi Florentini, viri vitæ probabilis, ac famæ approbatæ in plerisque capitulis super hæretica pravitate; ob odium nostrum, & Mediolanensium gratiam non admisit. Illum haberi præterea Christi Vicarium, & Successorem Petri, ac dispensatorem animarum fidelium indignè fatemur; non ob dignitatis injuriam, sed ob personæ defectum; quòd dispensationes cum Fratrum deliberatione maxima concedendas;

das; in camera sua more mercatoris cujuslibet, in libra mercationis celatis fratrum consiliis (cum quibus secundùm Ecclesiasticam disciplinam deliberare teneretur) existens sibi bulletor, & scriptor, & forsitan numeretor. De quibus dispensationes insignes preterire silentio non volumus, per quas Sipham quondam Contestabilis Regni Cypri; contre separationis sententiem latam super hoc per Nicosiensem Episcopum, & de non habitando simul prestitum Sacramentum Balianno de Jocelino, & sororem Joannis de Cæsaria Jacobo de Amendolie, qui priùs sororem ipsius desponsaverat, proditoribus nostris, sibi invicem gradu tertio ettinentes, concessit uxores, accepta non multæ pecuniæ quantitate: verumtamen quod quantiteti vel numero defuit, odii nostri qualitas compensavit. Defectum etiam, & prævericationem ejus in illo debemus, quòd ut contra nobiles, & potentes Romaniæ sibi setellites fautores adquirat, effusione pecuniæ non contentus: ipsis castra, & possessiones Sanctis Patribus pia Fidelium devotione donate, Romanam Ecclesiam nostro patrocinio commendatam dilapidando, largitur. Itaque non miretur universalis Ecclesia, nec populus Christianus, si nos talis sententiam Judicii non veremur, non in contemptum Papalis officii, vel Apostolicæ dignitatis (cui omnes orthodoxæ fidei professores, & nos specialius cæteris, subesse fatemur) sed personæ prævaricationem arguimus; que se solio tanti regiminis, monstravit indignum: & omnes Primates nominis Christiani sanctum intentionis nostræ propositum, & piæ devotionis zelum in nobis agnoscant, & quod non ex odii fomite, sed ex causa justissima, Romanus Princeps contra Romanum Antistitem commovetur: dum metuit ne grex Dominicus, sub tali Pastore per devia deducatur. Ecce quod Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, per Sanguinem Jesu Christi, & sub ettestatione divini Judicii, per literas nostras & nuntios ettestemur: ut generale Concilium Prælatorum, & aliorum Christi Fidelium debeant evocare. Nuntiis quoq; nostris, & reliquorum Principum accersitis: in quorum præsentia, nos ipsi præsentes, cunctaque diximus, sumus ostendere, & probare pareti, & his etiem duriora. Nec minùs illi probabili ratione turbamur, quod iste Rector Ecclesiæ, qui deberet esse virtutum quarumlibet, & constantiæ maximæ, sine macula cupiditatis, vas electum, ne error majorum in subditos propagaretur cum augmento: contra promissionem suam literis suis de Fratrum consilio nobis factam, per quas in restaurandis Imperii viribus non deesse nobis, sed adesse promisit auxilio, consilio, & favore, præter personæ nostræ infamiam, ne dum blasphemiam, Jus Imperii nititur conculcare: præsertim cum quantumcumque conscientiæ nostræ librum sollicitè revolvemus, nullam in nobis occasionem invenimus, propter quem iste inimicus homo contre nos debuisset tam acriter commoveri. Nisi quod cum ipso contrahere, de nepte sua desponsanda Henrico natureli filio nostro, nunc Regi Turris, & Gallur. nostre megnificentia credidit indecens; & reputavit indignum. Tu igitur dilecte cum tibi dilectis, Princeps Orbis terræ Profuture, non nobis solum, sed Ecclesiæ, quæ est omnium Fidelium congregatio, condolet cujus caput languidum, Princeps ejus in medio est, quoniam leo rugiens, Prophete ejus, vesanus, vir infidelis, Sacerdos ejus polluens Sanctum, injustè faciens contre legem. Nobis tamen pro cæteris Mundi Principibus, defectus est telis Summi Pontificis meritò deplorandus: qui veluti sibi viciniores loco, & propinquiores officio honores congerimus, & onere præsentimus. Sed nec illud omittimus, in affinitatem nostrem affectuosè rogemus: & contumeliam nostram ad injuriem vestrem revoces. Ad domos vestras cum equa concurrite, dum ignis eccenditur in vicinis. Causam motus Pontificalis ettendite, quod in favorem rebellium nostrorum procuratur. Quæ causa licèt ad præsens expresse non fuerit, proculdubiò temen subest: Similia nobis in vestris imminere pericula timeetis. Facilis enim, & Regum aliorum Principum omnium, humiliatio creditur, si Cæsaris Romanorum potentie conteratur, cujus clypeus, prime jacula sustinet adversantium. Hæc est namque causa pro vero, videlicet de Lombardis, quæ cor Papæ pungebet, & urebat intrinsecùs, licèt ipsam foris educere, propter nostrum & audientium scandalum, non auderet: pro qua nobis per specialem suum nuntium fide dignum (cujus ad hoc testimonium invocamus) oretenùs expresè promisit, quod si negotium Lombardorum in ejus arbitrio poneremus, nedum quod in aliquo magnificentiem nostram offenderet, verum etiem totius orbis decimas, Terræ Sanctæ necessitatibus consecretes, nostris utilitatibus applicabat. Nec est mirum. Instantibus enim, & ecutis Lombardorum aculeis pungebatur, quibus, prout per aliquorum Prælatorum confessionem eccepimus, contra nos, & Imperium, corporale præstitit Sacramentum; cum ipsos, peregrinentibus nobis in partibus Syriæ pro servitio Jesu Christi, transmisit in Regnum. Sed cum temporis fuerit illa promissio, fidem licitè frangere poterat,

&

& editum variare decretum. In quorum favorem, rem auditu horribilem, & discretione qualibet seu ratione carentem, facere minimè formidavit. Cum enim per G. Brixinensem, H. Cumanum, & alios Episcopos, nos faceret admoneri; quod vel satisfactionem Lombardorum per ipsum deberemus accipere, vel treugas pro Terræ Sanctæ negotio per quadriennium, ut diximus, indictas Lombardia; cum ab indictarum treugarum jam quinquennium excessisset. Nosque rem tanti consilii, ad deliberationem nostrorum fidelium modico temporis spatio servaremus: monitionibus ipsis de approbatione legati, prædicti G. de Monte longo (scilicet qui apud Mediolanenses interim morabatur) inducias approbantibus supradictas, prout hæc liquidò Prælatorum ipsorum testimonio comprobantur. Medio tempore, nec voluntatis nostræ judicio, nec fidelium nostrarum consilia expectatis, conceptum virus evomuit, contra nos, prout aliquorum relatio declaravit procedendo. Postremò te pro nobis, imò vos totius Optimates Orbis, & Principes exigimus adjurantes; non quod ad propulsationem talis injuriæ nostra non sufficiant munimenta, sed ut totus Mundus agnoscat, quod honor omnium tangitur, quicumque de corpore Principum sæcularium offenditur. Datum Tervisii xx. die Aprilis nona Indictione.

Lamentabile scandalum exortum.

HAnc epistolam, mutatis tamen titulis, & paucis in fine verbis; Dominus Imperator Regi Anglorum, multisque per Orbem Principibus, ut suam allegaret innocentiam, & Papalem manifestaret . . . . . destinavit: cæpitque scandalum oriri per totius Mundi latitudinem, Ipse verò Papa cum hæc sida cognovisset relatione, ipsum Imperatorem magis ac magis, diffamando multis opprobriis lacessivit, necnon & heretica damnavit enormitate: prolixioremque epistolam, ut ipsum damnabilem toti mundo redderet, & infamem, Principibus, & Prælatis terrarum, transmisit invectivam, in hæc verba.

Litera Papales.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Cantuariensi, & suffraganeis ejus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ascendit de mari bestia, blasphemiæ plena nominibus; quæ pedibus ursi, & leonis ore desæviens, ac membris formata cætera sicut pardus, os suum in blasphemias divini nominis aperit tabernaculum ejus, & Sanctos, qui in cœlis habitant; similibus impetere jaculis non omittit. Hæc unguibus, & dentibus ferreis cuncta confringere, & suis pedibus universa desiderans conculcare, fidei occultos olim paravit arietes, & nunc apertas machinas instruit Ismaelitarum, gignasia animas avertentia construit, & in Christum humani generis Redemptorem (cujus testamenti tabulas stylo pravitatis hæreticæ nititur abolere, forma testante) consurgit. Igitur admirari desinite omnes, ad quos ab hac bestia contra nos edita pervenerunt obloquia blasphemiæ; sed nos omni Deo servitute subjecti, detractionum sagittis impetimur; cum nec ab his opprobriis immunis Dominus relinquitur. Admirari desinite si injuriarum in nos mucronem exerit, quod ad perdendum de terra nomen Domini jam assurgit: sed potiùs ut ejus resistere aperta veritate mendaciis, ac illius confutare fallacias, puritatis argumento possitis, caput, medium, & finem hujus bestiæ Friderici dicti Imperatoris inspicite diligenter: & in ejus verbis abominationes dumtaxat invenientes, & scelera, contra ipsius dolos sinceros animos scuto veritatis armate. Attendentes qualiter sinceritatem Apostolicæ Sedis, & nostram, literis per diversa climata mundi transmissis, pollutis visus est maculare narratibus dictus Fredericus; figulus falsitatis, modestiæ nescius, nec aliquo perfusus rubore mentitur: Quod nos ipsum, nobis in minori officio constitutis, amicum pristinum, fidem, & mores, adepto Apostolatus officio, relinquentes, quia sicut Sacramento præstito, & lata in ipsum excommunicationis sententia, tenebatur præfixo tempore in Terræ Sanctæ subsidium, vel succursum, infirmitate non potuit prohibente transire, vinculo excommunicationis astringere, postulatum ab ipso, sanitate resumpta, absolutionis beneficium denegare, ipsumque in dictum transeuntem subsidium per nuntios, & legatos nostros literas processui contrarias Soldano mittentes, impedire curavimus, ut sic esset de Regni Hierosolymitani recuperatione concepta frustratus: Regnum Siciliæ, pro eo, quòd Reinaldus olim filius Ducis Spoleti, præter ipsius conscientiam, terram invasit Ecclesiæ, nos injustè, & violenter intrasse, ac ipsius homines provocasse ad perjurium, falsò conqueritur. Seque de Syria in Apuliam redeuntem, illatæ injuriæ omisisse vindictam, acceptasse concordiam, & rediisse ad Matrem Ecclesiam gloriatur: licèt autem hæc figmenta publica notitia reprobet, quia tamen nonnunquam rectitudinis sedem velatum occupat in aure sincera mendacium, apud quam pro se veritas non invenit advocatum,

tum, ne in corda vestra falsitas quæcumque possit fraude surripere, dignum est, verum rei per nos gestæ modum, & ordinem non latere, qui dictum Fredericum ante, & postquam Apostolicæ nostros suggessimus humeros servituti, sub vulpe latentem, omni curavimus gratia prosequi; donec spe, quæ patri de filio solet innasci, sublata, idem Fredericus in magnitudine sua, & ex adepta fortitudine infrunitus, Matri Ecclesiæ pro bonis mala retribuit: & in eam quam fucatis delinivit aliquando verborum fallacils, virus effundere caudæ aculeo, more scorpionis, incepit. Nam cum olim Terræ Sanctæ necessitas, prædicta sententia, & juramentum, ac præfixus terminus transitum ejus exposcerent, & illud idem multa millia Crucesignatorum ipsum Brundusii expectantia, cum instantia postularent: idem dictos Crucesignatos inibi, donec sub ignoti aëris intemperie diversis lugendæ mortis casibus periere detinuit, & perjurium, ac excommunicationis sententiam gratis incurrens, infirmus fide, sed sanus corpore, ut securiùs Deo mentiretur, & Ecclesiam falleret, omisso promisso passagio, in lecto ægritudinis diebus aliquot simulatus decubuit, ac Terram Sanctam incursibus hostium Christi exponere minimè dubitavit, ex eo nullo dolore percussus, quod ibi claræ memoriæ nobilis vir Thuringiæ Lantgravius, utinam non veneni periculo, sicut mundus clamat, extitit interemptus. Cumque de conficta ægritudine, & aliis præmissis, nobis per literas Prælatorum ibi morantium constitisset: ne disciplinæ virga tanto subjecta facinori, nos & Apostolica Sedes redderemur inde notabiles, Crucesignatorum mortem, & Terræ Sanctæ pericula deplorantes, & cupientes saltem in altero Ecclesiæ lacrymas memoris dextra debitæ consolationis abstergi, ipsum latæ sententiæ in eum de consensu suo auctoritate bonæ memoriæ Honorii Papæ prædecessoris nostri excommunicationis sententiæ subjacere denuntiamus; summo desiderio postulantes, ut cùm postmodùm emendatum, tantorum revelatione damnatorum optatam præstare operam audiremus; literis nostris offerentes eidem, quòd impartiremur sibi juxta formam absolutionis beneficium, quàm citò arriperet iter in præfatæ Terræ succursum. Sed ipse in cujus erat super his pectore cura minor, claves Ecclesiæ parvipendens, non absolutus in Syriam transiit. Ubi cum Soldano, solis sibi mœniis Hierusalem restitutis, & illi grandi ad impugnationem Christianorum transmisso equorum, & armatorum exercitu, sexennale fœdus fediens, & Templum Dominicum Saracenorum ibi laudes exclamantium, Machometi Curiæ relinquens, ex defensore mutstus est in hostem: Venerabilem Fratrem nostrum Patriarcham Hierosolymitanum, & Templarios pro viribus expugnavit. Illud autem non debet ad sanæ mentis credulitatem accedere, quod eum in recuperatione Regni Hierosolymitani nos, vel legati nostri, cum ad hoc multo labore sudaverit, grandiumque Ecclesia subjerit onera expensarum, studuerimus impedire. Sed istud in notitiam omnis Terræ pervenit, quod idem Fredericus sicut in Syriæ partibus in propria persona Dei persequebatur Ecclesiam, sic citra mare ipsam diversis tribulationibus dicti Reinaldi ministerio, quem contra consilium nostrum, suum in Regno Vicarium reliquerat affligebat. Cujus terram cum literis aurea bulla munitis, pecunia, & vassallis ipsius Frederici, præfatus Reinaldus invadens, nonnullos Sacerdotes, & Clericos suspendere, mutilare, ac fustibus cedere, necnon statu nostro turbato, Perusii partem ipsius præoccupare, præsumsit. Quem licèt fideles, & devoti nostri, non valentes ad ulterius sustinere, à parte tarræ prædictæ, Christo Sponsæ suæ indulgente victoriam, ejecissent: quia tamen idem Reinaldus nequaquam ab incepta persecutione cessabat, consultiùs extimantes, si originalis militiæ venas inciderent, quàm jam excitati torrentis impetus novis replere rivulis expectarent; dictum Regnum Siciliæ, quod est spirituale patrimonium Ecclesiæ, ne inde nos percunctentur jacula, unde potiùs erat expectandum subsidium, intraverunt: multiq; ex ipsius Regni habitatoribus obedientes Apostolicæ Sedi, nequaquam ob id reputari debent perjurium incurrisse, cum à juramento fidelitatis, quod eidem Frederico præstiterant, ex lata in eum excommunicationis sententia, absoluti fuissent. Dicto quoque Frederico redeunti de partibus trasmarinis, & ad sinum Matris Ecclesiæ reverteuti, pietatis apposuimus Apostolicæ gremium, ipsique ad expetitam inclinati concordiam, absolutionis beneficium curavimus impartiri. Ad hæc idem mendacii filius, falsitates falsitatibus cumulans, ut quo plura mendaciorum retia orditus fuerit, eò gravioribus se doleat periculis irretitum; de novis mendaciis scriptura pronuntiat; quod eidem ut Lombardiam pacificus, & inermis intraret, promittentes, quod aspera sibi converteremus in plana, pro sua confusione subjecimus, & non permisimus obice nuntiorum, & literarum nostrarum intentionis suæ metas attingere. Ac deinde, quia sibi potentia non suffragabatur armorum, in Regnum redire coactus ad instantiam nostram Romanos, tunc Viterbium impu-

gnantes, diffidasse; & in Viterbii subsidium strenuam misisse militiam se falso asserit; nosque scripsisse Romanis, id præter conscientiam nostram fieri; & eum ipsis eo irrequisito reformasse concordiam, in querelam adducit, novo sibi blanditus mendacio, quod diffidentibus iterum ab Ecclesiæ pace Romanis, idem non vocatus cum Conrado filio suo, quem nobis obtulerit obsidem, ad presentiam nostram personaliter veniens, & arbitrio nostro motam inter ipsum, & Lombardos discordiæ causam exponens, Terras Sedis Apostolicæ occupatas ejus Juri restituit, & libertatem Ecclesiasticam in statum primum, & debitum reformavit. O utinam iste falsidicus esset vir habens spiritum! O utinam hujus propositio falsitatis, verùm habuisset eventum! Ipsius verò negotium, quòd per venerabilem Fratrem Archiepiscopum Ravennatem, de restituendis ei, & dicto Conrado juribus ipsis in Regno Hierosolymitano subtractis, ordinatum fuerat, nos quàm citò delata potuit numerari pecunia distribuisse fidelibus (quos non sine Ecclesiarum incendiis, & hominum stragibus, hostilis devastabat insultus) ipsius interdixisse succursum; & ob id nos nuntium noluisse, vel literas destinare, contrarius veritati conqueritur. Ac Civitatem Castellæ, contra formam pacis, & Fratrum consilia, in sui juris præjudicium detineri à nobis suis exarare literis stylo mendaeli non veretur. Quamquam autem his figmentis modica veritas impermixta, aliquid doloris adjiciat; ut tamen apertiùs intelligatis, quòd tantam hujus commenti seriem non modica falsitatis adjectio decolorat, scitote pro certo, quòd cum sicut nunc ex tempore eventu cognoscitur, discretæ menti verisimile videretur, ipsum de Lombardis suum potiùs consequi propositum potuisse, si se illis, quos populorum numerositas, profunditasque vallorum, armatorum copia, ac murorum reddit altitudo munitos, pietatis parentem exhibuisset, & clementiæ Dominum, quàm si trementibus pro culpa imposita subditis ultionis exerto mucrone terribilis occurret in cuneis armatorum: ei nos qui bona pacis procurare tenemur, bona fide suasimus, ut armatæ militiæ omisso terrore, sub indictarum omissione pœnarum, & beneficiorum oblatione, illos ad Imperii devotionem reduceret. Qui etsi in Lombardiam famulis stipatus inermibus accessit, quia tamen consilii fidelis oblitus, in partem Cremonentium cædis, actor factus est schismatis, scissamque in discordias Lombardiam fortiùs scindere, & Mediolanenses à se terroribus, & minis abigere studuit, quos tamen adversa parte ad unitatem trabere potiùs debuit in funiculo charitatis: non est quod nostræ imputetur innocentiæ, si spe frustratus in Apuliam rediit, ipso spei conceptæ interitum procurante. Posthæc super tuitione libertatis Ecclesiasticæ, super extirpanda hæretica pravitate, nostris beneplacitis paratum se obtulit, ad quem recurrens litera nostra respondet: Quod cum in Regno suo, ubi nullus manum, vel pedem absque ejus movet imperio, in Fidem Catholicam hæresis latiùs venena diffunderet, & libertas Ecclesiæ quasi penitùs conculcata jaceret: non credebatur capiti salutis adhibere remedium, qui pedem suo reddiderat contractu morbosum: sicque responsum hujusmodi lapsu modici temporis approbante, audito quod quidam pravo seducti consilio, Ecclesiæ terram intrare volebant, in Siciliam, quasi fuga capta, ne rupta promissio eum falsitatis argueret, protinùs abiit: ac contra illos verbo, vel opere in aliquo non processit, nobis improperans, quod revertentes ad Urbem Romanos filios speciales Ecclesiæ, ad matris devotionem paterna curavimus diligentia revocare. Idem insuper intellecto, quod illos ab Ecclesiæ charitate sejungere quidam iniquitatis filii nitebantur, & excogitato, quod faciliùs hanc, & illos opprimeret, si præfatam charitatem acerbiùs fraude solita vulneraret: nobis tunc Reate præsentibus, ad Sedem cucurrit Apostolicam etiam non rogatus: ubi sub multa humilitate promittens, quod terram Ecclesiæ perditam in primum statum reduceret, & ipsam pro viribus defensaret in Tuscia, ad quam vires suas contulit, recuperationem cujusdam Castelli, quod ad jus Ecclesiæ modico reduci labore poterat impedivit. Et cum adhuc manus tradentis nobiscum essent in mensa, cum hostibus Ecclesiæ, sicut ex consequentia facti, & literis suis, quæ à nobis in tantæ proditionis testimonium reservantur, apertè convincitur, hoc signo dato, inde Vicarius pepigit in ipso, certo die exinde recedente, illi ad arma iste mons pestifer devotionis obsequia præstitit. Attendite quales Ecclesiæ famulatus occultus hostis impendit, qui in Ecclesiasticum transformari non erubuit famulum, ut nobis ad nocendum fieret efficacior. Pro firmo tamen vos tenere cupimus, quod nos his sub dissimulatione præteritis, circa eum adhuc non permittens immutari affectum Apostolicæ paritatis, per dictum Archiepiscopum, commisso sibi legationis officio, jura ei, & præfato Conrado in eodem Regno Hierosolymitano mandavimus subtracta restitui. Qui licèt id fecerit, quia tamen formam sibi datam, propter quod ab eo ad nos extitit appellatum: excedens Terram Sanctam, quod est inaudi-

eauditum à sæculo, post appellationem hujus sententiæ supposuit interdicti. Nos attendentes quod ob id in maximum ejus Terræ periculum, Peregrini ex ipsa recederent, & alii inceptum ad illum transitus retardarent; dictam sententiam, quæ utpotè latam post appellationem legitimam, ipso jure nulla fuerat, in omnibus aliis præfati alii Archiepiscopi intacto remanente processu sufficienti, à Baronibus, Nobilibus, & Comitibus Regni prædicti cautione recepta, in omni sinceritate de Fratrum nostrorum consilio duximus relaxandam. Quod ergo ipse de nobis ob hoc labiis pollutis obloquitur, noster animus non turbetur; quia cum sit eas repletum vitiorum spurcitia, eaque ipsius infecerunt animum, putat in aliis criminum deservire tormenta; ex quo cùm malorum opprobria laudem, laudes quoque opprobrium resonent; à viro, cujus omnis lingua clamat infamiam, sugillationibus impeti eligimus multò fortiùs quàm laudari. Sed forsan maculam opinionis suæ, his credit abolere conentiis, quia se dum Viterbium moraretur inficiens, à facie hostium Ecclesiæ non verecundus eufugit; & ad defensionem suorum fidelium, quas ipsius hostes in oculis ejus obsederunt, terram nullo prohibente vastarent, affirmans suum per nos ad illos interdici progressum, Imperialis honoris prodigus, sed timore prohibitus non accessit; ex eo innocentiam nostram accusans, quod ad evitanda hujus belli dispendia, Nuntium à latere nostro non misimus. Sed nec mirum, cùm eo tempore status Ecclesiæ multiplici fuisset persecutorum afflictione turbatus. Venimus autem ad Civitatem Castellanam, cujus Cives se illi, violato Sacramento Fidei, Ecclesia ignorante, prodentes nullum jus per hoc in seipsis adquirere, nullum nobis circa possessionem, cum jurisdictione Civitatis, & Civium quasi possideret, Ecclesiam prodendo, potuerunt præjudicium generere. Quia illi, à quibus alteri potiùs quàm sibi possidentibus non sequiritur, possessionibus initium, leges possessionum evertere, & extraneis jure conferre nequiuit possessorum. Necnon qui de reddendis possessionibus Ecclesiæ ratione ad eum pertinentibus, pluries juramentum præstiterat; satis impravidè à nobis videbatur petere, quod non poterat absque perjurio retinere. Nec credi debet in hoc, nos sibi omnimodam coram arbitris, vel alio modo justitiam exhibere paratos, Fratrum nostrorum despexisse consilium; quòd nuntiis ejus inceptum judicium recusantibus prosequi, non fuerat requirendum; quia potiùs hanc petitionem ea dumtaxat fraude intentasse proponitur, ut sic ei obloquendi de Ecclesia, & pacem inter ipsam, & eum initam, irritandi occasio præberetur. Illud quidem quod super facto Imperii inter cætera sua detestabilis testatur epistola, noster edisserit his literis calamus; ut quo pluribus ejus fictio cognita fuerit, eò fortiùs ex suo maneat commento confusus; dum de nobis ubtrectat, quod ad nostram translato notitiam eum ad recuperanda jura Imperii cum multis bellatoribus intrare millibus Lombardiam, sibi ne Italiam intraret armatus, & de negotio Lombardorum in nos præcisè compromitteret, Apostolico scripto mandavimus, ut illud perpetuò suspendere, vel jus Imperii liberè suffocare possemus, contra ipsum venerabilem Fratrem nostrum Prænestinensem Episcopum, per quem ejus vacuaremus propositum transmittens, ei impedimentis clandestinis per Legatos, & literas nostras per orbem undique procuratis. Iste verò, cui ne veritatem fateri, nec enarrare possit judicium, à divina forsan est indignatione negatum: sicut obtrectationes personæ nostræ non verecundatur ex falsis assumere: sic & excusationes suas ex similibus propositionibus non veritùs ordinare: se per nuntios suos venerabilem Fratrem nostrum Panormitanum Archiepiscopum, & quosdam alios, ad Apostolicam Sedem missos devotionem omnimodam super Ecclesiastica libertate, & reformandis Ecclesiæ, & Imperii juribus, obtulisse. Nosque id attentantes, & promittentes à cujuslibet ipsius impedimento cessare, nuntiis suis ad eum redeuntibus, dilecto filio Gregorio de Monte Longo, Notario nostro, in suorum eversionem fidelium, legationis officium commisisse asserit: ipsoque nihilominùs præfatos Archiepiscopum, & alios nuntios suos, ad Sedem Apostolicam remittente, & offerente satisfactionem omnimodam, nos cum contradicente saniore parte Fratrum nostrorum, contradictiones Sanctorum Patrum, & solemnem morem Ecclesiæ, injustè excommunicasse falsò concludit: pro sua confusione subjungendo, nos Beati Petri Vicarium, non habere ligandi, solvendique potestatem, quasi velit asserere, nos concessa Apostolorum Principi carere clavium potestate. Quæsumus igitur libram rationis assumite, & in ea perpendatis prædictum Fredericum contra Ecclesiam, excessibus, & beneficiis, quæ ab ea recepit, appensis, clariùs videte: quod licèt draco iste, qui ad illudendum nobis formatus, & in escam Populo Æthiopum datus existit: aquas persecutionum in subversionem Ecclesiæ ex ore quasi fluvium miserit: Apostolica tamen Sedes ipsius nequitiam, inextimabili beneficiorum misericordiis superavit. Nam cum olim ab annis teneris illo-

illorum morsibus, qui terram ejus, & sanguinem sitiebant, in lacuna confusionis expositum, parentum, & amicorum solatio penitùs penè nudum videns Mater Ecclesia, protinùs circa ipsum nutricis, & bajulæ officium executa, eum pallio Apostolicæ Sedis operuit, de laqueo venantium eripuit multis laboribus, & expensis, ad Regni solium, & coronam Imperii sublimavit. Insuper hoc ei fecisse modicum reputans, & sibi Hierosolymitanum subjici Regnum, & illum undique per orbem exaltare procurans: licèt ab eodem multiplici se læsam afflictione doleret, à paucis tamen retroactis temporibus, contra Henricum natum ejus (qui partem non modicam Alemanniæ ejus jurisdictioni subtraxerat) potenter astitit: & in afflictorum sibi per eum oblita vulnerum, ipsum de novo quasi in Imperatorem erigens, Teutoniam Apostolicis literis ipsius reformavit desiderio. His, & aliis, quæ non sufficimus recordari, beneficiis ipsius construens munimenta decoris, sed iste baculus impiorum, terræ malleus, universam conturbare terram, Regna conterere, & orbem desertum ponere cupiens, libertatem Ecclesiasticam in dicto Regno Siciliæ in opprobrium servitutis extremæ deducens, & Ecclesias, quas ut earum teneritudine suum ventrem impleret, quasi jam penitùs exossavit, sordibus oneribus, & angariis opprimens, eas bonis sacris, deputatis Sanctorum usibus, spoliavit, personas Ecclestasticas carceri mancipavit, ipsosque in examine vetito accusationis suspicere, tallias solvere, & bona Ecclesiastica, ut se à vexationibus redimant exhaurire, & postremò exulare coarctat. Ecclesiis Pastorum solatio viduatis, non permittit sibi sponsum eligere, viduitatis vestimenta deponere: donec alicujus adulterinis amplexibus, per compulsionem extiterint copulatæ. De Christianorum habitaculis construens mœnia Babylonis, & ædificia in quibus divinum nomen excolitur, illuc transferens, ubi Machometus perditus adoratur: turbis undique collectis, Crucifixi fidem, & nomen publicè prædicari in eodem Regno prohibuit. Recuperationem Terræ Sanctæ, & negotium impediens, ad ejus consumationem de bonis suorum fidelium conferri interdixit. Contra juramentum præstitum, & pacis inter ipsum, & Ecclesiam reformatæ fœdera, nobiles privatos castris, & aliis bonis suis, uxoribus, & literis captivatis, loca sua proscriptos relinquere, domicilia in aliorum transferre Coloniam: nutritos in croceis, amplexari stercora, & ad extremam cogit inopiam devenire. Necnon dum afflictione comprimit simili pauperes id tanto fortiùs Deo displicere putamus, quanto veriùs ipsos credimus innocentes. Quid plura? Baronibus, militibus, & aliis hominibus ejusdem Regni Siciliæ, ad fortunam, & conditionem servorum inaudita crudelitate redactis: jam pro majori parte ipsius Regni habitatores non habent de proprio unde stramine vili quiescere, nuditates suas vili sacco contegere, vel ventrem penè possent militatio saturare. Cumque ululatus, & clamores dictarum Ecclesiarum, & hominum, tempore dicti Honorii Prædecessoris nostri, Ecclesiæ aures continua deploratione pulsassent, & jam vix possemus eos absque lęsione conscientiæ sub dissimulatione transire: ipsum super correctione dictorum scelerum non semel, sed pluriès, nuntiis, & literis monuimus, ac longa patientia temporibus expectavimus retroactis: si forsan oculos suos ad cœlos erigere, exutus veterem, novumque indutus hominem, manus suas à tanta perpetratione facinorum cohiberet. De petita insuper emendatione dubii adhuc, volentes statum ejus proprio processu gratulari, eo Lombardiam cum armis intrante, mandavimus, ut in locis pro quacumque causa Interdicto subjectis, ipso præsente Interdictum minimè servaretur: & eundem Fredericum nostris literis admonentes, ut ne Crucis negotium, quod ad utilitatem Ecclesiæ, Imperii, & totius populi Christiani fuerat ordinatum, impedire valeret præcisè in nos compromitteret: ne si contra Lombardos armata manu procedens, tantam daret exempli perniciem; præsumeretur à pluribus, quòd cæteros Ecclesia fefellisset. Cæterum quia redintegrare scissuras schismatis, nostro incumbit officio servitutis, pro sedanda Imperii, & Lombardorum discordia, Prænestinum Episcopum, commisso sibi legationis officio, illa consideratione potissimè diximus destinandum; ut sibi, & quibuscumque discordantibus, minori haberet occasione suspectus, quò suis actibus minus firmamenti odii, vel amoris ingereret, qui à mundo, & carne ex susceptione Sanctæ Religionis abstractus, in divini amoris altitudinem evolasset. Noster sibi destructor respondeat quid ex hoc nobis, & eidem Episcopo poterit imputari, si Placentiæ inter Patres, filios, affines, consanguineos, & Germanos, ordinata concordia, eo præsente, & protestante, quòd id salvis honoribus, & juribus Imperatoris, & Imperii, & quorumlibet aliorum fieret, consumationem accepit? Quin imò idem blasphemus intelligat sibi ad infamiam meritò reputari, quod cum ad ipsius, & nuntiorum suorum instantiam, venerabilem Fratrem nostrum Ostiensem Episcopum, filium nostrum T. tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem; pro

pace

pace juxta formam ab eisdem nuntiis inter Lombardos, & Imperium reformanda, ad partes misissemus easdem; idem dictis legatis petita, & ampliora adimplere paratis, & delusis nobis, reformationem pacis per ipsos noluit acceptare. Ecce nunc intelligite, qualiter Imperii jura conculcavimus. Ex præmissis advertite, qualiter hic à nobis fuerit impeditus: quod longo, & inani labore suos, & suorum humeros decrevit priùs conteri, quàm passus extiterit per nos jura Imperii reformari. Præterea, idem illatis Ecclesiæ non contentus injuriis, data quibusdam rebellibus nostris non modica summa pecuniæ, seditionem contra nos in Urbe molitus est pluries commovere: ut nobis, & Fratribus nostris à Sede nostra repulsis; & concusso capite fidei, quod superædificavit Dominus, impulsu ejusdem Frederici rueret leviori: Ferrariam, & quasdam alias Terras Ecclesiæ, in Lombardiam contra juramentum præstitum temerè veniens, occupavit. Super quo, & aliis, credens detinere inanibus verbis; dictos Panormitanum Archiepiscopum, & alios nuntios suos cum literis de credentia, ad nostram duxit præsentiam destinandos. Quibus offerentibus nobis satisfactionem, super præmissarum offensarum emendatione: venerabilem ante, & post ipsorum à Curia nostra recessum, Terram Sardiniæ, & Messani Lunensis Diœcesim occupare, ad Romanam Ecclesiam pertinentes, non omittens; ipso facto, ne ultrà ejus expectaremus correctionem edocuit; ac non debere fidem sibi, vel suis nuntiis adhiberi operis evidentia demonstravit. Ex quo illud solum in conscientia sua legens, quòd cor ejus ad conterendas Ecclesias, & Catholicam Fidem dirigitur, de nobis, quibus se jam quocumque fraudis vellere occultare non potest, non immeritò suspicatur; quod ipsius potentiam habentes justitiæ ratione suspectam, cum meliùs sit ante tempus occurrere, quàm post inflicta vulnera remedium invenire, ad avertendas suorum progressum semitas, officium legationis dicto Notario commisimus; quod nequaquam juxta ipsius suspicionem id fecimus, sed ut per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obviare possemus. Ex præmissis igitur, & aliis nequeuntes de ipsius correctione sperare, & dolentes nos ejus promissionibus toties, & toties fuisse delusos; præfatum Fredericum, de Fratrum nostrorum consilio, sententia excommunicationis duximus innodandum. Quamquam ex hoc perditum intellectum resumere, & coram Deo potiùs humiliari deberet: eo tamen ampliùs inde furens, quò suam confusionem agnoscens, fortiùs veretur, ut Ecclesiæ obstetricante manu educatur colubris tortuosus. Nos ex personæ nostræ meritis indignos asserens, qualibet officii auctoritate Papalis; per nos prædicta sententia minimè potuisse constringi, suis præsumptuosè literis asserit; & nos, qui temporibus nostris patrimonium Ecclesiæ, per gratiam Dei, non modicè ampliavimus; de dilapidatione bonorum Ecclesiasticorum, dispensationum processu, receptione munerum, & avaritiæ vilitate redarguit. Ac contra eum, ex illo quod contrahendis inter neptem nostram, & naturalem ejus filium, sponsalibus, petitum subtraxit assensum, provocari falsò confingit: illud apertiùs mentiens, quod Longobardis contra eum, & Imperium corporale præstitimus Sacramentum; seu quod totius orbis decimas, Terræ Sanctæ utilitatibus reservatas, convertere promiserimus in ejus compendium, si arbitrio nostro negotium exponeret Longobardorum. Fatemur autem, nos defectu meritorum nostrorum indignè Christi esse Vicarium; fatemur nos oneri tanto insufficientes existere, quod humana conditio non potest absque divino suffragio supportare; nihilominùs tamen, vices nobis commissas, prout meliùs nostra permittit fragilitas, exequentes, secundum quod locorum, temporum, personarum, & negotiorum qualitas, & natura requirunt, disponenda disponimus: & cum excellentibus personis purè & secundum Deum, cum necessitas id exposcit, de nostræ potestatis plenitudine dispensamus. Verumtamen non est dolor quod sic profundo gladio ejus feriat animum, sicut dum terminos Regum transgreditur, nec potest aggredi officia Sacerdotum. Propter quod idem, qui pro auri fame dictum Regnum Siciliæ jam redegit in cinerem, credens se, qui omni tempore vitæ suæ paucis purè, pluribus verò justitiam pretii venalitate corruptus exhibuit: quod in persona sua resuscitans magum Simonem, luto temporalium maculare possit Ecclesiæ puritatem, ut sic in spiritualibus grassari, & in suis permitteretur sordibus remanere: murum integritatis Ecclesiæ multis, & specialiter oblatione castrorum, ac parentela inter suos, & nostros contrahenda, pro qua nos per quosdam magnos Prælatos, & nuntios suos pluriès requisivit, tentavit infringere. Nunc verò quia id nulla instantia, nulloque ingenio, (sicut est in Curia nostra quasi notorium) à nobis potuit obtinere; quin potiùs se cum suis perditioni relictum artium suarum fallaciis in pejus proficere jam agnoscit, quia nesciat ultra quid faciat: seipsum mendacio suo in aliorum detractione deturpat, more meretricis Ægyptiacæ, quæ Joseph invitavit ad stuprum, & ab ipso contempta, apud virum

rum suum volens accusavit invitum. Unum quidem est, de quo, etsi pro homine perdito sit dolendum, lætari non modicum, & Deo regratiari debetis: quod volente Domino diutiùs occultari non patitur umbra mortis iste, qui gaudet se nominari præambulum Antichristi: non expectans propinquum suæ confusioni judicium, manibus propriis effosso suarum abominationum pariete, per dictas literas ejus suarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis constanter proponens, quod per nos tamquam Christi Vicarium vinculo excommunicationis astringi non potuit. Sicque affirmans, non esse apud Ecclesiam à Domino, Beato Petro, & ejus successoribus ligandi, atque solvendi traditam potestatem, dum hæresim asserit, proprio sibi argumento concludit: consequenter ostendens, quòd malè sentiat de cæteris Fidei Orthodoxæ articulis, dum Ecclesiæ, super quam Fides fundata consistit, auferre utitur, concessum verò Dei privilegium potestatis. Sed quia minùs benè ab aliquibus credi possit, quòd se verbis illaqueaverit oris sui, probationes in fidei victoriam sunt paratæ: quia iste Rex pestilentiæ, à tribus Baratatoribus, ut ejus verbis utamur, scilicèt Christo Jesu, Moyse, & Machometo, totum mundum fuisse deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Jesum in lignum suspensum manifestè proponens: insuper delucida voce affirmare, vel potiùs mentiri præsumpsit, quod omnes fatui sunt, qui credunt nasci de Virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia, potuisse. Hanc hæresim illo errore confirmans, quòd nullus nasci potuit, cujus conceptum viri, & mulieris conjunctio non præcessit: & homo non debet aliud credere, nisi quod potest vi, & ratione naturæ probare. Hæc, & alia multa, quibus verbis, & factis Catholicam Fidem expugnavit, & impugnat, suo loco, & tempore, sicut debet, & expedit, manifestè poterunt comprobari. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attentè, in virtute obedientiæ per Apostolica scripta districtè præcipiendo, quatenùs ne dictus Fredericus corda fidelium fallacibus verbis subvertere, vel contagione sua possit quomodolibet gregem Dominicum maculare: Clero, & populo vobis subditis, supradicta plenè, ac fideliter exponatis. Datum Laterani, duodecimo Kalend. Junii, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Clausula suprascripta mittitur Domino Regi cum literis præcedentibus, hoc modo: Quocirca, serenitatem Regiam monendam duximus, & hortandam, quatenùs supradicta tibi facias diligenter exponi, ne Regalis innocentiæ puritas possit verbis fallacibus maculari; Datum Laterani, & cætera ut priùs.

Avaritia Romanorum fidem eorum elevat. Anno 1239.

HÆc igitur, & divulgata, & multis Regibus, ac Principibus, & Magnatibus, mutatis tantum titulis, transmissa per orbem, timorem, & horroorem, necnon admirationem cordibus fidelium incusserunt, & Imperialem epistolam suspectam, licèt probabilia contineret, reddiderunt: unde corda multorum, qui priùs cùm alterutro steterant, fluctuantia reddiderunt. Et nisi Romana avaritia devotionem populorum à Domino Papa plusquam expediret, & deceret, avertisset: totus mundus hac epistola exasperatus, in Imperatorem, quasi in manifestum hostem Ecclesiæ, & Christi inimicum, graviter, unanimiter insurrexisset. Sed proh dolor! multi filii à patre suo Papa avulsi sunt, & Imperatori adhærentes, asserebant; quòd odium inexorabile inter eos jam induratum, prædicta jurgia, & invectiones excogitatas excitabat. Et injustè improperat Dominus Papa, quòd eumdem Fredericum dilexerit, & promoverit in novitate creationis suæ, hoc enim totum factum est in odium Othonis, quem Ecclesia adjutorio Frederici usque ad mortem persequebatur, quia dispersa Imperii, secundum Sacramentum suum, viriliter congregare cepit, sicut qui præsens est Imperator Fredericus facere proponit. Unde hoc faciendo Fredericus militavit Ecclesiæ & plùs tenetur Ecclesia Romana ipsi, quàm Imperator Ecclesiæ Romanæ rationabiliter teneatur obligatus. Sentit Ecclesia Occidentalis, præcipuè tamen Religiosorum, & præ omnibus aliis devotissima Deo Anglicana Ecclesia, oppressiones Romanorum quotidianas; nec adhuc unquam pressuras sensit Imperiales. Addiditque populus: Quid sibi vult istud? Retroactis temporibus imposuit Papa Imperatori, quòd ipse Machometo, legique Saracenicæ plùs consensit, quàm Christo, vel legi Christianæ: nunc autem in sua invectiva epistola imponit eidem quod tam Machometum, quàm Jesum, vel Moysem, quod horribile est recitare, vocat Baratazem. In Epistolis suis humiliter de Deo scribit Imperator, & catholicè; nisi tantùm quòd hac ultima Papali personæ derogat, non officio, nec publicè prædicat; nec procaciter sustinet quicquam hæreticum, ut novimus adhuc, vel prophanum, non usurarios nobis misit, vel raptores reddituum. Et sic ortum est jam schisma in populis formidandum.

Deso-

Deſolatio Bononienſium, & aliorum Fautorum Papæ.

IN ejuſdem anni Æſtate, ſcilicet circa finem Autumni, Dominus Imperator volens Mediolanenſibus proditoribus ſuis, Bononienſium auxilia præcludere: in Bononienſes impetum fecit formidabilem. Volebant enim in favorem Papæ, & Mediolanenſium ſuorum, exire ad debellandum exercitum Imperialem: cum ecce repentè exeuntium occurrit Imperator, & ſuos inter Cives, & Civitatem armatos interpoſuit, & Civium cuneos terribiliter ſubito diſſipavit. Qui fugientes, per quędam diverticula, cupientes ad Urbem remeare, ſeſe in amnem, quem tranſire neceſſe habebant, pręcipitaverunt: itaut plures ſubmerſi, quam in ore gladii cæſi, miſerabiliter perierunt. Deinde Dominus Imperator, poſtquam Bononienſes illi dextras dederunt, qui in Civitate remanſerunt, direxit ſuorum armatorum legiones verſus Mediolanum, & in brevi temporis ſpatio, foſſata ſua, quibus ſe Mediolanenſes undique cinxerant, erectis machinis, & applicatis pontibus multis, cum ſuo exercitu tranſiit numeroſo. Unde timor, & tremor Cives invaſit inopinabilis: & audito Bononienſium infortunio, gemitus gemitibus cumularunt. Unde negotium illud ad votum conſummaſſet, niſi mota per Papam periculoſe perturbatio, ad partes ulteriores provocetum Dominum Imperatorem tranſtuliſſet. Quod comperientes Cives, facti animoſiores, extulerunt caput, & per viciniæ diſcurrentes, caſtra Imperialia obſederunt. Et per quendam legatum, quem ad conſolationem eorum illuc Dominus Papa miſerat, ſolidati, Ferrariam obſederunt, hoſtiliter vallaverunt: nec ab eis niſi ſe abſolutè redderent, ſatisfactionem admiſerunt obſeſſorum, hoc Legato perſuadente, & Cives ad hoc Mediolanenſes immiſericorditer compellente. Tunc etiam inventus eſt quidam ſociorum Sancti Oſſuvini.

Papa, & Curia Romana eligent in Imperatorem Robertum fratrem Regis Francorum; qui id conſtanter renuit.
Anno 1239.

CIrca dierum illorum curricula, Dominus Papa ſcripſit Regi Francorum, ſolemnes eidem nuntios deſtinando; ſignificans eidem, ut juberet epiſtolam ſuam coram ipſo, & toto Baronagio Franciæ ſolemniter, & memoriter legi, & intelligi. Cujus ſumma, & tenor talis fuiſſe perhibetur. Noverit dilectus filius Eccleſiæ ſpiritualis, Illuſtris Rex, & totum Francorum Baronagium, nos deliberatione, & tractatu diligenti omnium Fratrum noſtrorum condemnaſſe, & à culmine Imperiali abjudicaſſe Fredericum dictum Imperatorem: & Robertum Comitem fratrem Regis Francorum, loco ipſius elegiſſe ſubſtituendum: quem etiam omnibus niſibus Eccleſia non tantum Romana, ſed univerſalis, duxit non ſegniter adjuvandum, & efficaciter promovendum. Nullo igitur modo, tantam ſpontè oblatam dignitatem apertis brachiis ſuſpicere ne pigritemini: ad quam opes, & operam, & opem abundanter effundemus conſequendam. Scelera enim prædicti Frederici multiplicia, ſicut jam novit mundus, eundem irreſtaurabiliter condemnarunt. Ad quod, inito conſilio, circumſpecta prudentia Francorum reſpondit: Quo ſpiritu, vel auſu temerario Papa tantum Principem, quo non eſt major, imò nec par inter Chriſtianos, nec convictum, vel confeſſum de objectis ſibi criminibus, exhęredavit, & ab apice Imperiali percipitavit? Qui ſi meritis ſuis exigentibus deponendus eſſet, noniſi per generale conſilium caſſandus judicaretur. De tranſgreſſionibus ſuis non eſt hoſtibus ſuis fides adhibenda, quorum Papa dignoſcitur eſſe capitalis. Nobis adhuc inſons, imò bonus fuit vicinus: nec quid ſiniſtri vidimus de eo in fidelitate ſæculari, vel Fide Catholica. Scimus autem, quod Domino noſtro Jeſu Chriſto fideliter militavit: marinis, & bellicis ſe periculis confidenter opponens. Tantum Religionis in Papa non invenimus. Imò qui eum debuit promoviſſe, & Deo militantem protexiſſe: eum conatus eſt abſentem confundere, & nequiter ſupplantare. Nolumus noſmetipſos in tanta pericula præcipitare, ut ipſum Fredericum tam potentem impugnemus, quem tot Regna contra nos juvabunt, & cauſa juſta præſtabit adminiculum. Quid ad Romanos de prodiga ſanguinis noſtri effuſione, dummodo ſuæ iræ ſatisfaceremus? Si eum per nos, & alios devicerit, omnes Principes mundi conculcabit, ſumens cornua jactantiæ, & ſuperbiam, quoniam ipſum Fredericum magnum Imperatorem contriverit. Sed ne in vacuum Papale mandatum videamur ſuſcepiſſe, licèt magis conſtet hoc ob odium Imperatoris, quàm noſtri dilectionem ab Eccleſia Romana derivaſſe, mittemus nuntios prudentes ex nobis ad Imperatorem; qui quomodo de Fide Catholica ſentiat, diligenter inquirant, nos ſuper hoc certificaturos. Et ſi nil niſi ſanum invenerint, cur infeſtandus eſt? Sin autem, & ipſum imò etiam ipſum Papam, ſi malè de Deo ſenſerit, vel quemlibet mortalium uſque ad internecionem perſequemur. Quæ cum audierunt nuntii Papales, confuſi receſſerunt. Adie-

runt

runt igitur Dominum Imparatorem Francorum nuntii solemnes, ipsi mandata quæ à Domino Papa receperunt, seriatim nuntiaturi. Quod cum audiisset Dominus Imperator, de immanitate odii stupefactus, respondit, se esse virum Catholicum, Christianum; sanè de omnibus Orthodoxæ Fidei articulis sentientem. Et addidit; Non placeat Domino meo Jesu Christo, ut unquam racedam à fida magnificorum patrum, & antecessorum, sequens vestigia perditorum. Judicet antem Dominus inter me, & ipsum, qui me ita par orbem tam nequiter diffamavit, & tendens manus in cœlum, lacrymis obortis, singultando exclamavit: Deus ultionum Dominus raddat ei retributionem. Et conversus ad nuntios, ait: Amici mei, & vicini charissimi verè, quicquid dicat inimicus meus, sititor sanguinis mei, & honoris subversor, credo sicut alius Christianus; & si bellum mihi movere disponitis, non miremini si me defendam ab insurgentibus in me. Spero enim, quod Deus protactor innocentium, me potenter liberabit. Novit enim Deus, quod Papa in favorem mihi rebellium, præcipuè Mediolanensium hæreticorum, contra me levat calcaneum, & insurgit iracundus. Sad vobis totus in gratiarum actione assurgo, quod voluistis ante assensum per responsionem meam de præsenti causa certificari. Ad hæc nuntii: Nolit Deus ut unquam ascendat in cor nostrum, ut aliquem Christianum sine manifesta causa impugnemus. Nec nos pulsat ambitio: credimus enim Dominum nostrum Regem Galliæ, quem linea Regii sanguinis provexit ad sceptra Francorum regenda; excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio provehit voluntaria: sufficit Domino Comiti Roberto, fratrem esse tanti Regis. Et his dictis cum dilectione, & gratia Imperiali recesseruat; Et sic in hoc proposito conatus Papalis irritus evasit.

Imperator persuadet Crucesignatis ne transfretarent.

COnsuluit autem per Epistolas suas Dominus Imperator universitati Crucesignatorum, quòd licèt parati essent, & grave illis videretur; patienter tamen expectarent; nec iter Hiarosolymitanum arriperant, donec quiescente spiritu Iracundiæ Papalis, gaudens eos comitaretur; quia parata fuit contra eos, Orientalium ad certamen armatorum infinita multitudo. Quod cùm alii contempsissent, indignans Imperator, prohibuit ne exarcitui Francorum victualia de terris suis uberrimis finitimis Apulia scilicet, & Cypro, & aliis terris suis venalie ministrarentur, vel sub ulla forma transportarentur; Quo audito, Saraceni caput extulerunt; & Christianis assunta audacia damna multa in corporibus, & possessionibus intulerunt, incendia, & strages audacter exercentes. Et ad cumulum dolorum, Græcie suum Antipapam Germanum contra Romanam Ecclesiam erexit. Et Dominus Imperator fratrem Heliam contra Papam opposuit, qui summus Minister fuit aliquando Ordinis Minorum, & Prædicator nominatissimus; & sic cæperunt mala multiplicari super faciem terræ; absolvit enim quos Dominus Papa ligavit anathemate, & generatum est scandalum in Ecclesia &c.

Imperator versus Urbem iter suum dirigit.

SUb illis quoque diebus, cum vidisset Dominus Imperator, quod Papa non tantùm sanguinẽ suum sitiret ardentissimè; imò in favorem rebellium Mediolanensium hæreticorum ad ejusdem vilissimam dejectionem anhelaret: relicto, ad horam suspenso belli, quod proposuerat negotio, Urbi ut terribilior suis appareret, audacter cepit appropinquare, Cui advantanti occurrerunt quasi Domino suo Viterbienses cum aliis nobilium Civitatum Potentatibus, & Civibus revarenter cum honore, & cum numerosa Romanorum multitudine. Sicut ex tenore Epistolæ Imperiali transmissæ Regi Angliæ colligi potest manifestè.

Litera Imperatoris ad Regem Angliæ.

FRedericus Dei Gratie Romanorum semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Illustri Regi Anglorum, dilecto sororio suo, salutem, & sinceræ dilactionis affectum. Triplex doloris aculeus, qui cor nostrum quotidiè pungit, & stimulat, jam nos ultrà flere non patitur, quin dolor intrinsecùs prorumpat in gemitus, & gemitus exeant in clamores, dum per dissentionis nonæ materiam: ad quam universalis Ecclesiæ rector, & Pontifex, violanta nos quadam compulsione coëgit, Catholicæ Fidei detrimenta cognoscimus, eclypsim justitiæ manifestè perspicimus, & Tarræ Sanctæ dispendium miserabiliter deploramus, Sed illa non minùs angustia perurgemur: quòd Hely Sacerdotis oculi caligantes, nullum suorum periculorum aspiciunt: Sed tanta circa nos iracundia commovetur, tanta circa Madiolanenses, & eorum fautores rebellas Imperii dilectione perstringitur: ut orbe toto dubii successus eventibus, vel

sor-

fortunæ periculis potiùs prorsùs expoſito, ad conculcandam Imperii ſacri juſtitiam, & Mediolanenſium rebellium noſtrorum auxilium totus aſſurgat. Nec nos ſuper hoc læſæ conſcientiæ ſtimulo pungimur, nec lædentis famæ judicium expectamus: quin à multis retrò temporibus, periculorum iſtorum omnium divina quadam inſpiratione præſagi, præſens ſemper evitaverimus ſcandalum, iſtius Summi Pontificis gratiam omni quocumque potuimus ingenio, licèt fruſtra, laboravimus obtinere; perſonæ noſtræ non parcendo laboribus, rerum noſtrarum non cavendo diſpendiis, & perſæpè fidelium noſtrorum vitam pro ſuis, & Eccleſiæ Romanæ ſubſidiis liberaliter exponendo. Sed, quod dolentes referimus, nihil penitùs cepimus toto tempore laborantes, nullam ab ipſo pro noſtris obſequiis affectionem retulimus: ſemper ſe contrarium nobis poſuit, ſemper Imperii ſacri profectibus obviavit, imò quòd crudelius ab omnibus debet reputari, exiſtentibus nobis in Eccleſiæ Sanctæ ſubſidiis apud eum, Civitatem Caſtellæ ſubtraxit Imperio: prout per literas ſuas, quas Caſtellani nobis noviter aſſignarunt, manifeſtè probatur. Nihil tunc temporis etiam potuimus ab ipſo de cunctis petitionibus noſtris, nobis, & Imperio favorabile reportare. Legato, quem tunc ipſo tempore pro nobis ſe miſiſſe dixit in Syriam, ut Aconenſium, & quorumdam Regni Hieroſolymitani Nobilium, nobis, & filio illatas injurias emendaret: authoritatem omnem per contrarias latentes literas, ſubſequenter ademit. Eodemmet ipſo tempore Mediolanenſibus ne contra fideles Imperii Cremonenſes inſurgerent, nec Florentinis Veſenenſes fideles noſtros offenderent, potuimus aliquas literas obtinere: cum nobis in auxilium ipſorum, ne indefenſam dimitteremus Eccleſiam, procedendi licentiam denegaret. In Germaniam deinde procedentibus nobis ad primogeniti filii noſtri maliſtiam reprimendam, favorem omnem promiſit oretenùs: ſed per nuntium ſuum literas de credentia deferentem, Principibus noſtris nobiſcum præſentibus in Curia Maguntina, ſub omni qua potuit atteſtatione latenter injunxit, ne electioni filii noſtri minoris, vel cujuslibet de domo, & ſanguine noſtro quolibet conſentirent. Proceſſum noſtrum deinde in Italiam ad reformandum Imperium, in eadem per literas, & nuntios ſuos, præſertim Epiſcopum Præneſtenſem, qui Placentiam, & Mantuam omni qua potuit calliditatis fraude ſubjunxit, prout ſcivit, & potuit præpedivit. Tandem cum poſt obtentam faciente Domino de Mediolanenſium ſtrage victoriam, prodeſſe ſibi fuctivas hujuſmodi legationes, & literas non videret, enſe noſtræ juſtitiæ, ſuæ nequitiæ fraudibus prævalente, proceſſibus noſtris cepit apertioribus obſtaculis obviare: manifeſtiùs inhibendo Civitatibus, & Nobilibus Marchiæ Anchonitenſis, & Vallis Spoleti, de quibus auxiliari tenebatur Imperium, non noceri, ne in Lombardiam venire, vel mittere milites attentarent. Achonitanis etiam, & aliis locis maritimis, ſub excommunicationis pœnitentia, & banno decem millium marcarum, injunxit: ut Venetis excellentiæ noſtræ rebellibus, contra mandatum, & interdictum noſtrum, quæque neceſſaria miniſtrarent: prout hæc omnia per literas ſuas evidentiſſimè comprobantur. Aliquibus etiam Nobilibus Marchiæ Terviſiæ, quod Imperii fide debiles, & vacillantes, effecerat literas deſtinavit, ut à nobis manifeſtè recederent: pro certo ſcituris, quòd niſi ordinationi, & mandato ſuo negotium Lombardiæ vellemus præciſè committere, contra nos excommunicationis ſententiam fulminaret. Super quibus omnibus, dilectorum Principum, & aliorum fidelium noſtrorum communicato conſilio, qui nobis in obſidione Brixiæ tunc temporis aſſiſtebant: volentes ut diximus, inter nos, & Eccleſiam ſcandalum præcavere, ſolemnes Legatos noſtros ad Sedem Apoſtolicam duximus tranſmittendos; per quos, & de quibuſdam aliis frivolis, quæ in Regno noſtro Siciliæ contra jus, & libertatem Eccleſiæ attentata dicebat, ſatisfactionem obtulimus; & deſideratam inter nos, & Eccleſiam unionem nuntiis, & mutuis cautionibus roborandam, multoties dudum à nobis per innumerabiles nuntios expetitam, denuò repetivimus per eoſdem. Quam cum libenter affectare ſe diceret, modum cautionis, & formam judicio noſtro committens; nuntiis noſtris, & ſuis cum unionis, & pacis conceſſæ fiducia redeuntibus ad nos alacriter, omninò celatis, Gregorio de Monte Longo (quem pridem in Lombardiam ſeſpectum nobis, & noſtris ſimplicem nuntium habebamus, & quem de Regione ipſa promiſerat revocare) contra nos, & noſtros, in eadem Provincia Legationis officium plenè commiſit. Ad majoris quoque coaggerationem nequitiæ, dum nos propter unionis promiſſæ fiduciam reportare incautos; per quoſdam Principes, & fideles noſtros admoneri mandavit ſuper quibuſdam gravaminibus, quæ in Regno noſtro Siciliæ, & Urbe Romana contra ſe, & Eccleſiam per noſtros officiales; & nuntios illata dicebat. Ad quæ omnia cum Domino ipſorum admonitorum, ut minùs aliorum quampluriùm Religioſorum judicio, ſerenitas noſtra pleniſſimè reſpondiſſet, reſponſionibus ſingulis

ad singula capitula non contenti, verbum generale subjunximus: quòd voluntatem, & responsionem nostram in singulis suo judicio committebamus, & totum prout hæc quamplurimum Prælatorum omni fide dignorum literis, & testimonio manifestè comprobantur. Et cum super his omnibus, nuntios nostros super responsionibus ipsis, & satisfactione plenaria facienda, plena nostri culminis authoritate munitos ad ejus processus sui faciente astutia præcidendam; contra nos die Palmarum, qui processibus talibus est prorsus insolitus, contra morem Ecclesiæ, perperàm, & injuriosè processit. Nos autem, qui processum hujusmodi temeritate plenum, & justitia vacuum habebamus, ad fatres suos literas, & Legatos transmisimus, generale petentes Consilium convocari: in quo Judicia corrupti nequitiam, ac Imperii nostri justitiam, & innocentiam nostram, argumentis arguere luce clarioribus spondebamus. Super quo nedum quòd injustitiæ nostræ delata ratio fuerit, imò contra jus gentium, quod violari Legatos, & nuntios non permittit: prædictos nuntios nostros Episcopos, iste, qui scribitur servus servorum Dei, turpissimo carceri mandavit intrudi. Attendite igitur, & videte, si sunt ista facta Papalia, si sunt hæc opera Sanctitatis: & si compositæ prædicationi conveniat in interitum Mundi deducere, conculcare justitiam; & dissimulatis fidelium oculorum nostrorum judiciis, secundùm infidelium Mediolanensium faciem judicare. Sed nec in his omnibus, cum contra nos spiritu oris sui licèt perperàm procedebat, ad justum Imperialis vindictæ judicium movebamur; quousque ad extremam interemptionem nostram, & manifestam exheredetionem Imperii se ostendit temporaliter prosilire; dum nobis in Marchia Tervisina morantibus, ad pacificandam eandem (quam ob dissentiones continuas, & antiquas passim stragibus occisorum invenimus rubricatam.) Marchionem Estensem, Comitem Sancti Bonifacii, & alios nobiles Regionis, qui ad suggestionem Summi Pontificis simul in necem nostram conjuraverant; cum Civitate Tervisii, non modica data pecuniæ quantitate, fecit nobis, & Imperio rebellare. Civitatem nostram Ravennæ, per Paulum Transyrarum antea fidelissimum nobis, & factum postmodum per corruptionem Papalis pecuniæ proditorem, tractante Magistro Legato Cardinali, tunc Marchiæ, & Imperio subtrahens, & ab eis sibi, & Ecclesiæ, tamquam Princeps, & Pontifex, Sacramenta suscepit, & plateas publicas per Marchiam, & Ducatum, quem ab imperio detinebat, nuntiis ad nos venientibus, & necessaria nobis, & exercitui nostro deferentibus; præcludi mandavit; adeò quòd nonnullos ex eis, more prædonio, bonis omnibus spoliatos, carceri mancipare præsumpsit. Hæc omnia faciens, ut nos, & milites nostros tam Italos, quàm Germanos, vel fame perimeret, vel ab obsidione Mediolanensium, & nostrorum depopulatione rebellium, necessario revocaret. Quibus omnibus non contentus, contra nos, & Imperium se belli Ducem, & Principem manifestè constituit; Mediolanensium, & aliorum infidelium proditorum causam, suam propriam faciens, & ipsorum negotium ad se manifestè convertens, Præfectos Mediolanensis, imò veriùs Papalis exercitus, statuens, loco sui Gregorium de Monte Longo, prædictum, & fratrem Leonem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum, qui non solùm accinti gladiis, & loricis induti, falsas militum imagines ostendebant, verùm etiam prædicationi insistentes, Mediolanenses, & alios, quicumque nostram, & nostrorum personam offenderant, à peccatis omnibus absolvebant. Hodiè quidem prædicti Legatus, & Frater, contra nos, & Imperium se scribunt Rectores, & Dominos: per quod evidenter datur intelligi, quòd Papa non solùm sit infidelium fautor, quos omnes pro majori parte publica mundi lingua testatur hæreticos: sed in præjudicium, & exheredationem Imperii, sibi Mediolani regimen, & dominium temporaliter usurpavit. Jam igitur ultra justo judicio tot provocati dispendiis, tot injuriis lacessiti, manus nostras continere nequivimus, quin apprehenderemus arma, & scutum, nostram, & totius Imperii causam contra publicum hostem publicè contra temporalem temporaliter prosequentes, filialem illi nequivimus ampliùs dilectionem ostendere: quia ne dum quod affectionis paternæ dulcedinem nobis non redderet, nec dum injuriis exhæredationis afficeret, sed vitam nostram, & sanguinem crudeliter sitiebat. Sed Liguriæ partibus, quæ in deditionem nostram venerant militum, & balistariorum præsidio, non sine multis ærarii nostri dispendiis, prout expedit communitis, ac in peregrinatione Tusciæ multis Imperii juribus reformatis, præmisso nihilominùs H. benigno filio nostro, illustri Regi Turrium, & Galluria, Sacri Imperii in Italia Legato, ad Anconitanam Marchiam revocandam, nos personaliter versus Ducatum Spoleti, ac partes Urbi vicinas, erectis Aquilarum nostrarum victricibus signis, convertimus; totam terram nostris processibus occurrentem, usque Viterbium, Civitatibus admodum paucis exceptis; propter tam graves, ingratitudinem, & offensam, ad jus, & proprietatem Imperii

sii revocantes. A Viterbiensibus autem, & locis, ac Civitatibus circumvicinis, cum summa devotione recepti, dum, jam hosti, & adversario nostram ostenderemus potentiam, è vicino timore terribili licèt justè perterritus, tamen per feram poenitentiam sibi non crederet posse consulere, in profundum disperationis immersus, ac viribus propriis omninò diffisus, Romano Populo clamante nostrum ad Urbem gratanter accessum; garsones quosdam, & vetulas, necnon & paucos admodum conductivos milites, veris præter solitum profusis lacrymis exoravit, ut contra nos Crucem assumerent; in sua prædicatione mentitus, quòd nos ad eversionem Romanæ Ecclesiæ, ac violationem Sacrarum Reliquiarum Beatissimorum Petri, & Pauli, procedere nitebamur. Excuset igitur recto judicio magnificentia regia motum nostrum, ad quem nos adversarii nostri malignitas impulit, & quem, ad conservandum non magis Imperii, quam omnium Regum, & Principum terræ decus, justitia persuasit. Vosque præceteris Orbis Regibus causam nostram tantò ferventiori favore debetis assumere: tantòque securiùs confovere; quantò velut totius oneris, & honoris nostri participes, ac per nos ad istarum omnium moderamen, si benè recolitis, confidenter assumpti, & ab adversa parte contempti: innocentiam nostram, & Imperii nostri justitiam puriori zelo, ac sinceriori potestatis conscientia confovere. Datum Viterbii.

Imperator appropinquans Urbi multas capit Civitates. Anno 1240.

PRofluentibus illis diebus, captis treugis cum Mediolanensibus, & Bononiensibus, vel quali quali pace ad modicum suspensiva: Dominus Imperator partes Urbi vicinas copioso stipatus exercitu consultiùs peragravit, & Urbes, & oppida suo dominio mancipavit: exemplum à Viterbio Civibus, & Oppidanis capientibus. Unde Papa suæ causæ diffidens, in abissum desperationis est demersus, & reliquerunt eum recedentes ab eo multi Cardinalium, ut vix eum, quem suo solo impetu videbant plus efferri, quàm fræno regi rationis, & consilii, aliquis, præter Magistrum Robertum de Sumercote, qui eum non potuit præ verecundia dimittere, quia ipsum creaverat, ampliùs sequeretur.

Increpat Imperator Regem Angliæ, quod permisit sententiam contra eum ins terra sua publicari, & pecuniam colligi.

EOdem tempore, significavit Dominus Imperator Regi Angliæ, quòd mirabatur supra modum, quod tam inconsultè thesaurum suum, in detrimentum suum, alienigenis distribuisset scribens ei in hæc verba:

Fredericus Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex Illustri Regi Anglorum, salutem, & sinceræ dilectionis affectum; Cùm inter Reges Orbis, & Principes affinitas interdum, & matrimonium contrahitur, tantò magis inter eos affectio debet, vel unio potiùs suboriri, quantò majores aliis, & in altioribus positi speculis dignitatum, virtutum inferioribus debent exempla porrigere, quantoque per unanimes voluntates ipsorum pax, & concordia firmior crescit in populis, honores servantur in alterutrum in suorumque roborantur in posterum jura Regnorum. Et cum hujus fructum ex affinitate nostra, nobis, & nobis crediderimus hactenus proventurum (præsertim cum obligationem cognationis nostræ firmaverint sacra sequentium pignora filiorum) totum intentioni nostræ contrarium, quod dolentes, & inviti referimus, experimur. Dum præter id quòd illatam nobis, per Romanum Pontificem manifestam injuriam, quam nobis præ cæteris terræ Principibus prorsùs intolerabilem credebamus, conniventibus oculis pertransisse, iniquam ipsius contra nos, & plenam odio carnali sententiam permittendo vobis audientibus, & & scientibus, non sine multa nostri injuria, & Imperii verecundia, & jactura, per Regnum vestrum undique publicari, nunc prout certo comperimus, eidem capitali inimico nostro fatuè obediendo, honorem nostrum, & sanguinem sitienti, de Ecclesiis Regni vestri, ac prædecessorum vestrorum, quos reputari nostros nostra compellit affinitas, pia largitione ditatis, ad impugnationem nostram pecuniaria finitia subsidia, tallias, collectas ministrari. Attendat igitur industria Regia, callidis non circumventa consiliis, si vos deceat, & vobis expediat sororium, & fratrem, aut saltem amicum, seu postremò quemquam Regem, aut Principem, cui non indixeritis prælium, sicut est Regni juris, & moris, pecuniæ vestræ viribus impugnari. Et quid refert auro, & argento, vel armis, per vos, vel patientibus vobis, hostis nostri præsidia muniantur? Præsertim cum ab experto sciamus, quòd majoris auxilii manum contra nos, Papæ porrigere non possetis, quam si de Regno vestro permittatis pecuniam ministrari, de qua Mediolanensibus, & aliis proditoribus nostris stipendiarios milites pollicetur; per quam devotos, & fideles nostros à fidelitate nostra seducere nititur; adeòque quod aliquorum debitum fidem, in evidenti

dentem infamiam, & non minùs in perpetuum eorum exitium, est hujus pretii venalitate mercatus. Pro Deo frater charissime, non primùm istud à nobis incipiat, vel contra nos saltem, quod gratis Reges à Regibus impugnentur: nec sic cervicem Regiam Papalis Domini jugum premat, ut in offensam evangelici dogmatis, & naturæ, proximum, sororium, & amicum, imò fratrem, vos in tantum delectet offendere: maximè cum in instanti negotio non magis nostra, quàm vestra, & aliorum Regum, & Principum, si sanè diligenterque attenderitis, per consequens res agatur. Quocirca serenitatem Regiam præsentium tenore affectuosè requirimus, ac rogamus, quatenùs industriam, ac potentiam vestram talibus, ex quibus tantum obstaculum formidamus, sicut amorem, & honorem nostrum diligitis, tam strenuè, quàm viriliter apponatis; non permittentes de redditibus, talliis, collectis, aut aliquibus aliis obventionibus Regni vestri, pecuniam aliquam ad Romanam Curiam deportari. Nec istud vos decet, aut expedit, conniventia qualibet aut dissimulatione pertransire; sicut vos non velletis, quod contra vos à nobis, & nostris qualiacumque petita, vel petenda suffragia daremus aliquibus, vel modo quolibet dari pateremus. Alioqui, ne dum simili, sed justiori, per vos instruamus exemplo, & iis, qui vobis attinent, & quibus vinculo veteris dilectionis astringimur, hucuique negata, contra vos, & Regnum vestrum, largiremur; dum vos Papa in prosecutione justitiæ nostræ favorabiles invenerit, qui nobis in nullo penitùs attinet, nisi quod gloriatur, quod non sine multa verecundia dicimus, in vobis habere dominii ligii potestatem. Super præmissis autem singulis, & super aliis omnibus servitiis nostris in ipsis partibus procurandis: ecce mittimus vobis H. Chalbaot, militem; & fidelem nostrum, latorem præsentium: dilectionem vestram rogantes attentiùs, quatenùs ea, quæ vobis ex parte nostra dixerit, sicut personæ nostræ indubitanter dilectio vestra credat, & adimpleat cum effectu: ac per ipsum præcisè, ac determinatè respondeat, quicquid de prædictis omnibus providerit, & ordinaverit faciendum; Volumus etenim in instantibus negotiis esse certi, à quibus debeamus expectare consilium, & à quibus sit cavendum.

Et quia verbum Domini Imperatoris positum fuit in ore ipsius nuntii dicti H. Chalbaot, in magna parte mutilata est præsens amicabilis Epistola, & multa sunt sub taciturnitate prætermissa. Rex verò respondit rescribendo, quòd voluntati Papæ non est ausus contradicere: sed mirabatur supramodum, quod soror sua Imperatrix non adhuc coronam in locis, & Civitatibus solemnibus, in Imperio magnificè portavit.

Deploranda strages Christianorum in partibus Damascenis.

CUm hæc autem in partibus Francorum agerentur, in partibus Damascenis nostrates lugubrem jacturam in suo exercitu, tam in suis personis, equis, & armis, quàm in honore suo, infausto sydere miserabiliter pertulerunt. Quod dolentes referimus, talibus epistolis certificati.

Talis amicus, tali, salutem. Sciatis quod Comes Britanniæ fecit equitatum unum ante Damascum, & sumpsit prædam magnam, & salvam conduxit ad exercitum. Super hoc inviderunt ei Comes de Bar, Comes de Monteforti, Dux Burgundiæ, & post octo dies fecerunt alium Comitatum sine consilio Comitis Britanniæ, & ibidem interfectus fuit Comes de Bar, Dominus Simon de Claramonte, Dominus Joannes de Barres, Dominus Robertus Malet, Richardus de Boemundo, & alii innumerati. Dominus Almaricus Comes Montisfortis captus fuit, & ductus in Babyloniam: Dux autem Burgundiæ fugit. Similiter hæ literæ venerunt de Comite Montisfortis ad Comitissam uxorem suam, & ipsa transmisit Comiti Richardo.

Sciatis, quod Damascus non capitur, ut dictum est priùs: sed redierunt omnes Acon. Præterea sciatis, quod Dominus Rex Franciæ amovit omnem thesaurum suum à Templo; quoniam Templarii, nec Hospitalarii noluerunt Francos in hoc discrimine adjuvare. Et sciatis, quòd sexaginta capti sunt vivi, & postea in reditu, decem milites nobiles, & expectabiles.

Imperator condolet infortunio Christianorum.

HÆc cum audisset Dominus Imperator, licèt contempto suo salubri Consilio, ne sine ipso transfretarent, condoluit vehementer. Et statim scripsit comminatione terribili Saracenis tam Damascenis, & Babyloniis, ne ausu temerario nobiles Christianos, & Deo dilectos, quos in vinculis detinebant, tractarent inhumanè, sicut vitam suam diligebant. Nè cum ipse cum formidabilibus, ac victricibus Aquilis suis, in impetu terrifico super eos venerit, vindictam sentiant Imperialem, & Romanorum indignationem, ac eorum Imperatoris, quorum gladii Orientalium sanguine toties sunt inebriati.

Impe.

Imperatoris Literæ de eadem re.

FRedericus Dei Gratia Romanorum Imperator, semper Augustus Hierusalem, & Siciliæ Rex. Henrico Illustri Regi Angliæ dilecto sororio suo, salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Communem casum, & miserabilem Christianitatis eventum, in clade quorumdam Nobilium Crucesignatorum exercitus nuper collapsorum in partibus transmarinis, inopitata mobilitate fatorum, tanto affectiùs intimo dolore deflemus, & merita lamentatione prosequimur, quanto de ipsorum periculis, ante transitum formidantes, quadam fuimus meditatione præsagi: & per rerum, ac temporum conjecturas, integro adhuc eorum statu durante, præsentem casum anxii verebamur. Sed nec Serenitatem Regiam credimus latuisse, qualiter nos, versutias Saracenorum in partibus ipsis præsentes experti, volentes sollicita providentia futuris occurrere, ne rerum inscìis, & votum suum sine deliberatione sequentibus, sinistrum aliquid fortuna pararet: per frequentes literas nostras, & solemnes nuntios nostros, Crucesignatorum omnium primos, ac deinde universitatem eorum fecimus exhortari, ut differrent tempus ad transitum: cujus nacta commoditate, vel nos ipsi personaliter in comitatum, & ducatum accingeremur ipsorum: vel filium nostrum cum eis expedire accinctum præsidio: quamprimùm arduum Imperii negotium, quod in Italia nos urgebat, aliquatenus sedaremus. Nec enim aliis commodè poteramus curis involuti nisi negotiis priùs expediremur assumptis: ut alterutro liberi, faciliùs alterum tractaremus. Et quamquam Crucesignati omnes, & singuli, salubribus monitis, & consiliis nostris accederent: intentioni nostræ, quæ nihil simulatè conceperat, inhærentes: præsens Romanus Pontifex, nostri sermonis, & operis malignus interpres, quasi discrimen nostræ Religionis, & Catholicæ Fidei in dilatione commodi temporis ageretur, crebris monitis, mandatis, & minis Crucesignatos ad transitum cepit impellere: alligans aliis, juxta sacræ scripturæ verbum, onera gravia; quæ digito suo movere recusat. Quòd cum ad nostram notitiam pervenisset, eumdem Antistitem multoties iterata prece rogavimus, ut tantum opus, quod deliberationem consilii, opportunitatem temporis, & grandem apparatum rerum, & hominum exigebat, volubilitati, & præcipitio fortunæ committeret, nec servitium Jesu Christi, & Terræ Sanctæ subsidium, quod nostrum, & tantorum animos virorum accenderat, improvida celeritate profunderet: attendens, & recolens, reparationem tanti discriminis facilem non esse post lapsum. Demum, promissionem subventionis nostræ tanto negotio competentis, non in vanum assumeret, qui servitium Jesu Christi, & Regni Hierosolymitani præsidium, nobis ex filii nostri persona subjecti, totis viribus profequi sperabamus. Illud præcipuè repentea, quod ex præteritis præliis per multas vicissitudines immensa sanguinis Crucesignatorum effusio, circa hæc ferè nihil profecisset, aut modicum: eo quod sæpiùs obstitit rerum defectus, & hominum, & aliquando ductor potens, & providus multitudini defuit, ut dum non posset ex diversitate Ductorum, vel uniùs ignavia Principis, aut tractari commoditas, plurium aut insolentia coherceri, unde salubri consilio ad commodiora tempora reservato, & negotio consuleret, & personis: ut per copiosissimum apparatum, necessarium ex unius strenua persona multitudinis regimen, Christiana Religio simul, & semel, & ad votum devotè procederet, & secura confideret de triumpho. Sed iste Romanus Antistes, hæc omnia parvipendens, ut in odium nostrum universa cogeret ad ruinam, Crucesignatis acriùs institit, ut transirent; non attendentes, quod Christianorum reliquiæ de partibus transmarinis, quæ cum hostibus salutiferæ Crucis treugarum nostrarum fœdere quiescebant, poterant gladii periculis, & famis exponi, cum non posset eis de subventione celeri subvenire, ac providere. Tandem intellecto, quod idem Papa Crucesignatis eisdem de transitu literas terribiliter iteraret, scripsimus eis, ut per Regnum nostrum ad transitum properarent: & quod parati eramus quibuscumque possemus eis hilari munificentia subvenire: quorum aliqui per Regnum nostrum Siciliæ transfretarunt: alii, pro parte majori, transitum sibi per Marsiliam elegerunt. Nunc itaque, quod de tot millibus militum, pro servitio Terræ Sanctæ manus communium hostium triumphavit, etsi in clade ipsorum, & mediatoris hominum Christi Jesu, & totius Christianitatis ignominiam doleamus: eo potiùs damna passis conscientia teste compatimur, quanto de amissione tam strenuæ militiæ, Gallicana Provincia præ cæteris damnum graviùs est perpessa. Carere tamen excellentia nostra non patitur damna remediis, & consolatione dolores. Nos enim in subsidium Terræ Sanctæ quicquid Imperialis eminentia poterit, & quatenùs tempestas præsentium rerum, & temporum, inconsulto Romani Pontificis calore suborta, permittit: hilari munificentia conferemus. Et credimus, quod si supervixeret Soldanus Babyloniæ, quondam Pater

 istius

istius Soldani viventis: ex affectione, quam ostendebat ad Majestatis nostræ personam, de nobilibus militibus captivatis in bello, satisfaceret votis nostris; Nihilominùs tamen apud istum Soldanum superstitem pro liberatione ipsorum nobilium captivorum, præcipuam opem, & operam apponemus. Cæterum, quicquid Willelmus de Compersa, miles, & fidelis noster, quem ad vos pro servitiis nostris nuntium destinamus, vobis omnibus ex parte nostra proponet: indubitanter credatis. Datum Fogiæ, vigesimo quinto Aprilis, Indictionis decimæ tertiæ.

Imperator multarum corda sibi reconciliat, & Concilium Generale convocatur.

His auditis, Dominus Imperator multorum corda sibi conciliavit; & cæperunt multi stare cum eo, qui in amore, & reverentia ejus priùs vacillabant. Romanorum etiam populus spretis promissionibus papalibus, Imperiali celsitudini cæpit firmiter adhærere. Senatores quoque cum Magnatibus Urbis, & præclaris sanguine, ipsi Imperatori dextras dederunt, creatus enim erat unus Senator Romæ auctoritate Imperiali, anno tertio præcedenti. Unde ex tunc congregati sunt Cardinales, dicentes quod noluerunt Papales impetus in periculum totius Christianitatis ampliùs tolerare. Igitur significaverunt Cardinales, initio proliziori Concilio, Domino etiam Imperatore consentiente, & petente, quòd juxta petitionem suam bene volebant, ut convocaretur Concilium Generale, sub quanta posset competenter celeritate, & ritè celebrandum. Præfixus est igitur dies Concilii, proximo advenientis die Paschæ: ut ea die cum refugēte Domino, resurgens Ecclesia valeat feliciter respirare.

Epistola Imperatoris ad Regem Angliæ.

Sub eisdem etiam dierum curriculis scripsit Dominus Imperator Regi Anglorum in hæc verba: Imperator Regi salutem. Qualiter ad multam instantiam Lombardorum Romanæ Sedis Antistes contra nos inconsulto calore processerit, satis vos publica fama perdocuit. Qualiter etiā priùs quam contra nos, Religionis debito, & Pontificatus gravitate depositis, hostiliter arma capiens, se Ducem, & Principem nostrorum rebellium stabiliret, nos universale consilium, & specialiter nuntiorum vestrorum præsentiam petissemus, serenitatem Regiam credimus non latere. Demùm notitiam vestram non latuit, qualiter ad quorundam ex fratribus ejus instantiam, qui pro reparatione tanti discriminis remedia cogitabant, præter omnium requirentium spem, nostra magnificentia condescendit, ut Lombardis prorsùs exclusis, permitteremus eumdem ab insuetis infestationibus Sacerdotum pro temporale treugarum subsidium respirare, utpotè qui libenter pro sedatione scandali generalis, & Terræ Sanctæ subsidio procurando reperiri modos, & vias patiebamur ad pacem. Sed ipse Lombardos eosdem, quibus confœderatus fuerat, à treugarum nostrarum fœdere non est passus excludi, totius orbis dissidio Mediolanensium, ac ipsorum sequacium suffragia præferendo. Cui cùm aliquatenùs assentire nol'emus, ut læsæ Majestatis nostræ reos sub prædictarum treugarum involucro peteremur involui, vel ipsos nullo modo Papæ præsidio communiri, tandem postquam vidit eosdem rebelles nostros propria virtute deficere, nec ipsis posse temporalia remedia salutem quietis afferre, ad artes aliàs postmodùm se convertit, satagens nos per venerabilem Brixiensem Episcopum, ad nostram præsentiam accedentem, inducere, ut cum pro reformatione pacis inter nos, & Ecclesiam, ut dicebat quamplurimum Regum nuntios, ac nonnullos de Occidentalibus partibus Principes, & Prælatos ad Synodum intenderet convocare, Lombardos prædictos excellentiæ nostræ inimicos, in treugis cum ipso usque in proximum festum Resurrectionis Dominicæ contrahendis, comprehendere deberemus, causam fingens, ut ex universalibus treugis, vocatis ad Synodum securitas largior præberetur. Audite mirabilem circumventionis modum, ad depressionem nostræ justitiæ excogitatum, dum pacem nobiscum habere velle se simulat, ut Lombardos, ad tempus per treugarum suffragia, respirantes, contra nos fortiùs postmodùm in rebellione confirmet, atque contra nos ad discordiam se medio tempore per venientium Prælatorum ad vocationem suam subsidia licentiùs præparet, speciem nobis concordiæ pollicetur. Et ut evidenter ad oculum videatis, quod pro discordia potiùs Concilium advocet, quàm pro pace, formam hujusmodi advocationis attendite; In qua nihil omninò de futuræ pacis tractatu describitur, nisi pro magnis, & arduis Ecclesiæ Romanæ negotiis vocatorum præsentiam asserat opportunam. Tempus inspicite, dum legatum nobis ante Concilium, postquam nos est aggressus hostiliter, nititur convocare. Considerate personas, dum spretis magnificentiæ vestræ nuntiis, per quos sibi tractatum pacis hujusmodi frequentiùs obtulistis, nunc Provinciæ Comitem, manifestum excellentiæ nostræ rebellem, Ducem Venetorum, Marchionem Ostiensem, Comitem S. Bonifacii, Albericum de Roman-

mandiola, Bitkinum, Cugsinum de Camino, & Paulum Traversanum, cum quibus in malum nostrum, data eis pecunia, prout est publica voce notorium, conjuravit, vocat expressis nominibus ad Synodum supradictam. Verumtamen ob reverentiam summi Regis sic nominato Episcopo duximus respondendum, quod nos cùm sacrosancta Romana Ecclesia Matre nostra discordiam non habemus aliquam, sed ab hujusmodi Romani Pontificis impetu justitiam Imperii nostri defendimus, & injuriam propulsamus. Nihilominùs tamen, cum ipso semper pacem habere optamus, per quod generale Mundi dissidium evitemus. Et ut tractatus pacis à remotioribus partibus non quæratur, per eundem Episcopum, ac alios bonos viros, justitiæ nostræ conscios, & communis concordiæ zelatores, ad præsentem tractatum pacis, ut mala de medio citiùs auferantur, obtulimus nos paratos; treuguas etiam, licèt nobis tamquam ad belli præsidia munitis infestas, inire concessimus cum eodem; sperantes per eos, velut per quamdam salutiferam scalam, posse faciliùs ad excelsa palatia pacis ascendi. Lombardos tamen excellentiæ nostræ rebelles, à nexu treugarum hujusmodi, sicut semper exclusimus, sic imperpetuum excludemus; nec inter nos, & eum, præsente discrimine, vocari Concilium per eundem velut hostem publicum Imperii, permittemus: Præsertim cum nobis, Imperio, & omnibus terræ primatibus indecentissimum judicemus, honoris nostri causa suspecto foro subjicere, vel Judicio Synodali, sed omnibus ad Concilium ipsum convocatis, per terram nostræ dictioni subjectam; in personis, & rebus securitatem denegamus. Quamobrem serenitatem Regiam præsentibus exhortamur, quatenus per Prælatos omnes, & singulos Regni vestri, edicti Regii vulgato programmate divulgetis; ut nullus sub securitatis nostræ fiducia ad Synodum ipsum accedat. Nos enim quantumcumque Regni vestri fidelibus, ob amorem præcipuum, quem erga vos gerimus, libentissimè deferamus; præsuntuosam tamen audaciam eorum, qui ad inimici nostri vocationem accederent, nos non deceret ullatenus æquanimiter tolerare. Datum in Castris, in obsidione Faventiæ 13. Septembris 14. Indictionis.

Causæ quibus Imperator motus Concilium vult impedire.

Subscriptis igitur, & quibusdam aliis causis rationabilibus Dominus Imperator turbatus, & timens sibi laqueos preparari in Concilio celebrando, cæpit illud impedire, his admonitus causis pro parte prælibatis.

Primo igitur Dominus Imperator tempus reprehendit inopportunum, & nimis festinum, ad quod nunquam consensit præfigendum. Item, quod sicut prælocutum fuit, & tam Papali, quam Imperiali assensu determinatum, non vocat Dominus Papa vocandos ad Concilium; cum utriusque causa sit in ipso specialiter pertractanda. Item, cum pro pace reformanda inter eos, & confirmanda vocandum fuit Concilium, & non ob aliud, in scripto vocationis suæ non facit super hoc Dominus Papa mentionem; nisi tantùm sic exprimens, pro arduis Ecclesiæ Romanæ negotiis, suppresso penitùs pro qua causa vocari Concilium debuit principaliter: & sic obviat Papa promissis utrobique formatis, & firmatis. Item, dicit Dominus Imperator, quod Dominus Papa ad concilium publicos hostes, & manifestos Imperii vocavit, (quorum nomina Dominus Imperator in sua epistola exprimit,) & eosdem Imperialibus corrupit muneribus, ut vertantur in arcum pravum, ut traditorum nominibus imperpetuum probrosè cum suis generationibus deturpentur, quibus non sunt tam ardua status Imperialis committenda. Item, dicit Imperator: Otto Cardinalis, Legatus in Anglia, & Rex Angliæ omnem ferè thesaurum illius Regionis, ad meam dejectionem anhelantes, exhauserunt: & nos non sine Imperii magna verecundia, & famæ nostræ sugillatione, in Regno Angliæ anathematis vinculis innodari fecerunt. Quapropter ipsos, & omnes Angliæ Prælatos, nostros inimicos meritò debemus reputare, qui pecuniam suam in nostrum gravamen effundentes, honorem nostrum pro posse suffocarunt, nec movit eos, quòd nunquam eis nocens, affinitatis fœdere Anglorum Regi conjungor sociatus. Ipsorum igitur examen subire mihi foret absurdum, & penitus dissonum rationi. Item dicit Dominus Imperator, quod per treugarum acceptarum moram, nobis suspectam, imò dispendiosam, & dum Concilii tractarentur negotia (quæ finem fortè non poterunt sortiri repentinum,) inimici nostri poterunt respirare, & ad gravamen Imperii, assensu, & fomento Papæ, quorum se constituit Principem, & defensorem, & pro ipsis bellatorem, surgere fortiores. Item dicit Dominus Imperator, quod Dominus Papa maximam quantitatem pecuniæ expectat extorquendam à Prælatis Franciæ, & præcipuè Angliæ; Unde sumunt Papa, & ipsi spem, & cornua, quæ meritò sibi imminent formidanda. Sumpsit enim hæc consuetudo ab prædecessore suo Innocentio in ultimo Concilio exordium detestandum; ut celebrato Concilio non detur Prælatis recedendi licentia, donec

Papa

Papa singulatim à singulis pecuniam extorserit non habito respectu ad labores, & viatica Prælatorum, in itineribus vexatorum. Item dicit Imperator: quod omnes Prælati, præcipuè Angliæ, imò etiam Rex Anglorum, tenentur Papæ per suam professionem, & juramentum, tanquam Domino sententialiter obligati, & non Imperatori, vel Imperio: Unde judicat Imperator, eorum arbitrium meritò ipsi fore nimis suspectum, & ratione formidandum, præsertim cum Papa ejus dignoscatur esse inimicus præcipuus, & capitalis, membra tractaturus ad consensum. Studet etiam, & omnem effudit peritiam, & industriam, ut ipsum confundat Imperium cum Imperatore. Sed secundum illud Ovidianum:

Ut latro, sic cautus præcingitur ense viator:
Hic parat insidias, hic sibi præstat opem.

Cum igitur hæc, & alia populo incognita, subtili rationis trutina libraret Dominus Imperator, sciens multos callere in ipsius nocumentum; cæpit per præscriptam epistolam vocatos, & venientes ad Concilium, de imminentibus sibi periculis, scilicèt quod noluit eos defendere per ditionem suam facientes transitum, civiliter præmunire.

Imperatrix gravida. Anno 1241.

TEmporibus quoque sub eisdem, cæpit Dominus Imperator Anglos specialiùs cæteris nationibus diligere, gratia Imperatricis I. sororis Regis Angliæ: quæ forma, & moribus præcellens, omnium favorem sibi comparavit. Insuper jam gravida, Augusto sponso suo spem uberioris fructus propagandi repromisit; Sed sinistro sydere multo aliter, quam sperabatur, contigit, sicut sequens narratio prolixiùs declarabit.

Imperator prohibet Prælatos ad Concilium convenire.

CIrca earundem temporum curricula, Dominus Imperator satis subtiliter considerans, quòd si Concilium Generale celebraretur, cui præsidere habuit ejusdem capitalis adversarius, scilicet Dominus Papa, & cui obedire habebant omnes Prælati assessores, quasi membra suo capiti, ad se reversus cæpit vehementer sibi formidare, & sibi præcavens, ait optimatibus suis: Angustor undique, & circumventus oppressuris variis torqueor, Imperio periculis jam imminentibus. Quia sicut jam paratum est, si Concilium Generale convocetur celebrandum, præsidente inimico meo capitali, cui non audebunt contradicere Præsidentes Prælati sibi subjecti, me cum Imperio irrestaurabiliter condemnabit. Est enim Papa meus insatiabilis inimicus, & adversarius manifestus, potens quemcumque eorum suæ voluntati obvium, à gradu suæ dignitatis deponere, imò & depositum anathematis vinculis innodare, & in deterioris pœnæ confusionem præcipitare: longè aliter periclitatur causa nostra, & Imperii conditio, necnon & omnium Principum, quam solus amplector contuendam. Reges Orbis, & Principes, quorum etiam causam eorum factus Syndicus, foveo, ad meam non venirent vocationem, vel mihi obedirent, nec mihi subiiciuntur, ut possem eos cogere, vel punire contumaces. Ipsorum igitur adminiculo destitutus, & præsentia, dubio foro committam Imperialis culminis causam dignissimam, & inimici ejus judices erunt? Absit hoc me superstite. Quibus rationibus, ac persuasionibus consentientes Magnates sui, providebant, quòd, licèt in illus honoris præjudicium redundare videretur, ut mutaretur antecedens consilium, tamen propter imminens periculum jam declaratum, Concilium quod priùs concesserat, impediretur. Ipsos igitur Prælatos cœpit Imperator efficaciter literis suis commonere, ut ad Concilium generale celebrandum, juxta Papalem advocationem, venire nequaquam festinarent. Ex tunc igitur Prælatos, qui per terram Romanam Curiam adierunt, tam in personis, quàm eorum procuratoribus, impedire, & suis renuentes persuasionibus obtemperare, hostiliter impugnare, capere, incarcerare, & torquere, necnon & plures morte plectere detestanda non cessabat Imperator. Quod cum audiret Dominus Papa, in eundem multiplicavit maledictiones, & convitia, congessit excommunicationes, sententias innovavit. Arctabantur igitur hinc inde Legati, quos in virtute obedientiæ præceperat Papa, omnium Pater spiritualium, ad instans Dominicæ Resurrectionis festum Paschale, ad Concilium, quod salubriter præparaverat, ac procuraverat, convenire: inde repagulum contradictionis, & impedimentum Imperialis sententiæ formidabant. Hinc Scylla, inde Charybdis voraginis periculum minabatur. Vacillantium igitur corde Prælatorum, etiam singulorum Dominus Papa solummodo tenore epistolæ suæ sub hac forma exiliter consolabatur, hoc modo:

Literæ Papales.

GRegorius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri, tali Episcopo, vel tali, salutem, & Apostolicam benedictionem. Petri navicula, Matris Ecclesiæ sinus, quasi negotiorum operta flu-

fluctibus, & quæstionum urgentium agitata procellis, dexteram Jesu Salvatoris implorat. Ea quidem flatibus Aquilonis impulsa, dormire videtur Dominus, nutant discipuli, nautæ quasi naufragii verentur ventum, & eventum, populi trepidant, clamat Petrus: utinam tepescentibus ceteris, saltem porrigerent filii opem, & operam consilii salutaris, nec ipsam fluctus involvat, nec pirata crudelis abducat. Porrò, fœdere naturalis pactionis irrupto, fides quatitur, charitas refrigescit, tepescit devotio, crescit, & invalescit iniquitas in Dominum, & proximum commissura, ex quibus Fidei Christianæ professionibus evidens præstatur obstaculum, sequuntur dispendia, & plebs devota Fidelium, beneficio quietis excluso, variis molestiis fatigatur. Quæ communis statera Judicii Apostolicæ dignitatis auctoritas, justæ discussionis examine prudenter appendens, ut omnium generalis, & una mater utilitati provideat, singulorum manus fortium, Regum videlicèt, Prælatorum, Principum, & aliorum Fidelium non indignè advocare decrevit, ut multiplicatis clamoribus Dominum suscitet dormientem, & plurium adjuta Consiliis, præminentia faciat onera leviora, expeditionis optatæ portum feliciter petitura. Inter quos, te frater Episcope devotum Ecclesiæ filium, & nobile membrum ipsius, ut venires ad Matris Ecclesiæ gremium, ad proximum venturum festum Resurrectionis Dominicæ, literis recolimus Apostolicis convocasse. Verùm, sicut pro certo didicimus, singularis ille dudum Ecclesiæ filius, Apostolico provectus, & defensus auxilio, de puero tunc omni destituto suffragio, ad Imperii culmen humero materno translatus, eà non contentus injuria, qua mercede recompensans, in qua patris irrumpit solium, matris exponere pudicitiam, & vendicare Sanctuarium indevotus intemptat, astutus ad hæc in ipsa armatur insidiis, Prælatis nuper vocatis à nobis, accessum suis terroribus interdicens, ut nullius expers calumniæ, illam quam gravibus infestat molestiis, nec in filiorum patiatur solatio respirare. Cum igitur tam sanctum generalis utilitatis propositum sub fiducia divini favoris assumptum, humanis non debeat versutiis retardari, fraternitatem vestram rogamus, monentes attentè per Apostolica scripta, & districtè præcipiendo mandantes, Deum præferens homini, & difficultatibus omnibus, ob meritum Fidei, anteponens, in supradicto termino ad Sedem Apostolicam accedere non omittas: ut mater filiorum roborata præsentia, hostis adversantis obstaculo, providentia divina sublato, piæ intentionis exordium fœlici consummatione concludat. Nos enim super omnibus quæ ad tantum negotium expediunt, annuente Domino, providere curabimus, prout tibi ex parte nostra pleniùs exponetur. Datum Laterani, Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno decimo quarto.

Facti igitur æquanimiores Prælati, ad iter inchoatum præparaverunt imperterriti, sperantes indubitanter, quòd Dominus Papa, Deo favente, saltem per mare vias sibi securissimas præparasset. Anglici tamen, Francorum consiliis adquiescentes, obiterque ad loca tutiora se transferentes, utpotè Norvuicensis, & quidam alii, rei exitum sub silentio cauti explorarunt.

Epistola Imperatoris de Adventu Tartarorum.

FRedericus Imperator, &c. Regi Angliæ salutem. Res quæ tam Romanum Imperium, velut ad prædicationem Evangelii præparatum, quam cuncta Mundi Regna Christiano cultui dicati speciali zelo contigit, toti Reipublicæ universæ Christianitatis excidium generale comminatur: & quamquam ad nostram rei gestæ veritas serò pervenerit, quin ad vestram notitiam referamus, tacere non possumus. Egressa enim dudum ex ultimis Mundi finibus, de Regione Australi, quæ diù Sole sub torrida Zona tosta latuerat, quæ postea versus partes Boreales; occupatis violenter Regionibus, diù manens, ut brucus multiplicatur, gens barbaræ nationis, & vitæ, quo nescimus à loco, vel origine Tartari nuncupata, non absque prævisò Dei judicio ad sui populi corruptionem, & correptionem, non utinam ad totius Christianitatis dispendium, ad hęc novissima tempora reservatur. Sequuta est igitur publica clades, communis Regnorum desolatio, & terræ fertilis exterminium, quam gens impia peragravit, ut sexui, ætati, vel dignitati non parcat, & reliquum genus humanum delere confidat, dum ubique terrarum per immensam, & incomparabilem eorum potentiam, & numerum, sola dominari satagat, & regnare. Datis igitur in necem, & prædam cunctis quæ poterant oculi eorum conspexisse, ac universali depopulatione post terga dimissa, dum ad populosam Cumanorum Coloniam pervenissent dicti Tartari (imò Tartarei,) quibus vitæ prodigis, arcus arma magis sunt familiaria, cum lanceis missilibus, & sagittis, quarum usus apud eos est continuus, & fortiùs aliis exerta habent brachia, ipsos penitus dissipatos devicerunt. Et quos fuga non eruit, cruentatus eorum gladius interemit. Quorum vicinitas Ruthenos, ab eis non multum distantes, vix exutos efficit, & munitos,

 ut

ut notæ gentis insoliti, ab eorum incursibus sibi, prout ignis, exterrebat, intenderent præcavere, saltem sibi consulentes. Advolant nempè subito ad prædam, & exterminium. Ad repentinos igitur impetus, & illius barbaricæ gentis aggressus, quæ velut ira Dei, & fulgur se raptim jaculatur, expugnata, & capta ejusdem Regni Cleva Civitatum maxima; totum illud nobile Regnum, cæsis suis habitatoribus, & desolationem cecidit devastatum. Quod cùm contermino Regno Hungarorum dedisse debuit ad cautelam robur, & munimen, sprevit negligenter. Quorum Rex deses, & nimis securus, per Tartarorum nuntios, & literas requisitus, ut si suam vitam cuperet, & suorum, per suam, & Regni sui deditionem, eorum gratiam festinus præveniret: nec sic perterritus, aut edoctus, suis, vel aliis præstitit documentum, ut ipse, & sui se mature ad eorum protecti præmunirentur incursus. Sed hostium contemptores elati, vel nescii, dum inimico baccante segnes dormitarent, loci nativo munimine confidentes, ipsi more turbinis intrantes, eos undique circumdabant repentini. At Hungari ante expectatum circumdati, & oppressi, velut imparati, ipsis objicere castra contenderunt. Et cum distarent quinque tantùm milliaribus hinc exercitus Tartarorum, inde Hungarorum, irruerunt raptim in auroræ crepusculo Tartarorum præambuli, & subito castris Hungarorum circumdatis, interfectis primò Prælatis, & Majoribus de Regno, qui se objecerant, cæsis, infinitam Hungarorum multitudinem gens inimica trucidavit, stragem faciens inauditam, cui ex antiquissimi lapsu temporis in uno belli conflictu vix recolitur fuisse consimilis. Ex fuga igitur Rex vix elapsus est, equo raptus velocissimo. Qui satellitie stipatus associato, ad Fraterram Hyllici Regni sortem, ut saltem ibidem protegeretur, fugitivus avolavit. Victores igitur castris, & spoliis victorum insederunt exultantes. Jam jamque majorem, & nobiliorem Hungariæ partem ultra Danubium fluvium, & incolas ejus ferro, & flamma feraliter vastantes, cætera confundere minantur procaciter, pro ut per venerabilem Vatiensem Episcopum, dicti Hungariæ Regi legatum, ad nostram Curiam, & postea ad Romanam didicimus destinatum. Hic per nos primo transitum faciens, his testimonium perhibuit, quæ vidit, & testimonium ejus nimis verum est. Necnon & hæc per literas dilecti filii nostri Conradi, in Regem Romanorum electi, semper Augusti, & Regni Hierosolymitani hæredis, Regisque Bohemiæ, Austriæ, & Bavariæ Ducem, ipsis quoque nuntiorum verbis, qui de vicinitate hostium experimento sunt edocti, pleniùs certificamur. Nec hæc sine magna animi perturbatione potuimus didicisse. Sanè, sicut innotuit, & præambula fama gestorum proclamat, indeterminatus exercitus eorum in tres partes infœlices, ex indultu Domini, damnandus consultu divisus processit. Nam una per Prunectos transmissa, & ingrediente Poloniam, Princeps, & Dux terræ illius ab eorum insequenti exterminio ceciderunt, & dein tota fuit per eos illa regio devastata. Secunda, Bohemiæ fines ingressa est, & aggressa substitit, Rege illius terræ cum suis conatibus viriliter occurrente. Tertia, percurrit Hungariam, Austriæ finibus vicinandam. Unde timor, ac tremor à furore nactus irruentium principium, singulos excitant, & invitant: ad ipsorum obstaculum urget necessitas, quæ incumbit periculo cominus imminente: generale exterminium Orbis terræ, præcipuè Christianitatis, auxilium festinanter provocat, & succursum. Hæc n. gens est feralis, & exlex, humanitatis ignara. Sequitur tamen, & dominum habet, quæ obedienter colit, & veneratur, & nuncupat Deum terræ. Homines parvæ, ac brevis staturæ sunt, quantum ad longitudinem, sed solidi, lati, & propaginati, rigidi, ac fortes, & animosi, ad nutum sui Ducis ad quælibet ambigua proruentes: Vultus amplos, aspectus torvos, clamores horribiles habent, cordibus consonantes: cruda gestant coria; bovina, asinina, vel equina, insutis laminis ferreis, pro armis muniuntur, quibus hactenùs usi sunt. Sed quod non sine suspiriis dicere possimus, jamjam de victorum spoliis Christianorum, armis decentioribus elegantiùs muniuntur, ut propriis armis, irato Deo, turpiùs, & anxiùs trucidaremur. Insuper equis melioribus instaurantur, epulis lautioribus reficiuntur, vestibus pulchrioribus adornantur. Ipsi autem Tartari, Sagittarii incomparabiles, utres ferunt artificialiter factos, quibus flumina transmeant indempnes rapacissima, & paludes. Deficiente verò cibo, corticibus arborum, & foliis, & herbarum radicibus dicuntur esse contenti equi eorum, quos tamen velocissimos inveniunt, & fortissimos, in articulo necessitatis. Nos autem horum omnium quod ammodo providi, & præsagi, frequenter per literas, & nuntios Regalem excellentiam vestram, necnon & aliorum Principum Christianorum, meminimus requisisse, sollicitantes hactentiùs, & monentes, ut vigeret inter eos, qui Tribunalibus præsunt potestatibus, unanimitas dilectionis, & pacis, & sedatis dissentionibus, quæ Reipublicæ Christi sæpiùs inferunt nocumenta, concorditer ad eorum

obsta-

obstacula, qui nuper emerserunt, alacriùs consurgentes, cùm prævisa jacula minùs soleant sauciare, & ut nec communes hostes, & ad variarum suarum præparationes, gauderent tanta inter Principes Christianos dissidia pullulare. Ah Deus! quantum, & quoties nos humiliare voluimus, omnem benevolentiam exponentes, ut Romanus Pontifex ab effuso per Orbem contra nos dissentionis scandalo distitisset, & ab inconsultæ voluntatis impetu motus suos intemperantiùs revocasset, ut ad sedandum nostros jure subditos prævaleremus, & quietiùs regeremus, nec eos, quorom adhuc per eum non minima pars fovetur, protegeres recalcitrantes. Ut sedatis rebus, rebellibusque reformatis, adversus quos multarum copiam effundimus, & virium conatus exhausimos, potentia nostra major consurgeret, & insurgeret incommuniter adversantes. Sed cum voluntas ei pro jure fuerit, linguæ lubricum discursum, non regenti, & à multiplici genere dissidii, quod attemptavit, dedignatus est abstinere, per legatos, & nuntios suos, Crucem quam adversus tyrannidem Tartarorum, vel Saracenorum, Terram Sanctam invadentium, & occupantium, exercuisse debuit, & decebat, jussit contra me brachium, & Ecclesiæ advocatom publicari, rebellibus nostris, graviter contra honorem nostrum, & famam exultando conspirantibus. Et cum maxima nobis immineat cura nos à domesticis, & familiaribus hostibus expedire, qualiter, & barbaros repellemus? Quippe per exploratores suos, quos undique præmiserunt ipsi, licèt sine lege divina directi, tamen in martiis ingeniis disciplinati, publicam discordiam, & immunita terrarum, ac infirmiora cognoverunt: corrosionemque Regum, & Regnorum conflictum audientes, instantiùs animantur, & consurgunt. O quantum viribus addit exultans animatio. Ad utrumque igitur, Deo providente conversi, vires & industriam adhibebimus, ut domesticum, &. . . . . . . Ecclesiæ scandalum, hinc & inde propulsemus. Dilectum autem filium nostrorum Conradum, ac cæteros Imperii nostri Principes, expressè transmisimus, ut ad reprimendum ingressus, & impetus hostium barbaricorum potenter occurrant. Serenitatem etiam vestram, pro communi necessitate, per auctorem Fidei nostræ Christianæ, Dominum nostrum Jesum Christum, præcordialiter adjuramus, quatenùs vobis, & Regno vestro, quem Deus in statu prosperitatis conservet, instantissima sollicitudine, & provida deliberatione præcaventes, maturata militum strenuorum, & aliorum armatorum, & armorum subsidiis non segniter præparetis: Hoc in aspersione sanguinis Christi, & affinitatis fœdere; quo connectimur, postulamus. Sicque ad liberationem Christianitatis accingantur nobiscum viriliter, ac providè dimicaturi, ut contra hostes, Germaniæ terminos jam ingredi proponentes, velut Christianorum januam, viribus aggregatis victoriam ad laudem Domini exercitnom valeat obtineri. Nec placeat vobis ista sub dissimulatione pertransire, vel dilatione suspendere. Nam si, quod absit, Germaniæ fines invadant, nec inveniant obstaculorum repagula, pro foribus expectent cætari venientis subito fulgura tempestatis, quam diversia Mundo contagiis inquinato, refrigescente charitate multorum, per quos Fides prædicari, & constare deberet, & pernicioso eorum exemplo, Mundum usuris, & variis symoniæ, & ambitionis generibus maculante, divino judicio credimus emersisse. Provideat ergo excellentia vestra, & dum communes Inimici in vicinis Regionibus debbacchantur, ad resistendum eis maturatis Consiliis vobis consulatis. Quoniam de terris eorum hac se moverunt intentione, vitæ pericula non curantes, ut totum sibi, quod avertat Dominus, subjiciant Occidentem, Fidemque, & nomen Christi pervertant, & evertant. Et pro inopinata victoria, quam Deo permittente sunt hactenùs consequuti, ad tam vehementem insaniam devenerunt, ut jam Regna Mundi sibi reputent adquisita, & ut Reges, & Principes ad vilia eorum officia subjectos, edoment suppeditatos, & inclinent. Speramus autem in Domino Jesu Christo, quo duce, quo prævio, hactenùs ab inimicis nostris liberati triumphavimus, ut & Il, qoi de Tartareis sedibus proruperunt, fastu deposito, expertis Occidentis viribus, quas sibi sentient adversantes, ad sua Tartara, Tartari detrudentur. Nec gloriabuntur tot impunè peragrasse Provincias, tot populos devicisse, tot facinora perpetrasse, cum ad victrices Aquilas præpotentis Imperialis Europæ sors incauta, imò Sata, ipsos traxerit morituros. Ubi ultro furens, ac fervens ad arma Germania, strenuæ militiæ genitrix, & alumna Francia, bellicosa, & audax Hispania, virtuosa viris, & classe munita fertilis Anglia, impetuosis bellatoribus referta Alemannia, navalis Dacia, indomita Italia, pacis ignara Burgundis, inquieta Apulia, cum maris Græci, Adriatici, & Tyrrheni, Insulis pyraticis, & invictis, Creta, Cypro, Sicilia, cum Oceano conterminis Insulis, & Regionibus, cruenta Hybernia, cum agili Wallia, palustris Scotia, glacialis Norvegia, & quecumque jacet nobilis, & famosa sub occiduo cardine Regio, suam electam militiam,

litiam, prævio vivificæ Crucis vexillo, quod non tantùm homines rebelles, imò dæmones adversantes reformidant, alacriter destinabuet. Datum in recessu, post deditionem, & depopulationem Faventiæ, tertio die Julii.

Publicatio praecedentis Epistolæ.

SUb harum tenore literarum scripsit Dominus Imperator, mutatis tantùm titulis, & verborum raro sermone, Reipublicæ Sedulus Procurator. Veruntamen Regem Francorum sic scribens commovit vehementiùs, ait enim: Admiramur super Francorum prudentia, quod non subtiliùs cæteris Papales astutias considerratis, vel non attenditis cupiditatea. Proponit enim ipsius ambitio insatiabilis omnia Fidelium Regna suo subjicere dominatui ab Anglorum conculcata corona sumens, exemplariter consequentiam, & ut culmen Imperii suis inclinet, nutibus, ausa est præsumptuoso conatu, & ausu temerario, proterviùs iehiare.

In dubium vocatur.

HUjus igitur eventus famosa novitas, totam Europam clariùs implevit, imò etiam Saracenorum climata pervolavit. Orta est igitur discordia sententialis inter multos, diversis diversa super his sentientibus. Fuerunt namque, qui dicerent, Imperatorem hanc Tartarorum pestem spontè fuisse machinatum, & per hanc elegantem Epistolam scelus tam nefarium nequiter palliasse, & ad totius Mundi Monarchiam, in Fidei Christianæ subversionem, ad instar Luciferi, vel Antichristi, hiatu protervo conspirare. Redarguitur enim Epistola, quasi continens falsitatem. Dicitur enim in ea gentem ipsam ignotam Tartarorum ab Australibus Mundi, qui sub torrida Zona sunt, partibus erupisse, quod evidenter apparet fictitium. Non enim audivimus eos Australes, vel etiam Orientales partes peragrasse: occulta insuper eorum consilia, & investigabiles ipsorum Tartarorum vias, & conspirationes quamplures, plenas esse Imperialibus consiliis suspicantur: suum nempè celant idioma, armaturas variant, & si quis eorum capiatur, nulla ratione potest notitia eorum, vel propositum à capto, licèt exquisitis tormentis affligatur, extorqueri. Et cùm sint in totius Mundi capacitate septem climata, videlicet Indorum, Æthiopum, vel Maurorum, Egyptiorum, Hierosolymitanorum, Græcorum, Romanorum, & Francorum, nec sint tam remoti in tota terra habitabili, quos mercatores non rimentur, unde Poëta: Impiger extremos currit mercator ad Indos: Ubi tot, & tales hactenus latuerunt? ut quid tam fraudolenta inter eos, & tam occulta conjuratio? Sunt igitur, ut inquiunt, Hircani, & Sicii, humanam eamdem avide sitientes, montes, & salebras Boreales inhabitantes, qui feralem vitam ducentes, Deos colunt montium, & prævisa in die. Qui etiam cum Cumania sibi conterminis, & jam confœderatis, machinante Imperatore, Regem Hungariæ cum quibusdam aliis Magnatibus expugnarunt, ut fatigatus Rex ad alas Imperatoris evolaret, homagium ei pro succursu impendiendo facturus. Unde cùm hæc fierent, ipsi hostes sunt regressi. Sed absit, ut in uno corpore mortali tanta sceleris immunitas latitaret.

Admonet Papa Prælatos, ut spreto Imperatore ad Concilium properent.

Imperator petit à Prælatis, ut per terram ad Concilium proficiscantur.

Legati nolunt per terram ad Concilium proficisci.

Imperator jubet Prælatos capi.

Legati cum Prælatis capiuntur.

Epistola Imperatoris de captione Civitatis Faventiæ, & Prælatorum in mari.

Prælati Neapolim ducuntur incarcerandi.

Henricus mittitur ad Conradum fratrem contra Tartaros.

Obitus Gregorii Papæ.

Imperator Viterbium, & alia loca circumjacentia amittit. Anno 1243.

Imperatoris fama diminuta.

OBfuscata est igitur non mediocriter fama Imperatoris: captus enim erat Comes Simon de Tuscia, cui fiducialiter commiserat Viterbium custodiendum, cum suis complicibus, qui Romam, ut dictum est, captivus trahebatur, amissumque fuit ipsum Viterbium, cum quibusdam Civitatibus, & Castris circumjacentibus, ipseque Imperator quasi fugam iniit. Denigrata est fama ipsius, & sinistro susurro divulgatum, quòd nunquam divina officia audire dignabatur, vel orare, vel personas Ecclesiasticas dignè venerari, vel in Fide Catholica sanè loqui, vel sentire, à concubitu muliercularum Saracenarum absti-

abstinere, imò potiùs tam Saracenos, quàm alios Infideles in terram Imperii vocare, & Urbes construere permisit munitissimas.

Ab Imperatore multi deficiunt Nobiles.

Recesserunt igitur ab Imperatore multi Nobiles, & graves, ac potentes: videlicet Marchisii de Monteferrato, & de Malaspina, Vercella, Alexandria, & multæ nobiles Civitates. Et multiplicati sunt inimici ejus, prout solent homines fortunæ sequentes serenitatem. In Alemannia etiam multi abjerunt retrorsum; & nolentes ampliùs stare cum eo, aliud sibi in Regem elegerunt, vel Imperatorem, videlicet Andegravium, (*Henricum Langravium*,) virum elegantem, & strenuum; cui Germania, & Italiæ pars potissima consilium, & auxilium usque ad capitum expositionem, spopondit indefessum.

Imperatoris in adversitate industria.

HÆc autem sagaci mente perpendens pericula Dominus Imperator, commisit regendum exercitium suum cuidam sibi familiarissimo, & nulli pandens tanti consilii sacramentum, illaciora dirigit festinanter, & eo fiducialiùs, quod memoratus Andegravius, in dictam electionem non adhuc plenè consensit, imò potiùs tam consensum, quàm responsum, Germanicis suspendit. Dilexit enim Imperatorem. & Romanæ Curiæ odivit cavillationes. Accedente igitur ad ipsum Imperatore, & vocante eum pacificè, & secreto in loco tuto, adeo mutuis colloquutionibus, & amicis confabulationibus ante recessum suum ad invicem, datis dexteris confederati sunt, ut de suspecto factus est idem Andegravius amicus tutissimus, & omnibus qui eum elegerant manifestè significavit, quod tam temerę pręsumptioni non adquievit. Et sic ad votum perfecto negotio, ad exercitum suum Imperator, eadem qua recessit prudentia, remeavit.

Humiliatus est Imperator.

VErumtamen, qui oderunt ipsum Imperatorem Fredericum, extulerunt caput, & pro jacturis suis, quibus affectus fuerat, quasque superiùs latiùs expressimus, & recensuimus, exultaverunt, & gavisi sunt valdè. Humiliatus est igitur eo tempore aliquantulum Dominus Imperator Fredericus, secundùm illud propheticum: Imple faciem eorum ignominia; & quærent nomen tuum, Domine. Intermeantibus igitur nobilibus, & profundi consilii personis, tractatum est diligenter de pace inter Ecclesiam, & Imperatorem. Sed noluit aliquo modo Imperator jurare, ut staret Ecclesiasticæ censuræ absolutè, nisi præcognitis causis, & prævisa via, & omnibus conditionibus, nec quomodolibet quædam acquisita, ad Imperium jure antiquo spectantia, resignare. Et sic procurante humani generis inimico, ira rediit rediviva. Et circa illos dies, factus est Otto, qui Cardinalis tutuli S. Nicolai in Carcere Tulliano, & Legatus in Anglia extiterat, Episcopus Portuensis.

Epistola terribilis de crudelitate Tartarorum.

Discordia Imperatoris, & Papæ omnibus nocet.

Via versus Romam arctiùs custodiuntur.

Imperator se obligat ad pacem Ecclesiæ Anno 1244.

DUm autem Mundi præstigiator talibus mortales exagitaret solicitudinibus, Imperator Fredericus, spiritu tactus consilii sanioris, licèt superficialiter humiliatus, se spopondit Ecclesiæ, & Ecclesiasticis Prælatis satisfacturum, hoc modo. Circa securitates designandas, ita dicimus; Quod Dominus Imperator offert cautionem juratoriam, literatoriam, & fidejussoriam per Reges, Principes, & Magnates, & Comites locorum. Præterea circa prædictas cautiones committit se ordinationi Domini Papæ, & tractatorum. Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, per præsens scriptum notum facimus universis, quod nos R. illustri Comiti Tholosano, dilecto affini, ac fideli nostro, & Magistris Petro de Vinea, & Thaddæo de Suessa, Magnæ Curiæ nostræ Judicibus, & Fidelibus nostris, specialem, & plenam concedimus potestatem jurandi in anima pro parte nostra, stare mandatis Domini Papæ, & Ecclesiæ super omnibus articulis, injuriis, damnis, & offensis, ante, & post excommunicationis sententiam, Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis illatis, pro quibus olim per Gregorium Summum Pontificem, contra nos ipsa excommunicationis sententia noscitur fuisse prolata, ratum habentes, & firmum quicquid super hoc prædicti fideles nostri duxerint faciendum. Ad cujus rei memoriam, & debitam firmitudinem, præsens scriptum aurea bulla typario nostræ Majestatis impressa, jussimus communiri.

Scriptum Frederici Imperatoris ad Regem Angliæ.

FRedericus, &c. Cum in tractatu pacis per R. Comitem Tholosanum, dilectum affinem, & fidelem nostrum, inter nos, & Ecclesiam, prout firmiter credimus inchoandæ nuntios vestros, & adesse deceat & adesse velimus, serenitatem vestram affectuosè rogamus, quatenùs pro negotio supradicto solemnes nuntios destinare velitis, de quibus pleniùs confidatis, ut tanto sint tam ex industria, quàm fide negocio convenientes. Datum &c.

Articuli quibus Imperator se spopondit satisfacturum Romano Pontifici.

SUper facto terræ inventa est forma, quæ placet utrique parti, scilicet quòd tota terra, quam possidebat Ecclesia tempore excommunicationis; sibi reddatur, & idem de adhærentibus Ecclesiæ. Super contemptu clavium scriberet imperator generaliter per totum Orbem, quod in contemptu Ecclesiæ, & potestatis Ecclesiasticæ sententiā per Dominum Prædecessorem suum nō contempsit. Sed cum prædicta sententia sibi denunciata nō fuerit, de consilio Prelatorum, & aliorum Nobilium Alemanniæ, & Italiæ processit, quòd priusquam sibi denuntiaretur, eam nō tenebatur servare. Profitetur tamen, quod recognoscit benè, quòd deliquit in hoc, non servando, & malè fecit, cum benè sciat, & credat fideliter, quòd tam super eum, quam super omnes Christianos, Reges, & Principes, Clericos, & Laicos, habet Summus Pontifex, etiamsi peccator existat, quod Deus avertat, in spiritualibus plenitudinem potestatis. Nihilominùs subsidium pro isto excessu faciet in militibus, vel pecunia, cuicumque Dominus Papa Christianitati, quantumcumque & quale viderit expedire. Alias eleemosynas, & jejunia facturus, juxta ordinationem Domini Papæ, & sententiam ipsam, usque ad diem absolutionis humiliter, & devotè servabit. Super captione Prælatorum, in primis, omnia ea, quæ ad eum pervenerunt de his, quæ capta sunt in galeis, vel apud eum poterunt inveniri, integrè restituet, & restitui faciet. De reliquo volentibus damna passis, juxta mandatum Domini Papæ, de cujus benignitate confidit, satisfaciet. Faciet etiam in satisfactionem hujus offensæ, & ob honorem Dei, Hospitalia, & Ecclesias, ad dispositionem Domini Papæ, quot & ubi, & sicut viderit expedire: & prædicta loca dotabit, sicut Dominus Papa mandabit. Super prædictis, & super aliis omnibus articulis, injuriis, damnis, & offensis, ante, & post discordiam, & latam sententiam, Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis illatis, pro quibus excommunicatus est, jurabit præcisè stare mandatis Domini Papæ, Salva tamen sint ei honores, & jura, quo ad conservationem integram, sine aliqua diminutione Imperii, & Regnorum suorum. Et licèt pro prædictis offensis satis oblatum esse credamus, nihilominùs tamen ad satisfactionem, & securitatem tam præcedentium, quàm sequentium capitulorum, & ad majora devotionis indicia demonstranda, Dominus Imperator stabit consilio, & ordinationi tractatorum, scilicet Dominorum Ostiensis episcopi Stephani, Ægidii, & Ottonis, Cardinalium, qui, excepta persona Domini nostri Papæ, supplebunt in satisfactione, & securitate, quod viderint esse supplendum: ita tamen, quod nihil facient sine consilio, & mandato Domini Papæ, & prædictis salvis de satisfactione, & securitate, prædicti tractatores facient, quod de consilio Fratrum Dominus Papa faciendum decrevit. Super adhærentibus autem Ecclesiæ, ita dicimus, quod omnibus his, qui post ortam discordiam Ecclesiæ adhæserunt, undecumque sint, ex nunc planè omnis remittatur offensa, tam ante discordiam, quàm post, sive occasione Ecclesiæ, sive alia commissa. Et omnia banna, & sententias contra eos latas revocabit. Et si quas donationes, vel contractus, vel obligationes ei fecissent, post latam sententiam, vel postquam adhæserunt Ecclesiæ, relaxabit, possessionibus eorum, juribus, & honoribus suis, eis integrè restitutis, etiamsi aliis sint concessa. Super aliis autem, qui ante ortam discordiam rebelles Domino Imperatori fuerunt, & erant tunc in bello cum eo, ita dicimus, quòd remittetur eis omnis offensa, quam postea commiserunt contra eum, & Imperium. De offensis verò commissis ante ortam discordiam, stabit Dominus Imperator provisioni, & ordinationi Domini Papæ, & Fratrum, facienda infra tempus à Domino Papa præfigendum, ipsis, & omnibus dabit plenam pacem ex nunc. Super securitate verò illorum de Romandiola, qui post ortam discordiam Ecclesiæ adhæserunt, & nobilium de Marchia Tervisiana, & Marchionis de Montisferrati, & aliorum Nobilium ubique, ita faciet Dominus Imperator, videlicet, quod prædicti Nobiles in propriis personis, nisi ad provisionem Domini Papæ, sed per substitutos servire Domino Imperatori minimè teneantur. In judicium eos vocari per Nobiles, & Pares suos reliquos regionis ejusdem, aliis adhærentibus Ecclesiæ non exclusis, debeant judicari. De personalibus, & realibus actionibus impediti, & etiam de criminalibus accusati, specialiter autem in Romanorum

ad

ad majorem securitatem eorum, qui Ecclesiæ adhæserunt, statuet Dominus Imperator Capitaneum aliquem de Prælatis Italiæ, sub cujus solius examine, litigabunt usque ad beneplacitum Domini Papæ, tam in Civilibus, quàm in Criminalibus causis; Et Prælatus ipse eligatur de consensu Domini Papæ, quàm diù Dominus Papa voluerit: munitiones autem proprias Dominus Imperator per quos sibi placuerit, faciet custodiri: munitiones verò prædictorum non lædet, vel tanget, sine consensu ejus, qui deputatus fuerit super his. Illis autem de Marchia Tervisiana, quæ Ecclesiæ adhæserunt, de consensu unius Fratrum, quem Dominus Imperator duxerit eligendum. Captivos in galeis captos, necnon omnes Romanos, Tuscos, & alios omnes captivos, post latam sententiam excommunicationis, cujus ad præsens absolutio petitur, liberabit. Et ab omnibus juramentis, & obligationibus, quibus obligassent se post captionem, absolvet tam eos, qui liberati sunt, quàm qui postea liberabuntur. Et super hoc literas suas dabit Fidelibus suis, qui capti sunt ubiqum per Detentores invicem liberatos. Ejectos occasione discordiæ primæ, vel secundæ, tam Clericos, quàm Laicos, redire permittet ad propria, & ibidem securè manere, possessionibus eorum, & bonis integrè restitutis. De discordia autem Romanorum Dominus Imperator stabit ordinationi Domini Papæ, & Fratrum, tam de restitutione damnorum hinc inde datorum in bello ipso, quàm de aliis. Ite tamen, quod ita statuatur de discordia, & idempteitate suorum, excepto Castro Auticuli, de quo non compromittitur. De damnis datis per Dominum Imperatorem, Officiales, & Ballivos suos, Prælatis, Ecclesiis, tam Religiosorum, quàm Secularium, vel aliis de mandato suo, post sententiam latam in eum satisfaciet Dominus Imperator, secundùm providentiam, & benignitatem Sedis Apostolicæ: ubi non intelligit Dominus Imperator damna hostiliter data per se aut suos exercitus. Gregorio de Montelongo, & omnibus consanguineis suis, plenam pacem dat, & securitatem. Terra Comitis Wilelmi, quæ tenetur ab Ecclesia, restituetur: de alia Terra compromittatur in Imperatorem constanter, Dominos Ottonem Cardinalem, & Archiepiscopum Rothomagensem, ita quod ipsi de jure cognoscant, sicut fuerit cognoscendum. Nuntii Imperatoris dicent, quod compromittent, quod de possessione, & proprietate, & simul recognoscent, & definient, & jurabunt, quod bona fide, & sine fraude studebunt inducere Dominum Imperatorem, quod ipsa patiatur, quòd præfati Domini procedent, sive simul, sive separatim de possessione, & proprietate: & dicti tres requirent Dominum Imperatorem. Et recipiunt super se, quod super eo apud Dominum Imperatorem facient bona fide, quod Imperator consentiet, quod isti tres procedent, sicut eis videbitur expedire, audiendo scilicet, & terminando causam ipsam, sive simul de possessione, & proprietate, sive separatim. Quòd si non omnes possunt interesse, & aliquis eorum fuerit justo impedimento detentus, duo eorum procedent.

Has igitur dum annalis orbita temporales mutationes transcurreret, Imperator Fredericus, superbiæ stimulis exagitatus, pœnitere cæpit, quod se Ecclesiæ, ut prædictum est humiliasset, & obligasset, & calcaneo Papali insidias tetendit, & laqueos absconditos, qui tamen postea apparuerunt manifesti, de quibus Dominus Papa præmonitus Imperatoris vulpinos Mæandros, in quantum potuit, evitavit, & suspectos habuit, nec se credebat ei, vel suis; cùm nosset omnes, futura præteritis comparando.

Papa clam fugam arripit.

Die verò Sanctæ Trinitatis, volens Dominus Papa partem suam meliùs roborare, quia paucos sui laboris socios, & sollicitudinis habuerit participes, creavit decem Cardinales, videlicet Magistrum Johannem de Toleto, natione Anglicum, & quosdam alios moribus, & sanguine præclaros. Octavo verò die antu festum Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ accessit Dominus Papa cum omnibus Cardinalibus ad Civitatem Castellanam, quæ ab Urbe octodecim distat milliaribus, ut viciniùs Imperatori, efficaciùs de pace tractaret, quæ suspecta erat, imò potiùs desperata. Vigilia autem Apostolorum Petri, & Pauli, venit apud Sutriam Civitatem. Imperator autem recalcitrans mandavit ei, quod nihil faceret de conventis, nisi literis absolutionis priùs habitis. Cui cùm contradicendo respondisset Dominus Papa, suæ præsagus perturbationis, ex tunc repentinam, & clandestinam fugam arripere satagebat, nullo tamen conscio, ne fugienti Dominus Imperator repagula præpararet. Fuerunt tamen, qui dicerent, ipsum magis amore, munerumque delatori erant illi Casalpini, nec ausi erant terras transire Imperatoris, ut Ipsis sinum aperiens occurreret, quàm pro timore alicujus prosequentis. Unde sumpta qualiquali occasione versus Januam, quæ sibi patria fuit genialis, sicut loquens sermo declarabit, gressus impiger dirigebat. Eadem igitur die, videlicet Vigilia Apostolorum,

lorum, significatum fuit Domino Papæ, ut idem postea asserebat,) quòd trecenti milites Tusci erant in veniendo ipsâ nocte, ut ipsum apprehenderent Dominus igitur Papa, non mediocriter attonitus, & perturbationis vultum præferens, in hora primi somni, relictis Papalibus ornamentis, veterem induit Senebaldum, & leviter armatus equum ascendit velocissimum, manu non vacua, & vix cubiculariis consciis clam subitoque discedens, non equinia pepercit lateribus: ita quod ante primum triginta quatuor miliaria pertransivit, nemine comitante, vel ipsum sequi potente. Media autem nocte clamor factus. Ecce Papa recessit nescientibus aliquibus, nisi aliquot, sed paucis Cardinalibus, Petrus verò de Capua, cum uno solo Comite, non sine viarum discrimine, sequutus invenit Papam ipso die apud Castrum supra mare, quod dicitur Civitas vetus. Venerant autem ibidem in occursum Papæ viginti tres galejæ, quarum unaquaque sexaginta viros benè ferro armatos, & centum, & quatuor remiges assignatos continebat, exceptis nautis, & sexdecim bargæ. Propter quod argumentosi suspicabantur hæc omnia diù antè prævisa Dominum Papam desiderasse. Fuerunt autem cum armatis, & eis præfuerunt, Potestas Januæ, quem Admiratum vocant, & majores Civitatis, qui se omnes jactabant esse, vel affines, vel consanguineos Papæ, propter retributionem. Intravit igitur unam galearum illarum Dominus Papa serò cum septem Cardinalibus, & paucis aliis comitantibus. Et vix magnum mare intraverant navigantes, ecce occupat ipsos tempestas validissima, non tamen ex adverso, & erectis velis, non sine maximo timore, & periculo, eadem via, qua navigantes cepti erant Prælati, per centum milliaria; die Veneris sequenti, compeliente tempestate rapti, applicuerunt in portu Insulæ cujusdam Pisanorum, ibidem pernoctantes. In crastino verò omnibus à peccatis suis absolutis, & audita Missa de Beata Virgine, timentes vehementer Pisanos, raptim se ad Insulam januensium provehebant, scilicet centum, & viginti quatuor milliaribus ipso die peractis, Et vix præ tempestate evadentes, venerunt ad portum Veneris, ubi moram fecerunt die Dominica, & die Lunæ: die verò Martis pervenerunt Januam lætabundi. Distabat autem Dominus Papa ab Urbe jam quindecim dietis. Receptus est autem à Concivibus, consanguineis, & affinibus suis, in Urbe ipsa qua natus est in Campanarum classico, in cantu, & Musicis instrumentis; dicentibus omnibus, & clamantibus: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Quibus & ipsi responderunt: Anima nostra sicut passer de laque ve. erept. est. la. con. est.

Imperator ægrè fert fugam Papæ.

CUm autem Domino Imperatori hæc innotuissent, more Satyrico infrenduit, & ait: Scriptum est, Fugit impius nemine persequente. Obstupuit, & doluit nimis, & suorum portuum, & Civitatum custodes ignaviæ, & desidiæ redarguit, qui adversarios suos permiserint liberè pertransire. Fecit igitur in circuitu Januæ præcipuè versus Galliam, exitus viarum, ne ad Papam pecunia portaretur, arctissimè custodiri, & jam acclamabatur Dominus Imperator, manifestus Ecclesiæ persecutor. Nec reputabat Dominus Papa adhuc ipsam Civitatem Januam, tutum fore refugium, non ignorans potentiam Imperatoris esse latissimam, secundùm illud poeticum.

An nescis longas Regibus esse manus?

Imperator F. sibi multos potentes amicos conciliat.

IPsis quoque temporibus, dum videlicet Dominus Papa moram apud Januam continuaret, consentientibus Mediolanensibus simul cum Liguribus Italicis quibusdam, etiam Romanis, & multis de Nobilioribus Alemanniæ, procurante Papa animatur quidam de maximis Alemanniæ potens, quem nominant Landegravium; ut Imperialem sibi dignitatem assumens, donec plenius exaltaretur, ope fultus multiplici tam Prælatorum, quam Magnatum, bellum moveret contra Tyrannum Fredericum persecutorem Ecclesiæ jam publicum, & generalem. Denigrata est enim fama sua, non mediocriter, & dicebatur, quod jam non firmo gressu in lege Domini ambularet, Sarscenis confœderatus, Sarsceniecas meretriculas sibi retinens concubinas, & alia, quæ relatu sunt indigna, & morosa. Cumque hæc attentaturus memoratus Landegravius, secum, & Optimatibus suis convocatis deliberaret, quid super hoc agendum, dixerunt ei amici sui, temerarium fore hoc aggredi, & ancipiti casui se, qui tranquilla pace gaudebat committere, quicquid pars Papalis ei promitteret; Et dum super hoc penderet sententia, ecce Imperator rapido cursu illuc advolans, paucis, & consciis, & concomitantibus, cui hæc nota facta sunt, animum dicti Landegravii adeò effeminatum divertit ab hoc proposito, quod facti sunt Dominus Imperator, & ipse Landegravius amicissimi, & confœderati, & affines: & dedit Landegravius Imperatori munera, & Imperator ei. Et hoc negotio

tio consummato, sicut clanculo venerat Dominus Imperator, & subitò, sic recessit.

Ipsorumque temporum curriculo, ut partem suam, quam credebant adversarii jam infirmatam, magis roboraret Dominus Imperator, dedit filiam suam nuptui cuidam Principi potentissimo Græcorum Botatio Romanæ Ecclesiæ exoso, & inobedienti, & ideo Schismatico. Quod audientes adversarii Imperatoris, siluerunt confusi.

Nuncii Imperatoris prohibent ne Angli faciant contributionem Papæ. Anno 1245.

Imperator iterum excommunicatur in Gallia. Anno 1245.

Papa convocat Concilium Generale apud Lugdunum.

Initium actorum in Concilio Lugdunensium.

Qualiter Papa prima die Concilium initiavit.

Lachrymabiles rumores de Terra Sancta in Concilio recitantur.

Quæ acta sunt feria quarta.

Papa differt respondere Legatis Angliæ.

ALtiori igitur insistens negotio Dominus Papa, licèt in contrarium eleganter Magister Thaddæus Procurator Imperialis, allegasset in Imperatorem Fredericum, sine aliqua palpitatione, vel dissimulatione, vel dilatione, vel dilationis indultu, talem sententiam excommunicationis in pleno Concilio, non sine omnium audientium, & circumstantium stupore, & horrore terribiliter fulguravit.

Papa excommunicat Fredericum Imperatorem in Concilio Lugdunensi.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, &c. Sacro præsente Concilio, ad rei memoriam sempiternam, ad Apostolicæ dignitatis apicem, licèt indigni, dignatione Divinæ Majestatis assumpti, omnium Christianorum curam vigili, sedulaque solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum facta, & dicta discernere; & providæ deliberationis statera librare debemus, ut quos justi vigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus; & evehamus favoribus: quos autem reos, & culpabiles invenerimus, pœnis debitis pro gravitate culpæ, afficiamus, & deprimamus: appendentes semper meritum, & præmium æqua lance, retribuendo cuique juxta qualitatem operis, sive boni, sive mali, pœnæ, vel gratiæ quantitatem. Sanè cùm diù bellorum diuturna commotio, nonnullas professionis Christianæ Provincias, & Regiones graviter afflixisset; nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem, & pacem Ecclesiæ Sanctæ Dei, ac generaliter cuncto populo Christiano restituere, ac reducere: ad præcipuum Principem sæcularem, hujus dissentionis, ac tribulationis auctorem, à fœlicis recordationis Gregorio Papa Prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuntios magnæ auctoritatis viros, venerabiles videlicet Fratres nostros P. Abbatem Albanensem, tunc autem temporis Rothomagensem Archiepiscopum, & W. Sabinensem tunc, quondam verò Mutinensem, Episcopos, ac dilectum nostrum filium Guilhelmum, Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, tunc Abbatem Sancti Facundi; qui salutem zelabatur ipsius, duximus destinando. Faciente sibi proponi per ipsos, quod nos, & Fratres nostri quantum in nobis erat, pacem per omnia secum habere nitimur; ut cum nobis hominibus parati sumus, optabamus pacem sibi, & tranquillitatem dare, ac Mundo etiam universo. Et quia Prælatorum, Clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam Clericorum, quàm Laicorum, quos ceperat in galeia, restitutio poterat esse pacis, & reconciliationis plurimum inductiva; illum, ut nos restitueret, (cum hoc idem, tam ipse, quam sui nuntii, antequam ad Apostolatus vocati essemus officium promisissent) rogari, & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod idem pro nobis parati erant audire, & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem, quam facere vellet Princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus, & offerri. Præterea, quod si etiam eum in aliquo contra debitum læserat Ecclesia (quod tamen non credebat) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse, quod contra justitiam in ullo ipsum læserat Ecclesia, vel etiam quod nos eum contra justitiam in ullo læsissemus; parati eramus vocare Reges, Prælatos, & Principes, tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares, ad aliquem tutum locum, ubi simul per se, vel per solemnes nuncios convenirent. Eratque parata Ecclesia etiam de consilio Concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac revocare excommunicationis sententiam, si quam contra ipsum injustè tulisset: & eum omni

ni mansuetudine, & misericordiæ, (quantum cum Deo, & honore suo fieri poterat) tractare; & de injuriis, & offensis ipsi Ecclesiæ suisque per eum irrogatis, satisfactionem ab ipso recipere. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos suos, sibique adhærentes, in pace ponere, plenaque securitate gaudere; ut nunquam hac occasione possent aliquod in posterum subire discrimen, aut periculum. Sed licèt sic apud eum pro pace paternis monitis, & precum instantia curaverimus lenitate; idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & more Aspidis obturans aures suas, hujusmodi preces, & monita, elata obstinatione, ac obstinatâ elatione, & superbia despexit, ac contempsit. Et licèt processu temporis, in die Cœnæ Domini proximo nuper præterita præcedente, coram nobis, & Fratribus nostris Cardinalibus; præsentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano Imperatori illustri, cætu quoque non modico Prælatorum, & de senioribus, ac sanioribus Senatoribus populoque Romano, & juxta multitudinem aliorum, qui eodem die, propter solemnitatem ipsius, de diversis Mundi partibus ad Apostolicam Sedem convenerant; quod staret mandatis nostris, & Ecclesiæ, per nobilem virum Comitem Tholosanum, ac Magistros Petrum de Vinea, & Thaddæum de Suessa, Curiæ suæ Judices, & Procuratores suos, speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, præstiterit juramentum; postmodum tamen, quod juraverat, non implevit. Quinimmò ea intentione ipsum præstitisse juramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter, ut eidem Ecclesiæ, ac nobis illuderet potiùs, quàm pareret; cùm anno, & ampliùs jam elapso, nec ad ipsius Ecclesiæ gremium revocari potuerit; nec sibi de illatis ei damnis, & injuriis curavit satisfacere, licèt super hoc extiterit requisitus. Propter quod non volentes, nec etiam valentes, absque gravi Jesu Christi offensa, ejus iniquitates, & scelera ampliùs tolerare, cogimur, urgente nos conscientia, animadvertere in eundem.

Et ut ad præsens, de cæteris ejus sceleribus, & iniquitatibus, taceamus; quatuor gravissima, quæ nulla possunt celari tergiversatione, commisit. Dejeravit enim multoties; pacem quondam inter Ecclesiam, & Imperium reformatam, temere violavit. Perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac aliarum Ecclesiarum Prælatos, & Clericos, Religiosos, & Sæculares, venientes ad Concilium, quod idem Prædecessor duxerat convocandum. De hæresi quoque non dubiis, & levibus, sed evidentibus argumentis suspectus habetur; plura siquidem eum commisisse perjuria satis patet. Nam olim, cùm in Siciliæ partibus commorabatur, priusquam esset ad Imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ G. Sancti Theodori Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, felicis recordationis Innocentio Papæ, Prædecessori nostro, & successoribus ejus, Ecclesiæque Romanæ, pro concessione Regni Siciliæ, ab eadem Ecclesia sibi facta, fidelitatis præstitit juramentum. Et sicut dicitur, illud idem postquam ad eandem dignitatem electus extitit, & venit ad Urbem, coram eodem Innocentio, suique Fratribus Cardinalibus, & aliis multis præsentibus, ligium homagium in ejus faciens manibus innovavit. Deinde cum in Alemannia esset, eidem Innocentio Papæ, & ipso defuncto, bonæ memoriæ Honorio Papæ, Prædecessori nostro, & ejus successoribus, ac ipsi Ecclesiæ Romanæ, præsentibus Imperii Principibus, ac Nobilibus, juravit, honores, jura, & possessiones Romanæ Ecclesiæ pro posse suo, servare, ac protegere bona fide. Et quod quæcumque ad manus suas devenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis expressè dictis possessionibus in hujusmodi juramento, quod postmodum confirmavit, coronam Imperii jam adeptus; Sed horum trium juramentorum temerarius extitit violator, & transgressor; non sine proditionis nota, & læsæ criminæ Majestatis. Nam contra præfatum prædecessorem nostrum Gregorium, & Fratres suos Cardinales, comminatorias literas eisdem Fratribus destinare; ac dictum Gregorium apud Fratres ipsos; sicut apparet per literas ab eodem tunc directas: eisdem etiam, prout fertur, per universum ferè Orbem terrarum multipliciter diffamare præsumpsit. Ac venerabilem Fratrem nostrum Ottonem Portuensem, tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, & bonæ memoriæ I. Prænestinensem, Episcopos Apostolicæ Sedis Legatos, nobilia, & magna Ecclesiæ Romanæ membra, personaliter capi fecit: & bonis omnibus spoliatos, ac per diversa loca non semel ignominiosè deductos, & circumductos, carceribus mancipari. Privilegium insuper, quod Beato Petro, & successoribus ejus in ipso tradidit Dominus Jesus Christus, videlicet, Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in Cœlis (in quo auctoritas, & potestas Romanæ Ecclesiæ consistit) pro viribus diminuere, vel ipsi Ecclesiæ auferre satagit, scribens se præfati Gregorii Papæ, Prædecessoris nostri, non vereri latam ab eo excommunicationis sententiam in ipsum:

non

non solum contemptis clavibus Ecclesiæ non servando, verumtamen per se, ac officiales suos, & illam, & aliam excommunicationis, vel interdicti sententias, quas idem omninò contempsit, cogendo, & compellendo alios non servare. Possessiones quoque præfatæ Ecclesiæ Romanæ, videlicet Marchiam, Ducatum Beneventum (cujus muros, & Turres dirui fecit) ac alias, quas in Tusciæ, ac Lombardiæ partibus, & quibusdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas detinet adhuc occupatas. Et tamquam ei non sufficeret, quòd manifestè, contra juramenta præsumendo talia, veniebat per se, vel per suos officiales, earundem possessionum homines dejerare compulit: ipsos à juramento fidelitatis, quibus tenebantur ratione Ecclesiæ, defacto, cum de jure non posset, absolvens; & faciens eosdem fidelitatem nihilominùs abjurare prædictam, sibique fidelitatis hujusmodi juramenta præstare. Pacis verò ipsum violatorem extitere planè constat. Quia cum olim tempore pacis, inter ipsum, & Ecclesiam reformatæ, jurasset coram bonæ memoriæ I. de Abbatis Villa, Episcopo Sabinensi, & Magistro Thomasio, tunc temporis Sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali præsentibus, cum multis aliis Prælatis, Principibus, & Baronibus, quod staret, & pareret præcisè, absque ulla conditione, omnibus mandatis Ecclesiæ, super his, pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis expressis per ordinem coram eo tunc temporis etiam omnibus Teutonicæ hominibus, Regni Siciliæ, ac quibuslibet aliis, cujuscumque conditionis, aut status, qui Ecclesiæ contra eum adhæserant, omnem remittens offensam, & pœnam: & quod in nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo quod Ecclesiæ astiterant præstari in anima sua per Comitem Acerrarum faciens juramentum; postmodum pacem, & juramenta hujusmodi, nequaquam erubescens irretiri perjuriis non servavit. Nonnullos enim etiam ex ipsis hominibus prædictis, tam nobiles, quam alios, postea capi, & incarcerari fecit; & eis bonis suis omnibus spoliatis, uxores eorum, & filios captivare; ac insuper terras Ecclesiæ, contra promissionem, quam eidem I. Sabinensi Episcopo, & Thomasio Cardinali fecerat, irreverenter invasit: licèt ipsi ex tunc in eundem præsentem, si ullo modo prædictis articulis, aut conditionibus contraveniret excommunicationis sententiam promulgaverant. Et cùm iidem Apostolica Auctoritate sibi commissa, ipsi mandassent, ut nec per se, nec per alium impediret, quin postulationes, electiones, & confirmationes Ecclesiarum, & Monasteriorum, in Regno præfato, liberè de cæterò fierent, secundum statutum Concilii Generalis: & quod nullus deinceps in eodem Regno viris Ecclesiasticis, ac bonis, aut rebus eorum, imponeret tallias, vel collectas, quodque nullus ibidem Clericus, vel persona Ecclesiastica de cætero in civili, vel criminali causa conveniretur coram Judice sæculari, nisi super feudis quæstio civilis haberetur; ac Templariis, Hospitalariis, & aliis personis Ecclesiasticis de damnis, & injuriis irrogatis, eis satisfaceret competenter: ipse mandatum hujusmodi adimplere contempsit. Liquet namque undecim, ac plures, Archiepiscopales, & multas Episcopales Sedes, Abbatias quoque, & alias Ecclesias ad præsens in Regno vacare prædicto; easque procurante ipso, sicut apertè patet, fuisse diutiùs Prælatorum regimine destitutas: in grave ipsarum præjudicium, & periculum animarum multarum. Et licèt fortè in aliquibus ejusdem Regni Ecclesiis, electiones fint à Capitulis celebratæ: quia tamen per illa eosdem familiares Clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habent liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius Regni, non solum facultates, & bona fecit prout voluit occupari, sed & Cruces, Calices, Thuribula, & alios sacros earum thesauros, & pannos sericos, velut cultus divini contemptor, auferri: licèt, ut dicitur, ipsis Ecclesiis (exacto tamen prius pro eis certo precio) in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis, & talliis, multipliciter affliguntur. Nec solum trahuntur ad judicium sæculare, sed, ut asseritur, coguntur subire duella: incarcerantur, occiduntur, & patibulis cruciantur, in confusionem, & opprobrium ordinis clericalis. Præfatis autem Templariis, Hospitalariis, & personis Ecclesiasticis non est de damnis illatis eisdem, & injuriis satisfactum. Eum quoque certum, est sacrilegiis esse perpetratorem. Nam cum præfati Portuensis, & Prænestinensis Episcopi, & quamplures Ecclesiarum Prælati, & Clerici, tam Religiosi, quàm sæculares, ad Apostolicam Sedem, pro celebrando Concilio (quod priùs ipse petiverat convocari) per mare venirent, viis omnibus terræ ipsius de mandato ejus, omninò præclusis, idem destinato Henrico filio suo cum multitudine galeiarum, & per alias quamplures longè anteà serio præparatas in partibus Tusciæ, maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit; quibusdam Prælatorum ipsorum, & aliis in hujusmodi captione submersis; nonnullis etiam interemptis;

ptis; & aliquibus hostili insequutione fugatis: reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in Regno Siciliæ opprobriose deductis, & circumductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis; quorum aliqui macerati squaloribus, & inedia pressi, miserabiliter defecerunt. Meritò insuper contra eum de hæretica pravitate suspicio est exorta, cùm postquam excommunicationis sententiam à præfatis I. Sabinensi Episcopo, & Thomasio Cardinali, prolatam incurrerit, & prædictus Gregorius Papa ipsum anathematis vinculo innodavit, ac post Ecclesiæ Romanorum Cardinalium, Prælatorum, & Clericorum, à qua diversis partibus ad Sedem Apostolicam venientium, captiones, claves Ecclesiæ contempserit, & contemnat, sibi faciens celebrari, vel potiùs, quantum in eo est, prophanari divina: & constanter asseruit, ut superiùs est narratum, in se præfati Gregorii Papæ sententias excommunicationis non vereri. Præterea conjunctus Saracenis amicitia detestabili, nuncios, & munera pluries destinavit eisdem, & ab eis vicissim cum honorificentia, & hilaritate recepit: ipsorumque rithus amplectitur, illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenens, eorundem etiam more uxoribus, quos habuit de stirpe Regia descendentibus, Eunuchos, præcipuè quos, ut dicitur, serio ipse castrari fecerat, non erubuit deputare custodes. Et quod execrabiliùs est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, imò veriùs collusione, cum Soldano, Machometi nomen, in Templo Domini diebus, ac noctibus publicè proclamari permisit. Et nuper nuncios Soldani Babyloniæ postquam idem Soldanus Terræ Sanctæ, ac Christianis habitatoribus ejus, per se, ac suos damna gravissima, & inestimabiles injurias irrogarat: fecit per Regnum suum Siciliæ cum laudibus, ad ejusdem Soldani excellentiam, sicut fertur, honorificè suscipi, & magnificè procurari.

Aliorum quoque infidelium perniciosis, & horrendis obsequiis contra Fideles abutens, & illis qui damnabiliter vilipendentes, & contemdentes Apostolicam Sedem, ab unitate Ecclesiæ discesserunt, procurans affinitate, ac amicitia copulari, claræ memoriæ Ducem Bavariæ, specialem Ecclesiæ Romanæ, & devotum; fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana Religione despecta, per assisinos occidi: & Battacio, Dei, & Ecclesiæ inimico; à communione Fidelium per excommunicationis sententiam, cum adjuratoribus consiliatoribus, & fautoribus suis solemniter separato, filiam suam tradidit in uxorem. Catholicorum verò Principum actus, & mores respuens, neglecta salutis suæ, & famæ integritate, pietatis operibus non intendit: Quin immò, ut de suis nephariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos injuriis relevare manu ejus, ut decet Principem Christianum, ad eleemosynas non extenta, cum destructioni Ecclesiarum institerit, & Religiosas, ac alias Ecclesiasticas jugi attriverit afflictione, & persecutione personas. Nec enim, & Ecclesias, nec ulla Monasteria, nec Hospitalia, seu alia pia loca cernitur uspiam construxisse, aut fundasse. Nunc igitur hęc non levia, sed efficacia sunt argumenta de suspicatione hæresis contra eum: Cùm tamen hæreticorum vocabulo eos jus civile contineri asserat, & latis adversus eos sententiis debere succumbere: qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare. Præter hoc, Regnum Siciliæ, quod est spirituale Patrimonium Beati Petri, quod idem Princeps Apostolica Sede tenebat in feudum, jam in tantam in Clericis, & Laicis exinanitionem, servitutemque redegit, quod eis penè penitùs nihil habentibus, & omnibus exinde ferè probis ejectis, & expulsis, illos qui remanserunt ibidem, sub servili quasi conditione vivere, ac Romanæ Ecclesiæ, cujus principaliter sunt homines, & vassalli; offendere multipliciter, & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam meritò reprehendi, quod mille squinatorum annuam pensionem, in qua pro eodem Regno ipsi Romanæ Ecclesiæ tenetur, per novem annos, & ampliùs solvere prætermisit. Nos itaque super præmissis, & quampluribus aliis ejus nephandis, & execrandis excessibus, ac flagitiis, cum Fratribus nostris Cardinalibus, & sacrosancto Concilio deliberatione præhabita matura, & diligenti, cum Domini nostri Jesu Christi vices, licèt immeriti, teneamus in terris, nobisque in Beati Petri Apostoli persona sit dictum: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & memoratum Principem, qui se Imperio, & Regnis, omnique denique honore, ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates, atque scelera adeo, ne regnet, vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis à Deo, ac abjectum, omnique honore, ac dignitate privatum à Domino ostendimus, ac denunciamus, & nihilominùs sententiando privamus. Omnesque qui ei juramento fidalitatis aliquo modo tenentur astricti, obligati, à juramento hujusmodi perpetuò absolvimus, & liberamus: Auctoritate Apostolica firmetur, & strictim inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tanquam Imperatori, vel Regi pareat, vel quomodo-

dolibet parere intendat. Decernendo quoſlibet, qui deinceps ei, velut Imperatori, vel Regi, conſilium præſtiterint, ſeu favorem; ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjacere. Illi autem, ad quos in eodem Imperio, Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè alium in ejus locum ſucceſſorem. De præfato verò Siciliæ Regno providere curabimus, cum eorumdem Fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio, ſicut viderimus expedire. Datum Lugduni, decimoſeptimo Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno tertio.

Procuratores Imperatoris recedunt confuſi.

HÆc igitur in medio Concilio prolata, cunctis audientibus, ad inſtar coruſcantis fulguris, non mediocrem timorem omnibus incuſſerunt. Magiſtri igitur Thaddeus de Sueſſa, & Valterius de Ocra, & alii Procuratores Imperatoris, & qui cum eis erant, emiſſo ejulatu flebili; hic femur, hic pectus in indicium doloris percutientes, vix à profluvio lachrymarum ſeſe continuerunt. Et ait Magiſter Thaddeus memoratus: dies iſta, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ. Dominus igitur Papa, & Prelati aſſidentes Concilio, candelis accenſis, in dictum Imperatorem Fredericum, qui jam jam Imperator non eſt nominandus; terribiliter, recedentibus, & confuſis ejus procuratoribus, fulgurarunt.

Hæc autem cum intellexiſſet Magiſter Thaddeus ab imo trahens ſuſpiria, ait: intelligo nullum remedium patere diſcriminis. Ejulanſque, & flens ſubintulit: Verè dies iſta, dies iræ; ſicut antea dixerat, cum ad Concilium plenum omnes Prelati candelas ſuas accenſas inclinarent, & extinguerent; excommunicatum Imperatorem Fredericum deponentes. Et in calce ſermonis adjunxit idem Magiſter Thaddeus. Ex hoc tempore cantabunt hæretici, regnabunt Choroſmini, & inſurgent Tartari; Et hęc nuntiaturus ad Dominum ſuum Imperatorem Fredericum eſt reverſus. Dominus autem Papa omnibus in propatulo ait: Quod meum eſt feci, faciat, & proſequatur ſuper his Deus, quod voluerit.

Depoſitus à Papa ſeipſum coronat.

CUm autem hæc omnia audiviſſet, & intellexiſſet Dominus Imperator Fredericus, vix ſe prę indignatione capiens, in vehementiſſimam iram excanduit. Torvoque vultu omnes circumſedentes aſpiciens intonuit, dicens: Abjecit me Papa in Synodo ſua, privans me corona mea? Unde tanta audacia? Unde talis temeraria proſumtio? Ubi nam ſunt clitellæ meæ, theſaurum meum portatilem continentes? Et cum allatę fuiſſent, & coram eo ejus juſſu reſeratæ eſſent; ait: Vide ſi jam ſunt amiſſæ coronæ meæ. Repertam igitur unam impoſuit capiti ſuo. Et coronatus erexit ſe, & minacibus oculis, voce terribili, & inſatiabili corde, dixit in propatulo: Non adhuc coronam meam perdidi, vel Papali impugnatione, vel Synodali Concilio, ſine cruento perdam certamine. Ad tanta prorumpet faſtigia vulgaris ſuperbia, ut me præcipuum Principem, quo non eſt major, imò cui non eſt par, ab apice dignitatis Imperialis valeat pręcipitare? In hoc tamen conditio mea meliorator. In aliquo tenebar illi obedire, ſaltem venerari. Nunc autem ab amore, & veneratione, necnon ab omnimodę pacis abſolvor adverſus Papam obligatione. Ex tunc igitur efficacius, & vigilantius, ut Dominum Papam gravaret, in theſauris, conſanguineis, & amicis ejus damna, & injurias irrogavit.

Cogitavit igitur, ut partem ſuam magis roboraret, filiam Ducis Auſtriæ ſibi matrimonio copulare. Et ad hoc conſummandum ſolemnes nuncios deſtinavit, & feſtinos ad eumdem Ducem. Quod cum ad notitiam puellæ perveniſſet, amplexus, & nuptias ipſius Frederici, donec abſolveretur, conſtanter refutavit. Hoc autem cum pater puellę etiam approbaſſet, & dicto Frederico nunciaſſet, erubuit ſpretus ab utroque. Sed tamen induratus, volens avertere corda Regum, & Principum tam à devotione, quàm à veneratione Eccleſiæ, & Prelatorum, pręcipuè Domini Papę, ſcripſit Epiſtolam quamdam nimis reprehenſibilem: in ea enim viroſum propoſitum ſuum, quod diù occultaverat, evomuit.

Epiſtola F. Imperatoris.

FRedericus, &c. Regi Anglię, &c. Illos felices deſcribit antiquitas, quibus ex alieno paratur cautela periculo. Status enim ſequentis firmatur ex principio pręcedentis. Et ut impreſſionem cera recipit ex ſigillo, ſic humanę vitę formatur mortalitas ab exemplo. Hanc utinam felicitatem veſtra ſerenitas anticipaſſet, vel pręoptaſſet: & quam cautelę ſolertiam vobis, ò Chriſtiani Reges, ex noſtrę Majeſtatis nimia lęſione relinquimus, nobis potiùs alii Reges, & Principes lęſi ſimiliter reliquiſſent. Porrò, qui Clerici nunc cenſentur, parum eleemoſynis impinguati, filios opprimunt donatorum. Ipſique noſtrorum filii ſubditorum, paternę conditionis obliti, nec Imperatorem, nec Regem

aliqua veneratione revereri dignantur; quoties in Patres Apostolicos ordinantur. Quod autem ex circumloquutionibus nostris innuitur, ex Innocentii Papæ Quarti præsumptione comprobatur. Qui vocata Synodo, ut asserit, generali, contra nos, nec citatos, nec super aliqua fraude, vel pravitate convictos, ausus est sententiam depositionis statuere: quam præter omnium Regum enorme præjudicium, non poterat stabilire. quid enim vobis singulis Regibus, singulorum Regnorum, à fac e talis Principis Sacerdotum timendum non superest? Si nos, & Principum electione solemni, & approbatione totius Ecclesiæ, dum Cleri fides, ac Religio vigebant, Imperiali diademate divinitùs insignitos, & alia Regna nobilia magnificè gubernantes, ille deponendos aggreditur; cujus quoad Templariorum detrimenta, non interest in nos aliquid exercere rigoris, etiam si causæ legitimæ probarentur. Verùm, quos Sacerdotalis sic infestat abusio potestatis, & à summo conatur præcipitare deorsum; nec primi sumus, nec ultimi. Et hoc quidem vos facitis obedientes simulatoribus sanctitatis, quorum fuerat ambitio, quod totus Jordanus influat in os suum. O si vestræ credulitatis simplicitas à Scribarum, & Pharisæorum fermento, quod est hypocrisis, juxta Salvatoris sententiam, sibi curaret attendere! quot sanè redditus copiosi, quibus ex plurium depauperatione Regnorum ditantur; quam admodum ipsi nostis, ipsos faciunt insanire; apud vos Christiani, vel peregrini mendicant, ut apud nos Paterini manducent. Ibi vestrorum domos obruitis, ut hic adversariorum vestrorum oppida construatis. Sic de vestris decimis, & eleemosynis tales pauperes Christi sustentatis; qua beneficii recompensatione, qua saltem gratitudinis exhibitione se præbent obnoxios? Quanto manus largiores extenditis, tantò non solùm manus, sed etiam cubitos avidiùs apprehendunt; suo nos laqueo detinentes, sicut avicula, quæ quanto ad evasionem fortiùs nititur, firmiùs alligatur. Hæc vobis ad præsens scribenda curavimus; insufficienter exprimentia votum nostrum. Cætera verò secretiùs intimanda, videlicet in quos usus divitias pauperum, expendat prodigalitas avarorum. Quid super impetratione conceperimus obligando, quam per magnos mediatores intendimus, ut inter nos, & Ecclesiam saltem pax superficialiter reformetur. Quid de Regum communibus, specialibusque negotiis disponere proponamus; Quid super Insulis Oceani fuerit ordinatum; quid contra Principes universos quibusdam consiliis; quæ nos, & quæ nonnullos, quos habemus ibidem familiares, & subditos, licèt clandestina, latere non possunt, illa Curia machinetur. Quantis viribus quot virorum, qualiter instructorum ad bella in hoc ipso vere, quod instat, omnes illos, qui modò nos opprimunt, opprimere posse speramus, etsi se nobis totus Mundus opponeret. Quidquid fideles nostri latores præsentium vobis retulerint, certè credatis, & ac si Sanctus Petrus jurasset, firmissimum reputatis. Nec vobis, petimus, videatur, quod per latam nos sententiam Papalem, nostræ magnitudinis Majestatis al quatenùs incurvetur. Habemus enim conscientiæ puritatem, ac per consequens, Deum nobiscum: cujus testimonium invocamus. Quia semper fuit nostræ intentio voluntatis, Clericos cujusque ordinis ad hoc inducere, & maximè maximos: ut tales perseverarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia primitiva? Apostolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque Clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare; & sanctitate, non armis, sibi Reges, & Principes subjugare. At isti, sæculo deditis, delitiis inebriati, Dominum postponunt; quorum ex affluentia divitiarum, & opum, omnis Religio suffocatur. Talibus ergo subtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus est charitatis. Ad hoc vos, & omnes Principes una nobiscum, ut cuncta superflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo deserviant, debetis diligentiam adhibere.

Fama Friderici diatim deterioratur.

Hæc cum ad Christianissimos Francorum, & Anglorum Reges nuntiata pervenissent, patuit luce clarius ipsis, & eorum Magnatibus, quod Fredericus libertatem, ac nobilitatem Ecclesiæ, quam ipse nunquam auxit, sed magnifici antecessores ejus malo grato suo stabilierunt, toto conamine studuit annullare; & de hæresi per idipsum se reddens suspectum, meritò omnem, quem hactenùs habebat in omni populo igniculum famæ propriæ prudentiæ, & sapientiæ, impudenter, & imprudenter extinxit atque delevit. Reges tamen memorati, quia muliebre videretur, & inhonestum, statim infestare, quem prius protexerant, non sine murmure siluerunt adhuc dissimulantes; Ac per hoc Domini Papæ conditio, meliorata respiravit.

Unum insuper omnes angebat tam Principes, quàm Prælatos vulnus angustiæ, futura pericula ratione prævia ponderantes. Eo quod etsi dignus multipliciter Fredericus deprimi, & omni honore privari, tamen si eum, Deo juvante, auctoritas

Papalis irrestaurabiliter deponeret, Romana Ecclesia, gratia Dei abutens, in posterum in tantam elationem, & intolerabilem superbiam sublevaretur, quod Principes Catholicos insontes, & justos, & praecipuè Praelatos, quavis levi causa, vel deponeret, vel deponere probrosè comminaretur, loquendoque sublimia: gloriandoque dicerent Romani, licèt à plebeja stirpe procreati: Nos ipsum maximum Dominum, & Imperatorem Fredericum conculcavimus, & quis est tu, qui nobis temerè credis resistere? Et ita provocati nobiliores, contra eos levabunt calcaneum, Deoque vindice, Auctoritas Romana poterit deperire.

Imperator Fr. contra Mediolanenses tendit.

Rex Francorum Imperatorem Papa reconciliare conatur. Anno 1146.

Fredericus Imperator purgat se à crimine hæreseos.

TEmporibus quoque sub eisdem, Fredericus, quæ nominare Imperatorem prohibet Ecclesia, ut famam suam restauraret, quàm de hæresi præcipuè læsam enormiter sentiebat, hanc Epistolam Nobilibus Angliæ, quos omnes cum Rege sperabat viriliter contra importunitates Romanæ Curiæ certaturos, duxit transmittendam.

Literæ Imperiales.

FRedericus &c. Prælatis Ecclesiarum, Comitibus, & Baronibus Nobilibus, & universis per Regnum Angliæ constitutis, quibus præsentes literæ ostensæ fuerint, devotis, & amicis suis, salutem, & omne bonum. Etsi censæ nostræ justitiam, vulgaris famæ præloquium, & regionum veridica testimonia nunciorum, ad universitatis vestræ notitiam perduxisse credamus, quia tamen segniùs irritent animum demissa per aurem, quàm quæ sunt oculis demissa fidelibus, ipsam puram, & nudam veritatem processus, quem contra nos Summi Pontifices hactenùs habuerunt, vestro conspectui præsentamus. Ad cujus inspectionem plenariam, & attentam, à tot temporibus, & diebus nostris negotiis deputatos, unum sufficiens tempus, & diem nobis affectio vestra concedat, quo si lucuerit attentè consilia vestra ritè considerent, si fuerit in Pontificibus nostris Pontificalis rectitudinis zelus: si nobis tot & tantis injuriis lacessitis, justa debeat defensio denegari: si demum Christi Vicarii, Christi vices impleverunt, & si Prædecessoris Petri successores, ejusdem imitentur exemplum. Considerent etiam quo jure censeri debeat processus hujusmodi contra nos habitus, vel quo nomine nuncupari, si dici valeat sententia, quam Judex incompetene promulgavit. Nam & si nos nostræ Catholicæ Fidei debito suggerente manifestissimè fateamur, collatam à Domino Sacrosanctæ Romanæ Sedis Antistiti, plenariam in spiritualibus potestatem, quantumcumque, quod absit, sit ipse peccator, ut quod in terre ligaverit, sit ligatum in Cœlis, quod solverit, sit solutum; nusquam tamen verum legitur divina, vel humana sibi lege concessum, quòd transferre pro libito possit Imperia, aut de puniendis temporeliter in privatione Regnorum Regibus, aut terræ Principibus judicare: cùm licèt ad eum à jure, & more majorum, consecratio nostre pertineat; non magis ad ipsum privatio, seu remotio pertinet, quàm ad quoslibet Regnorum Prælatos, qui Reges suos prout assolet, consecrant, & inungunt. Esto sine præjudicio nostro, quod habeat hujusmodi potestatem, est ne istud à plenitudine potestatis ipsius, quod nullo prorsùs ordine juris, aut omnis jure servato, animadvertere possit in quoslibet, quos asserit suæ ditioni subjectos? Processit enim contra nos nuper, ut dicitur, non per accusationis ordinem, cum nos accusator apparuisset idoneus, nec inscriptio præcessisset, & nec per denunciationem, legitimo denunciatore cessante, nec per inquisitionis modum, quam clamosa insinuatio non præcessit. Cum etiam nullorum Inquisitorum facta nobis extiterit copia, si qui forsan occultè, cum nulli fuerint per hujusmodi judicem ad inquisitionem eddicti. Asserit omnia fore notoria, quæ nos esse notoria manifestè negamus, & esse notoria, per legitimum testium numerum non probantur. Sic enim quilibet Judex posset per se, solum crimine asserendo notorium, spreto juris ordine, quemlibet condemnare. Insurrexerunt in nos in Concilio, sicut dicitur aliqui testes iniqui, vel veldè pauci, quorum unum, veluti Calmanensem Episcopum, suis, fratre videlicet, & nepote, per nos ex causa proditionis ad suspendium legitimè condemnatis, offensa rationabilis nobis reddidit odiosum, & justè propterea repellendum. Aliquos tamquam ex ultimis partibus Hispaniæ prodeuntes, Terraconensem scilicet, & Compostellanum Antistites, negotiorum Italiæ natalis ratione longinquitas in suos, & eosdem venenosæ subornationis inductio, nostræ justitiæ fecit infestos. Esto præteree, quòd legitimi fuerint subsistentibus testibus, Actor, & Judex, defuit tertius, qui vel præsens, vel contumaciter absens,

secun-

secundum justitiam debuit condemnari. Citati namque in prædicatione sua Lugduni, sicut audivimus, licèt prorsus informiter, videlicet, ipsi citanti, & aliis nullis aliorum omninò personis, aut causis expressis, facturi justitiam debemus per nos, vel responsales idoneos comparare t præsentes procerto non fuimus, sed ex justis causis absentes, ad quarum allegationem admissi responsales nostri legitimi non fuerunt, nec absentes contumaciter fuimus cum, præter id, quod nulli fuerit citatio, ut est dictum, peremptorium terminum prout ordo juris expostulat, citatio non haberet prout citationis forma Principibus, & Prælatis missa per literas evidenter ostendit contumaciam nostram. Præterea Magistri Thaddei de Suessa, Magnæ Curiæ nostræ Judicis dilecti fidelis nostri procurationis, plenum mandatum excusat, cujus auctoritas ex eo quod contra nos, non ex civilibus, sed ex criminalibus sit processum, ad quæ frustra Procurator intervenit, nullatenus enervatur, cum ipsius citationis tenor, quæ nos aut procuratores nostros exigit, manifestè contrarium dedisset intelligi. Videlicet, quod contra nos non criminaliter, sed tantum civiliter fuisset agendum; prædictis etiam omnibus, absque nostræ justitiæ præjudicio, circumscriptos. Dato quod manifestè fuerimus contumaces, non est ista legitima contumaciæ pœna, quod delatus, aut accusatus, & contumax per diffinitivam sententiam ante cæptum ritè judicium, privato vel publico judicio nullo à sua causa discussa, debeat condemnari. Sunt enim in talibus aliæ contumacium pœnę, Civilibus legibus, & Canonicis introductæ. Denique posito, quod omnia prædicta juris præsidia, licèt irrefragabilia, causæ nostræ deficiant; ipsius pronunciationis tenor ipsam sententiam nullam ostendit, per quam, non procurator noster præsens, sed nos absentes extitimus condemnati, quam ipso jure nullam esse sententiam, leges, & jura quęlibet manifestè declarant. Evidentem quoque processus, & procedentis iniquitatem causæ denotant, quas in sententia comprehendit, à quibus nos incorruptibilis veritas, & publica munimenta defendunt: prout seriatim hæc fida relatio latoris præsentium, ipsorum munimentorum tenor manifestissimè profitetur, quamquam ad tam diræ penè sententiam, si tamen sententia dici potest, quæ contra nos præcipitata dignoscitur, contra Romanum Principem, omnia prædicta, & singula minimè suffecissent. Manifestum namque præcipitium, & ex præconcepto jam dudum animi fervore fuisse dignoscitur in prædictis, dum venerabilem Frissegenum Episcopum dilectum Principem, Fratrem H. Magistrum domus Hospitalis Theuthonicorum, etiam Magistrum P. de Vinea, Magnæ Curiæ nostræ Judicem; dilectos fideles nostros, quos ultimo pro omnimoda consummatione tractatæ p cis ad Concilium miseramus, saltem per triduum Summus Pontifex noluit pręstolari. Nam expectato etiam Magistro Walterio de Ocra, Cappellano, Notario, & fideli nostro, qui de conniventia Summi Pontificis, & quorumdam de Fratribus ad nos missus, per viginti dies expectari debuit. Hoc fuit solummodo per biduum, quo tempore prædicti processio iniqui Lugduno distabat, ad multam Nobilium, & quamplurium Prælatorum instantiam expectatus. Apparet nihilominùs animosa nimis, & ampullosa non minùs, ex ipsius afflictæ pœnæ severitatis sententia, per quam Imperator Romanus, Imperialis Rector, & Dominus læsæ Majestatis crimine dicitur condemnatus: per quam ridiculosè subjicitur legi, qui legibus omnibus Imperialiter est solutus, à quo temporales pœnæ sumendæ, cum temporalem hominem superiorem non habeat, non sunt in homine, sed in Deo. Spirituales autem pœnas, per Sacerdotales nobis pœnitentias indicendas, tam pro contemptu clavium, quàm pro aliis transgressionibus humanæ peccatis, ne dum à Summo Pontifice (quem in spiritualibus Patrem nostrum, & Dominum profitemur, si tamen nos filium debita relatione cognoscat) sed per quemlibet Sacerdotem reverenter accipimus, & devotè servamus, ex quibus omnibus manifestè liquet, quod potiùs ignominiosè, quàm justè habendos nos dixerit à Catholica Fide suspectos, quam nos teste supremo Judice in omnibus, & singulis, ejusdem articulis secundum universalem Ecclesiæ disciplinam, & approbationem per Romanam Ecclesiam, & Symbolum, firmiter credimus, & profitemur simpliciter. Advertat igitur industria vestra, si prædicta nulla sententia ipso jure, nullus ipso jure processus, non magis in nostram, quam in omnium Regum & Principum, ac quamlibet temporalium dignitatum perniciem debeat observari, quam nulla nostrorum Germaniæ Principum, à quibus assumptio, & depressio nostra dependent, præsentia, vel consilia firmaverunt. Advertat, & aliud, qualis ex istis initiis exitus expectetur. A nobis incipitur, sed pro certo noveritis, quod in aliis Regibus, & Principibus finietur, à quibus publicè gloriantur resistentiam aliquam minimè formidare, si, quod absit, posset nostra potentia primitùs conculcari. Reges, igitur, vestri justitiam, in causa nostra defendite. Suis, & eorum hæredibus providete. Nec nos illud omittemus,

quin

quin fidei regalis constantiam ex affinitatis fœdere, ad præsens fiducialiter requiramus. Ut nedum adversario nostro, & nuntiis, aut legatis ipsius occultè, vel publicè faveat, quin potiùs nobis toto posse assistat viriliter, & potenter, nullum omninò nuntium, aut Legatum populo suæ Jurisdictioni subjecto in nostra dispendia convertere molientem, aliquatenùs admittere debeat. Pro certo sciturì, quod per nos, in quibus incohata est tantæ temeritatis audacia, quod ad privationem nostri velut cujuslibet Sacerdotis Pontificalis auctoritas, officium suæ jurisdictionis extendit, taliter assistente nostris auxiliis dextra Regis Regum, quæ semper justitiam comitatur, istis principiis occurretur, dummodò se nobis illorum potentia non opponat, scilicet Regum, & Principum, quos communiter causa nostra contigit, & quorum non minùs vertitur interesse, quam nostrum, quod vobis, & aliis Orbis terræ Nobilibus causam justi timoris in talibus, nostra defensio non derelinquet. Inviti tamen hoc facimus, teste Deo. Sed necessariò provocati, velut qui peste multiplici Christianitatem nostris temporibus videmus attritam. Ad cujus auxilium una vobiscum, prout etiam nuperrimè Regiæ magnificentiæ scripsimus, toti intendere viribus sperabamus. Requirat autem de manu ejus hoc Dominus, qui tanto discrimini, quod toti ferè Reipublicæ Christianæ minatur excidium, materiam subministrat. Ad hoc, quicquid Hugo Kabuche, miles dilectus, nuntius, & fidelis noster, vobis super præmissis ex parte nostra dixerit, tamquam personæ nostræ indubitanter credat dilectio vestra specialis. Datum Taurini pridie Augusti III. Indictione.

Principum corda avertuntur à Papa.

Papa procurat Landegravium Duringiæ in Imperatorem eligi.

Imperator mittit filium suum C. contra novam electionem imperatorem.

Fredericus Imperator laqueos conjuratorum evasit, detecta proditione.

Fridericus cogit Apulos, Siculos, & Calabres, homagium facere filio suo Henrico ex Isabella nato.
Anno 1247.

Cum verò horum temporum curricula volverentur, suspectæ memoriæ Fredericus, quem Imperatorem nominare, vel dicere prohibemur, fecit omnes Apulos, Siculos, & Calabres facere homagium ligium dilectissimo filio suo Henrico; quod de gremio, sibi charissimæ Imperatricis Isabellæ, sororis videlicet Domini Regis Angliæ, susceperat ad robur Imperii, & munimen. Quod audiens idem Dominus Rex, dicti pueri avunculus, vehementer, nec immeritò, lætabatur. Audiens autem Fredericus, quod in læsionem famæ suæ, & status, dicti Legati per diversa Mundi climata mitterentur, significavit Hensio filio suo, Regi scilicet Sardiniæ: ut Januensibus, præcipuè Domini Papæ consanguineis, affinibus, & amicis, etiam mortis præpararet insidias. Quod & ipse efficaciter adimplere procuravit, ne patri inobediens videretur. Unde quendam Domino Papæ propinquum, quem inter omnes sibi propinquos, licèt universos supra modum dilexisset, magis dilexit; hostiliter cepit, & suspendit. Quod cum audisset Dominus Papa, iram iræ, & odium odio stomacatus coacervans, ipsum Fredericum cum filio suo memorato, tanti mali machinatorem, die Parasceves adeò horribiliter excommunicavit; ut audientibus, & videntibus horrorem incusserit vehementem, quod cum audisset Fredericus, infremuit, & ait; sic fecerunt Judæi, qui Christum Crucifixum, & mortuum in Cruce, lancea vulnerarunt.

Fredericus, & ejus filius Conradus ducunt uxores. Anno 1248.

Eodem quoque anno, Fredericus, ut partem suam in concepto contra Papam certamine roboraret, & roboratam magis solidaret, quibusdam Principibus confœderatus, in uxorem duxit quandam mulierem thesauris opulentam, specie placentem, genere præclaram: filius etiam ejus simili tractus intentione, filiam Ducis Bavariæ, sibi matrimonio copulavit. Quod cum comperisset Archiepiscopus Coloniensis, & qui partem novi electi in Regem Alemanniæ tenebant, instabant solito diligentius, ut idem electus Willelmus apud Aquisgranum in Regem plenè, & solemniter coronaretur. Sed opponente repagula contradictionis Frederico cum filio suo Conrado, obturatos, & penitus præclusus est illi aditus Civitatis. Archiepiscopus igitur Coloniensis, & Legatus, additis sibi innumerabilibus Prælatis, & Nobilibus, qui Ecclesiæ favebant (quorum maxima pars per Prædicatores, & Minores Crucesignata est) Civitatem Aquisgrani cum instantia maxima obsederunt. Ubi crebro in hos, & illos conferto conflictu vario multi in ore gladii ceciderunt. Et continuata est obsidio cruenta nimis, & damnosa utrobique; augebatur tamen quotidie numerus obsidentium, ad instar flu-

 minis

minis, quod ex torrentibus suscipit incrementum. Confortabat interim obsessos frequenter missa Epistola Frederici, & filii ejus Conradi, ne deficerent fatigati, futura enim erat in proximo, ut asserebant, magnifica eorum liberationis consolatio.

Conradus F. filius fugit ad patrem.

Imperator graviter diffamatur.
Anno 1249.

Invectiva Epistola Cardinalis Remerii in imperatorem F.

Imperator F. lætiferam potionem evadit.

EOdemque anno, Fredericus diversis arduis causis undique exagitatus, qui extra montes venerat, ut Dominum Papam invaderet, rediit in Angliam, ut dicitur potionatus; Qui cum graviter infirmaretur, consilium habuit à suis Physicis ut purgationem medicinalem, & postea quoddam Balneum, ad hoc specialiter præparatum, acciperet. Habuit autem Magister Petrus de Vinea, qui ipsius Frederici familiarissimus Consiliarius, & singularis animæ illius Custos fuerat, quendam Physicum secum, qui ex præcepto tam Frederici, quam ipsius Petri, ad purgationem dictam necessaria præparaturus, subdolus accessit: de consilio enim ipsius Petri, venenum lætiferum, & efficax valdè potioni immiscuit, & balneo, ut Dominum suum in ipsa perimerent confidentem. Ecclesiæ autem inimici dixerunt, quod Dominus Papa ad hoc facinus cor Petri enervando muneribus, & pollicitis maximis inclinarat. Fredericus verò super hoc scelere per aliquem amicorum suorum in ipsa hora, qua sumendus fuit potus ille prætaxatus, secretiùs præmonitus, & pleniùs edoctus, Physico potionem ostendenti, & Petro, ait: Amici, confidit in vobis anima mea; Caveatis supplico, ne mihi in vobis confidenti virus pro medicina porrigatis. Cui Petrus: ò Domine mi, pluries dedit iste meus Physicus salutarem vobis potionem, quare modo formidatis? Fredericus autem ostendenti scyphum Physico dixit, torvo tamen aspectu, & posita à tergo custodia, ne evadere possent proditores: Propina mihi potum dimidiando. Physicus igitur obstupefactus, & sibi conscius de scelere, simulans offendiculum pedibus lapsum fecisse, corruit in faciem suam, & venenum effudit pro majori parte. Minimam autem, quæ supererat partem, damnatis quibusdam jussit extractis de carcere dare, & statim miseras animas exhalarunt. Certificatus igitur de proditione lætifera sibi præparata jussit Physicum suspendi, & meritò Petrum excoculatum per multas Italiæ, & Apuliæ Civitates fecit adduci ut in propatulo coram omnibus, conceptum facinus confiteretur. Tandem jussit idem F. ut Pisani, qui ipsum Petrum inexorabiliter oderant, præsentaretur perimendus. Quòd cùm audiret Petrus, ne arbitrio hostium moreretur, quia ut dicit Seneca: Arbitrio hostis mori, est bis mori: ad columnam, ad quam alligatus fuerat, caput fortiter allidens, se ipsum excerebravit.

Lamentatio Frederici.

FRedericus igitur ad se reversus, cœpit inconsolabiliter dolere, & ubertimè, atque amarissimè lachrymari, & exitus aquarum deducebant oculi ejus. Quod erat miserabile videre in homine tantæ auctoritatis, & ætatis, & lamentando contorquens digitos, ait: Væ mihi, contra quem propria pugnant viscera: Petrus quam petram credideram, & dimidium animæ meæ, mihi mortis insidia præparavit. Ecce Dominus Papa, quem Imperium sub magnificis antecessoribus meis de nullo creavit, & ditavit, illud molitur exterminare, & in me ipsius Imperii titubantis rectorem, interitum machinatur. In quem confidam? ubi tutus, ubi lætus esse possum de cætero? Et condoluerunt circumsedentes amici ejus, usque ad suspiria, & lachrymarum effusionem. Et absorduit Domini Papæ fama per hoc non mediocriter. Veritatem tamen novit Deus, secretorum perscrutator infallibilis.

Ensius prædictus à Bononiensibus capitur.

Mortuo alio filio Fredericus infirmatur.

EOdemque tempore mortuus est quidam alius Frederici filius naturalis in Apulia. Ipsemet etiam Fredericus percussus est morbo, qui dicitur Lugdus, vel Sacer ignis, unde tot oppressus adversitatibus inconsolabiliter doluit. Unde humiliatus secundùm illud Davidicum: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine: obtulit honestam pacis formam Domino Papæ. Sed Papa lætificatus de adversitatibus suis noluit, quæ obtulit acceptare: unde multorum incurrit indignationem, & rancorem Nobilium, qui cœperunt ipsum Fredericum consolari, & eidem adhærere, & superbiam servi servorum Dei detestari.

Mors Frederici Imperatoris.
Anno 1250.

OBiit autem circa eadem tempora Principum Mundi maximus Fredericus.

cus, stupor quoque Mundi, & immutator mirabilis absolutus à sententia, qua inenodabatur, assumpto, ut dicitur, habitu Cisterciensium, & mirificè compunctus, & humiliatus. Obijt autem die Sanctæ Luciæ, ut non videretur ea die Terræ motus sine significatione, & inaniter evenisse. Quo sublato, exsufflata est spes Francorum, de succursu sui Regis. Condidit autem nobile testamentum, quo Ecclesiæ per ipsum damnificatæ restaurarentur. Celata autem fuit mors ejus per aliquot dies, ne hostes ejus citò exultareat. Sed die Sancti Stephani facta est in publico manifesta, & renunciata in populo. Testamentum ejus nobilissimum scribitur in libro Additamentorum.

XXV. quinquagenæ consummatæ à tempore gratiæ.

COmpleto igitur hoc anno, jam fluxerunt de tempore gratiæ vigintiquinque quinquagenæ annorum, idest, mille, ducenti, & quinquaginta. Notandum autem est, & non leviter attendendum, quod in nulla illarum quinquagenarum, scilicet xxiiij. sicut in ista ultima vigesimaquinta, tot mirabilia, & insolitæ novitates evenerent, ut in ultima. Et sunt quidam, & multi historiarum Scriptores, & diligentes inspectores, qui dicunt, quod nec in omnibus aliis quinquagenis visa sunt tot prodigia, & novitates admirandæ, sicut in hac jam terminata. Et his tamen majora cum formidine expectantur.

Mirabilia ultima quinquagena. Anno 1251.

HIc terminantur Fratris Matthæi Pariensis, Monachi Sancti Albani Chronica, quæ pro utilitate posteritatis subsequuturæ, Dei pro amore, & Beati Albani Anglorum Protomartyris honore, ne memoriam eventuum modernorum vetustas, aut oblivio deleat, literis commendavit.

Captivi Imperatoris cautius custodiuntur.

TEmpore quoque sub eodem, tres vel quatuor de quolibet Civitate Italiæ, & aliqui de Civitatibus Apuliæ Cives, Frederico adversantes, & filio ejus, qui in carcere Friderici detinebantur (quos omnes proditores suos, & rebelles vocare consueverat) mortuo Frederico, filius ejus Conradus, & hoc de consilio Patris, ad ulteriora terræ suæ transmisit videlicet Neapolim, & Palermum in Sicilia, ut ibidem tutiùs, & cautiùs custodirentur. Aliqui tamen captivorum dati sunt Henrico filio suo, nepoti scilicet Domini Regis Angliæ, quos tradidit Conrado custodiendos. Inter quos incarceratos fuit filius Marchisi Montis-Ferrati, qui commutabilis fuit pro Ensio filio Frederici, quem Bononienses adhuc in vinculis detinebant, & cum inde tractatus haberetur mora Frederici effectum finale interemit.

Filii, & Amici Imperatoris F. insurgunt contra Papam.

CÆperunt igitur filii, & amici Frederici roborari, & roborati contra Dominum Papam calcaneum levare, & sic amputato uno capite instar Hydræ, quam Hercules occidisse dicitur, multa capita succreverunt. Erat autem Conradus, quia filius fuit filiæ Regis Hierusalem, Johannis militis invictissimi, & ipse Conradus miles strenuissimus, omnibus de Imperio amabilis, ac formidabilis. Et Henricus frater ejus, quia filius fuit Imperatricis Isabellæ, quæ omnibus extitit amabilis, & nepos Christianissimi Regis Angliæ inisuper puer elegantissimus, universis Imperialibus gratus extitit, & gratiosus. Papa verò tum propter sui, tum propter generis aviditatem, omnibus Imperialibus extitit odiosus. Unde Ecclesia multiplicatis persequutoribus, non mediocriter periclitabatur, damna multiformia tolerando. Eratque præteritorum infortuniorum recordatio, quasi spina in oculo, omnibus Papæ consentientibus. Henricus enim Raspe, Landegravius Duringiæ, quem Papa proposuerat in Imperatorem sublimare, & pro ejus promotione infinitam effuderat pecuniam, periit in mortem ignominiosam præcipitatus. Post mortem cujus in loco ejusdem, Henricus electus est Comes Gelrensis, sed mortem probrosam prioris considerans, recusavit sic sublimari. Post hunc Dux Brabantiæ, qui & Lotharingiæ, sed & ipse penitus refutavit. Post hunc verò Comes Richardus, qui vafer, & abundans nunismate, & quia frater Regis Angliæ, renuit, quia ambigua sunt Martis pericula, & præcisè contradixit. Post quem elegit Dominus Papa Willelmum Hollandiæ Comitem. Qui temerè consensit, & jam omnibus amissis ad suam terram, & non jam suam, quia fratri suo eam donaverat, repulsus est, unde muscipulas, & promissiones Papales detestans, mendicare cogebatur. Post hos autem omnes, voluit Dominus Papa loco Friderici, Haconem Regem Norvergiæ, in culmen Imperii subrogare. Unde et aptiorem, & favorabiliorem ad hoc ipsum haberet, ipsum in Regem fecit consacratum coronari. Sed postquam coronatus fuit pro-

protestatus est palam, se semper velle Ecclesiæ inimicos, sed non omnes Papæ inimicos impugnare. Et hoc idem protestatus est idem Rex mihi ipsi Matthæo, qui & hæc scripsi, sub magni juramenti attestatione; Unde Ecclesiæ pericula undique quotidiè proruperunt.

Certificantur Occidentales de morte Imperatoris Frederici.

COmplatis autem eodem anno diebus Natalitiis, & imminente festo Purificationis Beatæ Mariæ, increbruit rumor per partes Occidentales de morte Frederici, quondam Romanorum Imperatoris, quod scilicet die Sanctæ Luciæ Virginis morbo percussus irremediabili, die Sancti Stephani obierit. Qui, ut dicitur, videns mortem suam indubitanter imminere, contritus pro peccatis suis confessionem fecit plenissimam cum lachrymarum ubertate, se Deo commendans, & Ordinem Cisterciensium ante mortem, ut nobis suorum fidelium patefecit certa relatio, humiliter, ac devotè suscepit. Et quia mors in foribus erat, quidam Episcopus ex parte Dei, qui neminem in se credentem vult perire, ipsum satisfactionem promittentem absolvit.

Testamentum Imperatoris Frederici.

AB alto igitur suspirans pectore, & asserens se malle nunquam fuisse natum, vel habenas Imperii suscepisse, pro cujus juribus recuperandis, & substinendis, tot & tantis fuerat inebriatos amaritudinibus, tale dicitur condidisse testamentum. Ego Fredericus in primis relinquo pro anima mea centum millia uncias auri pro Terra Sancta, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ recuperanda, expendenda, & exponenda, ad voluntatem filii mei Conradi. Item volo, quod omnia mala ablata restituantur. Item, omnes captivos de Imperio, & Regno relinquo liberos, exceptis proditoribus tantùm. Item relinquo totam Terram Ecclesiæ liberam, & volo, quod Jura Ecclesiæ restituantur. Item meum hęredem relinquo, Conradum in Imperio Romano, & Regno Siciliæ. Item relinquo filio meo Henrico, Regnum Hierosolymitanum, & decem millia unciarum, secundum voluntatem Conradi filii mei. Item, nepoti meo, filio scilicet filii mei Henrici, relinquo Ducatum Austriæ, & decem millia unciarum auri. Item, Manfredum filium meum relinquo Ballivum Conradi in Imperium, à Papia, & citra, & Regno Siciliæ, usque ad LXX. annos, excepto quando Conradus erit presens. Item, sepulturam meam eligo, apud Panormum, ubi jacuit Rex Willelmus. Hæc & alia multa continet dictum testamentum, quorum non recordor, quia minùs fuerunt notabilia. Amicia autem suis, & aliis filiis suis, & Ministris, multa distribuit in auro præcipuè, & argento. Et credibile fuit, quia eodem anno venerant ad eum duodecim cameli onusti auro, & argento, de partibus Orientalibus. Erat enim omnibus Soldanis Orientis particeps in mercimoniis institoriis, & amicissimus, itaut usque ad Indos sui currebant ad commodum suum, tam par mare, quàm per terra institores.

Pax inter Papam, & Fredericales impedita. Anno 1251.

Invidia Siculorum in Henricum Frederici filium. Anno 1254.

PEr idem tempus, cùm Henricus filius Frederici, & Imperatricis Isabellæ sororis Domini Regis Angliæ, in flore suæ vernaret juventutis, & persuadente ingenii sanguinis nobilitate, Anglos diligeret, & pro posse promoveret, audientes hoc Siculi, & Apuli intra se dixerunt: Quis putas puer iste erit? A stirpe utique oriundus est Anglorum Regis. Si, ut cœperit, prosperetur nos omnes superabit, & superatos subpeditabit. Audieruntque, quòd Papa concesserat Regnum eorum Comiti Richardo, avunculo Adolescentis Henrici, unde supra quam dici potest indignantes, intu noerunt contra Papam, & contra insontem juvenem. Et ut eis moris est, eum potionare cogitabant, ut supra dicitur.

Papa obtulit Regnum Siciliæ Regi Anglorum. Anno 1254.

DIebus sub eisdem cum Magister Albertus ad Curiam Romanam perveniens, nuntiasset Papæ, quod nullo modo poterat Comitem Richardum flectere ad consensum, ut Regnum Siciliæ, & Apuliæ sibi oblatum vellet recipere, & seipsum & omnia sua ambiguis casibus exponere, nisi primo Papa sibi de suo genere optimos præstaret, obsides, de securitate fidelitatis. Et præterea, juvaret eum de aliqua quantitate pecuniæ in negotio Martio illo exponendæ. Et insuper traderet ei quędam Castra, quæ Papa in confiniis habebat, ut secura sibi inveniret receptacula. Papa autem hoc videns sibi esse difficile, respondit. Nolumus tot subjacere conditionibus. Cui Magister Albertus: Comes mihi dixit, si sic non feceris, ut prælibatum est, idem est, ac si quis diceret: vendo, vel do tibi Lunam, ascende, & apprehende eam. At Papa considerans suam

suam in dicto Comite admonitionem non valere, subjunxit. Non curamus, cum ipso confœderari, vel aliquid commune habere. Cum igitur certificaretur Papa, quod frustra jecisset rete ante oculos pennatorum, missis secretis nunciis ad Dominum Regem Angliæ, ut simplicitatem ejus circumveniret (quoniam sciebat semper ad damna propria pronum, & credulum) obtulit, & concessit ei Regnum Siciliæ, & Apuliæ: & ad hoc adquirendum, juvamen pręstaret tale, quale poterat sine aliquo gravamine. Retorqueret enim omnes Crucesignatos à principali eorum proposito, videlicet ne transfretarent in Terram Sanctam, sed omnes communiter Regem Angliæ sequerentur, & juvarent Siciliam, & Apuliam adepturum. Unde hoc audientes Templarii, & Hospitalarii, Patriarcha Hierosolymitanus, & omnes Sanctæ Terræ Prælati, & incolæ, qui hostibus Christi opponuntur, & jam pejora formidabant, usque ad mortem doluerunt, Romanas fallacias detestantes. Rex autem de promisso Papali umbratili adeò exhilaratus est, & adeò dilatatum est cor suum inani gaudio, quod voce gestu, & risu exultationem protestans, filium suum Edmundum Regem Siciliæ palam vocaret, credens pro facto se jam de ipso Regno subarratum. Nuntius verò Papalis instillavit auribus ejus, ne hoc arcanum divulgaret, ne videlicet ad notitiam amicorum suorum, qui pedicas Romanas cognoverant, perveniret, & sic pręmuniretur. Rex igitur quicquid de Thesauro suo, quicquid de Saccario, quicquid mutuò potuit à fratre suo Comite Richardo recipere, quidque poterat à Judęis abradere, quidquid que de rapinis Justitiariorum itinerantium valuit extorquere, misit Papæ, ut Conradum impugnaret, & omnes suos Siculos, & Apulos expugnaret. Conradus autem doluit, quod Rex Angliæ in retiacula Romanæ Curiæ cecidisset: & grates retulit Comiti Richardo, quod se non permiserit irretiri. Significans ei quod sapienter fecisset, quod non confisus in verbis Papalibus, & pecuniæ thesauris, se à temeraria præsumptione retraxisset prudenter: quia ubi Comes habuit unum argentaum, Rex Conradus unum aureum poterat invenire exponendum. Papa autem pecuniarum multitudine saginatus, erectus est in confidentiam. Et in infinitum, quem congregavit exercitum de conductitiis stipendiariis, ducatui, & regimini Octaviani Cardinalis commisit, & copiosè sterlingos distribuit, & cum defecissent, significavit Regi, quod defuit illi pecunia. Rex autem, instinctu Diaboli, & avaritiæ, rescribens Papæ mittebat ei literas patentes obligatorias, Regio sigillo consignatas, ut sufficientar Imò abundanter, mutuo caperet à Mercatoribus Italicis. Nec timeret thesauri quantitatem, vel usurarum multitudinem, ipse enim omnia plenè adquietaret, & se ad hoc obligavit sub pœna exhæredationis. Papa autem his omnibus consentiens hoc mandatum acceptavit: si benè fecerit, judicet Judex omnium judiciorum Dominus, cui cura est de omnibus, non autem meum est facta Papalia judicare. Fecit igitur quasi edicto Imperiali, vel Regali publicè acclamari, ut omnes, qui desiderabant optima stipendia recipere, venirent ad Papalem exercitum. Habebat enim jam, quoniam mutuò receperat, ab usurariis Italicis, thesaurum inæstimabilem. Confluebat igitur ad stipendia Papalia, Italicorum ignobilium multitudo copiosa. Qui desides, & imbelles, necnon & infideles, nulli Domini Regis Angliæ, vel etiam Papali commodo, sed tantùm denariis deglutiendis intendebant, prout rei exitus comprobavit.

Conradus Rex Siciliæ moritur.

REx igitur Conradus, potenter se opponens, exhortatus est suos naturales commilitones, & indignas Regionum illarum, ut stent viriliter, & pugnent pro patria sua, nec colla subdant Dominis alienis: & exercitum Papalem diatim diminuit, & enervavit. Sed amor denariorum Anglicorum hostium multitudinem gravavit. Papa enim bursæ Regis minimè pepercit, & infinitam pecuniam consumpsit, cupiens Regem Siculorum expugnare, & Regem Angliæ in prædictum dominium subrogare. Omnes tamen voluit à Corona commovere, & solum Edmundum creare, ut de ipso, & his quæ ipsius forent, tamquam de creatura sua, secundùm sui arbitrii faceret voluntatem. Interim Papa non mediocriter diffamavit Regem Conradum, imponens ei enormia crimina, scilicet cædem fratris sui Henrici, ut sic provocaret Regem Anglorum, & omnes Anglos contra eum, & quod contemptor extitit clavium Ecclesiæ, & multa alia, quæ non oportet recitare, scripta autem sunt in libro Additamentorum, & in hoc prętactu. Rex igitur Conradus, irruptiones hostilas, comminationes, opprobria Papæ sustinens, & diffamationes cæpit supramodum contristari, & gravi dolore cępit contabescere, & lęthali lecto decumbere, dicebatque: Væ mihi misero, væ væ mihi misero, ut quid me fudit mater mea à gremio? ut quid pater meus me genuit, tot ærumnis exponendum? Ecclesia quæ mater patri meo, & mihi esse debuit, potiùs novercatur. Imperium, quod ante

 Chri-

Christi nativitatem usque nunc floruit, modò marcescit, & datur lethez oblivioni. Maledicens ergo diei nativitatis suæ, miseram, & afflictam animam exhalavit.

Exultat Papa de morte Conradi Regis.

QUo audito, Papa de morte ejus certificatus, cum magno cordis jubilo, oris risu, & vocis exultatione, ait: gaudeo planè, & gaudeamus universi Ecclesiæ Romanæ alumni, quia jam sublati sunt de medio duo maximi inimici nostri: Unus Ecclesiasticus, alter Secularis; Episcopus Lincolniensis Robertus, & Rex Sicalorum Conradus. Obiit autem memoratus Rex Conradus mense Junii. Et illicò Papa ad ulteriores partes Apuliæ se transferens, totum ferè Regnum illud sibi subdidit in brevi, & usurpavit. Quod videntes optimates illius Regionis, quæ quondam Ducatus extitit, indignati sunt vehementer. Et suscitantes quendam filium Frederici naturalem nomine Manfredum, adhæserunt ei, facientes ei homagium tamquam Domino, & ligantiam. Et factus est error novissimus pejor priore. Et insurrexerunt Papæ hostes redivivi.

Papalis exercitus conteritur.

PEr idem tempus Papa Alexander vestigiis prædecessoris Innocentii inhærendo, in negotio Regni Siciliæ, & Apuliæ prosequendo, Octavianum Cardinalem destinavit cum maximo exercitu, scilicet sexaginta millium armatorum; ad funditus destruendam Civitatem Nucheram, cum Manfredo ibi latitante, & omnibus ipsam Civitatem inhabitantibus. Erant autem infideles in ipsa pluîquam sexaginta millia Saracenorum; quos Imperator Fredericus convocaverat dubiis bellorum casibus exponendos, & ipsam Civitatem eis concesserat inhabitandam. Quæ tunc sinum pandebit refugii Manfredo, & quibusdam aliis Fredericalibus. Cùm igitur Octavianus dispositis agminibus simul cum quodam ingenioso, & potente bellatore Marchisio, (de cujus consilio, & adjutorio totus exercitus Papalis confidebat) spem nactus indubitatam, ut omnia ad votum obtinerent Papa, & Octavianus, & eorum invincibilis, quem haberent; exercitus, cum ad Civitatem ferè pervenirent, ita ut paucis distarent milliaribus, irruit terror, & formido super hos, & illos, ita ut non auderent Cives exire hostiliter contra adventantes, nec advenientes Cives, aut Civitatem impetere. Et sic hinc inde per multos dies expectantes, moram inutilem protraxerunt. Erat autem exercitus Papalis numerosus valdè, & formidabilis; larga suscipiens de clitellis Angliæ Regis quotidiana stipendia, & expectans ex promissionibus Papalibus ampliora. Sic enim dictaverat Papa Innocentius jam defunctus, & disposuerat: hæc enim omnia ab ipso habent exordium, & à Cardinalibus prosequntionem. Cum igitur sic hinc & inde moram per multum temporis continuassent infructuosam, accessit ille proditor Marchisius, qui & habebat in ipso exercitu sequelam copiosam, & dixit Octaviano: Domine, ut quid hìc tam diù stamus otiosi? consumimus thesaurum infinitum. Recedat tertia pars. Non enim audebunt exire de Civitate Manfredus, aut exercitus ejus. Sunt enim quasi obsessi, & inclusi. Et sufficit gens minima ad eorum terrorem, & repressionem. Cumque nec adhuc exirent Cives, iterum dictus Marchisius exercitum Papalem mutilavit, ita quod vix decem, vel duodecim millia armatorum remanerent cum eisdem. Una igitur noctium idem Marchisio raptus equo velocissimo, venit ad Civitatem Nucheram, & affatus Manfredum dixit: O amice charissime, datum est tibi intelligi, quod tibi nocui, & nocere sum paratus. Miror te velle talibus sibilis aurem inclinare, aut fidem quomodolibet adhibere. Novit industria vestra quidem, quàm fideliter patri tuo Imperatori Frederico servitia in ambiguis casibus impenderim. Et quomodo possem prolem prosequi tam dilecti Domini, tam reverendi genitoris? Jam jam profectò meam erga te diù conceptam experieria devotionem, & fidelitatem. Diminutus est inflictu meo, Papalis exercitus. Et vix cum Octaviano decem millia pugnatorum, quorum potior pars mea est, remanserunt. Tolle moram. Illicò se arment vestri universi fideles quotquot sunt in Civitate, & me previum sequantur pedetentim. Tu etenim ipsum Octavianum, & suos ad votum occupabis. Exiit igitur Manfredus, & omnes Cives cum eo, & ejus fideles, & familiares omnes ad unguem armati. Et maximum constantes exercitum, festinanter quasi turbo rapidæ tempestatis, exercitui Papali appropinquaverunt. Et cum occupasse quasi aviculas irretitas credidissent universos, ecce Octavianus per aliquem amicum præcordialem in ipsa præmonitus hora, vix elapsus evasit; cæteris omnibus preter Marchisii familiam dissipatis, captis, vel trucidatis. Et sic triumphans ad votum Manfredus, cœpit de die in diem, postea in magnam Ecclesiæ confusionem prosperari. Dominus autem Papa hoc audito, & tota Romana Ecclesia incomparabilem dolorem induit, & confusionem: maximè cum promisisset Ecclesia Regnum Siciliæ, & Apuliæ Domino Regi Angliæ ad opus filii sui Ed-

mun-

mundi. Cui etiam annulum investituræ per Episcopum transmiserat Bononiensem: & Thesaurum Regium in totius Angliæ exterminium irrestaurabile, projecerant in abyssum. Episcopus autem, qui jam montes transierat Angliam adhire festinavit, sciens quod exhilarans Regem opima munera reportaret. Verumtamen hujus infortunii penitus ignarus prænotati, fucatæ exultationis, & inanis gaudii flatibus efferebatur.

Edmundus filius Regis Angliæ investitur Regno Siciliæ. Anno 1255.

POst festum verò S. Lucæ, edicto Regio convocata convenit Magnatum numerosa multitudo. Venerat autem illuc ad Regem Episcopus Romaniæ, ex parte Papæ; qui apportans secum annulum, vice ejusdem Papæ contulit ipsum annulum Edmundo filio Regis, investiens eum sic solemniter de Regno Siciliæ, & Apuliæ. Unde elevatum est cor Regis in sublime, & exultavit, tamquam jam receptis Siculorum, & Apulorum omnium homagiis, Civitatibus, & Castris, in Regem coronaretur. Et in propatulo Rex pater vocavit filium suum Edmondum Regem Siciliæ. Nesciebat autem, ut creditur, memoratus Episcopus, quòd contrita fuit Papalis expeditio, & effusus totaliter thesaurus Regis Anglorum, insuper alieno ære terribiliter obligabatur: & si fortè sciret, hoc autem dissimulavit, ne munera perderet sibi præparata. Hoc autem profectò Regem latuit, & Magnates. Episcopus autem antequam rei veritas in Anglia sciretur, pretiosis ornatus muneribus illicò repatriavit. Rex autem nimis properè coram optimatibus ad altare prosiliens, confisus nimis de Papali adjutorio, juravit transitum in Apuliam per S. Eduardum, de uno tantum habens sollicitudinem scilicet, qualiter transiret in pace cum exercitu suo, & thesauro Regnum Francorum. Unde statim cogitavit, quem ad hoc impetrandum ad Regem Francorum, destinaret. Cogitavit insuper consequenter jura sua ultra marina imperiosè reposcere ab eodem, & potenter readquirere. Quia inter Apuliam, & Angliam, foret quasi inter duas molas Francia conterenda, Misitque illuc Dominum Johannem Mansel: sed hoc postea suo tempore dicetur.

M. Rustandus à Papa destinatus venit in Angliam.

CIrca dies eosdem, Dominus Papa Alexander destinavit ad partes Anglicanas, Magistrum Rustandum Legistam, natione Gasconiensem, Subdiaconum suum, dans Domino Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Herefordensi, & eidem Rustando potestatem colligendi decimam de Anglia, de Scotia, & de Hybernia, ad opus Domini Papæ, vel Regis indifferenter, non obstantibus aliquibus literis indulgentiis priùs directis, sub quacumque forma verborum, vel etiam causa, pro qua concessa fuit, vel omni quod intelligi possit obstaculo. Dedit etiam eisdem Dominus Papa potestatem, absolvendi Dominum Regem Crucesignatum à voto suo, ne iret in terram Hierosolymitanam, ita tamen ut iret in Apuliam hostiliter, ad debellandum Manfredum filium Frederici quondam Imperatoris, validum Ecclesiæ Romanæ inimicum. Accepto à Domino Rege Sacramento per Episcopum Bononiensem, specialiter ad hoc à Domino Papa destinatum, & ad investiendum Edmundum de Regno Siciliæ, ut prædictum est.

Parlamentum celebratum propter commissionem M. Rustandi.

M. Rustandus Crucem prædicari jubet contra Manfredum.

Concilium Londini habitum à Prælatis Angliæ.

Manfredo Victori multi adhærent.

CUm hæc autem in Anglia agerentur, in transalpinis partibus fortunalis rota volumen fecit prodigiale. Quos enim paulòante in sublime exaltaverat, in abyssum demersit confusionis. Dissipatis enim exercitibus Papalibus; Apuli, cum audissent, quod Papa terram eorum cuidam Anglico ignoto, & alienigenæ, sine eorum consensu, contulisset, indignati sunt vehementer. Et idcircò majori furore efferbuerunt; eo quod Papa Crucesignatos super ipsos Apulos, quasi super infideles, convertit exterminandos. Igitur omnes Apuli Domino Manfredo sese manciparunt: & cum illo stantes universi, etiam qui quandoque cum Papa steterunt, numerosum exercitum contra Papam conflaverunt.

Secunda congressio Prælatorum coram Rustando.

Prælati Angliæ mutire non audent contra Rustandum. Anno 1256.

Manfredus agnoscitur legitimus filius Imperatoris Frederici.

TEmporibus quoque sub eisdem, Manfredus, qui filius tantùm naturalis Fre-

Frederici dià credebatur, jam inquisita, & scita rei veritate, non jam tantum naturalis, idest illegitimus, imò pro legitimo habebatur; Unde ab omnibus Siculis, & Apulis, & finitimarum illarum Regionum incolis, qui eidem cœperunt adhærere, amabatur, & honorabatur. Contigit enim, quòd jam circiter viginti annis elapsis, mater ipsius Manfredi graviter infirmata, vocavit ipsum, scilicet Imperatorem, ut misertus illius pro Deo ipsam visitare non dedignaretur. Credebatur namque in proximo moritura. Et cum venisset Imperator, ait mulier junctis palmis, & abortis lacrymis cum singultibus, Domine miserere mei in proximo morituræ, & succurre perituræ, de periculo corporis mihi formidandum est, sed multò magis sollicitor de periculo animæ imminenti. Habes namque filium quendam naturalem Manfredum, quem tibi genui. Placeat igitur me desponsari, aut & ille Manfredus legitimetur, & anima mea à periculo liberetur. Inclinatus est igitur precibus supplicantis, & ipsam sibi matrimonio copulavit. Hæc autem multis annis multos latuerunt. Sed hoc anno, omnibus Siculis, & Apulis manifestè patuerunt, unde actus immobiliter steterunt cum eodem contra Papam, & omnes qui illi adversabantur. Et cœpit Manfredus prosperari in via sua, & in bello, quod contra Papam moverat, super omnes ferè inimicos suus exaltari, & ad votum dominari, unde Papa cœpit rogare ea, quæ pacis sunt. Cœperat namque dictus Manfredus jam Neapolim, Barletum, & Civitates maritimas Capuam, & alias multas Civitates, & Oppida. Et quod pluris est, corda Magnatum, & populorum ad se conciliata pronius inclinavit. Nec erat aliquis de Prælatis Ecclesiæ, qui Domino Papæ heu heu condoleret. Quod profectò non valeo sine lachrymarum profluvio scribere, vel pronuntiare. Taliter se habet versus fideles Christi Dominus Papa, quos teneretur in sinu charitatis affectu paterno blandius educare, ut nullus adversitatibus eius compatiatur, imò potiùs si quis eum infestet, & impetat etiam malus, & reprobus, successibus persequentis congratulatur.

Adventus, & Potestas Archiepiscopi Messanensis. Anno 1257.

Dissidium Romæ ortum inter Papam, & Senatorem Brancaleum, Anno 1258.

BRancaleo interim Senator Romanus, Turres Nobilium Romanorum diruit, & eorundem Dominos incarceravit, insuper parentes, & affines Cardinalium quamplurimos suspendit, vel mutilavit. Et per omnia Romani Populi consiliis, nullatenus noluit discrepare. Senator autem fautor erat Manfredi Principis; qui Princeps ad Imperium anhelabat. Unde ambo odio habuerunt Regem Alemanniæ, & laqueos paraverunt, & repagula contradictionis objecerunt; & eo ipso Papa, qui Senatorem, & Principem Manfredum odio habuit, sæpe dicto Regi Alemanniæ favorem impendit.

Animadversio.

SCiendum est, quòd hucusque præscripsit venerabilis vir Frater Matthæus Parisiensis, & licèt manus in stylo varietur, modo tamen compositionis eodem servante, eidem totum adscribitur. Quod autem amodo appositum est, & prosequutum, cuidam alteri Fratri sit adscribendum, qui tanti prædecessoris opera præsumens aggredi, indignè prosequuturus, cùm non sit ejusdem dignus corrigiam solvere calciamenti, paginæ non meruit nomine tenus annotari.

Continuatio Matthæi Parisii cujusdam Monachi ejusdem Cœnobii Sancti Albani nomine Gulielmi Rishangeri ex Balea.

Papa Urbanus Regnum Siciliæ Comiti Carolo confert. Anno 1264.

CArolus Comes, in perpetuum Urbis Romanæ eligitur Senator. Cui Papa Urbanus Regnum Siciliæ, usque ad quartum hæredem contulit, eo pacto ut illud auferret Manfredo.

Carolus frater Regis Francorum in Regem Siciliæ coronatur, Anno 1265.

EOdem anno Ottobonus tituli Sancti Adriani Diaconus Cardinalis, à Domino Papa Clemente legatus in Angliam destinatur. Carolus frater Regis Francorum Romam navigio devectus, à Domino Papa Clemente in Regem Siciliæ coronatur Multitudo Gallicorum Crucesignata, contra Manfredum, habens Capitaneos Guidonem Altisioderensem Episcopum, & Robertum filium Comitis Flandriæ, & Bocardum Comitem Vindemiensem, in subsidium Caroli Romam venit.

Manfredus occiditur. Anno 1267.

EOdem Carolus Rex Siciliæ ante Beneventum pugnavit cum Manfredo, eumque devicit, & occidit, & ibi triumphum obtinuit gloriosum.

Con-

Conradinus aspirat ad Regnum Siciliæ. Anno 1270.

COnradinus eo tempore, Nepos Frederici olim Imperatoris ex filio Conrado, patrono suo Manfredo mortuo, aspirans ad Regnum Siciliæ auxilio Theutonicorum, adjunctis eis Lombardis quamplurimis, atque Tuscis, Romam usque pervenit; ubi cum Imperiali more solemniter receptus fuisset, associato sibi Senatore Urbis Henrico fratre Regis Castellæ, & Romanis plurimis, contra Regem Carolum, Apuliam manu forti intravit. Sed post durum campestre bellum, Conradinus cum suis terga vertentibus capitur; & cum multis de sanguine suo Nobilibus, jussu Regis Caroli decollatur. Henricus autem Regis Castellæ frater, de prælio ad Castrum fugit Cassinum; qui postea, Carolo redditus, carceri mancipatur.

Clemens Papa moritur.

CLemens Papa per idem tempus obiit Viterbii; & ibidem in Fratrum Prędicatorum Ecclesia sepelitur. Iste Papa ita vigiliis, jejuniis, & orationibus, ac aliis bonis operibus erat intentus, quod multas tribulationes, quas tunc sustinebat Ecclesia, Deus suis meritis creditur extinxisse. Quin etiam cum multi factum Regis Caroli pro desperato haberent, tum propter multitudinem exercitus Conradini, tum propter totius penè Regni Siciliæ rebellionem, in publico sermone rei eventum prędixit. Hic etiam Papa in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Viterbii canonizavit Sanctam Edovigem Ducissam Poloniæ Viduam mirandæ Sanctitatis. Defuncto Papa Clemente, vacavit Sedes tribus annis, mensibus duobus, diebus decem.

Rex Francorum L. moritur.

CUi successit in Regno filius ejus Philippus. Exercitu verò plurimùm de morte Regis desolato, supervenit Carolus Rex Siciliæ, quem Rex Francorum, adhuc vivens, fecerat accersiri. Et cùm multo plures viderentur Saraceni, quàm Christiani; nullatenus tamen ausi sunt Saraceni bello generali adgredi Christianos. Sed per quasdam astutias multa eis incommoda inferebant. Inter alia verò, cùm regio illa sit sabulosa, & tempore siccitatis maximè pulverulenta, statuerunt Saraceni plura millia suæ gentis hominum super quendam montem Christianis vicinum, ut cum ventus staret ad partem Christianorum, sabulum, & arenam moventes, pulverem suscitarent, qui grandem molestiam intulit Christianis. Sed tandem sedato pulvere per pluviam, Christiani, paratis machinis, & variis instrumentis bellicis, Tuniciam per terram, & per mare expugnare disponunt. Quod videntes Saraceni, pacta cum Christianis inierunt: concedentes, ut omnes Christiani in Regno illo captivi, liberi dimitterentur. Et Monasteriis ad honorem Christi in omnibus Civitatibus illius Regni fundatis, Fides Christi per Fratres Prædicatores, & Minores, & per alios quoscumque liberè prędicetur. Et quod volentes baptizari, liberè baptizarentur. Sicque solutis Regum expensis, & Rege Tunicii Regi Siciliæ facto tributario, treugisque concessis plurium annorum, Rex Siciliæ cum exercitu remavigare disponit. Sed cum ultio divina subsecuta est, & jam cum reverti conaretur, absorbuit mare penè totum suum exercitum, & thesaurum allatum de Tunicio, & supellectilem universam.

MATTHÆI SPINELLI DE JUVENATIO CHRONICON

Ab Anno 1250. ad Annum 1265.

DE EODEM.

MAtthæus Spinellus, de Juvenatio, ubi ipse vivebat, & scribebat, loci illius Syndicus, sive Judex, & fortè ibidem natus. Est autem Juvenatium in Territorio Barensi Oppidum litterale inter Tranum, & Barium; hodie Ducali titulo insignitum, nobilique Genuensi Familiæ de Judice subjectum. Scripsit Auctor, rudi illius sæculi Italico Idiomate Historiam eorum, quæ vidit, vel è propinquo audivit eùm agerentur, ab Anno 1250. ad Annum 1265. Latinè fideliter redditam edidit eruditione celebris P. Daniel Papebrochius inter Acta Sanctorum, ad consignandam, ut ipse ait, impietatem eorum, qui tunc Ecclesiam affligebant, Friderici II. scilicet Imperatoris, & nothi ejus Manfredi Regis. Exscriptam recepit P. Papebrochius ex Authographo tam antiquo, ut judicari potuisset, manu ipsius Auctoris exaratum, quod servatur in Viterbiensis Collegii Soc. Jesu Bibliotheca, multis manuscriptis Monumentis instructa, quæ unà cum omnibus suis libris Cardinalis Cebellutius illi Collegio legavit moriens anno 1627. Integrum Chronicon nemo alius ante Papebrochium publicaverat; articulatim verò decerptum in partes adduxit Joannes Antonius Summontius, Tom: II.

Historiæ Neapolitanæ lib. 3. Ego verò Matthæi Spinelli nomen dedi in Apparatu ad Annales Siculos Augustini Inveges, pag 99. pro Auctario Catalogum exhibens Scriptorum Historiæ Siculæ, in lucem usque ad annum 1708. editorum, quos Inveges prætermisit, aut eo recentiores signare non potuit.

ANno Domini 1247. Imperator Fredericus, prælio victus in Lombardia, venit in Apuliam ad aucupium Falconarium. Ad finem autem Anni prædicti cœpit militem colligere, traducendum, ut dicebatur, in Lombardiam.

Anno Domini 1248. die 13. Martii, in Civitate Tranensi, vir ex meliori nobilitate insignis, cui nomen D. Simon Rocca, cum haberet uxorem formosam, & domui suæ assignatum hospitem quemdam Saracenorum Capitaneum, nomine Cocami, ab eodem, in dictæ mulieris concupiscentiam accenso, noctu e vocatus de camera, ostiumque aperiens, tam præcipitanter expulsus inde est, ut nec vellea quidem induccre fuerit ei permissum, retenta intus ad barbari libidinem explendam muliere. Id cum mane innotuisset per Civitatem, coacto confestim Senatu, delegati sunt tres Syndici, cum D. Simone, duobusque germanis fratribus ipsius matrone, qui attractis præ verecundia ante oculos cappuciis, accesserunt ad Imperatorem, Præsentini agentem; procidentesque in genua factum narrarunt, misericordiam, & justitiam postulantes. Ast ille D. Simoni dixit: Ubi intercessit violentia, nulla debet esse verecundia. Et conversus ad Syndicos: Ite, inquit, curabo ne tale quid ampliùs committatur: si de Regno natus fuisset reus, continuò jussissem eum capite plecti.

29. ejusdem mensis die, venit Tranum Imperator, ut fabricam arcis inspiceret.

20 Aprilis, rescitum fuit, quod Castri Bariensis Cavarrectus (*ita vocant Normanni publicorum carcerum inspectores, quorum erat detrnere, arctiusque aut laxius habendi captivi essent*) intendebat vinctis dare effugiendi commoditatem: missus itaque illuc ab Imperatore D. Andreas de Capua qui erat Advocatus Fiscalis, transivit Juvenatio cum duodecim balistariis.

23. Facta est Barii justitia, me istic præsente, & Cavarrectus dissectus in partes quatuor cum decem ipsius Castri famulis, Domino autem Guilielmo de Soco, & D. Leoni de S. Angelo, necnon cuidam Comiti Lombardo cum duobus Florentinis, abscissum est caput; Castellania verò ablata est à D. Petro Roccafolia, dataque Saraceno cuidam Nucerino.

8. Junii, venerunt in Apuliam septem Cohortes ex Saracenorum: quapropter viri nobiles multi, qui uxores habebant formosas, ac juvenes, ipsis, & sibi metuentes, Trano Barioque emigrarunt in Sclavoniam (*ita tunc ab Italis appellatam Dalmatiam docet Johannes Lucius, in opere de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ*) & D. Taddeus de Sessa obtinuit D. Johanni de Juvenatio immunitatem ab hospitio præbendo.

12. Expilatum fuit Bitectum, & fustibus cæsus Episcopus loci, [*Bario distantis octo p. m. de quo multis egimus ad 17. Aprilis in Vita B. Jacobi, ibidem celebris ex Ordine Minorum.*

28. extinctus est tonitruo D. Zacharias, Medicus Polignianensis, qui ibat Andriam ad Imperatorem, inter Molfettam, & Juvenatium.

Primo Septembris, D. Paluccius de Marra occidit Saracenum quamdam, & Barlettani Cives eum salvarunt; quapropter duo ex illis in vincula conjecti sunt, opidumque mille Augustalibus mulctatum in pœnam.

Festo S. Luciæ, ingressus Barlettam est Princeps Tarentinus, filius Imperatoris, [*Nothus scilicet Manfredus*] qui acceptis bis mille Augustalibus, liberavit Barlettanos ab hospitandis Saracenis; hi verò iverunt Canosam, Saviellum, & Minerbinum.

5 Novemb fuit maximus terræmotus.

Anno Domini 1249 Imperator filiam suam despondit Comiti Casertano, celebratæque sunt nuptiæ Andriæ: *quæ est Civitas Mediterranea Barletta, & Trano Urbibus maritimis distans 5 p m. in territorio Bariensi*

10. Februarii, discesserunt Saraceni, bellum illaturi ditioni Pontificiæ. Eodem anno multiplicatæ locustæ vastaverunt campestria Apuliæ, Capitanatam, Basilicatam, & Calabriam.

3. Novembris, venit D. Bernardus Carracciolus Rubeus, Justitiarius, in nostram terræ Bariensis Provinciam. Hoc etiam anno collegit Imperator magnam pecuniam; fecitque ex Sicilia, & Sardinia venire tam multas naves cum frumento, ut tumultus non valeret nisi duos Augustales. Eodem mense Novembris, ex Apulia in Siciliam abiit Imperator: idque non sine causa.

Anno Domini 20. Februarii, Vestiam appulit Imperator cum centum duabus triremibus; metatusque hospitia exercitui est in Calabria, & Basilicata.

17. Aprilis, in Calabriam venerunt septendecim cohortes Saracenorum ex Barbaria, & hospitati sunt in Calabria, atque Basilicata.

Mense Majo dicebatur, quod Imperator volebat in Lombardiam ire, venitque nuntius, quod filius ejus Rex Sardiniæ,

En-

[*Entius, à Bononiensibus, quorum agrum populabundus ingressus erat.*] casus fuerit, captis, aut trucidatis omnibus ejus sequacibus: Ideoque dicebatur, quod Imperator hoc anno non esset ulterius perrecturus: alii verò dicebant, amore aliquo captum retineri.

Mense Augusto per omne Regnum constituta fuit collecta pecuniaria, gravior quàm alias unquam; unius scilicet tari per singula capita.

In Festo SS. Simonis, & Judæ, Imperator venit ad Castellum, Montia dictum.

5. Novembris, Justitiarius ivit ad Imperatorem, ferens septigentas uncias auri, quas ex collecta conflarat. Imperator autem vehementer indignatus fuit, quia non plus collegerat; dixitque multa verba injuriosa. Justitiarius autem respondit; Domine, si tibi non placet ministerium meum, de altero tibi prospicias licet: quia Oppida planè sunt depauperata. Et excanduit multò magis Imperator: seque convertens ad D. Taddæum, dixit, quod nisi ei parceret propter amorem D. Joannis, mergis eum objici juberet.

11. Factus est Justitiarius in Provincia Bariensi, Frater Admiralii Siciliæ, qui erat Magister Portulanus (*i. Præfectus Portuum*) & erat Saracenus.

14. Fuit proclamatum, ut unusquisque ad festum Sancti Andreæ collectam solveret, sub interminatione Triremium.

Ipso die S. Catharinæ, Imperator Nuceriam versus iter arripuit.

19. Intellectum fuit Imperatorem infirmari.

5. Decembris, quotquot Juvenatio transitum habebant, dicebant Imperatorem pessimè valere. [*Juvenatium distat*] 6. m. p. [*Nuceria, seu Luceria Paganorum sic dicta, quia Friderici permissu ipsam tenebant Saraceni*] *juxta quam ad 6. m. p. inter Apennini colles est Castrum Florentinum, ubi obiit Fridericus.*

9. Sparsa est fama, quod Imperator evasisset periculum.

13. Festo S. Luciæ, inventus est mortuus: vesperi autem precedenti comederat pyra quædam, condita saccaro; dixeratq; quod manè sequenti vellet surgere de lecto.

16. Venit Epistola, quam scripserat Princeps Tarentinus, notificans oppidis de passu in passum mortem sui Patris. [*Baluzius lib. . Miscellanearum suorum pag. 475. prefert Epistolas duas Manfredi ad Regem Conradum, quarum prior affirmat, quod imperator,*] in ipsis mortis indiciis, præter dona mirifica, & beneficia gloriosa, quæ in testamenti serie fidelibus gratanter indulsit, Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem suam, in corde contrito, velut Fidei Orthodoxæ zelator, humiliter recognovit: & damna, quæ dudum Ecclesiæ, invitus, forsitan, vel potiùs provocatus, intulerat, integrè restauranda sancivit; [*Quæ si verè extrema Frederici voluntas fuit, utinam eam implere curavisset Manfredus.*]

23. D. Collecta Spinellus de Juvenatio, patruus meus tamquam Syndicus oppidi egressus est; fueruntque ei in subsidium expensarum faciendarum, pro ipso, & suo famulitio, dati viginti Augustales.

28. Transiit hac corpus Imperatoris, quod ferebatur Tarentum: Et ego egressus sum ut viderem. Gestabatur autem in lectica, holoserico rubro operta, cinctum ducentis Saracenis peditibus, ordinaria corporis Regii custodis, & sex cohortibus equitum armatorum: qui omnes cum locum aliquem ingrediebantur, plangentes inclamabant mortui nomen: sequebantur autem eos Barones aliquot, vestiti lugubribus, & Syndici oppidorum.

Die 5. Januarii, Comes Molisii, qui comitatus fuerat corpus Imperatoris, Tarento rediens, venit Barium ad visitandum Corpus S. Nicolai, & postea venit Juvenatium hospitandi causa, cum aliis Baronibus subfeudatariis suis. Et Dominus quidem Comes mansit in domo mutui; in domo autem mea receptus fuit Princivallus de Sangro: in aliis verò domibus fuerunt hospitati D. Conradus Gambatesa, D. Leo de Montegano, D. Servius Ruffus, D. Bartholomæus de Castanea, & D. Joannes Montiecellus, universim Equites quadraginta [illegible]: qui omnes splendidè tractati sunt.

Princeps porrò Tarentinus, qui ad Regni gubernationem remanserat, statim ut cognovit mortem patris, movit Neapolim versus: cum autem pervenit ad Montem-Fuscolum [*Oppidum in ditione Beneventana, distans Neapoli p. m. 30.*] intellectum est, quod Papa Innocentius Quartus miserat Neapolim, & ad omnia oppida Baronum Regni, ne cui alteri quam Apostolicæ Sedi præstarent obedientiam, quia Regnum erat ad Ecclesiam devolutum: quapropter misit Princeps Comitem Casertanum, qui mentem Neapolitanorum exploraret.

Venit Comes Neapolim 7. Januarii, cui Cives in literis Marzæpanis [*idest in claris terminis, tamquam literis initialibus, quales ad bellaria fiunt, ex saccaro, & polenta*] responderunt tedio se affici tam diuturni Interdicti, & excommunicationis: proinde certum sibi esse nemini præstare obedientiam, nisi qui veniret cum investitura, & benedictione Papali. Inde abiit Comes cum D. Stephano Jevoli Capuam, ut illic exigeret obedientiam; sed idem etiam Capuani responderunt.

Die

Die 22. Februarii, discessit Princeps Tarentinus à Monte-Fuscolo, equitans per Regnum cum undecim Saracenis [*fortassis cum undecim cohortibus Saracenorum*] & trecentos ex illis reliquit in Principatu, ac totidem in Basilicata, per oppida quæ spectaverant ad jus familiæ Sanseverinæ: dicebatur enim, quod Rogerio de Sanseverino, qui solus ex gente illa erat superstes, annorum septendecim adolescenti, Papa despoosaverat filiam Comitis Flisci, sanguine sibi conjunctissimam.

20. Maii intellectum est Regem Conradum appulisse Veronam, ut possessionem Regni iniret.

26. Augusti, venit Rex Conradus cum classe Veneta, & exscensionem fecit Pescaræ ad Montem S. Angeli, omnesque Barones Regionis honoris causa ei occurrerunt: qui diu 29. venit Barlettam.

Mense Septembri, cum omnibus suis copiis progressus est contra Comites Aquinatem, & Soranum, qui Pontificia vexilla extulerant; cumque in die S. Martini eos pessumdedisset, flamma, ferroque vastans eorum oppida, perrexit Capuam: quæ ut ipsi se traderet factum est mediantibus familiis Leonissa, & Jevolensi.

Primo die Decembris, cœpit obsidere Neapolim.

Anno Domini 1252. die 11. Jaauarii venit Nuntius Papæ, ut apud Regem Conradum ageret in favorem Neapolitanorum; cui Rex jussit respondni, quod melius faceret, curando homines verticn rasos.

25. Aprilis, in die S. Marci, Rex Conradus statuit oppugnare Neapolim. Theutonibusque, & Saracenis promisit trium mensium stipendia, præbenda ei nationi, quæ prior in Urbem irrupuisset; conventt autem inter eos, quod Saraceni aggrederentur Civitatem ex parte Septentrionali, Theutonici verò ex parte Orientali. Venit deinde Nuntius, quod multi ex Saracenis occubuerint, nec pauciores ex Theutonicis: ab eoque die nunquam ampliùs cogitarunt assultum facere.

Principio Maii, advenerunt triremes Siculæ, & Neapoli exptum est annonæ penuria laborari. Eodem mense satis multi Barones accesserunt ad Castra.

In festo S. Joannis mense Junio, viri circiter quadringenti egressi Neapoli per cryptas, quæ Puteolos ducunt, dispersiq; per vicos, magnum annonæ subsidium intulerunt Urbi; quod intelligens Rex Conradus, posuit custodias, & passus omnes fecit pabulatoribus claudi.

Sub finem Septembris, Civitas Neapolitana deditionem pepigit cum Rege Conrado, qui multos supplicio affecit, magnamque stragem edidit: & nisi milites Lombardi, qui erant in Castris, bonam partem Civium conservassent, quotquot arma gestare poterant gladio fecisset interimi.

20. Octobris, D. Donatus Cadurcus, rediens Neapoli, dixit, quod Rex Conradus solo æquari fecerit muros Urbis Neapolitanæ.

10. Decembris, Rex Conradus ivit Barlettam: & ex tota Provincia Bariensi itum est ad illum cum muneribus.

In Vigilia Nativitatis discessit, ivitque Amalfim habiturus ibi Parlamentum generale: & multi Barones illuc concurrerunt.

Anno Domini 1253. die 24. Februarii, factum est Parlamentum, & Comes Cafertanus proposuit, ut darentur Regi triginta millia unciarum auri. Nec mora; quicumque autem tardabat solvere, continuò gravabantur hospitiis Theutonicorum, vel Saracenorum.

Sequenti Aprili excisa sunt Asculum, Agrenium, Carenaa, Guimuttum, & Bitectum: paucæ autem terræ evasissent exterminium, nisi Princeps Tarentinus remedium attulisset. Eodem autem tempore in morbum incidit Rex Conradus, & obiit intra quinque dies, relinquens filium trimulum, qui est in Alemannia.

In die S. Petri, mense Junio, ingressus est Neapolim Innocentius Papa, sumpsitque possessionem nomine Ecclesiæ, & scripsit brevia Baronibus, atque oppidis Dominii totius, ut venirent ad præstandam sibi obedientiam: tantum autem omnes tenebat tedium regiminis Saracenorum, & Theutonicorum, ut ad istius rei nuntium universa Apulia exultaverit gaudio. Eo tempore eram ego annorum viginti trium, morabarque Barlettæ: utque viderem Curiam Pontificiam, ivi Neapolim cum D. Jessolino de Morra illuc tendenti, ad obedientiam Papæ pro Barlettanis profitendam.

26. Julii, appulimus Neapolim, & eodem ipso die D. Jessolinus osculatus est pedes Pontificis. Invenimus autem in Curia Pontificia D. Comitem Fliscum Nepotem Papæ, Richardum Asculanum, Comitem Fundanum, Comitem Celanensem, Comitem Landulfum de Aquino [*Pater hic erat S. Thomæ Aquinatis, jam tunc in Ordine Prædicatorum agentis annum ætatis 22.*] quem Rex Conradus expulerat, & alii plures Comites Longobardi: Item Sinibaldus, atque Oderisius de Sanguine [*videtur esse locus, quem S. Petro de Murrone, scribens de vita propria, Castrum Sangrum appellat*] aliique Barones Aprutini: & D. Rogerius de S. Severino, caput egressorum à Regno.

Hic verò mihi occurrit notare, velut unam ex rebus memoralibus, quæ contigerunt

gerunt tempore vitæ meæ, fortunam istius D. Rogerii, quemadmodum eam mihi retulit Donatillus Statii de Matera, famulus ejus; Dixit ergo mihi, quod quando exeissa fuit familia Sanseverinatium ad plana Canosæ, Aymarus de S. Severino cupiens salvari, Biscaliam versus tetendit, ut ibi inveniret navim, qua egrederetur de Regno. Recordatus autem Rogerii pueri novennis, convertit sese ad Donatillum, dixitque: mihi sufficiunt Comites duo; vade Donatille, & vide si quo modo salvare possis filium istum. Donatillus igitur ivit Spezzarolum, & venit Venusiam circa horam octavam: locutusque cum Castellano mediantibus quatuor Augustalibus, nonnullaque minori moneta, statim accepit puerum: & nemine sociorum id observante, per posticum eduxit. Tum verò mutato illius habitu, sedens ipse equo meritorio, imposuit puero saccum amygdalarum, ferendum post se: itaque via publica gradiens, loca tamen in quibus possent cognosci declinans, pervenit Gesualdum in Vallem Beneventanam, ubi erat D. Dolphus de Gesuardo, patruus naturalis D. Rogerii: Hic autem viso Donatillo, statim dixit: Vada citò cum Deo, & apage hinc: nolo enim amittere facultates meas propter familiam Sanseverinam. Statim ergo Donatillus iter intendit Celanum versus, ubi erat Comitissa Maria Polyxena, Soror D. Aymari de S. Severino, gradiebatur autem, itineribus modicis, ne puerum fatigaret; nocte verò adveniente, ipsum imponebat equo. Porrò cum venisset ad Marconense diversorium, eodem hospitii capiendi causa advenit Archipresbyter Beneventanus, & observavit, quod puer (licèt vilibus indutus, ac laceris vestimentis) manducans ad mensam Dominorum, satis delicatus in cibo sumendo esset, nec vulgarem præse ferret nobilitatem. Interrogavit ergo Donatillum, quis esset: eo autem respondente, suum filium esse: veruntamen, inquit Archipresbyter, similis tibi non est. Cui Donatillus, deceperit me forsan uxor mea. Post varias autem interrogationes, dum cubitum concederent, notavit Donatillus, quod pergeret Archipresbyter loqui de pucro, timuitque nè sibi eum tolli juberet. Itaque Deo, ac fortunæ se commendantes, ingressi sunt cameram Archipresbyteri: eumque Donatillus per Deum oravit genibus flexis, ut infelicem collocaret in tuto, nec cuiquam de eo loqueretur. Tunc pollicitus Archipresbyter nemini omninò se eos manifestaturum, & bono animo esse jubens, in suum postridie currum assumpsit: cum iisque Celanum venit, & salvum puerum Comitissæ stitit. Erupit mox in lamenta mulier, viso nepote sic afflicto, & lacero, (jam enim ab obtiduo intellexerat excidium) recreatumque, & novis indutum vestibus, ut erat matrona prudentissima, statim ad Pontificem misit in comitatu quatuordecim equitum: eversa enim erat familia, quia partes Ecclesiæ tenebat. Motus autem grandi misericordia Pontifex, mandavit præberi mille florenos annuos Donatillo ad educationem pueri: biennio post moriens Comitissa Celanensis, vigintiquatuor florenorum millia D. Rogerio reliquit: Papa verò, duobus annis priùsquam moreretur Imperator, desponsavit ei sororem Comitis Flisci, additis in subsidium mille unciis auri, ad sustentandum egressos à Regno, qui omnes ipsum habebant omnium Ducem, factum jam juvenem formosum, & habilem ad res magnas gerendas. Atque hæc omnia scripsi ex ore ipsius Donatilli, qui in præsentiarum moratur cum ipso D. Rogerio.

27. dicti mensis Julii, venit Princeps Tarentinus ad præstandam Papæ obedientiam: de quo omnes mirabantur, eo quod esset frater Regis Conradi, & dicabatur esse tutor filii ejus.

In die S. Mariæ ad Nives, Papa cecinit Missam Neapoli, in Ecclesia S. Mariæ Majoris magna cum pompa.

8. Augusti, Papa Comitia habuit, dimissæque sunt per Provincias copiæ Papales: Princeps autem Tarentinus promittebat dimittere Theutonicos, si eis stipendia solverentur.

Primo Septembris, D. Maxentius Bocca Tranensis insultum fecit in D. Rayd Saracenum, Justitiarium Bariensem, inter S. Erasmi Vicum, & Vitrale: eumque persecutus est ad tria, & amplius milliaria, occisis tribus Saracenis de comitatu ejus: quì ipse salutem obtinuit, equi sui generositate mediante.

4. Septembris, Pontifex ad preces D. Rogerii misit in ditionem Bariensem Justitiarium D. Fredericum de Morra, & D. Brandinum Picinum, cum duodecim turmis equitum. Rogaverat etiam eum Princeps Tarentinus, ut mitteretur ad se Berardus Capecius Neapolitanus: sed noluit: & ego observavi, quod, quando D. Rogerius aliique exules occurrebant Principi, non discooperiebant ipsi caput.

Ad finem Septembris, venerunt duo Capitanei Theutonici, stationem habentes in districtu Hydruntino, egeruntque cum Papa, & substiterunt usque ad festum: Dicitur autem quod Princeps Tarentinus utrumque solicitabat, secretoque suadebat Theutonicis ne pacificerentur cum Papa; Cardinalis verò Fliscus è contra, idemque suadebat Papæ: spem enim conceperat totius Regni absque sanguine obtinendi, in-

tercedente Principe; hic verò verba iis dabet, quie videbat Papam jam esse decrepitum, nec diù posse supervivere.

Festo Sanctorum omnium cantavit Papa Missam in Episcopetu; & die sequenti discessit D. Jessolinus, & omnes Syndici Bariensis Provinciæ, atque ego cum illis.

Factum est autem per D. Guilelmum de Marra-Seriei, qui nobis Comitem se junxerat, quod non fuerimus omnes occisi à grassatoribus, inter Avellinum, & Cryptam Maxandram.

Nocte Sanctæ Catharinæ terræ-motus fuit per omne Regnum.

In die Conceptionis Dominæ nostræ, D. Jacobus Savellus, Capitaneus copiarum Papalium, cecidit Saracenos Lucerienses, infra Vicum S. Bartholomei de Vado.

Anno Domini 1254. 14. Martii, transivit Princeps in Siciliam ubi dicitur invenisse ingentem thesaurum, reconditum in arce Panormitana.

Sub finem dicti mensis, ad littea Molfettanum impegit triremis quædam Veneta, unde Almuz Saracenea, tunc Vice-Admiralius, magnas divitias extulit.

6. Aprilis, ingens fuit tempestas, & corruit Campanile S. Nicolai Bariensis.

Mense Majo, Princeps ivit in Capitanatam, secum ducens quatuor cohortes Theutonicorum.

Hoc anno teloniem pecuarium ad quinque millia unciatum.

Mense Octobri, natus est Riccio filius triceps, & statim obiit.

Die 10. Decembris, dicebatur, quod Papa infirmabatur. [*Imò ille jam obierat die 7. ut constat ex encyclica Successoris; sed apparet mortem fuisse à Cardinali Flisco occultatam, propter circumstantias temporis periculosi.*

13. Transiit aliquis per planitiem Melfitanam [*media circiter inter Neapolim & Juvenatium via*] qui proficiscebatur in ditionem Hydruntinam, dicebatque se Neapoli reliquisse Papam à Medicis desperatum; [*quo etiam die credibile est, evulgatam Neapoli mortem fuisse, quasi tunc primùm obiisset; adeo ut electio Successoris, vix potuerit facta esse ante 15*]

In die S. Thomæ Apostoli, Princeps Tarentinus in Provincia Hydruntina advenit omnes Theutonicos, qui venerant Altemuram [*Est autem hæc Civitas Episcopalis in Bariensi Provincia, media ferè inter Neapolim, & Hydruntem vico*] Eodem tempore D. Jacobus Savelli cum omnibus copiis venit ad D. Brandieum Ursinum, qui erat Cirignolæ; misitque D. Fredericum de Morra Neapolim ad Collegium Cardinalium. Sed postquam intellectum est Saracenos Nucerienses exivisse in campum, etiam ipsi Neapolim se receperunt. Vix autem discesserant, quando D. Znid, cum duabus cohortibus Saracenorum, cæpit etiam Neapolim tendere; & descendens usque Barlettam fecit extolli per totam Provinciam Bariensem insignia Conradini; Trani verò jussit æquari solo domos familiæ à Rocca cominatæ, cujus gentiles fugerant in Sclavoniam. Princeps verò postquam exercitum collegisset cum Saracenis, arripuit viam per Basilicatam, fuditque Princivallum Grimaldum Genuensem, qui istic erat cum copiis Ecclesiæ, intraque paucos dies obtinuit omnia oppida, quæ erant familiæ San-Severineaetiam. Neapolitani porrò, qui cæperant elios muros ædificare post mortem Regis Conradi [*obierat hoc anno eodem 1254. 21 Maii, filium relinquens Conradinum præmmoratum, cujus tutelam Manfredus sibi arrogabat*] jusserunt apud se subsistere D. Jacobum, & D. Brandieum cum suis copiis, usque dum electus esset novus Papa.

Anno Domini 1255. Cardinales, qui annum integrum, & menses aliquot discordes fuerant, creaverunt Papam Alexandrum Quartum de Anagnia. [*Ipse tamenmet in suis Encyclicis, 1. Kal Januarii datis (quæ fallere nequeunt*] ita loquitur: felicis record. Innocentio Papa prædecessore nostro, 7. Idus Decembris . . . de carnis carcere vocato . . . . ejusque corpore . . . . tumulato; Nos, tunc Ostiensis, & Velletrensis Episcopus, & ceteri fratres nostri, mox pro eligendo successore simul convenimus, dirigentes mentes ad Deum, ut Gregi suo Pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Cumque ut moris est, Spiritus Sancti suffragio postulato, singulorum vota diligenter exquisita fuissent, in Nos demum suum converterunt intuitum, direxerunt animos, & conceptus expressere, ac firmavere consensus; præeligentes indignationem nostram ad tantæ officium dignitatis. [*Nullam hæc, ut apparet, longioris Interpontificii patiuntur moram: quænam ergo illa tam diuturna discordia? non utique pro eligendo Papa (licet id primo intuitu videantur indicare verba) neque hoc patitur ipse Auctor, mox ea referens, quæ hujus ipsius anni mense Februario egit Papa, sub finem anni præcedentis electus. Quænam igitur? nec enim potest nulla fuisse, de qua tam expressè loquitur Auctor, tunc vivens, & scribens. Existimo, quod jam deinde ab anno 1253. (quando et supra dictum est, mensis Julii die 27. Neapolim venit Manfredus, & obedientiam Papæ juravit) discordare inter se Cardinales cæperint, aliis ei credi nolentibus, atque cum Cardinali Flisco sperantibus pacem cum Theutonicis haberi posse absque sanguine; aliis homini perfido, ac versipelli non fidentibus; & quoniam Innocentio Papa jam decrepito mors*

esse

esse in januis cernebatur, utrosque divisos in factiones fuisse, pro designando successore, qui suæ esset sententiæ: quam tamen discordiam, mox à morte Papæ, cessare fecerit Manfredus, jam jam utrorumque cervicibus imminens, cum exercitu ad omnia occupanda suffecturo.

Hoc tempore, & mense Februario, Capuæ morabatur Princeps, misitque ad solicitandos Neapolitanos, ut ipsi se traderent; nec permittebat transferri annonam in Urbem. Eodem tempore Archiepiscopus Fulginii à Papa legatus ad Principem venit, mandans sub pœna excommunicationis, ut reverteretur ad obedientiam Ecclesiæ ipse, & Oppida omnia, quę occupabat. Ille verò respondit, Regnum nepotis sui esse. *Legatum hunc fuisse* Berardum *ait Ughellus, nec causa est dubitandi; docet autem, Fulginatis Ecclesia fuisse Archidiaconum, & Episcopatus Administratorem dumtaxat, ab anno 1143. ad 64 cum Fulginates, Ecclesia rebellantes, Episcopali dignitate carerent; abdicante se Ægidio eorum Episcopo, & ad regendam Ecclesiam Nucerinam translato Quomodo autem* Berardus *hic vocetur* Archiepiscopus, *qui nec Episcopus quidem erat, non invenio explicatum. Dum tamen lego, quod* Alexander IV. 15. *Kalendas Februarii primi sui anni,* Berardo *confirmaverit collatam à decessore Administrationem Ecclesiæ patriæ, quodque idem similiter in Archiepiscopatibus Regni Neapolitani, Rhegiensi, & Rossanensi, vacantibus designatos à suo decessore Antistites mox curaverit confirmandos (uti ex regesto Vaticano docet Ughellus) data eis facultate munus consecrationis accipiendi à quocumque maluerint Catholico Episcopo; suspicor Tarentinum Archiepiscopatum (nam de Brundusino, Cusentino, Hydruntino, & Sanseverinate suspicio esse nulla potest) tunc quoque vacavisse, per mortem Henrici, ab Innocentio IV. instituti, & confirmati anno 1252. Quot enim annis sederit ille incertum sibi esse fatetur Ughellus; nec ante annum 1260. quemquam referunt diptychas & interim istius quoque Ecclesiæ administratio prædicto* Berardo *potuit committi, aut fortè Archiepiscopus quoque institutus idem fuisse; sic tamen ut ex usu vulgi, prioris Ecclesiæ Fulginatis titulus ei adhæserit, cum titulo Archiepiscopi confusus. Pergit porrò Matthæus.*

Tunc omnes, qui Regno spontè excesserant se collegerunt, & miserunt ad Papam D. Rogerium Sanseverinum, D. Eliam Gesualdi, D. Fredericum, & D. Honuphrium de Marra, D. Pandulfum Fasanellum, & D. Aymarum ex familia Sanseverina, rogantes ut auxilio sibi esset, ad redeundum in domos suas. Papa autem confestim creavit Legatum Apostolicum Cardinalem Ubaldinum; Jussitq; conscribi militem per omnes ditiones Ecclesiæ. Princeps verò subitò discessit Capua, transitque in Siciliam, multis laturus stipendia.

Ad finem Aprilis ingressus est Legatus præfatus in Regnum, multa cum turba, ut plurimum collectitiorum, & relegatorum; quos jungens copiis armatorum Neapoli repertorum, duxit in Apuliam, atque obstante nemine venit usque Barlettam; quæ ei confestim obedientiam obtulit, & pontificia vexilla explicavit.

15 Maii, transivit Trano, & Monopolim usque excurrit: cui præter Hostunum, quod à Theutonicis tenebatur, omnia Bariensis Provinciæ Oppida deditionem fecerunt.

27. Junii, invasit exercitus Monopolim, Molam, Buligoranum, Barium, Molfettam, Tranum; rediitque Barlettam, & inde in Campaniam, morbis grassantibus extenuatus.

In die S. Bartholomæi, eram Barlettę, vidique ibi pulchrum conflictum: quia Anconitane quædam navis, quæ istuc advenerat frumento oneranda, expectabat ventum: supervenerun tque triremes quatuor ad eam oppugnandam. Harum duæ Siculæ erant, & una earum D. Simonis de Vintemilia, tertia Surrentina D. Paulonis Don-Orso, & quarta Puteolana D. Henrici Spatainfaccia. Circumdederunt autem navim, eamque in magnum adduxerunt discrimen; quia triremes Puteolana, & Surrentina eidem se applicuerant tam tristè, ut ex epibatis undecim in illam trangressi, puppim jam oppugnarent. Alii verò insiliebant, quando subortus vehementior ventus navim à triremibus expedivit; quæ remanserunt spe sua frustratæ, cum jactura, tam eorum, qui insilierant in navim, quàm qui insilientes ceciderunt in mare; paucique eorum, natare docti, salvari potuerunt.

Die sequenti, misit me D. Jeaaolinus de Marra ad triremes, quæ in anchoris stabant juxta pharum ofanti, ut inde redimerem ejus nepotem filium D. Petrilli Acconciabli de Ravello cum epistola directa ad D. Joannottum Salvacossa, qui erat navarchus triremis Ischiensis, nec parum affinis illi; Neque stetit per D. Joannottum, quo minùs gratis captivum reciperem; sed aliarum triremium navarchi noluerunt dicentes; D. Petrillum esse divitem: proinde si filium recipere vellet, redimendus vicissim curaret D. Proculum Venutum nobilem Puteolanum, & D. Josephum D. Marini, & Gerium Mastrum Judicem Surrentinum, qui capti erant in navi prædicta. Convenit ergo, ut D. Petrillus

trillus Anconam mitteret Celocem, ad redimendos illos tres: quod ei stetit plusquam quadragintis unciis; quia non potuit omnes tres obtinere, nisi solutis in singula capita unciis decem.

Hoc etiam tempore rescitum fuit, advenisse in Siciliam nuntium, quod in Alemannia mortuus erat filius Regis Conradi: & Princeps Tarentinus fecit se coronari Panormi, appellarique Regem Manfredum.

11. Septembris transivit Rex Manfredus in Calabriam, dimisitque magnam partem Theutonicorum, qui erant in Regno: transiens autem per Calabriam ad Principatum, in omnibus Oppidis per quæ iter erat multas partiebatur gratias, & complures equites creabat.

In Vigilia S. Matthæi, intravit Salernum velut Rex, & Saraceni distributi sunt per viculos suburbanos.

21. Die ejusdem mensis, Comes Jordanus transivit plana Amalfitana, ut Luceriam tenderet.

23. Venerunt D. Rogerius San-Severinas, & Pandulfus Fasatella, missi à Neapolitanis, ut colligerent copias dispersas per Provinciam Barensem, traducerentq; Neapolim; ac primùm Barlettanas, tunc ceteras omnes: sed noluit loco se movere miles, nisi priùs acciperet stipendia debita.

Ad finem hujus mensis, Comes Jordanus discessit cum tribus millibus Saracenorum Luceriensium, & transiens Crepacorium, ibat ut circa Montem S. Angeli se conjungeret Regi Manfredo, simulque accesserunt Nolam.

Principio Octobris, Rex Manfredus misit Legatos Neapolim, ut ei se redderet.

Die 6. venit D. Donstillus, tulitque responsum Neapolitanorum, quod non possent ampliùs stipendia exercitui solvere, quia erant ad extremam paupertatem redacti: quoniam verò tam frigidè agebat Papa, nolebant iterum devastari propter spem vanam, sicut eis acciderat tempore Papæ Innocentii.

Festo S. Luciæ, venit Barlettam nuntius de redditione Neapolis, quodque Rex promisit omnes benetractare.

Tunc omnes Regno egressi manserunt vehementer afflicti.

26. Octobris, omnes copiæ Papales, & Regno egressorum convenerunt in campestribus Canosæ, discesseruntque per Capitanatam, & Florentinum, ac Dragonaram solo æquarunt, cæsis quotquot ibi invenerunt Saracenis: Luceriam verò duobus assultibus oppugnarunt, sed capere eam non valentes, egressæ sunt Aprutio.

Festo Ss. Simonis, & Judæ, factum est Parlamentum apud S. Mariam extra Barlettam, adfueruntque ibi omnes Syndici totius Provinciæ, metuentes ne demùm in ipsos reciderent omnes calamitates. Tunc allata est eis Neapoli epistola à D. Asprene Caracciolo Rubeo, qui erat ex parte matris frater D. Jezzolini de Marra, nuntiabatque, quomodo Rex Manfredus, ingressus solemni pompa Neapolim, creaverit ibi trigintatres equites, jusseratque bono eos animo esse, eo quod volebat bonam concordiam cum Papa, & esse filius obediens Ecclesiæ. Recordatus autem Archipresbyteri Caraccioli, qui fuerat pædagogus suus, quæsivit, quinam ex ejus familia superessent Neapoli. Intelligens porrò duos superesse nepotes, accersitos ad se creavit Equites, cum provisione unciarum quinquaginta: unus eorum appellabatur D. Anselmus, & alter D. Richardus. Denique scribebatur, quod Rex volebat facere amnistiam generalem: unde epistola ista bonam spem cunctis indidit.

In festo Sanctorum omnium, iverunt Neapolim D. Coletta Conciajocus, & Notarius Stephanus Poppalettere, ad profitendam Regi obedientiam tamquam Syndici Barlettani.

3. Novembris, dicebatur, quod Papa miserat omnes copias suas ad hibernandum in Campania Romana.

6. Publicatum Barlettæ fuit Indultum generale, cuicumque egresso de Regno, cui pauci admodum alicujus notæ se crediderunt: ex omnibus enim nemo redivit præter Pauluccium de Marra.

14. Venit epistola à Notario Stephano, significans, quod invenissent Regem valdè gratiosum, quodque omnes benignè exceperat, volebatque ipso die celebrare festum S. Martini, ad quod invitati erant plurimi ex Neapolitanis.

Festo S. Andreæ, intellectum est, quod Rex venisset Capuam, & Sinuessam, fecitque in Comitatum Fundanum venire septem vexilla armatorum, itaque ademit Ecclesiæ Comitatum, quem ei donaverat Imperator Fredericus, flumen Garibianum pro limite statuens.

Eodem anno, Natalem Dominicum celebravit Theate, & per omnia Oppida Aprutii creavit Equites.

Anno Domini 1256. Mense Jannario venit Rex in Apuliam, ad venationem, quam vocant Incoronate, quæ toto septennio celebrata non fuerat: conveneruntque ad eam plures quam quadringentæ personæ. Et voluit Rex ut quidquid venatu caperetur, suum esset, captaque est multitudo ferarum quasi infinita.

Ad finem dicti mensis, venit Sipontum, decretumque est, ut Oppidum transferretur ab illo maligno aëre, in locum ubi

modo

modo consistit, & appellaretur Manfredonia.

In die Purificationis, fecit ingressum Barlettę: egressique ei obviam sunt, cum palmis in manibus, ad septingentos, dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini.

20. Februarii venerunt Barlettam legati à Regina, uxore Regis Conradi, atq; à Duce Bavariæ: quos magno cum honore Rex suscepit.

24. Dedit Rex legatis publicam audientiam, quorum unus, perquam grandævus Abbas, orationem habuit, dixitque, Conradinum filium Regis Conradi vivere; quodque eum rogabant Regina, & Dux Bavariæ, ut dimitteret Regnum orphano isti, sicut æquum erat: eos verò, qui attulerunt mendax nuntium de ejus morte, castigarat. Cui Rex sapienter respondit, Regnum orphano isti perditum fuisse; se autem illud manu armata vindicasse à potestate duorum Pontificum, quemadmodum notum erat omni mundo; Papam verò, & Regnicolas nullo modo consensuros unquam, ut dominarentur Theutonici; se tamen aliud non prætendere, quàm ut sibi relinquatur Regnum ad vitam, morte sua rediturum ad Conradinum; Reginam porrò rectè facturam, mittendo filium educandum istic, & moribus Italicis inbuendum, habendumque à Rege filii loco.

Primo Martii, discesserunt legati; cum quibus Rex misit equum generosum, donandum Duci Bavariæ, & quædam monilia Duci Scotiæ, ad valorem mille unciarum eoque ampliùs. Eodem die 1. Martii, donavit Rex officium Justitiarii D. Leonello Fajellæ Neapolitano, ingressumque fecit Barlettæ.

Eodem tempore, Rex creavit D. Marium Capecium, mari, terraque Commissarium supra fabricam Civitatis Manfredoniæ, quam extrui volebat: missumque est in Sclavoniam pro trabibus: & copia grandis calcis, atque arenæ, saxorumque, & rerum aliarum convecta illuc est, adeò ut boves Apuliæ habuerint, in quo occuparentur.

Eodem mense, Rex misit in Siciliam, atque Lombardiam, accersens Astrologos duos, qui credebat eos Stellarum conjunctionem aptè capere posse: idque tantùm, ut captarent momentum temporis idoneum primæ petræ jaciendæ.

Mense Aprilis, in die S. Georgii, Rex personaliter venit, ad metationem murorum, & platearum quadraturam ordinandam. Eodemque mense positus est primus lapsis, & cæptum est fabricari ex parte Orientali, laborantibus in opere pluribus quàm sexcentis hominibus.

Majo sequenti, misit Rex Tarentum, transivitque in Siciliam, ubi dicebatur esse suspicio alicujus rebellionis, concitandę in favorem Ecclesiæ.

11. Septembris, ad verba, Indeque ad manus venerunt D. Leonellus Fajella Justitiarius, & Realtus Saracenus, qui erat Præfectus portuum; mansitque Justitiarius læsus in facie, & Portulanus vulnus grande habuit in capite: sic autem vulneratum misit Justitiarius captivum ad Castrum Montis S. Angeli.

13. Comes Casertæ, qui Neapoli manserat cum titulo Vice-Regia, inde misit D. Andream de Capua Commissarium, ad formandum illorum processum. Cumque venisset Barlettam, accesserunt ad eum consanguinei Portulani, rogantes, ut eum faceret vinculis eximi, ipsumque etiam Justitiarium carceri mancipari. Sed D. Andreas respondit, nihil se facere posse, donec cognovisset, penes quem culpa resideret contentionis istius: multisque Barlettanis examinatis, & uno Saraceno, abiit. Quinto autem post die revertens, mandavit, ut D. Taddæus de Sinuessa captivum adduceret Barlettam, curandum à vulnere: quod & factum est.

26. Discessit D. Andreas, & exemplar processus formati misit ad Regem in Siciliam, mansitque Realtus Barlettæ in carcere: ideoque publicatum fuit nullatenùs culpandum esse Justitiarium, sed fuisse prosumptionem illius Saraceni, quem ajebant omnes, non posse ampliùs tolerari.

28. Rescitum Barlettæ est, quod D. Andreas fuerit spoliatus à grassatoribus ad Turrim Mandræ, quodque quatuor balistarii, atque tres famuli ejus ab iisdem fuerint cæsi fustibus. Pro certo autem habebatur, eos fuisse Saracenos, qui vix indusium ipsi reliquerant. Statimque Barlettæ missæ sunt vestes, & alia necessaria.

Octobri sequenti, ex parte Capitanatæ magna diligentia adhibita est ad cognoscendos auctores facinoris, nec pauci pecuarii Aprutini ea de causa torti fuerunt; sed nihil unquam resciri potuit.

Primo Novembris, venit D. Marius Capecius, præpositus fabricæ Manfredoniæ, ostenditque epistolam mandantem, ut Justitiarius, ac Portulanus reconciliarentur. Fecit ergo Portulanum, sicut erat, fasciis obligatum, equum conscendere: simulque iverunt Andriam, ubi erat Justitiarius: & pax confecta est.

Festum Natalis Dominici celebrans idem D. Andreas, divulgari fecit per omnia Oppida, quod Rex primogenitam suam filio Regis Aragoniæ despondisset; proinde universi se præpararent ad dotem exolvendam.

Anno Domini 1257, mense Januario, egressi sunt exactores tres, magna cum festinatione collecturi prædictam dotem: quia dicebant, Aprili proximo adventuras triremes Catalanas, ad accipiendam puellam, [*nomine Constantiam ex priori Regis matrimonio cum Beatrice, filia Ducis Servia*.

14. Februarii, Justitiarius cum multa nobilitate Barlettana, & Tranensi occupabatur in venatione circa locum Trinitatis, quando magnum accidit infortunium: quia Jezzulinus Rubeus Neapolitanus, nepos Justitiarii, currendo post leporem, fregit cervicem: eratque juvenis formosus, & generosus.

18. Venit Bescavettus Saracenus, Justitiarius Aprutii cum duabus cohortibus Saracenorum, conducens Tarentum novem somas denariorum, deportandas in Siciliam. Tunc etiam D. Leonellus equitabat per Provinciam pecunias colligens, & initio Martii accepit Tarenti quatuor millia & ducentas uncias auri; adeò ut diceretur, quod pro hisce sponsalitiis ultra medietatem lucratus sit; nec enim filiæ suæ dotem ampliorem fuisse, quam tregesies mille unciarum: & tam ex Sicilia, quàm ex Regno Neapolitano corrasit plusquam septuaginta millia.

Prima hebdomada Maii, nuntiatum est adventile triremes Catalanas, pro auferenda puella in Hispaniam: quodque Reginæ displiceret affinitas illa, eo quod Catalani adeò male vestiti, incompositique apparerent. [*Helena ea erat, filia Michaelis Despotæ Thessaliæ, quæ deinde Beneventi capta à Carolo Rege, cum unico superstite filiolo Manfredino, apud illum in carcere obiit*.]

24. Maii, rescriptum est, quod triremes discessissent Panormo, & quod Rex veniebat de Sicilia in Calabriam.

Junio mense, Rex in morbum Casertę incidit, non absque gravi mortis periculo. Eodem tempore D. Jordano Pedemontano datum est Juvenatium cum titulo Comitis: dicebatur enim esse frater Regis consobrinus ex parte matris, [*Blancæ scilicet Lanceæ Longobardæ, ex qua Friderico Imperatori similiter nati Entius Rex Sardiniæ, Fridericus Princeps Antiochiæ, Henricus Rex Corsicæ, & Richardus, quem credo vocant Austriæ in Foro julio*.

Septembri sequenti, venit D. Raynaudus de Grottis Justitiarius in Provinciam Bariensem, atque Hydruntinam, quę nunquam alteri Justitiariæ subjecta fuerat: abiitque ad Leonellum, sequente eum bono nomine, ex munere (ut dicebatur) bene administrato: nam ejus tempore nullam violentiam pertulit Provincia à Saracenis: quapropter eis submissæ sunt usque Neapolim, in donum gratuitum, plusquam decem unciæ auri.

10. Octobris, venit Rex Foggiam ad venationem, & multi nobiles Neapolitani eodem accurrerunt.

27. Iverunt Syndici Barlettani ad offerenda ei munera, & multi alii aliarum Provinciarum.

Sequenti die, accidit gravis casus. Etenim coram ipso Rege Saracenus quidam, custodiæ Regiæ Capitaneus, D. Mazzeo Grisso Equiti Neapolitano pugnum impegit; qui, reddita vicissim alapa, copiosum ipse sanguinem perfudit: itaque tam Saraceni Custodes corporis Regii, quàm Neapolitani manus admoverunt armis; secuturumque erat gravissimum scandalum, nisi Barones, qui Regem circumstabant, medios sese interposuissent; fuerunt nihilominùs læsi hinc inde aliquam multi. Tum Rex, ut vidit sedatum tumultum, jussit ut D. Mazzeo amputarent manus: quo intellecto confestim Neapolitani nobiles accesserunt ad Regem, orantes, ne vellet mutilatum virum nobilem, qui fuerat dignus ipsius Regis manu eques creari, idque ad petitionem unius canis Saraceni. Dominus autem Ligorius Caracciolus, nomine omnium, longam ad Regem habuit orationem. Ille verò respondit, minùs facere se non posse; pro amore tamen supplicantium largiri, ut manus sinistra amputaretur.

Postero die quæsivit Rex, quomodo se haberet D. Mazzeus: responsumque est ei, quod ex spasmo fuerit in periculo mortis. Tunc misit Rex, qui eum visitarent, una cum dono centum Augustalium: Saracenum verò, deposuit officio, & alterum custodiæ suæ Capitaneum creavit.

Dum autem ibidem Foggiæ Rex esset, misit, qui fabricam Manfredoniæ inspicerent, mandavitque, ut fieret Campana maxima, quæ per Provinciam audiri posset ad milliaria quinquaginta; ut undique veniri posset ad succursum Urbis, si fortè eam invaderent inimici: erat enim habitatoribus infrequens Civitas. Tunc dixit, quod volebat ex omnibus majoribus Oppidis totius Apuliæ tot familias oppidatim accipere, quot sufficerent ad constituendam Civitatem ter mille focorum.

2. Decembris, venit Barlettam, & multis ibi mensibus subsistit, celebravit etiam ibidem Natalem Dominicum magno cum triumpho. Quotidiè enim agebantur choreæ, & omnis conditionis mulieres speciosissimæ eò confluxerant, quibus Rex largiebatur munera æqualiter omnibus, sic ut sciri nequiret, quænam ei præ ceteris placuisset.

Anno Domini 1258. Mense Januario, misit Rex Comitem Jordanum Pedemon-

ta-

tantum, cum octingentis lanceis, in Lombardiam, ad auxilium confœderatis suis ferendum.

Eodem anno mense Martio, jussit Rex desolari Sipontum, mandans ut Cives omnes transmigrarent Manfredoniam; ipseque eodem ivit, & voluit Campanam, quæ fusa jam erat, supra quasdam columnas erigi; sed quia non dabat sonum tam grandem, quantus expectabatur, refundi eamdem fecit, adjecto copiosiori ære.

Nocte diei 22. Martii, accidit Barlettæ casus hujusmodi. D. Amelius de Molisio, Camerarius Regis, à fratribus puellæ cujusdam formosissimæ præ cunctis aliis Barlettanis, inventus est in lecto cum ipsa puella; fuitque retentus ibi (erat enim vacantiæ tempus) ex advocato mox Justitiario sequenti manè deductus in carcerem. Tum pater, fratresque querelam suam detulerunt ad Regem: qui jussit, ut juvenis puellam sumeret in uxorem. Misit ei ergo D. Amelius, qui rem significaret patruo Comiti Molisii: qui respondit, nequaquam uxorem istam acciperet, satis fore si ei daret ducentas uncias, tantumdem sese superadditurum. Acquieverunt conditioni oblatæ pater, fratresque, utpote ex intima pauperiorique conditione; sed Rex dixit, quod nollet puellæ isti perire fortunam, quam sua forma ipsi acquisierat. Itaque videns D. Amelius, quod aliter non posset evadere carcerem, Rege in proposito persistente, eam sibi despondit. Rex autem suo sumptu nuptias celebravit, dixitque, quod æstimabat eum æquè bonum Equitem, quàm antea: fœminas enim saccos esse, ex quibus quntquot nascebantur filii, interveniente amore, viri magni evaderent: deditque ei Alvarorem in Capitanata. Dicitur nihilominùs quod Comes vehementer indignatus manserit: sed Rex eo actu se justificavit, multumque sibi adjunxit amorem subditorum, ac maximè fœminarum. Aulici autem exinde continentiores multò fuerunt, tamquam septemplici nodo adstricti. Rex quoque sæpiùs egrediebatur noctu, captando aërem, & cantando poemata amatoria in comitatu duorum Musicorum Siculorum, qui erant magni poetastri.

9. Augusti, appulit Barium Imperator Constantinopolitanus, rediens Venetiis, ivitque Rex, ut eum visitaret, magnas delicias ei faciens. Et statim jussit, apparari ludum equestrem; cujus Duces fuerunt quatuor, Comes Biccarii D. Loffredus Loffredi, D. Tancredus de Vintemilla, D. Joannes Aredus, & D. Conradus Spadafora.

Festo S. Bartholomæi factum est hastiludium, fueruntque vigintiduo, qui fortunam experirentur; Bettuninus, & Joannottus Saraceni, qui venerunt flavo, & purpureo colore distincti; D. Robbertus Pecciaellus, D. Gottardus Saxo, D. Athanasius Podericus, D. Balardus Sigenulfus, D. Stephanus Brancaccius Neapolitani, omnes induti sagum nigrum, & flavum; D. Rogerius Stellatus, & D. Mazzeus à Porta, Salernitani; D. Cataldus, & D. Jacobus Protentici, de Tarento, Rienzius Falconi, Gaspar Personæ, & Orlandus Maramonte, Hydruntini; Richardus de Leonissa, Guilielmus de Jevolis, Sarrus de Antiniano, & Petrus de Alenavolis, Capuani; Simon de Sanguine, Sacco de Monte-agano, Laurentius Tortus, & Eleutherius de Valignano, Aprutini.

Die 3. Decembris, venit Despotá Moreæ, qui erat cognatus Regis Manfredi, & excensionem fecit Vestiæ; transivitque ad Papam, si fortè inter ipsum, & Regem posset pacem componere.

Anno Domini 1260 die 9. Februarii, rediit D. Marinus Capecius, & dixit, quod Papa vellet in pacis conditionem adduci, ut Rex Manfredus bona erepta Regno egressis redderet, & à Regno expelleret Saracenos. Rex autem Manfredus respondit, quod duplo plures accersere vellet: itàque fecit.

23. Maii, anni prænotati ex Sclavonia in hæc littora irruit tam violenta tempestas ventorum, ut toto eo, quod inter Castellum, & Tranum est spatio, domus omnes fuerint nudatæ tectis: cucurritque procella per omnem maritimam Principatus: quod in malorum præsagium acceptum est.

26. Maii, appulerunt Saraceni Tarentum: impletaque iis est tota Provincia Hydruntina, & Bariensis.

29. Fuit Rex Neapolim: & dicebatur, quod erat tractatum de efferendis vexillis Ecclesiæ.

10. Julii, venit Comes Casertæ, deducens omnes Saracenos in Campaniam Romanam, ex mandato Regis Manfredi.

Mense Septembri, Rex ipse ivit in Romaniam, & omnia susdeque vertit.

Anno Domini 1261. creatus est Papa Urbanus, natione Francus: qui subitò declaravit, alterius se stomachi esse, quàm fuerat Papa Alexander: misitque qui Regi mandarent, ut sine mora excederet è statu Ecclesiæ. [*Hic fortassis exciderunt gesta annorum duorum.*

Anno Domini 1264. die 7. Aprilis, venit fama, quod D. Rogerius Sanseverinus, Capitaneus egressorum à Regno, militem cogeret, ducturus eum ad servitium Papę, nec modicum Regnicolarum concursum haberet.

Maijo sequenti, Romani quidam, ex parte Manfredi, pepigerunt cum eo, quod tra-

traditurі essent in manus ejus captivum Papam; sed fuerunt detecti, & Papa se subduxit Viterbium: ubi publicavit Cruciatam contra Regem.

Julio mense, descenderunt Franci cruciati sub Comite Flandriæ, & fuderunt exercitum Ghibellinorum, amicorum Regis Manfredi in Lombardia.

Primo Augusti, Rex Manfredus reclusit Saracenos intra Regum, & expectabat Francos ad confinia, mandans Baronibus venire cum armis, & equis, sub pœna perduellionis.

Ipso die S. Bartholomæi, D. Jezzolinus egressus est Barletta cum septem equis: & ego ivi cum eo.

Die sequenti, hospitati sumus ad S. Severum, apud Comitem Gentilem de Sanguine, multumque humaniter habiti.

Mane die 28. Augusti, discessimus simul cum prædicto Comite, secum ducente viginti duos equos optimè instructos, & vesperi divertimus Gambatesam.

19. Gambatesâ processimus in Campum-Vascium, fuimusque urbanissimè excepti à Comite Molisii, & habuimus affatim deliciarum, ac veluti omnia bona Mundi.

Mane sequenti equitavimus, & prandimus in alio Comitis Molisini Oppido, quod dicebatur Bovianum: & vesperi pervenimus Sergussam, comitantibus nos D. Andrea de Jevolis, & D. Bernardo de Carbonaria, & D. Colao de Montnagano, Baronibus Aprutinis, habentibus secum equos vigintiquinque.

Ultima Augusti hospitati sumus ad S. Germanum.

Primo Septembris, pervenimus ad Castra posita in territorio Freselonensi: & eramus equites satis multi.

3. Septembris, venerunt tres nobiles, missi à Neapolitanis, rogaturi Regem, ut faceret pacem cum Papa: quia Neapolis manebat excommunicata, & nolebat Archiepiscopus, ut diceretur Missa. Is autem qui verbum ferebat, nominabatur D. Andreas Fajella, & loquebatur cum magna auctoritate. Rex verò respondit, suam culpam non esse, quod bellum gereretur; sed Papæ, qui ipsum volebat pellere Regno suo: se autem missurum Neapolim trecentos Saracenos, qui curarent per vim ut Missa diceretur: Presbyteros porrò, & Fratres, qui recusarent, ad se mitterent in triremi. Omnes autem responderunt: Domine ne miseris; non enim Neapolis volet hospitio suscipere Saracenos. Rex verò iratus est vehementer.

5. Mensis, misit Rex Neapolim D. Loffredum de Loffredis; dicebaturque, timere, ne Civitas rebellaret. Eodemque die appulit Comes Flandriæ cum Francis, & Castra in conspectu Castrorum nostrorum collocavit.

6. Cohortes duæ Saracenorum abierunt ex Castris, inieruntq; horribilem conflictum cum equitatu inimico: nec ullus eorum vivus evasisset, nisi Comes Fulco Gesualdi cum quatuor cohortibus gravioris armaturæ, processisset in eorum auxilium: ubi tandem inventi sunt occubuisse Saraceni trigintaduo, & Philippellus Caraffa Neapolitanus, scutifer Comitis Falconis, aliique duo milites Beneventani. Ipso autem vespere voluit Rex Comitem Falconem manere in tentorio suo.

7. Rex convocavit Magnates omnes in suum tentorium, ad consultandum, quid fieri oporteret; erant autem Comes Casertæ ex familia de Aquino, Comes Jordanus Pedemontanus, Comes Agnonis, ex familia Carbonaria, Comes Falco Gesualdi, Comes Pandulfus de Grotta, Comes Bernardus Russus, Comes Bartholomæus Gesualdi, Comes Guilielmus Avellanus, & Comes Vintemiliensis, cum tribus Nobilibus Siculis, & quatuor Capitaneis Saracenis. Hi omnes ingressi in Consilium sunt. Nocte autem sequenti, fecit retrocedere Rex totum exercitum: transitoque Gariliano, ibi jussit castrametari, & ipse in persona circuibat ea; munitiones ordinans, & custodias disponens ad singulos passus.

8 Advenit in Castra Comes Molisii cum equitibus sexaginta; Eodemque die receptus est Comes Loriti, cum tribus Baronibus familiæ Caldoræ, & sexaginta equis.

9. Appulit ex Apprutio D. Conradus Aquaviva cum triginta sex equis. Eodem die advenerunt D. Jacobus, & D. Raymundus Capecii cum duabus cohortibus equitum: & nihilominùs magnus erat timor in Castris.

11. Cum crederetur Comes Flandriæ vi tentaturus transitum Gariliani, nuntiatum est, quod retrocedebat Romam versus; id quod Rex Manfredus initio nolebat credere.

Diebus istis miserunt Romani ad Regem, qui orarent, ut deinceps sibi parcitum vellet.

14. Rex publicè dixit, quod vellet Romanie favorem impendere.

15. Omnes Barones, qui erant in Castris, receperunt se ad tentorium Comitis Molisii; concluseruntque protestari, quod non obligarentur de Regno egredi ad bellum Papæ inferendum, sed solum ad Regnum defendendum: Quo intellecto, fecit Rex modestè tractari, ut Barones reciperent se in domos suas; sibi autem mutuo darent eam pecuniam, quam secum in expeditionem attulerant. Hujus autem tractatus mediator fuit Comes Casertæ: itaque est factum.

19. Unusquisque abiit in viam suam & ipsi

ipsi processerunt Romam versus, nos verò redivimus in Apuliam.

Mense Octobri Papa Urbanus misit in Franciam, qui accerserent fratrem Regis, ut veniret ad conquirendum Regnum Neapolitanum; id quod statim innotuit: quia relegati ex Regno, qui apud Papam erant, id scribebant suis consanguineis. Paulòpost mortuus est Papa Urbanus, & creatus est Papa Clemens, Francus etiam ipse.

Anno Domini 1265. sub finem Maii, rescitum fuit, quod Comes Provinciæ, nomine Carolus (*passim dictus Andegavensis*) exercitum duceret in Italiam, ad servitium, & honorem Papæ: quia Papa fecerat illum Senatorem Romanum. Tunc Rex Manfredus dejectus est animo, prævidens ruinam, sibi imminentem.

12. Septembris dictum fuit, quod exercitus Comitis Provinciæ terrestri itinere veniebat in Italiam. Conjectusque in vincula est D. Petruccius Toccus, quia dicebatur, juvare egressos de Regno.

Sub finem Septembris, misit Rex Manfredus Comitem Jordanum, cum quadringentis lanceis, sufficientique pecunia, ut colligeret Regis confœderatos, ad resistendum Francis: cum iisque ibat D. Leonellus Ayossa, ducens pulchram cohortem Neapolitanorum equestris, ac gravis armaturæ.

18. Octobris, equitavit (*Manfredus*) cum novem millibus Saracenorum versus Marchiam: & totum Regnum ei rebellavit.

Hic porrò ingens occurrit hiatus historiæ, transcribenti, vel avulsis ex autographo foliis, imputandus: quis enim credat auctorem huc usque progressum, nihil scriptum fuisse de ingressu Caroli Andegavensis in Urbem Romanam, coronatioueque in Regem utriusque Siciliæ?

Anno Domini 1266. *Hujus quoque anni pars prior deficit, qua narrandus erat cruentus ad Beneventum conflictus partium, 24. Februarii; quando Manfredus occubuit, Urbs, irrumpentibus una cum hoste fugiente Francis, capta est, sævitum in omnem ordinem, ætatem, ac sexum. Non substitit autem diutiùs Beneventi Carolus, quam ut Pontifici Victoriam nunciaret per literas. Nam ipso adhuc, quo fuerat pugnaturum.*

Die S. Matthiæ, discessit Rex Benevento, & vesperi hospitatus est Cerræ, quod est Oppidum Comitis Casertani.

Sequenti die equitavit Neapolim versus: cumque pervenisset ad locum dictum Salicis, exiverunt in occursum ejus Equites omnes, & populus Neapolitanus: Dominus autem Franciscus Loffredi obtulit ei claves Civitatis, fecitque pulchram orationem lingua Fransica. Rex verò Carolus substitit ad audiendum eum, jussitque ut equitaret sibi ad latus. Dominus enim Franciscus noverat Regem, quia tempore Regis Franciæ Ludovici fuerat cum eo in bello Syriaco, faciens passagium contra infideles. Ut autem ingressi sunt Neapolim, ivit cum Archiepiscopo Cusentino ad Cathedralem Ecclesiam.

In eodem ingressu venerunt etiam quadringenti milites Franci, omnes plumati pulchrè, ac decore vestiti; & venusta Cohors Frisonum, speciosis similiter insignis distinctorum: tum plusquam sexaginta Proceres Franci, torquibus grandibus aureis spectabiles; ac denique Regina invecta carpento, quod holoserico villoso cœlestis coloris obtentum, totum liliis aureis conspargebatur, sic ut in vita mea non meminerim rem magis speciosam vidisse.

Postquam Rex fecerat orationem, accessit D. Franciscus Loffredi ex parte Civitatis Neapolitanæ, & petiit captivis gratiam fieri: mandavit autem Rex, ut ii omnes liberarentur, qui jussu Regis Manfredi detinebantur: & prodierunt universi in atrium Castelli, ad pedes Regis deosculandos.

7. Martii, progressi sumus omnes Syndici Provinciæ Bariensis, & ego qui eram Syndicus Juvenatii.

Post festa Paschalia misit Rex Justitiarios novos per omnes Provincias: & ipse egressus est Regno, iturus ad Papam.

12. Martii, venit Justitiarius in Provinciam Bariensem, D. Rainerus Buondelmonte, Florentinus.

Hac æstate Rex favorem præbuit negotiis Papalibus, & Florentinorum, humiliando partem Ghibellinam: quo facto, grande sibi negotium concivit: quia Ghibellini miserunt, qui Conradinum ex Alemannia accerserent.

Anno Domini 1267. Principio hujus anni, filius Regis primogenitus nominatus est Princeps Salerni, & ut talis per Regnum equitavit.

Dominica Palmarum, Rex Carolus Romam rediit, ubi Papa ei dedit Rosam, faciens eum Vicarium Imperii: ob quod fuerunt festa per totum Regnum celebrata. Eodem die extitit ingens terræmotus, & corruit Campanile Bariense, atque alia plura.

Ultima hebdomada Octobris, venatum in Apuliam venit D. Philippus, secundogenitus Regis Caroli.

Eodem anno venit Conradinus in Italiam; & Rex Carolus, qui erat in Francia, confestim redivit Neapolim, invenitque Reginam uxorem suam obiisse.

Primo Novembris, Rex fecit convocari omnes Barones, & Syndicos Provinciarum Regiarum ad Parlamentum, pro die S. Catharinæ. Ipsoque die factum est par-

parlamentum, & concluſum, ut omnes Barones præpararent ſe ad ſequendum Regem in bellum, atque ut populi ſolverent duas collectas.

Iiidemque diebus dicebatur Neapoli, quod D. Petrus Pignatellus ſuadebat Regi Carolo, ut expelleret omnes familias ex ſtirpe Theutonica prognatas, tamquam ſuſpectas in adventu Conradini. Noluit autem Rex, & D. Petrus magnam inde invidiam ſubiit, maximè apud Caracciolos, Ayoſſas, & Putiolos, ſatis potentes in foro Capuano.

In die S. Stephani diſceſſimus Neapoli cum D. Franciſco Loffredi, eunte ad exercendum Juſtitiarii munus in Provinciis Barienſi, & Hydruntina; fuimus autem equites trigintaſex: & in hoc itinere reconciliatus ſum D. Franciſco.

Anno Domini 1268. In capite anni pervenimus Tarentum, atque invenimus totam Provinciam in ſeditionem converſam: & D. Franciſcus miſit Petrillum Rombum, Oriam, & Falconetum Cotugnum, Converſanum; & Marcum de Dura, Caſtellanetam; ad conſcribendum militem. Erant autem tres illi, viri nobiles. Monuit etiam omnes Capitaneos Provinciarum Regiarum, ut ſollicite caverent aliquam proditiorem.

9 Junii D. Franciſcus diſceſſit Tarento, & abiit Altamuram.

Sequenti die, reſcitum eſt, quod Comes Tricaricenſis veniebat ex Capitanata cum multis armatis: mandavitque Capitaneis, ut ſibi occurrerent in Provincia Barienſi: venerunt autem Quaratam.

Sequenti die Petrus Strambone venit, tulitque nuntium, quod Comes Tricaricenſis ſuderat Marcum de Dura ſub Caſtellaneta, feceratque extolli in ſex Oppidis vexilla Imperialia Aquilifera.

Die Veneris ſcilicet 15. Junii, D. Franciſcus recepit ſe Andriam: per viam autem intellexit totam illam Regionem eſſe in poteſtate rebellantium Regi Carolo. Paulò deinde poſt occurrimus Bonfilio Caracciolo, qui fuerat Capitaneus Andrienſis, pulſus verò à Civibus efferentibus vexillum Conradini. Receſſimus ergo in Caſtellum Montis, ibique manſimus cum ſolis quindecim equis. Caſtellum porrò iſtud carebat munitione, & ægrè per quatuor ſociis ſuffeciſſet panis, vinum, & ac lec; equis verò ſuppetebat nihil, & quamvis villici habebant in areis fruges ſatis incommodè tamen habebamur ibi, quia omnes dormivimus ſuper nudam humum.

In die S. Mariæ gratiarum, Comes Tricaricenſis miſit Tubicinem, qui interrogaret D. Franciſcum, utrum ſe ei vellet tradere; hic verò reſpondit: Vade, & dic Comiti, quod melius ex vexillo Conradini faceret ſtragulum equeſtre, & extolleret vexillum Caroli, veri atque legitimi Regis, & ab Eccleſia probati.

Nocte ſequenti ad horam quartam, venit D. Petrus de Grottaliis: & dixit, quod D. Falconettus Cottunius, aliique Capitanei copiarum noſtrarum ingreſſi erant Bituntum, perquam malè concordes.

Nocte ſequenti ad primum ſomnum miſit D. Franciſcus Bituntum, D. Fieramonte, filium ſuum primogenitum: ivitque hic ſolus cum Paulo Pacifico de Averſa.

20. Junii, accepit D. Franciſcus litteras Barletta, quod D. Rogerius Sanſeverinas cecidiſſet Robertum de Petra-palumba, & occidiſſet magnam copiam rebellium, multoſque captivos feciſſet. Eodem die venit D. Fieramonte cum parte exercitus noſtri, equitibus ſcilicet centum quatuordecim, peditibus quingentis, omnibus baliſtariis.

6 Auguſti, D. Franciſcus egreſſus eſt Caſtello, volebatque ire ad colloquium Comitis de Leoniſſa: ſed videntes eum Syndici Andrienſes, accuſarunt D. Bonfilium Caracciolum, quod culpa ejus perdebatur Oppidum, rogaveruntque eum, ut veniret Andriam. Ivimus ergo illuc ſub veſperam, & recuperavimus Civitatem.

8 Ivimus Canoſam in occurſum D. Rogerii Sanſeverinatis, qui erat Capitaneus Generalis contra rebelles, magnaque cum humanitatis demonſtratione exceptus fuit D. Franciſcus. Dominus autem Rogerius ducebat ſecum equites ſeptingentos, magnumque numerum collectitii peditatus.

Veſperi fuimus Quarantæ: & D. Fieramonte pro magna gratia exoravit Patrem, ut mitteretur cum D. Rogerio in Baſilicatam, & Calabriam. Dominus autem Rogerius id gratum habuit, promiſitque ipſum habere ut filium.

Die Martii, inierunt viam Amalfim versus, quo ſe receperat Comes Tricaricenſis: nos autem circuivimus per Provinciam, recuperando Oppida, quæ rebellaverant.

In die S. Laurentii, D. Franciſcus miſit D. Bonfilium Caracciolum ad Caſtra Regia, & ego eidem tuli bis mille ſexcentas uncias: eramus autem viri octodecim, omnes in equis.

Ipſo die medii Auguſti advenimus in Caſtra, quæ erant turbatiſſima: & Don Bonfilius locutus eſt Regi: quod ei ſatis caro ſtetit.

Hactenùs D. Matthæus, morte veriſimiliter interveniente prohibitus reliqua ſubinde iſtius, atque aliorum ſequentium annorum plurium geſta, pari fine, & diligentia penè quotidiana, annotare. Commiſſum eſt enim prælium, in quo forſitan Matthæus occubuit, die 24. Auguſti prælio iſto victus, fugatuſque Conradinus,

&

& cum socio expeditionis Frederico, ultimo in sua linea Austriæ Duce, florentissimo juvene, retractus ex fuga, cum eodem publicè in foro Neapolitano, Iudicante Carolo, securi percussus est, 16. Octobris anni 1269. Quæ tragedia cum tota ferè undecim mensibus secuta sit obitum Clementis Papæ IV. apparet evidens calumnia eorum, qui actionis tam inhumanæ, quæque indelebilem maculam inussit famæ Caroli, suasorem approbatoremque illum faciunt.

EX BEATI JOACHIMI ABBATIS EPISTOLIS, ET ALIIS OPERIBUS EXCERPTA.

DE EODEM.

Joannes Joachimus, gente Calaber, Monachus Ordinis Cisterciensis in Cœnobio Sambucinensi in Lucania, dein Abbas Monasterii de Curacio in Calabria, ac demum Abbas, & Fundator Congregationis Florensis. Claruit ab Anno 1180. ad Annum 1200 in quo videtur obiisse.

Et hæc satis essent ad ostendendum Joachimi statum, & ætatem, nisi præjudicia de ejus nomine, fama, & vaticiniis, in ipso primo limine lectorem averterent, antequam aliquod Historiæ Siculæ Monumentum ex ea afferamus. Ideoque breviori Disquisitione ea expendere decernimus.

Prophetam non fuisse Joachimum, sed conjectura mentis humanæ, aliquando ad verum pervenisse, aliquando falsum protulisse, ait S. Thomas, in librum IV. Sententiarum, Dist. 43. Qu. 1. Art. 3.

Rogerius verò de Hoveden, Historicus Anglus, acriori stilo, nimis hostiliter Joachimum, uti Pseudo-Prophetam, & impostorem insectatur. Vulgari forsan rumore actus fautorum Tancredi Siciliæ Regis, cujus animum Joachimus offenderat, adversa omnia, extremumque exitium, illi prædicens. Cumque nihilominùs prophetico spiritu afflatus ab omnibus haberetur, ipsum, è Calabria accitum, consulere voluit Richardus Angliæ Rex, anno 1190. Messanam appulsus, antequam in expeditionem Terræ Sanctæ vela moveret. Tum maximè, ex eventu contraria dictis, falsa, & stolta Joachimum Regi vaticinatum fuisse proclamat Rogerius. Ex hoc Auctore hauserunt Baronius, & Spondanus ad eum annum, & alii plurimi: Qui colloquii hujus historiam, & Innocentii III. Constitutionum libellum Joachimi contra Petrum Lombardum de Unitate, & Essentia Trinitatis, post mortem ipsius damnantem, modò attendentes, ipsum non modo ex Beatorum, sed penè ex Catholicorum numero, eximere conati sunt. Nihilque perpendunt, Joachimum non fuisse damnatum, ut hæreticum, nec reliqua ejus scripta, vel gesta reprobata; quia se, & omnes libros suos, Ecclesiæ Romanæ judicio approbandos, & corrigendos assignaverat: & Epistolam dictaverat de hac re, sive Protestationem, quæ edita est à Pegna in Parte 1. Directorii Inquisitorum. Propterea post ejus obitum, Innocentius III. laudabilem Joachimi facit memoriam, Libro XIV. Registri Epist. 99. Quinimò, & in supra allata Decretali significatur, Institutioni Florensis Monasterii factæ à Joachimo nihil derogari. Et cum quidam postea calumniarentur Abbatem Florensem, & Monachos, eo colore, quia Fundatoris eorum libellus, ut Hæreticus damnatus erat in Concilio Lateranensi; extat Rescriptum Honorii, successoris Innocentii III. in dicto Directorio pag. 6. quo declaratur, nihil eis obesse, quod contra Joachimi Librum in Lateranensi Concilio statutum erat.

Proinde Joachimi Vaticinia, & Vitæ sanctitatem vindicare studuit Gregorius de Laude, alias de Lauro, Sagittariensis Monasterii Abbas Cisterciensis libro, cui titulus B. Joannis Joachimi Abbatis Apologetica, sive Mirabilium Veritas defensa. Neapoli Anno 1660. in folio. Qui liber in Indice Romano Censuræ subjicitur, donec corrigatur. Qua protestatione præmissa, cui Libri hujus fuerit licitus usus, multa in eo inveniet, ex Operibus Joachimi Abbatis excerpta, Monumenta ad illius temporis Siculam Historiam spectantia; & potissimum observanda tenebit, ea quæ prædictus Auctor scribit.

Pag. 68. Cap. 28. De B. Joachimi ad Tancredum Regem accessu; & de Floris loci impetratione, & ampliatione donorum, & annuorum victualium.

Pag. 70. Cap. 29. Philippo Regi Galliæ, & Richardo Regi Angliæ, Messanæ appulsis, vera prædicit de eorum in Terram Sanctam expeditione. Apologiam pag. 73. contexit contra id, quod affirmat Baronius ad an. 1190. & quod nusquam in expositione Apocalypsis extant quæ affert Baronius.

Pag. 76. Cap. 30. Ex Constantia Regis Rogerii filia, prædicit funestam Italiæ facem exorituram: aliqua de eodem eventu recensentur. Animadvertendum verò venit, quod circa Constantiæ ætatem cum desponderetur, Matrimonii celebrationem, & partum, Abbas Laurus falsis assentit, & reprobandis traditionibus.

Pag. 85. Cap. 31. Henrico VI. Imperatori, post primum in Apuliam ingressum, discessum inglorium, & secundum accessum glo-

gloriosum prædicit.

Pag. 90. Cap. 31. Tancredo Regi Siciliæ, ejusque natis sinistra prænunciat intrepidè.

Pag. 91. B Joachim Henrico VI. obviat, & invenit gratiam coram oculis ejus.

Pag. 107. Henrico VI. Imperatori adversantia revelat; capite 2 in Jeremiam pag. 14. col. 1. Impressionis anni 1515. & cap. 20. pag. 45. col. 4.

Pag. 110. Cap. 4 Quæ contra Fridericum II. Imperatorem Beatus Abbas prædixerat, non caruerunt eventu. Per totum Caput, usque ad pag. 131.

Pag. 264 Cap. 62. Opera à B. Joachimo composita enumerantur. De quibus Possevinus in Apparatu Sacro, litt. Jo. impressa pluries Venetiis apud Lazarum de Soardis, Berardinum Benalium, Franciscum Bindonum, Masseum Pasinum, & Simeonem de Lueri. Et Coloniæ apud Ludovicum Alectorium Et Ferrariæ apud Victorinum Ballinum. Inter ejus opera est liber Epistolarum ad Constantiam Imperatricem, & ad diversos.

Joachimi Abbatis spectato nomini seriò etiam consulis Apostolica Sedes, quando Monasteria, quæ supererant Congregationis Florensis, reflorescere jussit sub communi Regula, observantiaque Ordinis Cisterciensis; nimis propriam aboleverat neglectus usus: & amplissimis Decretis pro integritate famæ Joachimo mortuo servanda conditis, ejus honorem asseruit: neque aliquid unquam voluit immutatum circa eam reverentiam, quæ ipsi, potissimum in suo Floris Monasterio, ab omni retrò memoria delata est, & in hunc usque diem perseverat.

Pro vindicanda Joachimi fama celebres Auctores calamum exercuere: in primis Joachimum laudat.

Joannes Tritemius Abbas de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Theophilus Raynaudus, in Hoplotheca contra ictum calumniæ. To: XII. Operum, pag. 150. ubi Joachimi Propositionem de Trinitate ab Innocentio III. damnatam, ab Æmulis suo Florensi Monasterio infensis confictam, & Pontifici in Concilio Lateranensi delatam, enunciat.

Godefridus Heschenius, & Daniel Papebrochius B Joachimi Vitam in Actis Sanctorum Mensis Maij Tomo VII. die 29. ejus Mensis, edentes, eruditis Notis, & Elucidationibus illustrarunt, cujus Capita hæc sunt.

Pag. 125. Disquisitio Historica, de Florensi Ordine, Prophetiis, & Doctrina B. Joachimi.

1. Ordinis Institutio, incrementa, desolatio.

2. Rei temporalis in Monasterio Floris sub Abbate Joachimo status.

3. Quos libros, quando, & quo spiritu, Abbas Joachim scripserit.

4. Quam solidè, Catholicèque de Mysterio Trinitatis Joachimus in Psalterio scripserit.

5. Propheticus B. Joachimi spiritus, veris rerum eventis comprobatus in Henrico VI. ejusque posteris.

6. Destruuntur figmenta, quorum occasione suspectus quibusdam fuit Abbatis Joachimi Propheticus spiritus.

7. Quid de Joachimi circa Antichristum doctrina Adam Perseniæ Abbas, quid Theolosphoro Eremitæ fuerit cælitus revelatum.

8 Oracula Florensi Monasterio à B. Fundatore relicta circa Religiosos Ordines noviter nascituros.

Daniel item Papebrochius eruditissimam pro B. Joachimo Apologiam contexuit in Responsione XVIII. ad P. Sebastiani à Sancto Paulo, Carmelitæ discalceati objectiones, impress. Antuerp. an. 1696. in 4.

Franciscus Florentinus To: I. Operum Juridicarum ad tit. I. Libri I. Decretalium pag. 68.

Emmanuel Gonzalez in lib. 1. Decretal. Cap. 2.

Angelus Manriquez Tom. III. Annal. Cisterc. ad an. 119 . cap. 2. n. 6. & To: IV. ad an. 1215 cap. 5.

Pauca igitur Excerpta ex B. Joachimi Abbatis Epistolis hic seligere libuit, contenti annuisse studioso Lectori loca, unde extrahere ex eodem Authore copiosiora Monumenta poterit.

Scribit supracitatus Abbas Laurus Cap. 32. pag. 90 quod relatum fuerat Tancredo Regi Siciliæ Beatum Joachim Abbatem dira de eo prædixisse coram Henrico VI. Imperatore: & quod propterea Rex excandescens extremam ruinam Monasterio, & Joachimo comminatus fuerit: de quibus B. Abbas ab amico suo admonitus, eidem rescripsit Messanam.

ACcepi literas tuas, ex quibus Tancredi Regia minas contra me, familiamque meam furentia intellexi: a sed præsidium Altissimi non modò servabit Cœnobia, Patriamque meam, sed omnia in bonum convertet. Suscitabit ab Aquilone potentiam, & rursus confringetur cornu superbi. De cætero incessanter oro pro te, & Civitate tua, (idest Messana) cujus origo ferè cęlestis splendidissimas stellas omni tempore parit; quam pacis, bellique studia semper illustrant, nec Omnipotentis protectio unquam eam deseret; quando erit sanè tempus, quo sublimioribus Europæ Civitatibus compacabitur, & immensum decus conquiret. Vale frater dilectissime, & me fratresque meos, qui te salutant, commenda Deo in orationibus

bus

bus tuis. Iterum vale. Nonis Octobris millesimo centesimo nonagesimo primo. Frater in Christo, & famulus, Joachim Abbas Florensis. *Et cum non cessaret B. Joachim, quæ prædixerat contra Tancredum Regem Siciliæ, confirmare Henrico Kalà Duci Suevo Henrici VI. consanguineo, & Friderico Lancea Squillaci Comiti, qui in Apulia pro Imperatore stabant, & de prædictionum veritate confisi audaciùs ejus partes armis promovebant; hoc audiens Tancredus, iracundia valdè commotus ita Viro Dei minaciter scripsit.*

Quis, & qualis fuerit, Normannorum erga Sanctam, veramque Fidem, pietas, statim ac illam novere, omnibus luce clariùs est manifestum. Nonne tot hostium exterminia, tot auxilia Summis Pontificibus proprio sanguine præstita, totque Templa, totque Cœnobia adeò magnifica, ex utraque Sicilia constructa, Religionis nostræ clarissimum testimonium perhibent? Nonne Guillelmus, cognomine Ferabrachius, gloriosissimæ, & Sanctæ memoriæ, impios Ecclesiæ hostes Saracenos primus exterruit? Nonne invictissimus Avus noster Robertus Nicolaum Pontificem Maximum, Ædemque Sanctam Catholicam, ob Romanorum perfidiam ita labentem, Deo annuente, firmavit? Præterea quæ tum idem, tum potentissimus ejus frater Rogerius mirabiliter effecere: ideò dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit eos. Sileo in æternum memorabilis Boemundi nostri triumphos in Dei Civitate, sanctissimoque Sepulchro liberandis. Linguo majore alia . . . . . . quæ Majores nostri pietatis, & Religionis ergo; adiicio dumtaxat in pudorem, confusionemque vestræ ingeram paternitati, quantum inquam invictissimus nepos noster (*supple Guillelmus Bonus, nam nullum alium nepotem habuit, ut ex historiis colligitur, qui pro nostro Alexandro Tertio decertaverit*) insudaverit, ut Alexandrum Pontificem Maximum, Ecclesiamq; Catholicam à Frederico Ænobarbo prorsus oppressam, & profligatam eleveret. Paternitas tamen vestre eundem, quo ad fieri poterat, fovisti, ac foves; qui diabolicas partes sectatus, Ecclesiæ nuper destructionem totis viribus procuravit; nec prioribus erga me facinoribus commissis contentaris, verum etiam nunc obstinatior ravocas occultis tractationibus in Calabriam Henricum Kala Suevum; & Federicum Lanceam Neapolitanum, ut rursus commoveant populos. Quapropter igitur testor Deum, ut excusatum me habeas, si brevi in utraque Sicilia constructa Cœnobia Ordinis tui (*supple Cisterciensis, quippe vix novi Monasterii Floris fundamenta jecerat, quando Tancredus ita scribebat, neque Florensis Ordo tunc erat institutus*) cuncta, injustè irritatus, demoliar.

Accepit Joachim, & legit epistolam sibi à Rege directam, & nihil pœnitus ob illam mutatus, impavidus, constans, & intrepidus, Tancredo Regi in hæc formalissima verba rescripsit.

Joachim Abbas ad Tancredum Regem, & Comitem alius. Perlegi minacem epistolam Majestatis tuæ, cui nunquam officere voluit sed voluntatem Regis Regum Dei adimplevi. Hæc dicit Dominus: Egredietur rursum, ut ignis indignatio mea, & succendetur Rex impius, cadet, qui sedet in axe, & ob desperationem tabescet. Nati ejus florilescent ferro, & oculi eorum igne perdentur, ut pereat memoria generationis suæ. Oro tamen incessanter, ut avertat Deus iram suam à Majestate tua, quam humillimè, ut par est, revereor. Ex Monasterio Florensi, Nonis Julii, Millesimo Centesimo Nonagesimo tertio.

Nec multò post Prophetæ Domini verbum ex parte completum Tancredus compertum habuit in seipsum; quippe Rogerius ejus primogenitus, quem unà secum ad Regnum evehi voluerat, postquam Irenem Isacii Imperatoris Orientis filiam duxisset in uxorem, nulla relicta prole, hominem exuit. Ex immaturo cujus obitu talem dolorem hausit Tancredus, & adeò acerbè tulit, ut non multò post in principio anni 1194. vitam cum morte Panormi commutaverit, desperanter, ut tradunt Sigonius, & alii. Tribus filiabus relictis, Alteria nempè, Constatia, & Madonia, & filio secundogenito Guillelmo. Istum adhuc puerum Regina Sibilla mater mox Regem Siciliæ coronandum curavit, quod facillimè obtienit, Regni Procerum consensu. Quam Siciliæ Regni coronam haud ferre potuit, siquidem, ut ex Sicula Historia patet, in Henrici Sexti regressu exæcatus, & eviratus in captivitate, ultimus generationis suæ; in Alemannia obiit. Sic totaliter completum visum fuit vaticinium contra Tancredum Regem à Joachimo prolatum.

EX ANNÆ COMNENÆ ALEXIADOS LIBRIS EXCERPTA.

DE EADEM.

ANna Comnena, Alexii Græcorum Imperatoris, & Irenes filia, An. 1083. nata. Nicephori Briennii Cæsaris Uxor. Teste Zonara, acutissimo ingenio prædita, obstrusissimas contemplatione facultate, partim naturæ bonitate, partim industria, & studio, consecuta est. Anno 1 48. scripsit fusissimè, ac elegantissimè simul XV. libros, quos Alexiada appellavit, de Rebus Gestis Alexii Patris sui, ab Anno 1069. usque ad obitum ejus, An. 1118. Odio illic in hostes transversa, injuriosè omnia de Gregorio VII. Pontifice Romano, inter Divos relato, & de Latinis omnibus, præcipuèque de Roberto Guiscardo, & ejus filio Boemundo, & de illorum expeditionibus in Epyrum, Græciam, & Palestinam, pleno ore congessit, Patria quippe, Parentis, dogmatum suæ Religionis extrema pericula cum describeret, quid mirum, si muliebrem animum tot instantia discrimina abripuerunt, ad ementienda eventuum veritatem, prout mente adversa conceperat? Quod vitium, Nicetam, Nicephorum Gregoram, cæterosque posterioris ævi Græcos Scriptores, in latinos; & Romanam Ecclesiam infestos, persuasit. Cordatus autem lector Historiam suis momentis, non Autorum affectibus ponderet. Tali enim consideratione si pervolvantur, & Anna, & prædicti Græci Scriptores, velint, nolint, Normannorum Principum militarem virtutem, simul pietatem, recto præd tis jud cio connotabunt.

In Annæ Exceptis nihil, ad Res Siculas quod pertineat, inveniri inconfesso est; præclara tamen facinora in iis contineri illustrium illorum Heroum, per quos Siciliæ Regnum à Saracenorum captivitate liberum, & in Orthodoxa Religione firmum per tot sæcula permanet, inficiari haud potest aliquis ideoque ad nostram interest gloriam, fortissimos inextricæ nostræ felicitatis Assertores, qui fuerint, ostendere.

EX LIBRO I.
Longè post initium.

HUjus generis insanabile, atque ineluctabile, perniciei malum dixerim celebre illud exemplar tyrannicæ dementiæ fastuosum, impotentemque Robertum, cui genitrix quidem Northmannia, vafrities, malitiaque omnis generis obstetrix altrixque fuit. Hunc sibi hostem armavit inseque proritavit Romana Respublica intempestiva imprudentique affinitate, quæ res natura dissociabiles Græca cum barbaris, nostra cum alienigenis connectere aggressa, bellum internecinum, & exitiabile innupti, infaustique conjugii prolem sustulit. Id adeò mali contractum est ejus imprudentia, qui tum rerum potiebatur Michaelis ex Ducarum familia propagatis genus, unde meum quoque maternum profluit. Cæterum indulgeri mihi jam hinc postulo, potiùs meo mihi jure sumo, ut ne ab iis quidem qui mihi quantavis cognatione, aut consanguinitate conjuncti sunt, abstinere reprehensionem in tempore debeam: utique quamdiù hoc fungar munere profitendæ, publicandæque sine fuco veritatis: cujus propositi atque officii præscriptione omnibus me omnium in hoc genere querelis satis occurrisse arbitror. Hic igitur, quem diximus Imperator Ducas Michael filiam istius Barbari suo ipsius filio despondit Constantino. Atque hinc illæ lachrymæ, & prætextus hostibus abrumpendæ pacis, sævoque nos bello lacessendi. Sed de hoc Michaelis filio Constantino deque ipsius nuptialibus conventis, deque toto hoc negotio barbaricæ affinitatis, uti & qua forma, quave proceritate corporis floruerit is juvenis, quæque indole, ac patria fuerit, suo tempore d cemus: tum nempè cum proprias ego miserias lamentabor meas, post narrationem expletam, & affinitatis hujus, & malorum, quæ ex ea redundarunt omnium, cladesque ultimæ exercitus barbarici, cum supremo exitio Tyrannorum Northmanniensium, quorum vim, atque impotentem audaciam inconsultè Michael Ducas tali affinitate contrahenda in Romanum Imperium vertit. Verùm priùs oportet resumpto altius sermone Roberti hujus primordia exponere: quo genere ortus, qua fortuna usus: quantum in apicem potentiæ series eum, & velut cursus quidam, ac fortuita congeries variorum eventuum extulerit: vel, ut religiosiùs loquar, quo eum usque provehi divina providentia permiserit, sapienti connivenita malitiosis ejus ausibus, atque artibus successum indulgens. Fuit hic Robertus Normannus genere, (1) fortuna ignobilis, ingenio tyrannico, animo versutissimo, (2) manu strenuus, ac cum in opes, & fortunas magnatum hominum adjectis cupiditatis oculis incurreret, ineluctabilis violentiæ; postquam verò semel aliquid destinaverat, ac perficere decreverat invictæ in urgendo cepto perseverantiæ. Tantus erat statura (3) corporis, ut maximos excederet, cutis colore rutilo, coma flavus, latis humeris, oculis ita vegetis, ut haud dubiè scintillare vide-

viderentur, cætera conformatione membrorum ubi latio extentio decebat, concinnè porrectus, & sine labe vastitatis, ubi cogi in angustum plus, aut formæ ratio postulat, atta quadam naturæ tornatus in levitatem expeditissimam. Adeoque à summo vertice, ut à multis audivisse memini cum visa referrent, ad imos talos, omni absolutione perpolitus, & quasi ad ideam fictus extabat. Vocis sonum, quod attinet Homerus quidem de Achille memorat, eo loquente videri solitum adstantibus sese vocem audire tumultuantis multitudinis; hujus autem, ut ajunt, clamor myriadas ipsas integras percelleret, in fugamque verteret. Sic à natura, à fortuna, ab animi, ac spiritus indole comparatus, libertatis erat retinentissimus, ac nemini planè omnium servire, aut abnoxiè obsequi sustinens: quem magnorum mentium, utcumque humili fortuna depressarum, esse characterem ferunt. Ab hoc tedio dominatus alieni patiendi, movet è Normannia patria, cum equitibus omninò quinque, pdditibus triginta.(4) Cum iis saltus insedit, ac speluncas circa montes avios Longobardiæ,(5) ubi latrociniis in viatores exercendis equos, pecunias, arma sibi, suisque comparavit. Hæc ei rudimenta vitæ, atque exordia fuerunt cædibus, & sanguine humano maculosa. In iis cum esset diutiùs venit in notitiam Guilhelmo Mascabelli, qui per ea tempora dictioni tenebat magnam partem objacentium Longobardiæ Regionum. Unde, & magnos colligens annuos reditus, justos ex iis exercitus alebat: quæ res eum potentiæ nomine latè inclytum fecerat. Is Roberti dotes animi, ac corporis, quas diximus prædicari audiens, conciliare sibi hominem affinitate statuit inconsultè, ut exitus monstravit. Igitur ei unam ex filiabus despondet suis,(6) nuptiisq; post paulò perfectis beatus sibi videbatur, quod talem, tantæ fortitudinis, tamque experientem rei bellicæ sibi adjunxisset generum. Suamque hanc gratulationem, ac lætitiam magnificis sancivit donis, cum Roberto & dotalem Civitatem unam è suis attribuit propriam, & multis eundem aliis liberalissimè muneribus donavit; quorum beneficiorum fructum nequaquam eum, quem speraverat, quemque par erat, miser recepit. Citò enim Socero invidens Robertus vimque in eum cogitans, paransque, malum animum dissimulatione pressit al quamdiù, quo-ad videlicet confirmasset sese. Mox tamen ubi turmam suorum equitum in triplum auxisset, peditum verò dupplicasset numerum, abundè se jam instructum sentiens larvam deponit, nudaque, ac libera grassari malitia incipit; gradibus tamen in eo procedens quibusdam, & sensim ferens, atque ostendens alias ex aliis simultatum causas, vafer jaciendorum seminum unde contentionum, ac bellorum seges existeret. Quoniam verò usu ipso, ac reputatione virium, tum suarum, tum adversarii facilè se imparem aperto certamine Robertus sensit, homini opibus amplissimis, ac copiis subnixo, versus ad artes subdolas, amicitiam cum eo redintegrat, pœnitentia simulanda nuper ausorum. Simul interim insidias moliens, quarum fraude, ac secessu ditione sua universa censibusque, ac vectigalibus miserum spoliaret. Pacem igitur ultrò ac reconciliationem postulat; utque conveniat inter ambos de re tota condici diem, ac locum expetit mutuo colloquio. Mascabeles, qui filiæ ingenti amore teneretur, spem recuperandi generi cum gratulatione accipit, congressumque pro ejus lubito condicit. Locum Robertus eligit. Colles erant duo pari ferè altitudine campo prominentes, è diametro oppositi, horum intervallum palustre, atque arbustis fruticibusque densum aptum ad insidias Roberto visum. Ibi quatuor fortissimos armis instructos viros collocat, cum mandato, ut omnem in partem circumspicerent, simul autem se ipsum manus cum Mascabele conferentem animadvertissent, statim ad se accurrerent omnium securi. His ita dispositis fraudolentissimus Robertus alterum quidem collium, quem colloquio delegerat nullis insessum copiis habuit, alium præsidio sibi asseruit equitum quindecim, peditum sex supra quinquaginta, quos ipsum conscendere, obtinereque jussit; cum paucis tantùm præcipuis eorum consilii summa communicata: unique nominatim ipsorum negotio dato, ut sua ipsius arma secum ferret, clypeum, galeam, & acinacem, quibus facilè cum opus foret indutus una cum quatuor in imo subsidentibus ad primam speciem conferentis manum cum Guillielmo Roberti huic suppetias accurrerent. Horum ignarus Guillelmus constituta die venit in designatum sibi à Roberto locum, quem & ipsum eodem se cõferentem procul cernens, benevolentissimè procurrit ei obviam in equo, salutationeque, & complexu amicissimo dignatur generum. Ventum in congressus locum est, qui erat in proclivitate collis statim infra verticem. Ibi quæsitis sermonibus aliquo tempore consumpto, quidni, Robertus ait, emissis equis aliquanto commodiùs in herba confabulaturi residemus? Acquiescit simpliciter Mascabeles, & priùs desilentem Robertum, & ipse imitatus, humi accubens cubitoq; innixum caput sermonem continuabat. Hic Robertus simulata verborum officia ingeminat. Fidem æternam pollicetur Socero, bene-

benefactorem eum sæpiùs, & Dominum appellans. Quos tam familiariter tamque amanter agentes inter se conspicati Mascabelis Comites, suspicatique ex captata sessione longum ipsis colloquium fore, desilentes & ipsi ex equis, paulò etiam cum & æstu media jam die, & fame, ac siti laborarent, tum ex vertice, quem resederant meridianis infesto radiis, in vallem umbrosam descendere, imò nonnulli frænis equorum ad ramos ligatis humi procumbere, frigusque captare, quidam denique domum etiam repetere. Ita illi dum intentus destinato sceleri Robertus ubi maturum censuit repentè voce, ac vultu mutato inclementiùs insurgit in Mascabelem, proque oculo miti, & obnixo sanguinarium, & inflammatum ferens, manum quoque infert violentam Socero: qui cum sibi, & ipse manu succurreret, commissa lucta est, per quam vario utriusque conatu ad extremum per declive in preceps ambo devolvebantur. Hoc animadverso qui latebant in insidiis viri quatuor, emergentes è palude strenuè accurrunt adversus Guillelmum, quem facilè vinctum attrahebant ad equites Roberti, alterum, ut diximus, insidentes collem: qui & ipsi re procul observata, per pronam jugi costam festinare ad eos cęperant. Interim sero animadversa fraude, Comites Guillelmi, quasi vendicaturi Dominum à tergo insequebantur. At Robertus equo conscenso, induta galea, sumpta, & vibrata ferociter hasta, objectoque in sui munimen clypeo conversus, unum ex eis hasta transverberatum interficit: quo facinore refrigeravit impetum Guillemianorum, spemque ipsis excussit sui Principis recuperandi. Ergo extemplo reliqui, alia insuper specie perculsi apparentium jam equitum Roberti inque ipsos infestis hastis pergentium, terga verterunt. Ducitur itaque impunè captivus, vinctusque Mascabeles, & in ipsam quam in filiæ dotem egregio genero miser donaverat arcem includitur. Habuitque tum illa Civitas sub præsidii custodia proprium Dominum, meritò propterea Frurium, hoc est præsidium sive arx dicta. Nihil autem vetat reliquam perrexere Roberti crudelitatem. Semel enim Socero potitus dentes ipsi sigillatim omnes excutis; immensam quandam nummorum summam in singulos pronuncians, & ubi dicta summa reperiri posset indicare cogens. Ad extremum exhausta pecunia cum dentibus, in oculos involat Guillelmi, quos eruit crudelissimè, (7) Hac præda locupletatus majoribus deinde in die augmentis fiebat seipso potentior; Urbes Urbibus, pecunias pecuniis adjungens, donec brevi ducale fastigium adeptus, Dux Lõgobardię universę nominari cęptus est; (8) unde omnium invitata invidia est, quam ipse pro solita atque innata sibi prudentia facilè placavit: partim plebejos maximè homines in se counientes donis, ac largitionibus exarmans, interdum ubi ars non sufficeret, vim adhibens, ac cum armatis irrumpens, denique omnem qua manu, qua consilio non Longobardiam solùm, sed vicinam quoque circumquaque sibi subjecit firmavitque Regionem. Hinc jam altius semper aliud cogitans, & præsentem magnitudinem pro gradu ad speratam habens, ausus etiam est ad imperium aspirare Romanorum, occasione tantæ rei tentandæ unde dixi supra: videlicet ex affinitate, quam Michael imperator, nescio quo usus consilio cum ipso contraxit, despondenda Tyranni hujus filia Helena vocata Constantino suo filio. Iterum autem illata mentione adolescentis hujus magnis mihi motibus agitur, fertur animus, ratioque conturbatur: Non digrediar tamen, nec totam de eo narrationem hic, alieno loco inseram, quam in proprium, ut jam dixi, servo; illud silere non sustineo, quamquam importunè dici sentiam: fuisse illum juvenem pulchritudinis exemplar quasi à natura nihil sibi reliqui faciente fictum: imò Dei manuum potiùs opus excellentissimum, & ex quo de artificis industria statui posset, quem vel de primo aspectu quilibet intuens, illicò perculsus exclamaret: ejus planæ quem Græci fabulantur aurei generis hunc verissimam esse propaginem, adeò splendens, & rapax vis in eo absolutissimę pulchritudinis extitit. Mihi sanè nec tot annorum lapsus, ex quo illum non vidi, delere aut hebetare in animo speciem ejus adhuc potuit; adeò ut ne nunc quidem illius recordari sine uberibus lacrymis queam. Teneo tamen, ut possum lacrymas, & eas in idoneos meorum temporum locos reservo, ne privatos questus calamitatum propriarum, publicarum rerum narrationibus immiscens, historiam perturbem. Hic porrò adolescens, cujus jam iterum meminimus, nobis aliquanto natu major, jam tum antequam nos solem videremus sponsus Helenæ Roberti fuerat, planè impollutus, ac purus. Conscriptaque inter ipsos connubialia facta fuerant, quamquam ea inconsummata manserunt, nihil ultra promissiones progressa, tum quidem propter immaturam pueri ætatem, deinde etiam mutata republica (9) Occupans siquidem Imperium Nicephorus Botaniates, ea penitus abrupit. Verum à narrandi serie digressam me sentiens ad iter redeo. Robertus igitur ex obscuris natalibus in excelsum evectus fortunæ verticem, nihil supra spes suas, & earum, quibus se succinctum videbat opum, ac virium facultatem ratus, in eo quoque elaborare statuit, si pos-

si posset consequi, ut Imperator Romanorum crearetur. Ac belli quidem, & offensionis prætextus speciosos ei suppeditavit affinitas, de qua diximus. De re porrò, ut se habuit, duplex ad nos fama emanavit. Prior quæ maximè invaluit, quaque fateor occupatas aures meas, habet: Monachum quendam, cui nomen fuit Rector, simulata persona Imperatoris Michaelis, ad Robertum tamquam ad affinem, & filii sui Socerum confugisse, lamentatumque apud eum cladem suam, auxilium implorasse. Nam is Michael sumpto Romanorum sceptro post Diogenem, non diù fruitus Imperio, exautoratus à Botaniate fuerat, in ipsum rebellante, à quo & adactus est Monachi primùm professionem, ac vestem, postea verò Archiepiscopalem talarem, ac cidarim induere. Cogitarat quin etiam Epomidem, consilio sui patrui Cæsaris Joannis, qui levitate illius, qui tum potens rerum erat, perspecta, meritò verebatur, ne suspectus ei factus graviùs quiddam pateretur. Hunc se esse simulavit Monachus ille, quem diximus Rector, verè actor alienæ personæ, atque impostor omnium, qui unquam extiterunt audacissimus, ac cum ista larva Robertum tamquam videlicet consocerum adit, eique quid esset injuriæ passus miserabiliter exponit: exturbatum se nempè regio throno, eo sortis, ac vestitus redactum, proinde implorare se opes, ac potentiam ejus ad ultionem de Botaniate sumendam, cujus rebellionis scelere non ipse tantùm Michael, sed Robertus quoque violatus esset, genero ipsius Constantino per vim in tyranni partes abstracto, una cum Imperatrice Maria, filia verò Roberti Helena per tale facinus vidua reddita. Hæc dum vociferatur facilè commovit irritabilem alioqui Barbarum, atque ad bellum Romanis inferendum armavit. Ea ut retuli sic ferri passim audivi. Nec magnoperè miror existere hujusmodi vilissima capita, qui personarum genere, ac dignitate illustrium sibi larvas circumdent, & ostentent impudentissimè. Verùm alia me aliunde, eademque credibilior fama circumsonat: neminem fuisse plagiarium Monachum, qui ultro in Michaelis quondam Imperatoris nomen invaserit, Robertumque provocarit: nugas eas præstigiasque esse: nihilque aliud nisi artificis scelus Roberti ipsius fæcundissimi ad fraudes ingenii. Nimirum is dudum concepta Romani Imperii sibi bello parandi, apparatibus rei tantæ jam, ut ibi erat conscius, maturis, parturiebat impotens animi, & rumpere consilio exitum omni conatu moliebatur. At obstabant præcipiti incepo injusti belli adversus Christianos suscipiendi tum plerique Principum, qui ei aderant, tum ipsa ejus conjux Gaita, qui quoties istam pruriginem lacessendi Romani nominis Robertus ostenderet, nullum finem dissuadendi faciebat. Igitur ad suam sententiam trahendi talem viam iniit. Mittit certos homines Crotonem arcanæ mentis suæ conscios. Clam nempè in aurem monitos, ut si quem ibi reperirent Monachum è Græcia limina Apostolorum cogitantem, quem aspectu, & congressu non ineidoneum ad rem, quæ parabatur, judicarent, exciperent hominem, comprehenderentque officiis, omninòque ad se adducerent. Occurrit istis Crotone commodum is, quem dixi, Rector homo versutus, & simulandi quidvis, dissimulandique summus artifex. Aptius nihil visum ad Roberti propositum. Litteras ergo ad ipsum Salernum mittunt in eam formulam scriptas, quam ipse præscripserat: quibus significabant, consocerum ipsius Michaelem Imperio pulsum, profugumq; in Italia Crotonæ esse, mox ad ipsum transmissurum auxilii rogandi causa. Has litteras repentè Robertus, ut adhuc primùm patentes in manu habebat, conjugi primùm legit, tum Comitatus sui viros illustres, ac Principes convocans, quid nuncii proferretur docet. Illi omnes re facilè credita, nequaquam negligendum affinis Principis casum Roberto assenserunt. Qui mora nulla facta accersit hominem, cultu, & comitatu ambitiosè ornatum personam decenti, quam mentiebatur. Iste autem actor nequaquam malus, aut immemor, tragediam apud omnes totam plausibiliter agebat, gestu, vultu, verbo, habitu, exturbatum se throno, uxore, ac filio privatum à tyranno Botaniate ferens: quin etiam ab eodem injustissimè tenia exutum, ac diadematè, Monachica veste circumdatum, quibus tantis injuriis adactum advenire se supplicem. Hæc à Roberto auctore dramatis dictata reddebat non illepidè Monachus Rector. Nec ipse suis partibus Robertus deerat, palam ferens dignum videri hominem sic de se meritum, qui per se, ac suos priori fortuna redderetur. Ergo ipsum toto choragio talis pompæ adornabat, quotidiè affectans, prioríque Sede, ac sublimiore trhono dignans, honoreque in omnibus præcipuo, necnon studiosè aptatis ad somniem fortunæ prioris compellationibus prosequens. Quem ille vicissim nunc de injuriis, quas esset in filiæ persona passus, consolabatur. Nunc respectu consoceri, & metu facessendæ molestiæ pietati ejus ad condolendum paratissimæ, revocari se ajebat à suis ipsius malis memorandis. Nunc Comites, atque insignes Duces spectatores fabulæ variæ inducens ad consciscendum haud dubitanter bellum cum Romanis, ex quo ip-

sorum quisque opum acervos, ac revera montes aureos relaturus esset. Tali nimo Robertus inductis animis; egentibusque juxta, ac locupletibus spe cuique propria oblata in honorum pariter rerum cupiditatem animatis, Longobardia discedens, aut potiùs universam secum trahens Longobardiam, (10) Salernum venit. Melphutum (11) ea Metropolis est. Ubi duarum quæ restabant filiarum (12) celebratis nuptiis (nam tertia, ut diximus, Constantinopoli mœrebat, ab ipsis primis sponsalibus vidua, quippe quam ejus sponsus impubes adhuc plane sic aversabatur atque omnem affinitatis mentionem ejus, ut pueri spectra larvasque mostrosas solent) celebratia inquam ibi filiarum duarum nuptiis, quarum altera Raymundo filio Comitis Barcinonensis despondit: alteram conjunxit Eubulo illustrissimo, & ipsi Comiti. Quæstuosis Roberto, & ad propositum præsens capessendi belli magno judicio quæsitis affinitatibus potentissimorum hominum. Adeò prudens Barbarus tela congerebat ex omni Sylva, Gallos communione generis, Hispanos, atque Italos necessitudine variarum affinitatum, subditos vi atque Imperio, alios aliis incredibilibus, atque insuspicabilibus perpellens artibus ad nomen in destinatam sibi militiam profitendum. Non est autem silendum cur, qui tum erant Occidentia Principes crescere hanc novam ex nihilo exortam Roberti potentiam in tantum impunè siverint: neque indignationem, atque invidiam, qua sine dubio in eum commovebantur, prodire passi sint usque ad conatum disturbandi, atq; obterendi res istius novi principatus in teneris adhuc initiis fragiles, in quo non vulgare perspici documentum potuit felicitatis ejusdem Roberti, hominis, quem fortuna in omnibus eximium habuerit, cuique augendo, atque ornando vires suas haud parcè semper impenderit. Diciderat Occidentem universum in duas tum factiones, magna exorta inter Papam Urbis Romæ (est is Principatus non inermis, sed multis undique, ac magnis militaribus succinctus copiis,) & Henricum Regem Alemanniæ controversia. Avertit ea res utriusque partis Principes à cura obstandi profectibus Roberti ad studium ejusdem adjungendi sibi Papa præsertim, qui vicinior erat, majori spe, atque ambitu ad Normannum suæ causæ conciliandum incubuit. Porrò ea, quam dixi, controversia in his ferè vertebatur. Accusabat Regem Henricum Romanos Pontifex, quod Ecclesias non gratis, ut par erat, conferret, sed interposita pactione donorum venderet. Quod etiam Indignis hominibus Sacerdotia, & Episcopatus committeret. Rex Alemanniæ vicissim Papam agebat reum illegitimæ invasę dignitatis, quippè sine suo consensu in Apostolicum se thronum intrusisset. Quo in jactando crimine elatus iracundia Rex excussa omni Pontificis reverentia, insolentioribus verbis comminatus ferebatur, sese nisi ultrò Sede ocupata Papa cederet, ignominiosè ipsum ex ea ejecturum. Hujus auditæ contumeliæ iram omnem Pontifex in Henrici Legatos talium minarum nuncios vertit. Eos enim inhumanè flagris proscissos, capita forficibus, barbas novaculis ridiculè rasos, alio insuper genere crudelis, & suprà modum barbari ludibrii dehonestavit, (13) tam spurci, ac dictu fœdi, ut ab eo commemorando me revocet pudor, & ea verecundia, quæ fœminam decet, ac Principem. Adeò immanè facinus non dico Pontifice, sed omninò quovis, qui se Christianum ferat multò indignissimum abominor, animumque non minùs barbari, qui id designare, ac decernere potuit, quod si referre distinctiùs velim calamum hunc cartamque polluerem. Verum hanc saltem generatim indicatam tam absurdi facti mentionem hic oportuit, vel ad documentum, quo progredi usque barbarica impotentia queat, vel ad fidem, & officium historiæ, quæ ut monstra, & res inusitatas, ita acta consultave prodigiosæ audaciæ, quæ malitia fortè hominum ediderit dissimulare silentio non debet. Et hæc quidem Pontifex, ò mores! atque adeò Summus Pontifex, & in Orbem terrarum universum universalis Christi Vicarius fecit. Nam eos illi titulos Latini sui tribuunt, & vindicant: in his quoque pro cætera insolentia sua mentientes. Translatis enim è vetere Roma sceptris in nostram Urbem Regiam, quoque, & omnibus insignibus, atque ordinibus Imperii, inde hoc traductis, Pontificatus quoque primaria dignitas illic defecit: Ecclesiæque Primatus jam olim à Principibus, qui hic regnarunt Constantinopolitano adjudicatus throno est. Quorum maximè præjudicium secuta Chalcedonensis Synodus supremo in fastigio Ecclesiarum Constantinopolitanam stare Sedem jussit, cui Diœceses, & Provincias per Orbem Christianum universum esse subjectas omnes statuit. Videtur autem studiosè cavisse Pontifex ne in Legatorum personis resedisse contumelia videri posset, quam ipse relatam ad Regem ipsum volebat intelligi: Ideò enim præter cæteram, quo miseros malè mulctavit acerbitatem, etiam illud primus excogitavit inusitatum genus injuriæ, ut per id innueret, quam vili loco, & extimatione Regem haberet, quem nempe ipse, ut Semidens quidem, velut mulum sedespicere, ipso genere dehonestationis injuriosissimæ, qua erat in Legatos ejus debacchatus ostendebat. Hoc tanto Regis contemptu Pontifex cum magnum ejus in

se

se ac formidabilem conaitasset bellum, veritus ne si Henricus, se Roberto conjunxisset, param, & ipso antea benevolè affecto erga Papam, sabilineri non posset impetus amborum simul, hunc sibi matura reconciliatione præoccupandum omninò decrevit. Audito igitur Ducem Robertum Salerni esse, Roma ipse discedens Beneventum est profectus. Unde convento Duce per Legatos obtinuit ab eo, ut ambo in Colloquium venirent. Ad quod cum Papa quidem Benevento cum propriis copiis, Dux Salerno cum sua, & ipse militari manu sibi progressi essent obviam, ubi ambo exercitus in conspectu mutuo fuerunt, ipsi Principes jussis stare armatis, soli congressi fœdus pepigerunt, fide etiam quam vicissim dederunt, acceperuntque jurejurando utrinque firmata. Pactorum hæc ferè sententia fuit. Ut Pontifex quidem Regis nomen, ac dignitatem Duci tribueret,(14)eidemque auxiliares copias submitteret, ubi opus esset, adversus Romanos Orientales. Dux verò Pontifici adesset in omnibus, quando ia, & ubi vellet. Talia jurarunt illi quidem, sed malo uterque animo, ac sine proposito præstandi. Nam nec Papa in ea convenerat volens, sed magna vi adactus instante metu imminentis à Rege belli: & Robertus, qui rebus Constantinopolitanis cupiditatis adjecisset oculos; atque ut aper ferus dentes, & iram in nos exacueret, ut ille quidem non inutile putaret pacem sibi à Papa esse, qui aliquid facessere negotiis & morari à tergo pergere studentem posset; haud tamen id tanto emptum vellet, ut immiscere se propterea controversiis ejus cum Henrico, & copias suæ dignitati augendæ paratas alienæ defendendæ addici pateretur. Verborum ergo tenus à mox pejeratoris juratum Barbaris: quorum Roberto quidem versis habenis se recipiente Salernum, disputabilis hic Papa (non enim aliter vocare possum, dum atrocis, & inhomanæ injuriæ memini qua legatos deformavit) cum spiritali gratia, & Evangelica pace in bellum Dominus ferebatur, toto animo totisque viribus, pacificus, & pacifici discipulus, civilem discordiam movens cienſque. Accitis enim repentè Saxonibus, & Ducibus eorum Lantulpho, ac Welco, eos cum aliis pollicitationibus multis, tum promittendo se illo Occidentis universi facturum Reges, sibi suisque partibus adjungit. Ita ille promptam habebat dexteram Regibus inaugurandis, Paulum negligens negantem citò esse cuiquam imponendas manus, at iste tam facilè tæniam Duci Longobardiæ, Saxonibus coronam imposuit. Cum igitur uterque suas ex adverso congregasset copias Henricus, & Papa, dato repentè utrinque tubarum signo ingens, & constans coorta pugna est, parte ex æquo utraque pro se obnitente hastis comminùs sagittis eminùs intortis, tanta vi ut brevi tempore subjecta planities in cruoris quoddam pelagus verteretur. Quique supererant cęde, ac sudore, cruentoque luto madidi pugnarent. Quorum quidam offensantibus ad cadavera pedibus prolapsi flumine sanguinis hausti præfocabantur, tanta eluvies humani cruoris per amplissimum campi æquor exundaverat. Et eatenùs quidem paribus utrinque librata spei momentis pugnæ fortuna stetit, quo ad suæ parti præfuit Lantulphus Dux Saxonum; at is ubi lęthali vulnere examinatus cecidit, declinavit in fugam Papæ phalanx, & terga hostibus præbuit, magna cæde insecuturis si Henricus sineret. At is tametsi sublato Duce facilem videbat, & tutam insecutionenem, consumptionem integram fugientium, continuit tamen, & reflexit impetum suorum, quos brevi laboris interspiramento recreatos rectà duxit oppugnatum Romam. Eo periculo Papa territus misit ad Robertum, qui ex fœdere auxilia poscerent; venerant ad eundem Henrici Legati, & ipsi Regis sui nomine à Duce auxiliares copias ad Romæ veteris oppugnationem petentes. Cæterum utrosque Normannus irridens, Regi quidem alio modo, ac fine literis respondit, Papæ verò hanc scripsit Epistolam.

Summo Pontifici, & Domino meo Robertus Dux in Deo.

INcursionem in te hostium fieri audiens diù famæ fidem abnui, planè persuasus neminem ausurum in te insurgere. Quis enim nisi furore amens arma in Patrem, ac talem, & tantum Patrem tollat? me verò scias ad bellum gravissimum armari; cum gente gerendum bellicosissima. Cum Romanis nempè, qui terras, ac maria omnia suis tropheis impleverunt. Ad te quod attinet, fidem tibi ex intimo animo me debere profiteor, quam & præstabo cum tempus aderit. Hac ille partim epistola, partim alia elusione ludificatos utrumque dimisit. Sed ne omittamus, quæ in Lombardia fecit antequam ex ea cum exercitu moveret in Aulonem. Vir enim cætera vitæ acerbitate, ac tyrannicis imperiis tolerandus, tunc etiam Herodis immanitem sævientis in pueros æmulatus, ad delectum priùs habitum nova succenturiavit supplementa tyronum, tudium, nulli plane in iis conficiendis ætati parcens quominùs, & emeritos ex æquo, & non dum maturos in militiam traheret ex cuncta Longobardia, Apuliaque,

que. Et erat miserabile spectaculum videre puerulos imbelles, & femulos effectos, qui ne per somnium quidem arma unquam cogitaverant, lorica repentè oneratos, & impeditos clypeo, qui arcum nec scite tendere, nec laxare nossent, ubi verò ingredi oporteret præ debilitate in faciem caderent. Ea res quæstibus, & lamentatione Longobardiam implevit viris passim & mulieribus suos pro se affectus variè miserantibus, cum alia uxor emeritum virum ad militiam cogi, alia mater rudem puerum ad signa trahi, alia soror fratrem, aut adolescentulum, aut aliis operibus occupatum violenter abduci quereretur. Furor hic tyranni erat etiam Herodiano major; ille siquidem, ut diximus, insanire in pueros satis habuerat; hujus in ætatem omnem amentia grassabatur. Per eam tamen ille invidiam, ac luctum recta pergebat ad propositum, nihil pensi habens votum impotentis animi quavis aliorum calamitate, ac publico malo conficere, nihilo quotidie segniùs colligens, exercensq; tyronum supplementa Salerni, priusquam Hydruntem se conferret. Huc enim præmiserat magnam copiarum partem præstolaturam adventum suum, quo ad ipse compositis omnibus in Longobardiæ, & legationibus, quæ responsum expectabant, dimissis eodem sequeretur. Papæ autem eatenùs dumtaxat rationem habuit quatenùs Rogerio filio,(15)quem Apuliæ præfecit universæ,& fratri ejus Borytilę (16) mandavit, si quando ab eis Romana Sedes auxilia flagitaret adversus Henricum Regem, promptissimè in ipsum pergerent, & pro facultate auxiliarentur. Baimundum enim (17) minorem his natu filium, simillimã per omnia patri prolem; animo inquam audacia, robore planè geminum, & vivis characteribus expressissimum ectipum in in dolis Roberti, cum exercitu præ se miserat irrupturum in nostros fines, & loca circum Aulonem inequitare incursionibus, haberequn infesta jusserat. At ille fulminis ritu, ineluctabili ruens impetu, cum minarum strepitu immenso, Caninos, & Jericho, Aulonemque adeò universum occupavit, obvia quæque ferro, ac flamma vastans, sic planè, ut verè dici posset index ignis secuturi fumus importunissimus, & ante oppugnationem magnam præludium oppugnationis non multum ipsa tolerabilibus. Ac filium, patremque aptè quis brucho, ac locustæ comparet, ut enim residuum bruchi comedit locusta, ita quę Baimundus illæsa reliquerat, assumpsit Robertus sequens. Verùm nondum Robertum in Aulonem transmisimus. Considerandaque sunt antea, quæ in adversa continente priùs gessit. Salerno igitur movens Hydruntem tenuit; ubi paucis diebus expectata uxore Gaita (nam & ipsa expeditionis viri particeps terribile quiddam in armis dicebatur, ubi sago stolam occultasset.) Hanc tandem amplexatus venientem nella jam mora solvens cum universo exercitu Brundusium tenuit. Est ia portus universæ Japigiæ tutissimus, commodissimusque. Quo cum prævolasset, expectabat donec universus ibidem exercitus, navesque omnes tam onerariæ, quàm longę, ac bellicis aptatæ usibus. congregarentur. Inde siquidem in terras Romano Imperio subjectas trajicere se velle demonstrabat. Cæterum jam antequam Salerno discederet Legatum Constantinopolim miserat unum quendam ex Magnatibus, qui cum ipso erant, Raulem nomine, ad Imperatorem Botaniatem, extortum Michaeli Ducę sceptrum obtinentem, expostulatorum apud ipsum Roberti nomine, quod filiam ipsius Constantino, ut diximus, desponsatam à Sponso abstraxerit, Constantino verò ipsi abstulerit imperium, cujus participationem erat adeptus. Quibus injuriis se provocatum ultionem meditari denunciabat. Ad magnum verò qui tunc erat, domesticum, Occidentalium exercituum Ducem, patrem nempè meum Alexium, munera quædam miserat cum litteris amicitiam offerentibus. Horum successum expectans Brundusii morabatur. Ubi verò nondum omnibus copiis, navibus jam plerisque deductis in mare, adfuit Byzantio redux Raul nullum ad mandata responsum referens, excanduit videlicet in majorem iram tali sui contemptu Barbarus, cui accessit irritamentum novum, inopinata oratio Raulis magnoperè dissuadentis Romanum bellum. Primum enim nihil nisi plagiarium agyrtam hunc esse Monachum, quem pro Michaele Duca secum haberet tantæ rei autorem, & causam. Nam ipsum omninò Michaelem sese Constantinopoli vidisse veste indutum pulla, degentemque in Monasterio, curiosisque otiosè spectatum oculis planè comperisse illum esse ipsum, qui nuper possesso imperio excidit. Deinde subjungit id quod post suum ex Urbe discessum modo gestum audierat, dum in itinere ad reditum esset: Alexium nempè occupasse imperium ejecto Botaniate (quod nos postea narrabimus) Constantinumque illustrissimum illum omnium, quos sol aspicit Michaelis Duce filium evectum, ex priore fortuna regiis insignibus denuò cohonestatum imperio reddidisse. Ex quibus sic colligebat Raul: Minimè videri justam esse Roberto belli causam in Alexium ob injuriam, quam Botaniates intulit. Botaniatis enim profectò crimen esse impeditas Helenæ nuptias, & abdicationem Constantini: quæ quomodo justè im-

putari

putari Comneno queant eorum ultori, & restitutori non apparere. Porro si bello causa justa non subsit, parum præsidii, ac spei ponendum in navibus, armis, viris, cæteroque omni apparatu bellico. Hæc disserebat Raul tanto dolore Roberti, ut vix furorem, ac manus à Legato dum diceret pulsando contineret. Cùm autem esset præterea fraterni quoque transfugii, nomine Roberto suspectus Raul (nam ejus germanus Rogerius ultrò ad Constantinopolitanos indicatum de belli consilio, atque apparato transierat) collecta in unum tempus invidia, offensionis geminæ tyrannum plùs nimio irritabilem eo perpulit, ut etiam necem Rauli minaretur. Ex quo ille intelligens quanto in periculo versaretur, haud segni fuga se in Baimundi Comitatum, idoneum tali tempore asylum, proripuit. Pseudo-Michael verò Rector Monachus incredibile est quanta cum indignatione tulerit palam deprehensum testimonio Rauli impudentissimum suum plagium. Instabat ergo importunissimè apud Robertum, oleum in flammam mittens, ejus in Raulem iracundiæ querelis artificiosissimis augendæ. In Rogerium verò transfugam violentiùs commotus, perturbatissima voce clamabat, femur simul percutiens, etiam se atque etiam id unum à Roberto petere, ut cum primum in suum se thronum, atque Imperium restituisset, dederet sibi Rogerium. Tum enim nisi eum confestim in media Constantinopoli alto patibulo affixum horrenda nece contrucidandum daret, optare se ultrò quidvis malorum à Deo perpeti. Mihi verò hæc serio narranti, scribentique risus oboritur; an enim parum salsa res videtur levissimi utriusque capitis vaferrimi in sibi invicem illudendo constantia? ut cùm Robertus quidem præclarè sciret quanti demum deberet esse Imperator scenicus ex mendaci Monacho, tamen eum talem Augusti loco haberet atque consoveret, coleretque ambitiosè, atque obstentarat Urbibus, quas ab Imperatore abducere moliebatur, horum veterum ipsorum Principem mentiens, eoque tamquam illecebra utens ad captandos animos, quem certum haberet simul atque perpetrasset, quod destinaverat cum ludibrio ab se repellere, planè ut aucupes aut piscatores præda capta, escam quam hamis induerant projiciunt. E contrario verò minùs ille flagitiosissimus suæ licèt sibi personæ, ac fallaciæ conscius, priorisque vilitatis, spes tamen improbas eo usque phreneticus tolleret, ut thronum Constantinopolitanum somniare posset; quasi Robertus victor cuiquam potiùs diadema, quàm sibi tanto sumptu, ac labore quæsitum vellet. Quod si Rector suæ fortunæ congruentiora cogitans, saltem dignitates quasdam atque opes simulationis suæ prætium sperabat, ne illum fallebat avaritia emptoris sui, qui jam decreverat semel absoluta fabula exutum choragio mimum ergastulo reddere. Verum hæc risisse obiter satis sit, ad Roberti reliqua pergentibus, qui cum Brundusii naves simul, & milites coegisset (naves erant centum quinquaginta numero, milites ad triginta millia, militibus ducentis (18) cum armis, & equis in navem quamque contributis) inde solvere cum omnibus decrevit, cursu intento ad Epidamnum Urbem, quæ hodie frequentiùs Dyrrachium appellari consuevit. Statuerat quidem antea ex Hydrunte recta ad Nicopoles classem dirigere, ac Naupactum adjacentiaque loca cum arcibus circum omnibus primùm occupare. Deinde tamen reputanti latiùs interjacere Hydruntem inter, & Nicopoles pelagus, quam quod inter Brundusium, & Dyrrachium patet, hic trajectus præ illo placuit, ut brevior, ac tutior, utpotè qui non plus exigeret temporis, quàm quantum diei unius, ejusque brumalis, quales tunc erant, sole ad australes circulos, & Capricornum appropinquante, spatium tenditur. Ne igitur hyberna tempestate nocturnæ navigationis periculo tanta classis exponeretur, Hydrunte Brundusium oram legere jussam, idem per angustias Adriatici fretum trajicere statuit. Nec verò ut antea destinaverat Rogerium filium in Italia reliquit, quem ad id discedens Apuliæ Principem creaverat; sed eundem postea nescio, quo casu, quave ratione mutata sententia, expeditionis Comitem habuit. Interim autem dum Dyrrachium adspirat Coripho Urbem munitissimam aliasque nonnullas arces nostras immisso præsidio tenuit, ac tum receptis ex Longobardia, Apuliaque obsidibus, & impetratis per totam ditionem suam pecuniis instructus, nihil jam in votis, atque in mente habebat aliud, quam ut quamprimum Dyrrachium appelleret. Dux erat tum Illyrici totius Georgius Monomachatus missus ab Imperatore Botaniate. Is initio quidem procurationem eam aspernatus oblatam fuerat, verum servi duo Barbari Scythici generis familiares Imperatoris Borilus, & Germanus, invidentes ei; & quotidianis apud Imperatorem obtrectationibus eum perdere conantes, eo successu, ut Botaniates aliquando Mariæ conjugi diceret hostem Imperii videri Monomachatum, effecerunt tandem, ut ille periculo suo cognito relatione summi amici sui Joannis Alani, ultrò jam ambiret ab Imperatore, quod munus antea repudiaverat. Et habuit in ea petitione faventes invidos, qui suam ad rem satis tunc

putabant esse summoveri aula hominem. Itaque Imperatore salutato, mandatisque ipsius scripto acceptis, instantibus Borilo, & Germano ut postridiè discederet, Byzantio Epidamnum, & Illyricum versus iter arripit. Proficiscenti fortè occurrit Magnus Domesticus pater meus ad locum qui Fons dicitur, ubi templum visitur inter Constantinopolitana celeberrimum ædificatum in honorem Dominæ meæ Virginis Dei Matris. Ad quem accedens Monomachatus flebiliter narrat, ejus causa sese ablegari in exilium specie honoris. Servos enim qui hanc sibi profectionem necessariam fecerant, haud alia magis in se causa commotos, quam quod fidissimum Magno Domestico amicum nossent. Inde hos Scytas furore concepto totum invidiæ orbem in se voluisse. Sibi ergo deinceps conspectu dulcissimo patriæ carendum, & Urbe pulso Regia peregrè vivendum, honesto præfecturæ nomine malum exilii dissimulanti. Hæc pluribus lamentans Monomachatus, calumniasque servorum, cæterasque calamitatis suæ partes, ac causas distinctiùs exponens, consolatorem, ut optabat, pro amicitia benevolentissimum; pro facultate copiosissimum, nec parum efficacem habuit Alexium, quo sub sermonis finem his malis ultorem pollicito Deum, rogatoque Monomachato, ut amicitiæ ipsorum meminisset, hic Dyrrachiũ institutum iter tenuit, Alexio ingrediente Civitatem. At Monomachatus ubi Dirrachium pervenit, audito hinc Roberti apparatu, illinc successu Alexii, qui jam Imperium occupaverat, cautè suis rebus prospicere cæpit, ac primum præ se tulit neutrius se partes sequi. Sic tamen ut ista exterior aversio signis non careret animi profundiùs aliquid celantis. Cum enim ad eum scripsisset Alexius sese magnis injuriis, & præsenti excecationis periculo adactum adversus tyrannos insurrexisse: eoque in præclaro non minùs, quàm necessariò conatu, implorare cum spe magna auxilium amici veteris, quem par esset collectum undecumque posset, quam maximum pecuniæ numerum ad se quamprimum mittere, ad perpetrandum rem tantam quantam aggressus esset: nihil satis habentem, ad ea Monomachatus pecuniarum quidem nihil verborum, officiorumque plus satis reddidit. Legatis enim peramanter exceptis litteras mutuas ad Alexium perferendas dedit: quibus magnificè præfatus se veteris inter ipsos amicitiæ fidem, & coluisse hactenùs, ut æterna sibi ea laus foret operam porrò daturum. De pecuneis, quod indicarat equidem voluisse, quam multas optaret mittere, tamen esse retardatum ea causa, cujus æquitatem ipsi se probaturum Alexio confideret. Jurejurando teneri se in verba, atque in nomen Botaniatis, qui ipsum miserat devincto, cujus necessitudinis inviolata sanctitas non modò ad conscientiam Religionis, sed etiam ad famæ judicium omninò ei retinenda sit, qui salutis, & existimationis dissolutè prodigus esse nolit. Ejusdem ipsius interesse Alexii postquam ad istum jam apicem evolasset, nullo respectu violabilem talis juramenti Religionem statui. Scireque se si semel fluxæ fidei deprehenderetur, apud ipsum quoque in cujus gratiam pejerasset, arcanæ existimationis jacturam passurum. Sanè in cæteris moram obsequendi facturum nullam. Quod si magnum inceptum cœlestis illi providentia fortunaret, sese ipsi fore, ut priùs amicum fidum, ita deinde fidissimum subditum. Hæc Monomachatus ad patrem meum, quibus se inter Botaniatem, & Alexium fluctuare utrique adulando, neutri adhærendo demonstrabat. Majori flagitio cum Roberto egit palam defectionem pollicens. Nempè id genus, eaque indoles est vafrorum, & versatilium ingeniorum desultoria levitate fortunam sequentium, coloresque mutantium, prout est rerum, aut temporum varietas, in quæ inciderunt. Inutilis planè secta publicæ rei, privatis enim unicè inhiant spebus, & commodis, à quibus tamen utcumque sibi cauti, astutique videantur excidunt non raro. Sed evagatus extra giros historici negotii sermo licentiùs, jam in orbem reductis velut habenis reflectendus est. Robertus incredibili jam antea cupiditate flagrans Dyrrachii potiundi, Monomachati promissis in tantum jam inflammabatur, ut nec teneri ipse ampliùs à trajectu posset, & alios, qua classiarios, qua milites ad eundem transitum expediendum urgendi finem, aut modum nullum haberet. Ac Monomachatus nequaquam ita compositæ cum Roberto conventioni acquiescendum putavit, et non aliud quoque in omnem eventum sibi perfugium prospiceret. Exarchi(19) erant Dalmatarum Bodinus, & Michaelas, hos literis, & muneribus sibique adjungit, eas sibi ad salutem quasi patentes à tergo januas providens, quibus elaberetur, si quid vel in Roberto, vel in Alexio spes offenderent. Sed hæc hactenùs jam enim ad Imperium Alexii nos tempus vocat, exponendumq; deinceps est nobis quomodo, quibusque occasionibus, ac causis pater meus ad imperandum evectus sit. Equidem id propositum est scriptionis hujus, non enim unquam curevi vitam Alexii privatam commendare memoriæ, verùm ea, quæ in Imperio benè, ac secùs gessit lucubrationi meæ argumentum proposui. Quæ benè, inquam, ac secùs gessit, non enim si uspiam offenderit, velut patri parcam, nec pietatis sensu efferri me sinam usque

ad

ad labem, injuriamque veritatis. Roberto igitur illic tantisper, quo eum perduximus relicto, propriaqua narratione insecuti belli alii reservata libro, age hunc, qui sequitur in Alexio coronando consumamus.

EX LIBRO III. ALEXIADOS.

ALexius Imperator palpitantem extremis singultis rem Romanam cernens, Turcis in Oriente cuncta vastantibus; occiduis Provinciis imminente Roberto; nullum non funem movente, ut Pseudo-Michaelem in Imperium eveheret; vel potiùs pretextu hominis fœnei vafrè atente ab olim conceptam, & hactenùs pressam Imperii sibi ipsi parandi cupiditatem explendam; quæ ex fumo, ac cinere in flammam latè minacem exardescente, magnum jam, & vehemens Romanos ab occasu fines amburere incendium ceperat, tot simul copiis terrestribus ex tota continente collectis, & ex universa littorali Regione marium illorum tanto apparatu congregato, triremium, biremium, remulco trahendarum, & per se euntium onerariarum navium; hæc inquam videns, & secum reputans in Imperii primordiis generosus juvenis, æstuabat animo, non satis expediens, quo se verteret; cum eum illinc ad pugnam Turci vocarent, hinc Northmanni raperent. Ægrè in primis eum habebat miser, ac deploratus status Romanæ militiæ, ad trecenta demum capita Chomatenorum militum redactæ, eorumdemque nec robore, nec experientia valentium. Auxiliares verò copiæ ex paucis omninò constabant Barbaris ejus generis, quod ancipites utrinque, ac manubriatos instar securium gladios destro humero gestare suspensos solet. Nec verò suppetebant ex ærario exhausto pecuniæ, quibus delectus haberi, & evocari ex socius gentibus armati possent. Adeò enim dissolutè, ac sine ulla providentia, qui priùs Imperium tenuerant ab hinc retrò annis aliquot res agi, ferrique, quà jusserant, quà siverant, ut fortuna Romani nominis planè tum illorum vitio ad incitas redacta videretur. . . . .

Sub hæc rerum occiduarum cura sumpta, rationes inibat obsistendi Roberto, & impediendi quoad posset, ne Duces, ac Comites, ut facere ceperant, ad eum confluere pergerent. Quo in genere solicitum habebat Alexium Monomachatus, de quo jam diximus, qui ipsi non dum Imperii compoti de pecuneis interpellatus verba sola remiserat, excusans fidem Botaniatæ obstrictam: de quo proinde jussus erat metus ne audita abdicatione Botaniatæ, Roberto accederet. Ad hunc igitur præoccupandum congenerum suum Georgium Palæologum Dyrrachium destinat, cum mandatis, ut omnem adhiberet machinam, quo sine vi, ac armis inde Monomachatum ejiceret: nam ad rem aperto marte tentandam vires haud aderant. Addebat, ut Dyrrachium adversus apparatus Roberti præmuniret, muris, machinisque, vel instaurandis, vel de novo moliendis: admonens, ut propugnaculorum pinnis ligna nullis clavis devincta relinqueret, quo ea insilientes scalis admotis Latinos everti à propugnantibus facilè possent. Scripsit etiam Præfectis maritimarum Civitatum, ipsisque Insularibus, pluribus verbis adhortans ne caderent animis, neve indormirent rebus; verùm in Robertum oculo intento satagerent ne is socordia ipsorum maritimas Urbes ejus limitis, & Insulas adeptus, summæ deinde rerum, atque Imperio negotium facesseret. His in faciem contra Robertum paratis alia quoque in ipsum molitus à tergo est. Concitare videlicet in eum studuit Ducem Longobardiæ Germanum, Papam Romanum, Archiepiscopum Capuæ Herbium, missis ad omnes in eam rem literis. Quin etiam Principes, & Duces Gallicarum Regionum universos, & donis in præsens satis magnis, & promissione multò ampliorum in posterum, speque dignitatum concitare in Robertum eundem studuit, nec frustra. Nam & illorum quidam his pellecti Roberto amicitiam renunciarunt, & alii polliciti sunt se si plura darentur idem facturos. Intelligens verò plus omnibus contra Robertum posse Regem unum Alemanniæ, diligentiam in eo demerendo captandoque peculiarem exprompsit . . . . .

Nec respuit Alexius, adigente ipsum ad id fama undique certissimis autoribus percrebrescente expeditionis Roberti, quem cum immensis copiis, vehementissimo impetu in bellum adversus Imperium ruere; atque adeò jam non longè à littoribus Longobardiæ, mox in Romanos trajecturum abesse constabat. Atqui ne Harcules quidem, quod vulgò ajunt, cum duobus uno tempore unus hostibus pugnam suscipiat: nedum juvenis Imperator in ipsis initiis novæ Gubernationis rempublicam inveniens funditus perditam: non enim ut à longo jam tempore, vergebat in interitum sensim; sed quæ pessum ruere dudum ceperat, jam planè pervenisse ad imum præcipitii, & tota ruina procubuisse videbatur, nec copias habens, nec pecunias, devoratæ enim priùs cuncta fuerant, & sine ulla utilitate publica prodigè assumptæ. Ea extrema necessitas rerum Alexium quamvis invitum compulit, ut Turcis à Damali, atque à maritima ora longè priùs recedere coactis, præter dona

dona, quibus tali tempore supplices Barbaros excipere utile visum ast, pacem quoque largiretur, his legibus: ut Dracontem fluvium deinceps pro dictionis suæ termino haberant: eum ne unquam manu facta trajicerent, neve in fines Bithyniorum irrumperent. Sic bellum Orientale conquievit. . . . . . .

At Robertus postquam Italicæ dictionis suæ curam, & potestatem omnem Rogerio filio apud Hydruntam commendasset, inde solvens Brundusii Portum occupavit: ubi audito Palæologi Dyrrachium advantu, impigrè in majoribus navigiis ædificari turres jussit è lignis, quas corio bubulo circumambiendas, contegendasque aptè curavit: tum cæteris, quæ ad munitæ Urbis oppugnationem opus erant cunctis, in naves summa diligentia comportatis; equis ad hæc, & Cataphractis equitibus naves celeras, quas Dromones dicunt, inscendere jussis, reliquisque undique necessariis, aut utilibus ad bellum strenuè comparatis, provisisque, trajectum urgebat. Decreverat autem navalibus simul terrestribusque copiis, ac machinis urgere undique Dyrrachium, vel perculsurum se primo impetu, ac de repugnandi proposito dimoturum ejus Urbis propugnatores ratus; aut certè si obstinarent animos, numero posse ipsos obrui majoraque vi domari. Quod ejus consilium fama vulgatum magnam, & insularibus, & iis, qui Dyrrachini littoris oram incolunt, auditu ipso consternationem objecit. Deinde omnibus quæ in procintu solvendi fieri, aut facta esse oportuerat ex sententia confectis retinacula rumpi præcipit, Dromones, triremes, uniremesque arte, atque opera nautarum in aciei bellicæ formam, eleganti ordine, præclaraque procul specie dispositas in altum invehens prospero afflante vento, cujus beneficio facilè adversam ad Aulonem ripam tenuit: indeque oram legens usque Buthrotum; ibique adjuncto sibi Baimundo filio, qui priùs trajecerat, & Aulonem primo impetu ceperat, copias universas bifariam dividit: partem ipse unam mari cum classe ad Dyrrachium ducturus; alterius itinere terrestri eidem Urbi Dyrrachio admovendæ, ductum permisit Baimundo. Tali consilio prætergressa classe Corcyræ oram, in ipso versus Dyrrachium flexu, circa Promontorium quod, lingua dicitur, maxima in eam subito procella ingruit. Nivalis erat imber largus, & vehemens, venti ex montibus validi mare perflantes commovebant à fundo, surgentibus immensum cum horrendo fragore fluctibus. Frangebantur passim in remigantium manibus remi, discerptisque momento vi ventorum velis, comminutæ antennæ in foras cadebant: naves ipsæ cum viris haustæ mergebantur. Incidit hic casus alieno tempore: æstatem agente anno, soleque post Cancrum magna jam ex parte obitum, ad Leonem festinante, quod tempus esse ajunt exorientis Caniculæ. Gravis hinc perturbatio invasit milites juxta Ducesque adversus hoc novum genus tot, taliumque hostium, nec pares, nec paratos. Ergo in magna consternatione inopiaque consilii passim omnium, confusum exaudiebatur murmur è mixtis partim flentium, partim querentium, partim Deum Salvatorem invocantium vocibus; votaque facientium, ut saltem spectare terram daretur. Quæ omnia mari surdo hauriebantur, nihilo remissius sæviente tempestate. Ut satis appareret infensum Deum superbis, atque immodicis Roberti ausis, hac in ipsis carceribus offensione animosi, admonere voluisse hominem, ne alium quam ruinosum speraret exitum expeditionis naufragio ceptæ. Naves ergo pars cum vectoribus mari absorbebantur, pars frangebantur vadis, ac littoribus illisæ: ac cum larga imbre mollita illa, quæ diximus bubula coria, quibus turres ligneæ tegebantur, in laxos diffluerent sinus, clavique, quibus affixa ligno fuerant suis loculis vellerent, hinc jam vastæ pelles largis sinubus aura concepta, sumptoque pondera facilè turres in ruinam trahebant: machinæque ingentes tum casu ipsæ suo conterebantur, tum naves mole, atque impetu depressas in profundum mergebant. Prætoria in qua Robertus ipse Dux erat vix multò denique labore semifracta servata est: servatæ per miraculum, & aliæ quædam onerariæ. Porrò per littora miserabile specimen extabat, ejectorum fluctu cadaverum strages ingens; zonis marsupiisque, ac cetero instrumento classiariæ multitudinis temerè simul sparsis per arenam. Nec pietas superstitum suscepta funerum cura sufficere libitinæ poterat: quoniam præter intolerandum fœtorem, ipse condendorum terra corporum numerus omnium sepelientium diligentiam, ac facultatem longè superabat. Cum verò præterea commeatus omnis corruptus undis, aut assumptus esset, fame pereundum ejectis naufragiis fuerat, nisi ut anni tempus erat, maturis passim paratisque segetibus, horti insuper, ac viridaria mitibus undique gravata fructibus annonæ supplementum opportunissimum offerrent. In his qui saperet, facilè intelligeret Dei numen, & porrò temerariis, cœloque damnatis admonitus ceptis obstiterit. At non is Robertus, homo giganteæ confidentiæ sub ictu fulminum audere pertinax, quem equidem crediderim in ipsa extremi acie periculi haud alia fecisse vota, quàm ut sibi vita suppeterat

eate-

exteous quo ad videre hostem, & destinatas pugnas obire posset: hoc est idipsum exequi, ob cujus meditationem vapulabat. Nihilo ergo segniùs in designatæ oppugnationis propositum incumbens, eos, qui divina vi periculo erepti fuerant, collegit: cumque iis Glabinitzæ substitit ad diem septimum: partim ut se illosque à mari, atque à jactatione reficeret; partim ut conveniendi circa se spatium copiis daret, vel iis, quas Brundusii reliquerat, vel quas alias e classe advehendas expectabat, vel quas Butbroto solvens, itinere terrestri versùs Dyrrachium progredi jusserat; equites videlicet Cataphractos, peditatumque loricatum, & levem armaturam totius exercitus. Hos simul congregavit universos, nulla jam mora fuit quin infesta signa in agrum Illyricum simul, à mari simul à terra inferre aggrederetur. Erat tum cum illo Latinus quidam, ex quo hæc audivi, quæ hic scripsi. Legatus, ut ajebat, Episcopi Barensis ad Robertum missus: quo munere dum fungitur, in ejus comitatu se perstitisse ajebat toto eo tempore, quo per istam planitiem Robertus castra posuit, aut movit: quoad in ipso veteris Epidamni(20)solo, ac ruderibus Vallum fixerunt, legionibus ordine dispositis intra vestigia, & parietinas destructarum olim ejus Urbis mœnium. In qua qui regnavit quondam Epirota Pyrrhus Tarentinis suppetias accurrens, gravissimum cum Romanis in Apulia bellum gessit, tanta suorum cæde, ut omnibus Epidamni civibus ea expeditione consumptis, ipsa civitas planè deinde inculta, desolataque manserit. Donec postea (ut Græci narrant, & sculpta in eadem Urbe antiquis literis monumenta testantur) ab Amphione, & Zetho in eam, quæ nunc visitur restaurata formam, nomen quoque cum fortuna mutans Dyrrachium appellata est. Et de originibus Urbis istius hactenus: metamque hic figimus libri tertii reliquam seriem gestarum libro mox sequente redditura.

EX LIBRO IV. ALEXIADOS.

CÆpit Robertus Epirum insidere castris positis 14. die mensis Junii indictione quarta, cum equestribus, pedestribusque copiis numerum excedentibus; iisdemque peritissimè ex militaris artis disciplina structis, ordinatisque in speciem planè terribilem, Jam enim post naufragium omni ex parte coacti milites una in Castra convenerant. A mari verò navium omnis generis, ac formæ ingens numerus, alium habentium exercitum lectissimorum juvenum navalis militiæ peritorum, sedulo nautarum innumerabilium ministerio agebatur. Itaut qui Dyrrachium obtinebant præsidiari, cum se tanta mole, ac conatu peti undique viderent, terrifico spectaculo tot navium, machinarumque, multitudineque incredibili hominum haud parùm conturbarentur. Nihil tamen ista movebant Palæologum Georgium, virum fortissimum, & bellicis olim curis, ac periculis exercitum: quique dum longa in Oriente militia, sæpissimè cum hostibus manum conserit, nec minus sæpè vincit, decus meruerat palmarum plurimarum. Hic tum suæ virtutis scientia securus, totus erat in communienda Civitate: nec oblitus quid in eo genere sibi esset ab Imperatore demandatum, propugnacula non devincta clavis, sed quæ impulsu evolvi in adscendentes possent, erigebat undique: ballistas insuper, & id genus murales machinas saxa, ejaculantes per mœnium coronam certis intervallis disponebat. Quin etiam si quos metu perculsos, ac torpentes cerneret erigebat verbis generosis; & ex abundantia propriæ fortitudinis ad ignavorum corroborationem conferebat. Nihil aliunde cautionis, aut diligentiæ tali tempori congruè omittens. Nam & speculatores per murum latè omnem habebat dispositos: & ipse murorum ambitum, stationesque militares noctu interdiùque sæpiùs obiens, vigilare unumquemque, atque in propugnationis officio jubebat esse. Eo etiam tempore expedivit ad Imperatorem nuncios cum litteris, irruptionem Roberti, consiliaque ejus, & planè decretam ipsi expugnationem Dyrrachii nunciantibus. Jam enim non ipse magis præsidii Præfectus, quàm militum quisque intellexerat, tum ex illa ipsa tam formidolosa, operosaque specie, ac mole machinarum, præsertim turris ingentis ligneæ ipsis Dyrrachii muris altioris, tormenta bellica, & ballistas saxis jactandis in fastigio habentis, tum ea tam studiosè undique conclusa circumvallatione Civitatis, affluxuque continuo auxiliarium ex omni parte copiarum, ad illam in dies arctandam, admonendamque magis: postremò ex eo, quod animadvertebant ex vastatis obiter Urbibus, ac vicis circumpositis, comportari ea sedulò, quæ ad usum tabernaculorum castrensium, & militarium tuguriorum, qualia in obsidionibus excitari solent, prodesse poterant, adeoque jam ex ista materia multas esse domunculas constructas, aliasque quotidiè construi. Ex his, inquam, omnes intellexerant, nequaquam, ut percrebuerat, prædæ solius cupidum esse Robertum, ideoque post vastatam direptamque regionem, onusto exercitu, & satiata cupiditate, plenum mox in Italiam regressurum; sed expeditioni ejus ditionem, atque imperium esse propositum, cujus clavim hanc quandam, atque arcem Dyrrachium sibi quovis sumptu, conatuye subjicere omninò in animum

 indu-

induxiſſet, quod ad eum, quem ſequebatur, aſſequendum finem ex iſto progrediendum initio videbat. Ut autem idipſum præterea confirmaretur ex verbis ipſius, juſſit Palæologus percontari ſuperne milites ſuos à Robertianis, ipſoque illorum Duce, quam ob cauſam contra ipſos venirent? Quibus reſponderi Robertus juſſit: expeditionem à ſe ſuſceptam eo animo, ut affinem ſuum Michaelem imperiali ſolio exturbatum, dignitati priſtinæ reſtitueret, injuriaſque, ac contumelias ipſi factas ulciſceretur. Ad ea Dyrrachienſes: ſe Michaelem vidiſſe: ſi is oſtenderetur ipſis continuò ſe agnituros, veneraturoſque nec moram facturos ullam dedendæ Civitatis. Quo Robertus audito, ſuis edicit pſeudo-Michaelem producant, regiæque ornatum cum ſplendida pompa, & muſicorum omnis generis, inſtrumentorum cantu, Dyrrachienſibus oſtentent. Ita factum eſt. Verùm ad id ſpectaculum milites ex propugnaculis cooriri contra magnis vocibus, exſibilareque, ac conviciorum plauſtris deſuper conſpurcare hominem; tum dicere monſtrari quidem ſibi os importunum plagiarii nebulonis non Michaelis olim Auguſti, quem præclarè noſſent. His pro nihilo Robertus habitis, ſedulò inſtabat cœptis, ad finem expugnationis propoſitum toto impetu feſtinans. Per id fermè colloquii tempus inſperato erumpentes è Civitate quidam certamen conſeruere cum Latinis, detrimentoque illato receſſeru. Quamquàm verò quæ diximus de oſtenio exploſoque Monacho Michaelem ſimulante, (11) ita ſucceſſerunt; graſſabantur per obſeſſam Civitatem, locaque circumpoſita Romanæ dictionis variæ de illo ſententiæ, ſcindebatque in contrarios ſenſus incertum vulgus. Erant qui tanquam de noto ipſis capitu haud dubiè pronunciarent, fuiſſe illum Pincernam Michaelis: Alii enim verò confirmabant Michaelem eſſe ipſum Auguſtum, cujus calamitate excitus pro jure, ac neceſſitudinu affinitatis Robertus arma cœpiſſet: nonnulli perſeverabant, planè ſibi compertum, meram eam eſſe fabulam, fictumque commentum vafri hominis Roberti bello injuſto prætextum plauſibilem obtendentis. Neque enim ullo eſſe modo veriſimile Michaelem Ducam ad Robertum transfugiſſe, aut aliam quærendam belli cauſam eſſe, quam ejuſdem Roberti avaritiam, quæ primis ſucceſſibus illecta, irrevocabiliter in cætera feratur dulcedine primi quæſtus ad cæteram prædæ adhuc intactæ rapinam inſtigante: Nihilque adeò id mirum in tali homine, qui cum ex ultima egeſtate humillimæ fortunæ, inquietudine naturæ, audacique non minus quàm felice induſtria, prudentia non vulgari dirigentu, ſeipſum excitaverit uſque ad Regni apicem, Urbibus, & Regionibus omnibus Longobardiæ primùm, deinde etiam Apuliæ ſibi, ut ſuperiùs memoratum eſt, ſubjiciendis, jam ut conſentaneum, uſitatumque eſt, deguſtato ſemel lucro, cupiditatum continere nequeat; quin adjectis ad Illyrici oram, civitateſque tractus iſtius oculis, experiundam in iis, & conſolandam rapacitatem ſuam interim cenſeat: certus, ſi votis eventa nunc quoque reſponderint, graſſari ſemper ulterius in quæque obvia pro more, ac natura avaritiæ, quam merito gangrænæ comparaveris: ut enim illa lues ſi ſemel membrum quodvis arripuerit, ſerpit in cætera continuò, nec uſpiam quieſcit donec corpus univerſum tabefecerit: Sic ua peſtis animi quidquid quavis in parte admomorderit, univerſum comprehenderu, abſorbereque irrevocabili impetu pergit; ac niſi cœptis, aut progreſſibus efferas vis reſiſtentium major occurſaverit, prorsùs abſumat uique ad extremum. Allatis porrò ad Imperatorem Palæologi litteris, quæ de trajectu Roberti menſe Junio facto, deque naufragio, ac cœleſti in eum ira, quæ fruſtrà illud admonuerat, item de occupato obiter Aulone, deque infinitis copiis nivium inſtar hybernarum ad eum undecumque confluentibus, indicabant: nec illud diſſimulantes: eſſe aliquos, qui perſuaderi ſibi ſinerent Michaelem olim Auguſtum re vera cum Roberto eſſu, eoque in ejus partus trahi: his, inquam, omnibus Alexius acceptis, in gravem de ſumma rerum ſolicitudinem incidit, magnitudinem periculi, in quo res publica verſaretur, etiam atque etiam ſecum reputans. Ac cùm facilè cerneret, quas haberet ad manum, ſperaretve copias, ne unam quidem partem ex plurimis, quæ Roberti exercitum conflabant æquare multitudine poſſe, ſtatuit ſibi eſſe ex Oriente Turcos evocandos; idq; agere miſſis nunciis cum Sultano cœpit. Venetos quoque (à quibus color in circenſibus ludricis ad diſcrimen factionis alterius celebri uſu adhibitus nomen invenit) concitaru adverſus Robertum ſtuduit, oblatione, promiſſioneque donorum ab eis contendens, ut nauticum omnem ſuum apparatum quamprimùm educerent ſuis portubus, Dyrrachiumque peterent, ac tuerentur, pugnamque navalem cum Roberti claſſe committerent: certis ſibi in quovis eventu, ſuis præmiis: Sive enim, Deo adjuvante, vincerent; ſive ut ſunt caſus rerum, humanitùs aliquid paterentur, eadem ſe ru præſentaturum quæ polliceretur. Quod ſi quæ præterea cuperent, quæ ſalva republica concedi poſſent, facillimum in annuendo ſe futurum, conceſſionibuſque firmitatem æternam, bullarum aurearum expeditione adjun-

junctarum. Hæc nequaquam aspernanda Venetis sunt visa. Miserunt ergo Legatos, qui postulationes ipsorum proponerent: quibus cùm planè satis esset factum; solvit versùs Dyrrachium valida Venetorum classis, multitudine navium omnis generis, & militari disciplina, ordinatissimaque dispositione terribilis. Ea magnos emensa maris tractus, appulit tandem ad locum dictum, Palha, ubi visebatur templum olim extructum in nomine purissimæ, & superimmaculatæ Dei Matris, distans à Roberti Castris extra Dyrrachium munitis, intervallo stadiorum fermè octodecim. Inde Veneti speculati Roberti classem è regione Dyrrachii positam copiosissimè instructam omnium armorum, machinarumque genera, quibus aut sese tueri, aut nocere hostibus posset, ausi senè non sunt eam lacessere, prælìisque aleam jacere. At Robertus eorum adventu comperto, Baimundum comitante classe ad ipsos misit, cum mandatis; ut Michaelem Augustum, ipsumque Robertum agnoscerent, venerationemque acclamatione testarentur. Ea re Veneti in crastinum dilata, insequente vespera, quoniam cessante vento admovere se littori non poterant, majora navigia in unam seriem ordinata rudentibus inter se deviciunt, eumque, qui dici solet, maritimum portum ipsa sinuatæ aciei structura, naviumque objectu magnarum undique disposito, efficiunt. Tum verò ligneas Turres in loco velarum excitant, in quas attrahunt funibus, ordineque in iis locant scaphas omnes suas, certo armatorum numero in singulas tributo; congesta ipsis telorum copia. Erant autem ea tela hujus formæ. Crassissimos stipites in partes dissecuerant, longitudine non ultra cubitalem; eos caudices duriores, gravioresque, ideò ad nocendum aptiores reddiderant, magnis undique, atque acutis infixis clavis. Sic comparati Francicæ classis opperiebantur adventum. Nec defuit illucescente jam die Baimundus, promissam heri acclamationem repetens: Sed cùm nihil aliud nisi grandes in faciem contumelias referret, ignominiæ impatiens toto impetu in navigia Venetorum invehitur: quem cætere mox classe consequente atrox pugna committitur à Baimundo præsertim; quem ultra innatum ardorem aculei conviciorum irritaverant. Ergo dum instat ferociùs, prætoriamque suam fixis Venetorum navigiis lacentiùs admovet, illi uno ex truncis, quos diximus, ex alto in navem Baimundi devoluto, eam perforant; quæ subeunte per labem aqua cum sorberetur fluctibus, repente rectores pro se quisque fugere, & scilicet in idipsum, quod fugiebant malum, fuga ipsa ruere; mergi enim in navi metuentes, mergebantur in mari. Hoc fermè fato absumpti sunt omnes, qui Venetorum ictibus in ipso prælio non ceciderant. Baimundus verò in extremum discrimen adductus, ægrè in aliud navigium evadens se subduxit. Duce sic emoto in reliquos jam perculsos, Veneti vehementiùs invecti, planè omnes in fugam everterunt, insequentes usque ad tabernaculum Roberti. Quin etiam exscensione subito facta, manum cum Roberto conserunt: quod conspicatus ex speculis arcis suæ Palæologus, erupit & ipse de repente, conjunctoque impetu cum Venetis, haud segni manu hostes adortus, periculum usque ad Castra Roberti promovit, eo enim usque fuga, & trepidatio perlata est, cæsis per campos gladio plurimis. Veneti prædam multam in navigia sua reportarunt: Palæologus verò se in arcem recepit. Post hæc aliquot diebus ibi morati Veneti, Nuncios ad Imperatorem miserunt, indicaturos quæ contigerant: qui eos, ut par erat, benevolentissimè exceptos, beneficiis onustos innumeris remisit, cum non modica pecuniæ summa, qua & Ducem Venetiarum, & alios cum ipso ejus reipublicæ Magistratu munerabatur. At Robertus vir animi imperterriti, atque adversus omnes bellicorum casuum offensiones invicta constantia muniti, planè decrevit non alium huic bello finem, quàm victoriam facere; talique proposito obdurare contra tum cœli, ac procellarum, tum hostilium terra marique incursionum commeatum annonæ prohibentium, incommoda. Nam nec ipse per tempestatem poterat navigia in tutum subducta mari committere: & idem illud incommodum clausi maris, transitum Italicarum navium è Roberti ditione necessaria, ad ipsum comportare parantium arcebat. Accedebant imposita portubus circum omnibus præsidia Romana, Venetæve classis, quorum intenta custodia mare adhuc magis invium Roberti usibus fecerat. Ut verò jam liberum mitiori cœlo mare fuit: Veneti obsidere non contenti, velis, remisque oppugnatum Robertum pergunt: Quibus cum se adjunxisset Maurix cum classe Romana, gravissimo prælio contracto Robertiani terga verterunt. Ex quo tempore Robertus faciendum sibi putavit, ut omnes suas naves in continentem subduceret, libera possessione maris, hostibusque permissa. Sed & illæ ejus offensione insulares erecti, quique oram Epiri littoralem oppidulis tenebant, & alii circum, antea Roberto vectigales, apertè detrectare tributi pensitationem ausi jam sunt; unde Robertus citò sensit quanti momenti maris imperium, aut saltem usus liber, ipsi esset ad rerum suarum, non solùm

fa-

famam, sed etiam salutem, successumque cæptorum. Constituit ergo renovato impetu bellum iterum terra simulque marique movere. Non tamen altum statim tenuit; quoniam qui tunc mare tenebant venti vehementes, memoria illi refricanda naufragii præteriti, futuri alterius metum incusserant. Duobus igitur mensibus portu se continuit urbis Jericho, magna interim cura, & diligentia se comparans ad bellum, ut dixi, maritima conjunctim terrestrique impressione instaurandum. Nihilo verò segniùs, remissiusve per id tempus Venetæ, Romanæque classis claustra maris obtinebant, transitum hostilium navium intentè prohibendo: quæ ut primulum remissa tempestate patiens navigationis æquor esse cœperat, ex Italia transfretare ad Robertum conabantur; sed per obsidentes littora nostros, minimè poterant. Quin nec terræ frumentatio, cæterique victura commeatus, facilis Roberto erat, cujus Castra metata ad dulcem fluvium, impositos quasi cervicibus patiebantur præsidiarios Dyrrachientes, assiduis eruptionibus eos incessentes, qui frumentandi, aut alius similis alterius cujuscumque gratia ultra vallum prodire auderent. Inde fames primùm exercere ipsos; deinde etiam ab insuetudine cœli morbis crebrescentibus, pestilentiæ tanta vis exarsit, ut ea tribus mensibus facilè hominum decemmillia dicatur assumpsisse. Et quoniam in equitatum præcipuè florentissimum Roberti pestis incubuisse visa est impetu læviori, eam planè copiarum ejus partem lectissimam deformavit miserum in modum, si non penitùs ad nihilum redegit. Constat quippe ex Comitibus ipsis, ac cæteris magnatibus nobilitate, ac fortitudine insignibus viris, qui istud militiæ corpus constabant, extinctos esse, qua lue, qua fame, ad quingentos: Equites autem fortunæ humilioris, qui similiter perierint, numerum iniri præ multitudine non potuisse. Quoniam verò, ut dictum est, subductæ naves fuerant in alveum Dulcis fluvii, contigit ut cum eas inde educere oportuit, tanta urgeretur siccitate id flumen, ut squallenti voragini aridi torrentis, quam alveo perennis amnis esset tum quidem similius: ac ne tantùm quidem aquæ haberet quantùm in plerisque torrentibus cernitur. Incommoda sanè res consiliis Roberti classem, ut diximus, mari reddere parantibus. At naves interceptæ vado, trudi secundo flumine in mare nequibant. Sed homo industriæ mirificæ, fæcundique ad artium excogitationem pectoris, viam inivit ejus expediendæ difficultatis talem quandam. In maximè declivi, ac demissa parte alvei jam sicci, figi utrimque paxillos in arenam jussit invicem oppositos, continua in longum serie. Tumque cum sibi utrovis ex latere contiguo, viminum implicationum plurima, quam arctissimè vinciri. Vallum sic fixum roborari voluit à parte exteriori ripas versus, applicitis in longum ingentibus arboribus, ad eam rem radicitus avulsis. Supra eas exagerari, subigique, ac apprimi multa vi arenam imperat; latentes rimas omnes expleturam. Intra hunc sic angustatum, sicque directum alveolum, omnes jam reliquias æstivantis fluvii, ac toto sparsas vasto alveo, temerèque errantes aquarum venas, corrivari manu præcipit. Nec longum tempus in medio, cum aqua sensim confluens usque ad summa labra ejus, quam descripsimus, factitiæ crepidinis increvit, profunditate abundè magna, ut naves jam levaret hærentes saburræ, prorsumque in mare pelleret. At Imperator factus certior de omnibus dedit ad Pacurianum litteras, quibus indicata irruptione Roberti, irrevocabilique illo impetu, quem nec naufragium, nec adversæ terra marique pugnæ, nec fames luesve, ac tanta omnis generis in ipso limine offensio, reflectere à cœptis, aut ad sui curam tutioraque avertere consilia posset, significabat magnoperè se velle, ut ipse contractis, quam id celerrime fieri posset omnibus copiis, quamprimum ad se præsto esset, exercitumque Imperatoris suum in itinere adjungeret. Ipse siquidem Augustus Alexius Augusto mense indictionis quartæ Constantinopoli profectus est, commendata Urbis cura, custodiaque palatii, fratrique Isaacio, illic quasi in specula relicto, ad observandum ecqui orirentur novi motus, ut in nuper constituto principatu, quos pro sua prudentia, & fortitudine in ipsis statim primordiis opprimeret: quin etiam illa eum cura ad Isaacium domi relinquendum impulit, ut is ad consolationem mulierum Comnenæ familiæ, aut aliarum affinium præsto esset. Quas alioqui nimius mæror ex virorum absentia, periculoque augeret. Quamquam, matrem quidem Comnenorum quid attinebat, sua illam firmitas animi, peritiaque, ac dexteritas expediendarum rerum, cui nihil novum occurreret, nihil ita perplexum, quod non explicaretur consilio præsenti, à talis auxilii, ac providentiæ necessitate removebat. Interim Paucurianus resignatis Augusti litteris, intellectoque quid à se vellet, elegit, qui exercitui sub se præesset, Nicolaum Branan, virum fortem, & multa experientia rei bellicæ. Ipse autem cum gravi armatura universa, & flore omni nobilitatis militantis, crestiade celeriter ingreditur, Imperatori conjungi festinans. Quod ubi factum est Imperator statim graviter ar-

matos

matos milites in aciem, ac phalangem ordinat, Ducesque nobilibus præficit viros strenuissimos: iterque sic facere jussit, observata figura totius aciei, ac situ, & distantia cujusque ab altero, quæ tunc erat, quantum soli per quod ingrederentur natura pateretur. Id eo præscribebat, ut assuescerent servandis locis, agnoscendisque, ut deindè cùm prælium foret non temerè statim moverentur, & passim exerrarent. Per hunc modum præfectus est Excubitarum agmini Constantius Macedonibus Antiochus, Thessalis Andronicus, aut Alexander Cabasilas. At Taticius magnus tunc Primicerius, Turcos circum Achridas habitantes ductabat; vir fortissimus, & in præliis imperturbati pectoris: non liberæ, ille quidem à proavia conditionis, ac fortunæ; pater enim ejus Saracenus cum esset, ac more gentis latrocinaretur, incursione militari captus, avo meo paterno Joanni Comneno in prædæ paterno servus cesseret. Manicheis porrò octingentis supra bis millenos Duces dati Xantas, & Culeo, hæresis ejusdem homines; omnes hi viri fortissimi, & ad libandum, ubi occasio se offert, hostilem sanguinem paratissimi; ferocissimi prætereà, audacissimique. Familiaribus denique ipsis, quos Vestiaritas (za) consuetudo vocat, & Francicis Cohortibus Panucometes, & & Constantinus Umpertopulus, à genere appellationem nactus, Præpositi fuere. Sic constitutis Alexius ordinibus cum universo exercitu in Robertum movet. Quo tempore per quendam, qui ab illis partibus recens veniebat, distinctiùs cognovit quonam ibi statu res esset. Admovisse nimirum Robertum Dirrachii mœnibus omnes maximas murales, quibus cum Palæologus per noctem, diemq; continuò summa vi obstitisset, desperantem ad extremum isto genere pugnæ vincere, patefecisse Urbis portas, irruisseque in hostes, ut eos à machinis everteret, atrocique prælio commisso, graviter in variis corporis locis sauciatum esse, præsertim circa tempora telo trajectum, quod ipse conatus vellere, cum non potuisset, advocato Chirurgo extantem è plaga cuspidem, qua parte pennulæ affigi solent, incidi curavisse, reliqua sagitta in vulnere relicta, sicque obligato pro ut tempus fuit, capite in medios rursum hostes præcipiti impetu ruisse, fortissimeque ibi pugnasse, quoad per lucem licuit, de loco nulla vi dimotum usque ad profundam vesperam, quando nocte certamen est direptum. His Imperator auditis facilè intelligens maturo auxilio esse opus obsessis, corripere gradum instituit. Quo itinere Thessalonicam delatus, inde certiùs exploratis rebus hostium, satis comperit: instructissimum copia rerum omnium, & virorum fortium maximo numero Robertum diligentissimè movisse Castra loco non ampliùs, quam jactu arcus à Dyrrachio distante: materiam ad eam munitionem ex universa per circuitum campestri regione comportatam: Idoneis eundem præsidiis suorum obtinere montes circum omnes, angustiasque vallium, ac arces collium: sed & vigilantem, ac fortem propugnationem Palæologi audiebat ibidem ex multis, studiosè narrantibus; eum inflammare cogitantem Turrim Roberti ligneam, præsto habuisse secum in muris Naphtam picem, & aridarum lignorum paratam copiam, dispositis insuper balistis: sicque insultum hostium, & Machinarum hostilium vim forti, & certo expectasse animo, quod autem sciret magnum ad spem arcis expugnandæ à Roberto momentum constitui in Turre Lignea, quam dudum magno sumptu comparaverat; aliam & ipsum similem ex adverso Turrim excitasse, quæ venienti à foris hostili turri pari mole responderet: ac tota nocte, quę insultum processit, fuisse occupatum in experienda machina, tentandoque, num trabs, quæ in summa turri Dyrrachinensi parata portæ, quæ erat in fastigio posita contra venientis hostilis molis occurrere debebat, sicque patefactionem ejus impedire, satis aptè suspensa, expeditaque ad istum effectum esset: ea probatione cum comperisset rectè, ac facilè, prout opus erat, moveri trabem, magna jam fiducia hostium impressionem expectasse. Postridiè igitur, jussisse Robertum ingredi turrim eos omnes, qui ad pugnandum ex ea machina delecti fuerant. Erant hi partim graviter armati pedites, partim equites, omnes ferè numero quingenti. Quibus ingressis, admoteque Turri mœnibus, cum in ea jam inclusi essent ad portam ad id paratam in muri pinnas dejicerent, qua deinde ipsi tamquam ponte uterentur ad invadendam Urbem, frustrà ipsos portam deorsum trudenda laborasse, propterea quod eodem tempore trabem validam ex turri æquali, vi machinarum, brachiorumque promotam Palæologus portæ illi exteriùs applicuit, valideque incussit obnixo constanter, & nulli contrariò impulsui unquam cedente conatus qua arte factum est, ut trabe omninò impediente apertionem januæ, machina sine effectu remanserit. Neque hoc contentum Palæologum insuper jussisse sine ulla intermissione peti telis celeberrimis Francos extantes in summa turri; qui jaculationem assiduam non ferentes, cum se occultarent: tum demum imperasse admoveri flammas machinæ. Nondum id dicere absolverat, cum turris in incendium versa tota in

 igni-

ignibus reluxit. Hic jam qui in superioribus tabulatia erant præcipites certatim se deorsum dare: Quibus verò in inferiori parte statio fuerat, portam turris infimam summa celeritate revellentes ardentem domum incitatissimo fugiebant cursu. Hos ita effusè currentes conspicatum Palæologum immisisse in eos per posticum armatos viros fortes, aliosque post submisisse cum securibus ad turrim excindendam, ac nec huic conatui successum defuisse, sic turrem superiori quidem parte absumptam flammia, inferiori verò excisam ferro, ac nisu laceratam, funditùs perditam, dissipatamque concidisse. Hæc accepit Thessalonicæ Augustus; quibus adjunctum mox est ab eodem, qui priora illa retulit, Robertum nil his fractum statim alteram construere cœpisse parem priori turrim, aliasque de integro cum maximè apparare, admovereque machinas obsessæ Urbi, non absistere nisi victorem certum. Undè facilè Imperator intellexit auxilio, & quidem celeri, ac repræsentato rem Dyrrachiensem indigere. Instructis itaque copiis Dyrrachium versus iter extemplo pronunciat, capessitque, promotisque Castris ad flumen Gharzanen; inde certos ad Robertum destinat, qui ex eo, nomine suo, quærerent, quorsum expeditionem suscepisset? quidue isto paratu peteret? Movet inde ad templum erectum in nomine Sanctissimi inter Pontifices, ac Maximi Nicolai, quatuor stadiis distans Dyrrachio, unde prospectu commodo situm locorum speculabatur ad usum futuræ pugnæ; quis præoccupari maturè deberet, quis explicandæ phalangi aptior deligi, jam dum constituens. Agebatur tum quintadecima mensis Octobris dies. Collum porò aut jugum erat quoddam à Dalmatia versus mare sese attollens, longinsculo eminentioris terræ tractu, prostremò in promontorium desinens, peninsulæ ferè forma. Ibi, cujus modo meminimus, templum erat situm. Eminentia verò illa non præfractæ sugesta, sed miti, & fallente declivitate, planitiei mixta, versus Dyrrachium vergebat, mare à sinistris à dextris montem excelsum latè dominantem habens. Talis probato loci situ, in eum universas Imperator copias congregat; vallumque jacere, ac munire in ea castra jubet, & in ea evocari Palæologum Georgium è Civitate obsessa curat. Ille vir omnium ex longo usu peritissimus, cum universæ rei bellicæ, tum præsertim eorum, quæ propugnationes Urbium spectant, excusavit intempestivum egressum ex arce summa vi oppugnata, missoque certo ad Imperatorem homine, periculum ejus rei præsens demonstravit. Tamen Augustus perseverabat in sententia: iteratisque mandatis omninò ad se venire Georgium jubebat: qui ne tam quidem obsequens, mandata perferentem suo nomine referre hæc Augusto jubet: mihi nimis exitiosum videtur arcem arctissimè obsessam, vehementissimèque oppugnatam in summi discriminis articulo à Præfecto suo deserit Ergo nunquam committam ut tanti flagitii possim argui, ut credam id verè à tua Majestate imperari mihi, quamlibet id multi confirment nuntii. Ac plane nisi tuæ regiæ manus ipsum annulum ad me perlatum videro hinc non exibo. Misit Imperator annulum, & eo Palæologus conspecto extemplo cum bellicis navibus ad ipsum venit. Ex eo Augustus multa percontatus de Roberto, totaque oppugnationis, ac propugnationis ratione omnibus distinctè cognitis, consuluit hominem: Ecquid censeret decertandum acie; & num alea decretorii de rerum summa prælii rectè tali loco, & tempore jaci posse ipsi videretur. Negavit ille, ut tum res erant committi spem fortunæ belli prudenter posse. Incumbebant eodem ducum plerique, ac ferre, ut quisque longiori usu experientior erat militiæ, ita pluribus verbis dissuadebat prælium Augusto: magno insuper consensu, factu optimum omnes affirmantes fore, si velitationibus, & jaculationibus crebris coerceret Robertum intra vallum, nec ei frumentationem, aut cæteræ annonæ comertum ulla ex parte liberum relinqueret. Idemque ut facerent, comeatum nempè subvectionem in Roberti castra pro se quisque impedirent, mandata proferri curaret ad Bodinum, & Dalmatas, reliquosque circum Profectos, & Duces adjacentium Regionum. Isto modo facilè, ac tuto debellari Robertum posse. Hæc seniorum Ducum sententia fuit. At plerique juniorum pugnam malebant, ferociterque deposcebant: Imperatorem modis omnibus in id pertahere consillum conantes. In his primi erant Constantius Porphirogenitus, Nicephorus Synadenus, Nampites Barangorum ductor, ipsique Romani Diogenis olim Augusti filii Leo, & Nicephorus. Commodum sub id tempus, quo juniores pugnam urgebant, redierunt à Roberto, quos ad eum missos è Castris ad Cherzenen metatis superiùs diximus, responsa ejus ad Imperatoris interrogationes talia reportantes: Ego, inquiebat, contra tuam majestatem non suscepi expeditionem hanc, sed arma justa sumpsi, animo ulciscendi injuriam affini meo Michaeli factam. Quod si tu pacem mecum velis, amplector hoc & ego, modo ea, quæ tibi per Legatos meos exponi curabo, inducas in animum perficere. Ita illi. At ejus Legati petierunt, res quæ con-

concedi nullo modo possent, utpotè Romano Imperio perniciosæ. Postulatorum tamen invidiam sublevabat Robertus cumulatione promissionum ingentium. Adeò ut si, quæ peteret darentur, confirmaret se Longobardiam ipsam Imperio imputaturum, & nonnisi præcario, aut beneficiario ab Imperatore possessurum jure. Verùm ea parum ex animo dici apparebat, ostendique dumtaxat ad obtentum, excusationemque in vulgus: tanquam per se haud stetisset quin pax componeretur, qui ad tam sibi damnosas conditiones descendisset: unde futurum erat, ut secuturi prælii causa omnis, atque invidia in Imperatorem conferretur. Tali suspicione de malo, & subdolo Roberti animo, disjecta consensu Procerum compositionis tractatio est. Ab hac repulsa Robertus Comites omnes, qui cum ipso militabant convocans, in hunc modum ipsos alloquitur: Scitis quam à Botaniate Nicephoro injuriam passus sit consocer meus Michael Augustus: quaque ignominia fuerit ab eodem affecta filia Helena, una cum ipso regia expulsa. Hujus, si meministis, doloris sensus nos patria excivit, jam tum cum adhuc regnaret ille autor injuriæ Botaniates. Verùm ex eo tempore converso illic Orbe rerum, objicitur armis nostris pro veteri novus, & cum rebus cæteris tum ætate vigens, ac florens Imperator, penè adhuc adolescens ille quidem, at longè supra quam sperari à juvene poterat, subactus experientia longa bellicarum rerum. Qui cum ideò ego nequaquam perfunctoriè, aut vulgarim dumtaxat attentione conatuve capessendum bellum arbitror: verùm cum exquisita ratione militaris disciplinæ, atque ordinis: cujus rei magna pars sita est in Imperio unius religiosissimè servato. Ubi enim multi simul imperant, necesse est pugnantium sententiarum conflictus existere, ex quibus non oriri perturbatio non potest. Opus igitur est esse aliquem unum ex nobis cui cæteri obediant; qui tamen suo ipsius judicio nimium non tribuat, sed alios in consilium adhibeat, sententiasque amplectatur, optimè à quovis proferentur. Atque illum ad usum oportebit unumquemque, quid si veniat in mentem liberè, sincerèque proponere. Deinde verò deliberatione conclusa sententiam, quæ prævaluerit, ad ductoris arbitrium, sine ulla dubitatione exequi. Agite ergo, ite in suffragia, eligite quemcumque utilissimè præfaturum autumabitis. En ego eum agnoscam quicumque erit: & quidquid præscripserit faciam. Probata est magno audientium assensu tum oratio, tum modestia Roberti. Datisque sortibus summa consensione omnium electus in Ducem supremum, præpositusque cunctis idem ille est. At is delatum honorem callida simulatione recusare videbatur; sic studia sibi faventium magis accendens, & quem tanta fraudolentem artium serie principatum ambiebat, nunc ista oblati repudiatione fucosa validius prensans, certiùsque sibi firmans. Ergo ubi multas veteratione prætexuit refugiendi summi loci causas, quas eo animo, eoque artificio præponebat omnes, planè contrarium persuaderent: tandem ut videri voluit expugnata constantia, tanto Procerum consensui victas manus invitus scilicet dedit. Quando & reliquam hanc ad ipsos orationem in hunc modum pertexuit. Audite meum consilium, Comites, militesque reliqui. Quandoquidem relicta omnes patria huc progressi stamus in procinctu ad decernendum acie cum Imperatore bellicosissimo, qui nuper admodum adeptus Regnum nihil utique sibi faciet reliqui ad omnem artem, conatumque, quo auspicia principatus sui potiùs honestet victoria celebri, quàm probrosa clade dedecoret. Et autem illi non insuetum vincere: qui sub prioribus Augustis multa, & magna bella confecerit, tyrannosque non paucos victos acie, captosque adduxerit. Quoniam hæc, inquam, ita sunt toto animo, totoque pectore, nobis arbitror hanc pugnam esse capessendam, omnium securis rerum aliarum præter quam victoriæ; quam si Deus annuerit, abundè divites, copiosæque instructi erimus, ut præter quam inconsulti, etiam exilii angustique sit animi ex parsimonia præsenti sibi in tempus istud eelle consulere. Non enim jam dubitabo dicere quid velim, quidve necessarium factu arbitrer. Planè oportet, itaque jubeo, vasa supellectiliaque nostra cuncta comburere: onerarias verò perforatas, & cum onere perituras, in mare trudere: sicque cum Alexio pugnare tanquam ibidem modo natos, moxque morituros. Annuerunt omnibus singuli. Talia versabat animo, consulebat, agebatque Robertus: alia è contrariò Alexius, magis etiam varia, excogitataque acutiùs. In eo conveniebant ambo tamen, quod continerent uterque adhuc exercitum: per illam moram exquisitione attentissima indagantes pro se quisque quænam esset ratio vincendi certissima. Imperator quidem spem in stratagemmate ponebat, quo se hostes conclusurum in medio crediderat. Auxilia videlicet universa, cunctam, inquam, sociarum gentium militiam circumducere clam hostili exercitui parabat, jussosque legere maris littus, quam longissimo circuitu, quo faciliùs Roberti providentiam fallerent, in eum se locum quàm occultissimè conferre imperabat, unde impetum à tergo facere in hostes aver-

adori-

sos possent eodem tempore, quo ipse cum cætero exercitu à fronte Robertum adoriretur. Qui quidem Robertus tabernaculis vacuis relictis, pontem nocte transgressus (numerabatur tum octava supra 10. Octobris dies, Indictione quinta) in templum antiquitùs extructum propè mare, in nomine Martyris Theodori se contulit cum exercitu suo universo: ibiq; per totam noctem propitiato precibus numine, immaculata, divinaque mysteria percepere. Inde ad instruendam aciem versus, in ea ipse media sibi delegit, cepitq; locum. Cornu quod mare spectabat Amicetę commisit, viro inter Comites illustri, manuque juxta, ac consilio prompto. Alteri Baimundum præesse voluit, suum filium, cognomento Saniscum. His Imperator compertis pro ea ingenii promptitudine, qua valebat maxima ad pervidendum uno intuitu quid facto esset opus, seque momento ad occasionis opportunitatem trasformandum; ibidem ubi fortè tum fuit, per jugi declive præter maris oram aciem, & ipse suam explicat: divisisque, quas secum retinuerat copiis (nam Barbaros, qui ad circumveniendum Robertum invadendaque à tergo ejus Castra ire cæperant, revocandos non putavit) eos tantùm, qui ancipites in humeris gladios gestant destinatos licet & ipsos circuitioni castrorum hostilium, retinuit; mutatoque imperio præcepit omnes omissis equis cum Duce ipsorum Nampite ante universam aciem modico intervallo directos in seriem procedere. Sunt hi omnes clypeis muniti. Reliquum exercitum in phalangas distribuit, totius ipse aciei insedit medium; à dextris, sinistrisque Nicephorum Legionibus præfecit, Melissenum Cæsarem, & magnum Domesticum, qui Pacurianus vocabatur. Occultaverat verò tam intra intimum phalangis suæ, quam in medio agmine Barbarorum illorum, quos diximus jussos equis descendere in hostem ivisse pedites, certos manipulos satis numerosos jaculatorum optimorum, quos repentè in Robertum immittere cogitabat: mandaveratque Nampite, ut cum plenam ostendisset hostibus speciem mox in ipsos irrupturi, retrocederet statim, laxatisque in latus utrorumq; ordinibus suorum sagittariis locum daret erupturis, moxque iterum suos in unum cogeret, junctisque mutuo protectos clypeis, ire prorsum juberet. Ipse Imperator è regione frontis ipsius aciei Francicæ, maritimam obibat oram. Interim Barbari ad circumeundum missi littoralem emensi tractum, captoque circuitu, cum Dyrrachienisibus Imperatoris jussu ad ipsum egressis juncti in Castra Francica impetum facere. Jam verò ambi summi utriusque partis Duces in se invicem infesti vadebant, instructis aciebus. Et Robertus quidem turmis levium equitum identidem submissis, velitationibus delibabat universam pugnam, in id maximè intentus, ut isto, si posset, modo, fervidiores aliquos ex Romani exercitus eliceret corpore. Nec fefellit Imperatorem actus. Ergo is diligenter cavit, Cetratis extra ordinem objectis equitum sistendo, ne sua inde turbaretur phalanx. Conserebantur ergo inter Cetranos nostros, Robertique velites procemiales pugnæ, jaculationibus non creberrimis. Donec Roberto sensim suos affectante campus inter acies medius magis, ac magis arctabatur. Jamq; Ameceti phalanx peditatu juxta equitatuque totum emenso spatium, Nampite agmen invaserat; atq; adeò Barangis fortissimè resistentibus aversa in fugam fuerat; neque enim eximiis militibus tota constabat. Hi ergo in mare fuga delati ad collum usque immergebant se fluctibus, studio contingendi Romanas, Venetasque naves, in quibus perfugium frustra sperabant, petebantque: Quando Gaita, (a 3) ut quidam autores tradunt, Roberti conjux, in bellum secuta virum, Pallas altera, licèt non Minerva, conspicata fugientes; acri fixos intuitu magna voce increpuit lingua patria tantùm non Homericum illud inclamans: Este viri quonam usque in fugam tendetis inertem? Qui cum haud sustinerentur clamore, ipsa longa in manu hasta correpta totis effusis habenis ignavos infesta persequitur. Ea re illi animadversa, colligunt sese in pugnamque se mutuo ad officium adhortari redeunt. Simul verò bipennigeri, & ipse ductor eorum Nampites ardore pugnandi, & successu primo per imperitiam elati, longo jam intervallo à Romanis disjuncti Legionibus conserere festinabant manum cum ipsa Gallorum acie; quibus & suo, & aliorum judicio nequaquam inferiores in belligerando haberi solent; eos Robertus contra venientes speculatus facilè conjecit ex celeritate gradus, ex magnitudine percursi spatii, ex gravitate armorum, defatigatos, ac anhelitu sublimi esse oportere. Ergo insilere in ipsos jubet globos quosdam peditum, qui eos degustatos, ubi longè molliùs, quam pro incessus audacia resistentes sentiunt, facilè admoto, & ingeminato impetu cunctos ad unum delent, quibus tuendi loci animus, aut cura superfuit. Cæteri fugam intenderunt versus templum summi cœlestis militiæ Principis Michaelis; in quod, quanta loci capacitas fuit, constipati sunt quamplurimi: quos sacra ædes capere haud potuit ascensum in tectum ejus, ac fastigium moliti tutos ibi se miseri credebant. Verùm Latini igne immisso ipsos cum templo pariter con-

repugnabat Gallis. Donec Robertus velut alatus quidam eques, cum omnibus ſuis ſimul copiis ineluctabili inſiliens impetu, Romanam loco movet, & in multas partes diſcerpſit aciem. Duces militeſque qua in veſtigio cæſi, qua in fugam abacti variam. At Imperator Alexius nihilo ſeciùs velut fundatiſſima turris quæpiam extabat altè in campo, dimicans fortiſſimè, ſtragem licèt circa ſe undique virorum cernens, tum nobilitate generis, tum experientia bellicarum rerum, valdè inſignium. In iis erat Conſtantinus Conſtantini Ducæ quondam Auguſti filius, patre jam Imperatore genitus, in purpurata natus nutritusque, quie etiam jam tum imperatoria à patre tænia dignatus. Cecidit & Nicephorus cognomento Synadenus, juvenis forma præſtans, & illo præcipuè die anſis factiſque fortibus magnoperè affectare viſus laudem pugnatoris generoſiſſimi omnium. Cum hoc modo dictus Conſtantinus de nuptiis cum ſorore ipſius tractare crebris congreſſibus cæperat. Eodem quoque abſumptus fato eſt Palæologus Nicephorus pater Georgii, aliique ex illuſtribus. Quippè Zaccharias ictu lethali trajectus pectore, ſimul accepit vulnus, ſimul animam reddidit. Similiter periit Aſpetes, & eximiorum plerique. Stante tamen adhuc, & vigente nihilominus poſt tantam cædem prælio, quandiù ſcilicet impunè extabat Imperator locum adhuc obtinens, tres Latinorum, quorum unus ſupra nominatus Amecetes fuit, alter Petrus Aliphæ filius, ut ipſe affirmavit, tertius, alius quiſpiam nulla re inferior duobus, totis habenis equo quiſque ſuo laxatis, longis armati haſtis in eum incurrerunt. Ac Amecetes quidam recta ictum in Imperatorem non pertulit, equo paulìſper declinante, alterius haſtam primo Imperator gladio repulit, tum intentis manus nervis vehementem in hoſtem intorquens ictum, quo ipſam carpi juncturam petiit, manum illius à reliquo abſcidit corpore. At tertius Imperatorem in fronte percuſſit. Verùm ille ſibi ſummè præſens firmo, & imperturbato ſemper animo, quantuslibet circa tumultus, & rerum ſurſum deorſum omnium permixtio ferveret, ut venientem ſenſit ictum, abjecit ſe retrò ſupinum in equi caudam; quo factum eſt ut ſumma dumtaxat cute frontis perſtricta, leviterque delibata mucro cuſpidis in prominentem galeæ limbum offendens, lorum quo eadem galea ſub mento circum adſtringebatur abruperit, eamque in terram dejecerit. Tunc Gallus excuſſiſſe ſe Imperatorem ex equo ratus, quaſi ad prædam procurrit. At ille ſtatim ſeſe erigens, firmatusq; ſtabili ſede in ephippiis, idem qui ante apparuit; arma retinens, eadem quæ prius, manumque nudo gladio formidabilem vibrans, cruentatus ille quidem recenti vulnere, nudoque capite, flavaque jam ſoli expoſita coma temerè vagante, umbranteque oculos non ſine moleſtia. Nam equus efferatus, fremenſque, ac frænum reſpuens vehementi concuſſu Cæſariem retrò pendentem in frontem averterat. Cæterùm utcumque erat collegit prout potuit ſeipſum, hoſtibuſque obvium infracta generoſitate ut prius obtulit. Ubi verò Turcos fugientes vidit, & Bodinum pugna non tentata recedentem (ſtetit enim hic in armis eodem die, inſtructoque tanquam ad prælium agmine ſuorum, ſpeciem obſtentabat quaſi totis viribus pro Imperatoris cauſa dimicaturus eſſet, juxta pacta conventa, quæ inter ipſos interceſſerant. Revera tamen ſibi parcere decreverat, ſpectareque quorſum vergeret victoriæ fortuna. Ut ſi eam quidem haud dubiè favere Imperatoris partibus cerneret, tum ipſe in victos facili, apud victores gratioſa impreſſione Gallos impeteret; ſi contra eveniret, abſtineret pugna: incolumeſque in tutum copias reduceret. Talia cogitaſſe à principio illum ex iis, quæ fecit intellectum eſt. Simul enim ſatis perſpexit ſtare victoriam à Gallis, bello prorſus inguſtato domum ſtrenuè ſe retulit.) Ea, inquam, ubi vidit Imperator, ſeque deſtitutum planè ab omnibus, tergum & ipſe tandem hoſtibus dedit. Sicque jam omni ex parte Latini planè fuſum, fugatumque Romanum exercitum perſequebantur. At Robertus poſtquam ipſe Sancti Nicolai templum occupavit, ubi auguſtale Imperatoris, vaſaque, & ſupellectilia omnia totius exercitus Romani erant; quos valentiſſimos in ſuis univerſis habuit copiis, ad Imperatorem inſequendum, capiendumque miſit. Ipſe interim ibidem opperiens optatum nuncium, ſperatumque conſpectum Auguſti captivi; quod haud dubiè futurum augurabatur animo, vir cogitationibus aſſuetus vaſtis, & ſpebus immenſis. Porrò haud ſegniter, quos miſerat, operi inſtabant demandato, Alexium incitatiſſimè ſequuti uſque ad locum vulgari incolarum lingua *malam coſtam* appellatum: cujus hic admodum ſitus, ac forma eſt. Fluit amnis infra Charſanes dictus. Hinc alta exurgit rupes. Inter utrumque tranſitus fuit fugientis, & ſequentium, ibique loci majori velocitate tandem aſſecutorum Imperatorem, quem & haſtis in lævum ei latus vehementer illatis, magno inſuper incumbentes impulerunt impetu (novem autem erant) & facilè videlicet in dexteram partem inclinarunt. Dejeciſſentque omninò in terram niſi mucro longiuſculi enſis, quem manu dextera tenebat Ale-

xius, duræ superficiei soli innitens, ipsum à casu sustinuisset. Cæterùm in isto dextrorsum impulsu aculeus calcaris lævi cum infimam oram ephestridis, que ea cingulo inferiori, sive substramini annectitur, admomordisset, totum equitem, loco motis ephippiis, propendulum in partem alteram fecerat: at ipse læva manu setas equini colli correptas tenens, sese ut poterat sustinebat, adminiculo non in longum suffecturo, nisi haud dubio numine divinæ potentiæ salutem Imperatori ex ipsis ejus inimicis mirabiliter offerentis incurrissent, in mox casurum ab illa parte inquam præcipitabat, alii Galli, arrectis infestisque similiter hastis, quarum mucrones valdè appliciti loricæ dextræ commodum ruentem Alexium erexerunt, in medioque aptè sedili ephippiorum, prout ille aptare tali tempore poterat, collocarunt. Quamquàm enim toto illi pellebant nisu, in partemque planè lævam dejiciendi equitem animo, ac spe; tamen nonnisi dimidium rei, quam agebant peragere ipsis licuit per commilitiones eorum, ex lævo, ut dictum est, latere obnixo impetu fixis hastarum cuspidibus dexterum in latus eundem equitem trudentes. In quo cum utrinque perseveraretur obstinatiùs, prorsus inopinatum aliquandiù, miraculique plenum spectaculum extitit loricati in equo Imperatoris appetiti undique mucronibus hastarum, & earum vario se mutuo temperante impulsu ita librati, ut nulle re alie, quàm multitudine in ruinam urgentium erectus staret. Cum hic autem tali occasione strenuè utens, sese in sede certiùs firmasset, restitutaque in debitum locum ephestridè, equi habenas angustiùs compescens eltè adduxisset, generosus Sonipes natura præfervidus, & firmis cruribus, planèque aptus ad conetus circenses, martiosque, non modo se in posteriores ungulas erexit, verùm etiam impetu concepto, saltum expediens, sese equitemque suum in petræ adjacentis, cujus modo meminimus, verticem, instar Pegasi cujusdam volucris extulit. Dicebatur & equus Guritzes, quod nomen acceperat à priori domino Bryenio. Hic enim ipse est, quem insignibus Imperialibus, ac purpureis phaleris ornatum Alexius in prælio contra Bryenium, imperante adhuc Botaniate Nicephoro, ut superiùs narravimus, cæperat. Cæterùm quantæcumque ejus equi vires erant, nequaquam sine divinæ erga Alexium providentiæ præsenti ope, miraculoque manifesto potuisse tunc quidem visus est. Hastæ porrò Barbarorum, partim ipso equitis, quem urgebant, evolantis impetu excussæ de manibus tenentium effluxerant, partim infixæ variis partibus Imperatoriarum vestium ipsum Imperatorem sese in altum efferentem, equi similiter raptæ saltu consecutæ sunt. Quas statim Augustus cum ipsis unde pendebant vestium laciniis abscidit. Moxque nulla perturbatione mentis in tantis malis, aut turbida incertitudine consilii statim expediens quid facto esset opus, se mirabiliter inde proripuit, Gallis inhiantes circum suspectantibus, incredibilique stupore perculsis. Et erat stupendi causa. Mox alio procul itinere fugientem conspicati toto rursus insequuntur impetu, quorum strepitu instantium Imperator admonitus, ubi tracta in longum fuga securos periculi victores fecerat; repente versis habenis unum insequentium, quem fortè primum obvium habuit, hasta transverberans, adverso pectore, supinum dejicit in terram. Sicque converso iterum equo priore via continuat fugam. Eo itinere paulò post incidit in quasdam Gallorum cohortes, quæ Romanos persequutæ fugientes, in castra victrices redibant. Hi viso procul agnitoque Augusto ibidem in via media, qua necessarius erat transitus, conglobati scutisque commissis, & invicem confertis expectant, quo, & equis longo cursu fessis aliquid laxamenti modica requie ad novos conatus darent, & Imperatorem, quem vivum capere potiùs, quàm in cursu occidere mallent; haud ignari quàm gratum id Roberto munus oblaturi essent, sic melius redigerent in potestatem. Tunc enim verò Imperator, qui tot à tergo insequentium hostium infestum impetum vix, ac ne vix quidem jamdudùm frustraretur, alios quoque occurrentes à fronte cernens, planè actum putavit de salute sue. Ergo, quod unum supererat, honestam nec inultam affectans mortem, postquam brevi spatio sese collegit, in confertam repentè obstantium turbam irruit; mediumque ipsorum sublime extantem animadvertens quempiam, tum à staturæ modo, tum à fulgore armorum suspicatus Robertum esse, ipsum rectè petit. Quem alter magno animo, protericaque hasta ex adverso similiter invadit. Eo utriusque cursu medium spatium momento correptum est. Concurrunt equites. Prior Imperator directa manu adversario hastam incutit. Ictus per mamillas in dorsum trajicit. Barbarus statim humi procumbit exanimatus lethali vulnere. Mox incitato Augustus equo per divisam phalangem, cæpto itinere ferebatur, redempte per necem istius Barbari securitate fugiendi. Nam Galli cæteri ad jacentem accurrerunt adjutandi causa, curandique, illique ipsi, qui dudum à tergo insequebantur Alexium, in eum perlati locum ubi postremò cæsus procumbebat Barbarus, descenderunt

runt ibidem ex equis, egaitoq; viro mortem ejus lamentabundi plangebant ululantes. Non fuit his quidem Robertus; verùm ex illustrissimis principibus alius uni Roberto secundus. Sic igitur ipsis occupatis Imperator purum iter, ac liberum in tuta tenebat loca. Verùm ego inter hæc narranda parùm meminisse visa sum, vel historiæ fide, ac religione ad veri cujusvis promulgationem urgente, vel admiratione me quoque efferente facinorum tantorum, tamque incredibilium, me patris mei res gestas scribere. Etenim ne historiam fictionis suspectam reddam, soleo plerumque brevitate magna, transcurrere quæ de patre meo narranda occurrunt, cohibente me verecundia ne eas juvare arte, efferreq; dicendo ausim: quin etiam nec totam ipsis suam latitudinem in narrando tribuens. Atque utinam ista causa ne obstaret: & ego hujus affectus erga parentem pii suspicione libera totam orationis vim in istam uberrimam laudandorum facinorum segetem possem immittere: efficerem profectò, & argumento supplente facultatem ab æquis juxta iniquisque magnifica dictione pervincerem, eminuum in omni memoria extitisse in unum, cujus res gestæ arctiorem cum omni genere laudis conjunctionem habuerint. Nunc gestientem in laudationem istam linguæ, stilique impetu metus ille retardat, ac refrigerat: ne plerisque ex usu vulgari de me censentibus videar in commendatione capitis, ita mihi conjuncti, ut laudum ipsius in me contagio redundet, indulsisse charitati damno veritatis: & res, quæ proferendæ tunc essent prorsus insitatæ, atque mirabiles ex vano hausisse potiùs, propriove ingenio finxisse, quàm ex certa, testataque prompsisse memoria. Quamquàm si cedere affectibus, & ultra severitatis historicæ gyros exultare licentia quidvis dicendi inducerem in animum, ne ego non plus exultationi, triumphoque, quàm luctui lamentisq; indulgerem. Adeò tristia plerumque adversaque sunt, quæ vitam, atque imperium mei patris describere aggressæ exprimenda narratione veniunt. Quorum equidem commemoratione sæpissimè inter commentandum stillante in stylum, ac chartam oculo defungor; tum, non faciliùs erumpentes quæstus è pectore, quàm ex oculis lacrymas continens, remitto interdum dolori habenas, luctumque expirare in querimonias sino, quas, cum alioqui breves fiet, neutiquam intempestivas visum iri arbitror: imò si secus facerem, & domesticas calamitates tantas siccis oculis absque significatione mœroris ulla, planè ut silex sensu cassus, aut durissimum adamas prætarirem, periculum esset ne tota historia ficta potiùs ad ostentationem artis, atque ad scenicarum exemplum fabularum mendaci videretur tragicorum casuum varietate concinnata: quæ narratio seriò complexa verè in vita versatas fortunæ infensæ acerbitates; tales profectò ac tantas, ut earum interposita mentione jurare debeam, si esse, audireque patris amans velim: nihil hac in parte inferior illo juvene, quem sic loquentem Homerus facit: Non, Agelac, Jovem patrisque mei mala juro, verùm parentis mei clades virtusque, quam ea evadenda, vicendaque monstravit mihi privatim uni deploranda, admirandaque relinquetur. Nunc in orbem susceptæ historiæ redeamus: qui eos infecta re vacuos cernens, auditis quæ acciderant vehementer omnes objurgavit: insignem etiam quendam inter ipsos flagris cædi se jussurum est minatus, ignavum, imperitumque rei bellicæ incusans. Addebat imprecari se sibi mala omnia, nisi in tali casu equum ipse suum simili saltu in eumdem Petræ verticem, in quem Augustus evaserat, immissurus fuisset, ibique eumdem aut equo dejectum occisurus, aut capturus vivum. Erat quippè hic Robertus generosissimus ille quidem summusque contemptor periculorum, at idem irritabilis, ut qui maximè, naribus fermè iram spirantibus, atque ubi quippiam offenderet, minusve ad votum succederet, statim indignabundus, stomachique atque acerbitatis plenus: Hostes verò quod attinet, cùm versaretur in prælio, equitemque in adversum infestus vaderet, perire adversarium an se ipse ipsum mallent, fatis permittebat, securus & paratus in utrumque, sed certus alterutrius. Cui cùm contra exciperet is, quem acriter incessebat miles, insuperabilem fuisse petram nimium quantum excelso acumine, ascensu undique ita abrupto, itaque præcipiti, ac lubrico, ut nisi Deo tamquam oblata machina juvante, extollenteque, nemo, non dicam impeditus armis, & in equo bellatore cataphractus, ac pugnans; sed ne, pedes quidem otiosus & securus, perreptare in ejus verticem quantavis industria, conatuve queat. Quod si mihi non credis, ajebat, age experire aut ipse tu, aut quivis alius equitum maximè audax, maximèque peritus equi regendi, si quis vestrum eniti saltu re ipsa potuerit in saxi verticem, etsi non solùm alatus ipsa, sed & alato vehens equo, non recuso quin supplicio quantumvis acerbo me subjicias, ignaviæque condemnes. His miles dictis, eo gestu atque habitu, qui facilè proderet stuporem, in quo erat adhuc exherente sensibus memoria saltus incredibilis, quem oculis paulò ante usurpaverat, Robertum placavit, ira ejus in admirationem versa.

At

inviæ semitæ continuato labore duorum dierum, totidemque noctium emensus, Acridem tenuit, trajecto per id iter amne Charzane, & paululùm dumtaxat in saltu impervio dicto Babagora moratus, animo ipse nihil perturbato, vel ob magnitudinem, vel cladis, vel fatigationis ex jactatione tanta, cæterorumque malorum; ne dolore quidem tum maximè fungente accepti in fronte vulneris, inflecti se quidquam, aut in ullam remissionem frangi sinens. Quamquàm illum intus in animo ingens urebat desiderium tot illustrium virorum, qui fortissimè dimicantes in pugna ceciderant. Tamen à cura justa illa quidem, sed in præsens inutili, ad instantium provisionem mentem transferens, totum se dabat exquirendis rationibus Dyrrachii tuendi. Quæ civitas, ut jam par esse posset oppugnationi victoris Roberti sustinendæ, meritò Alexius sua prudentia rem extimans verebatur. Quippè qui reputabat Palæologum, cujus ea virtute hactenùs steterat, inde nunc abesse. Nam is semel evocatus, per fortunam deinde adversi prælii haud situs est in suam arcem iterùm ingredi. Tamen Imperator eos qui restabant Dyrrachii, confirmare in officio quo ad licuit sategit. Electisque Venetis, qui coloniam illuc duxerant, arcis custodia mandata, cæteram gubernationem, propugnationemque urbis universæ Comiscortæ ex Arbanis profectò commendavit, scriptis ad eum de iis, quæ tali tempore facienda viderentur, accuratis litteris.

EX LIBRO V. ALEXIADOS.

CÆterùm Robertus belli securus, quippè plenè jam victor, castris, impedimentisque Romani exercitus universis, & ipso Augusti tabernaculo, potitus, trophæis erectis exultabundus, triumphansque superbo gaudio, planitiem, quam ante prælium castris insederat, cùm Dyrrachium obsideret, repetiit iterum, modicaque illic mora, deliberavit: ecquid oppugnationem urbis de integro resumere præstaret, murosque iterùm quatere? an potiùs ea re in ver proximum dilata, nunc Glabinitzam occupare, ac Joannina, ibique hybernare, universo exercitu distributo per amænas, & uberes valles, quas ii montes efficiunt, qui æquabilem, & campestrem Dyrrachiensi soli regionem ab oriente terminant? Qui verò Dyrrachio inclusi, resistere adhuc velle, ut superius vidimus, videbantur; homines attenti suis rebus, & Melphorum, Venetorumque Coloni plerique, audita Imperatoris clade, cædeque tot Ducum, ac virorum Principum, cùm insuper classem utramque Romanam, Venetamque recessisse cernerent: reputarentque secum, nec saltem experiendæ virtutis præsentem occasionem dari; quoniam percrebuerat, decrevisse Robertum, eos lenta dumtaxat per hyemem obsidione circumcludendos, in vernam tempestatem totis viris oppugnandos differre; hi, inquam, perculsi qui Dyrrachium obtinebant, cogitare pro se quisque intentiùs, ac disquirere privatim tacitè cæperunt, ecqua iniri posset oportunè ratio salutis expediendæ: cavendique in posterùm ne in mala periculave iis similia, quibus modò defuncti essent, denuò revolverent. His diù singillatim animo versatis, congregati aliquando in cœtum unum, ut in medium consulerent, unoquoque quod privatim sapiebat in commune proferente, post modicam sententiarum altercantium pugnam, haud gravatè consenserunt: unam optimam videri difficultatis, in qua essent explicandæ viam, si cum Roberto agerent, eique certis conditionibus dederent civitatem. Extitit præcipuè in isto deditionis consilio, suadendo urgendoque obnixum studium cujusdam Coloni Melphensis, quo multa in eam partem commorante, monenteque, tandem in ejus est sententiam deliberatio conclusa, decretumque ut portæ patefierent, Robertique potestati urbs permitteretur: qua is occupata, copias in eam ex hybernis evocavit: ibique recreavit exercitum, diligenti cura sauciorum habenda; non eorum dumtaxat, qui vulnerati graviter fuissent, verùm & illorum quoque, quos vel leviter in summa cute gladius strinxisset. Exquisivit etiam exactè quot qualesve suorum præteritis absumpti pugnis periissent, quorum in locum, quoniam delectibus habendis aptum per hyemis otium tempus videretur, novas auxiliarium cohortes conducere videlicet sibique adjungere parabat: in animo habens, simul ver illuxisset instructo exercitu infestis signis recta in Imperatorem tendere. Talia victor, sibique victoriam ipse applaudens, ac magnificè gratulans Robertus cogitabat, parabatque. E contrario Imperator victus, fugatusque, insuper & vulnere in fronte deformatus, sed ex majore intus in animo perculsus plaga; pudore nimirum tam acerbæ, luctuosæque cladis, & desiderio tot fortium, illustriumque virorum, qui funesto illo prælio ceciderant: tacitus mœrensq; ac velut malis attonitus aliquandiù stupebat, segni luctu desidens. Verùm torpore isto citò excusso, brevi se sibi reddidit, atque in generosas spes, curasque se dignas excitato animo, totum se dedit, rationibus exquirendis reparandæ jacturæ, cladisque, atque ignominiæ cumulatè in hostes

ſtes vere proximè ſequuturo refundendæ. Erat hoc par Ducum tanta utrimque ſimilitudine præditum laudum, quanta ferè odii, atque hoſtilium irarum acerbitate discors. Uterque ad omnes bellicæ rei functiones, ac partes manu juxta menteque promptiſſimus. Ambo in providendo acres, in conſcientia celanda, cautiſſimi, neuter ullius rudis militaris artis, ſeu oppugnare arcem, ſeu ſtruere inſidias, ſeu aperto marte ſigna conferre opus eſſet, pariter expediti conſilio, manu ſtrenui, pectore firmi, atque intrepidi, ut nunquam ullo bello ad ſpectaculum orbis duo magis inter ſe pares adverſarii commiſſi à fortuna videantur. Eo tamen excellebat Alexius, quod in ætate multo juniori Roberti robur illud maturum, & belligerantis ævo pleno Barbari minas, ac ſpiritus, quibus ſucceſſarum ſe terrarum ſupploſione pedis, & phalanges uno clamoris ſono conturbaturum plenè jactabat, ebundantia quadam præcocæ anticipatæ virtutis in ſe repræſentabat edoleſcens. Sed nimirùm hæc locis aliis, aliiſque artificibus reſervanda ſunt: erunt enim erunt qui evigilabunt in iſtas auras tantæ indolis laudandæ, par oſtium, paremq; facultatem ad argumentum afferentes ornatus omnis capax, nihil horum, quæ hic præſtrinximus, præterire poterit. Cæterùm Imperator Alexius ubi ſe apud Achridem brevi quiete paulisper recreavit, Deabolim ſe contulit, ibique colligendis reliquiis cladis, pauciſque, qui vulneribus, ac fatigatione ſeminecces eo ſubinde confluebant curandis, fovendiſque dabat operam: reliquos miſſis quoquo verſum præconibus curavit admonendos, ut Theſſalonicam ſe conferrent. Ad hæc reputans, quòd triſtia experientia docuerat, quam imparem Roberti copiis ipſe objeciſſet exercitum, planèque damnans omnes in poſterùm ſpes, quas in tali non dicam militum, ſed prorſus imbellium, funditusque rudium tyronum genere poſuerat, neceſſariò cogitationem appulit ed auxilia bellicoſarum gentium paranda, vocandaque. Verùm intercedebat optimo conſilio, quòd neque ejuſmodi delectus ſine præſenti pecunia fieri poſſent, neque ut tum res erant, ulla ferè undecumque appareret conficiendæ ratio pecuniæ: quippè cùm exinanitum funditus eſſet Ærarium inconſultiſſimis, & inutiliſſimis profuſionibus ejus, qui nuper imperaverat Nicephori Botaniatæ, quem ajunt tam ſupina diſſolutione adminiſtraſſe rem pecuniariam, ut jam valvæ apothecarum, in quibus recondi theſauri regii conſueverant, reſeratæ, ac patentes relinquerentur, cuiviſque poteſtas eſſet illac iter habendi: non enim erat periculum, pecuniis omnibus prius exhauſtis, ac comeſſis, ne quid rapacitati fortè tranſeuntium exponeretur. Hinc publica res magnis erat in anguſtiis; infirmitate ſimul, & egeſtate Romanum imperium urgentibus: ut qui nec ad ſui tutelam miles ſuppeteret, nec ad delectus pecunia. Quid ergo facere oportebat juvenem Imperatorem habenas tanti, tamque malè conſtituti principatus tractare tum primùm exorſum? utrum deſperata ſalute Reipublicæ redire in privatam fortunam, imperiumque abdicare? Atqui futurum erat, ſi hoc faceret, ut puſillanimitatis, atque ignaviæ damnaretur: & quamvis honeſtas ſui receptus haberet cauſas, tamen infamiam æternam ſuo nomini conſciſceret: tanquam metu degeneri, conſcientiaque inertis, atque imbellis animi, non ullo laudabili conſilio, turpes latebras otii privati, aulæ, ac ſolio prætuliſſet? Quod dedecus cùm morte pejus homini eſſet ſic nato, ſicque inſtituto, ſuſtinenda illi planè ad extremum perſona ſemel ſuſcepta fuit, & ne ante acta vita, rebuſque prius geſtis indignum aliquid ſapere, facereve poſſet ergo, ſummo undique conatu reparandum bellū, copiis omni ex parte cogendis, evocandiſq; viris ſtrenuis ſpe ingenti præmiorum; quorum fides, & certa expectatio præſentibus pignoribus donorum in anteceſſum oblatorum ſancienda erat. Hoc ille conſilium ſequi certus deas in res magnoperè incubuit. Primùm enim dimiſſis quoquoverſum magna celeritate viris idoneis, auxiliares congregare copias ſtuduit, magnifica oſtentatione donorum ingentium. Deinde cum matre, fratreque inſtantiſſimis egit nunciis, litteriſque, ut ii pecunias quomodocumq; confectar omnino ed ſe quamprimum mitterent. Ad ea illi mandata conſiliis collatis, circumſpectiſque, ac deſperatis viis omnibus aliis pecuniæ cogendæ, ad voluntariam rerum omnium ſuarum collationem confugerunt. Ergo quidquid mater, quidquid frater, quidquid uxor Alexii Auguſti auri, argentiq; habuere totum ad fornacem publicam, ubi moneta fundi, eudique ſolet, in nummos commutandum miſſum eſt. In quo enituit Imperatricis matris meę ſtudium: quæ prima omnium ſine cunctatione ulla liberaliſſimè prorupit in profuſionem rerum planè omnium, quas vel à patre, vel à matre, hæreditatis nomine unquam acceperat. Megnum exemplum, & quemadmodum rebatur, imitatores habiturum, edens contemnendarum in tanto publico diſcrimine privatarum rationum. Sub hæc, qui vel conſanguinitate, vel amicitia conjunctiores Comnenis erant, pro affectus quiſque ſui, ac facultatis modo plus minuſve contulere auri, argentique: Inde quantum plurimum conflari nummorum potuit,

Yyyyyyyy par-

partim sociis stipendia poscentibus numeratum, partim Augusto suppeditatum est, nihil satis habendi ad præsentem usum. Nam & illi, qui prælio infausto, qualemcumque operam voluntarii navaverant, ita expectabant sua præmia, ut si ea spebus non responderent recessuri viderentur: & qui stipendia merebant, non modò repræsentari ea flagitabant, sed etiam augeri. Ergo cum ita variè satiandis, sedandisque statim esset universa profligata recens pecunia, tamen inhiante ad plura cupiditate plurimorum, nihil actum apparebat, nutareque haud dubiè fides exercitus videbatur, nisi uberiores largitiones affluerent: coactus periculo Augustus iterùm institit gravissimè, ut pecuniæ plures suggererentur. Res enim verò incommoda; quo enim jam tenderetur ultra extremum? aut quid erat demum reliquum post ipsam principalem domum priori collatione spoliatam? Consultationes igitur inter potentes rerum trahebantur longæ, nullumque expedientes exitum; idque tum privatis congressionibus, tum in Senatu ad ipsum vocato. Tandem prævalente in dies metu Roberti, perditis rebus, quasi ad sacram anchoram ecclesiasticorum thesaurorum adjecta naufragantis reipublicæ cogitatio est. Replicati ad obtentum rei parùm in vulgus plausibilis veteres canones, quibus in redemptionem captivorum impendi sacras pecunias, conflarique vasa templorum, fas esse cavebatur. Admonebant incidisse tempus illud. Servire enim servitutem miserabilem, & in exitium animæ, ac periculum salutis præsens sub dominio infidelibus Christianos per Orientem innumerabiles. Quibus succurri posset non ex ipsis quidem celebribus, & quotidiana religione frequentatis sacris ædibus redemptionis pretio petendo; sed ex desertis nullumque jam ferè usum habentibus: quæ magna denariorum veterum copia refertæ, nihil aliud nisi sacrilegia nocturnorum furum expectarent, provocarentque. Quæ quanto melius utiliusque in monetam cusa conducendo exercitu nostrorum, sociorumque Christianos olim erepturo Turcicis vinculis, expenderentur? Hanc ubi tentare viam placuit, Sebastocrator Isaacius in magnam Dei Ecclesiam se confert, ibique in dicto cœtu sacrorum ministrorum, non modica est exceptus admiratione Præsulum assessorum Patriarchæ, verentium quorsum hic talis viri adventus spectaret; denique ad interrogationem ipsorum, cujus rei gratia adesset ultrò percontantium, sic Isaacius respondit: Veni huc dicturus vobis aliquid in hoc deploratissimo reipublicæ statu necessarium, utpotè quo uno spes servandi exercitus continetur. His subjecit mentionem eorum, quos dixi canonum, & templorum minus celebratorum religioso fidelium concursu, è quibus minimo incommodo aliquid opum acervatim coogestarum delibari posse videretur. Disseruit in eam sententiam verbis sanè multis: tum facundiæ vim regni auctoritate corroborans, non dissimulavit extorquere se paratum, si oporteret: id quod Imperatore perorando conatus esset hactenus. Deprecatus tamen invidiam odiosi verbi, sic eam in fortunam, ac necessitatem transtulit. Cogo vos, inquit, sed coactus ipse prius ad utendum coactione ista, coactus tamen extrema necessitate rerum, & supremo periculo nominis Romani. Ita ille partim rogans, partim imperans, plerosque flexerat. At non Metaxam, qui ei constanter obstitit; multasque contra rationes attulit plausibiles, loquendi libertate etiam usque ad sugillationem Isaacii provectat verùm pluribus cedentibus, frustra fuit, & in sententiam Sebastocratoris conclusa res est. Ea magnarum adversus Imperatores (nam Isaacium non dubitem Imperatorem citrà purpuram dicere) gravium. Ea, inquam, in fratres Comnenos querelarum causa extitit: non in præsens modo, aut finitimum tempus, sed & in longè consequens invidia durante, cui accendendæ non segnem dedit operam Leo quidam Chalcedonensis, tum Antistes: non ille quidem valdè doctus, aut eloquens, cæterùm virtutis cultor, homo duris, austerisque moribus. Is cùm è valvis templorum, quæ ad forum æris venalis procul ab opportunitatu populi sita minori concursu tenebantur, auri argentique laminas, atque emblemata revelli cerneret, in medium irruens voce liberrima intercessit; nec ulli excusationi necessitatis, aut allegationi priscorum canonum concedere quidquam voluit. Quin etiam ex eo tempore contumeliosè, atque impotenter invehi consueverat in Augustum, præsentemque in os objurare, quoties ille redibat in urbem regiam. Dabatque animos homini, abutenti ea re, quam venerari debuerat, patientia incredibilis, & humanissima facilitas principis talia dissimulantis. Nunc verò cum occasione primæ Alexii expeditionis in Robertum Isaacius justissimis de causis ex Senatusconsulto, impetrato etiam consensu Præsulum, pecunias servandæ rurum summæ necessarias è templis peteret, opposuit hic sese subimpudentiùs, eaque contumacia gravem Sebastocratoris in se iram movit. Consequentibus deinde temporibus cùm Augustus aliquot à Gallis acceptas clades sexcuntis de illis reportatis victoriis ultus esset, Deo juvante; coronatusque inde, ac triumphans in urbem regiam esset invectus:

ctus:

ctus: Exortaque uova Scytharum in Imperium irrumpentium graviſſima procella, in non diſpari periculo ad ſimile præſidium ſimili omnium conſenſu, præſente inſuper, & rem urgente Imperatore, confugeretur, idem hic homo ſolita ſua pervicacia magnoperè apud Imperatorem offendit. Porrò hac occaſione cùm de ſacris ædibus, figuriſque, & Imaginibus multa, ut fit, diſputarentur, hic Antiſtes in eam ſententiam diſſeruit, ut contenderet, ſacras imagines abſoluto à nobis, & in ipſis hærente cultu affici non autem dumtaxat relativo. Itaque ut ille quidem nonnulla plauſibiliter, canonicèque, & pro dignitate Sacerdotii diceret, ageretque; tamen in aliis prolabebatur parum Orthodoxæ ſentire deprehenſus: cujus erroris cauſam haud ſcio an æſtivæ contentionis, excurrentis plerumque longius, quàm par eſt; an ſtudio obſiſtendi Imperatori, a quo dudum abhorrebat; an denique ignorantiæ veri aſſignandam putem. In ultimam tamen hanc partem ſuſpicione propendeo. Quoniam enim is vir multam operam literis non dederat; artiſque ratiocinandi funditus rudis erat, facilè fieri potuit, ut quædam minus ad Theologiç Canones exacta inter diſputandum effutierit. Verùm in dies ſucceſſibus ipſis adoleſcente, ea qua impune laceſſendis Imperatoribus uſurpare ſemel cæperat audacia, incitantibuſque ad ipſum ultrò currentem malè feriatis plurimis, quibus ea, quæ tum erat reipublicæ gubernatio, non placebat, homo ſui parum potens in contumelias, maledictaque intempeſtiva, & intolerabilia efferebatur, Auguſtum licentiſſimè proſcindens, placare hominem è contrario conantem; ſuadentenque amiciſſimè, ut & quæ temerè de ſacris imaginibus dixerat maturè revocaret, & depoſita ſimultate, redire ſecum in gratiam vellet: ſe enim reſtituere paratum, quæ è ſacris abſtulerat ædibus; imò ſplendidiora repoſiturum; ad emendationem porrò culpæ iſtius qualiſcumque nihil legitimi piaculi recuſaturum: quo in genere præcipuis ſacrorum Antiſtitum adeò jam ſatisfecerat, ut ii cauſam ejus diligenter tuerentur; eoque ipſo nomine ab iis, qui Chalcedonenſis partes fovebant aſſentatores audirent; verùm ad ea ille obſurdeſcens omnia, irrevocabiliter, quo impetum cæperat, ruebat. Quare ad neceſſarium remedium animadverſionis canonicæ ventum tandem eſt; homoque multis nominibus id meritus, de ſede, quam occupabat, eſt depoſitus. Non fregit indomitum animum ea res. Turbat iterùm, & factiones ciet in Eccleſia, non exigua ſibi adjuncta, ſecumq; abducta multitudine ſectariorum. Quod dum per multos annos agit, turbolentique ſui ingenii, & inflexibilis pervicaciæ plenam fidem facit omnibus. Denique omnium calculis damnatus exulare juſſus eſt apud Sozopolim ad Pontum: ubi providerat Imperator, ut officioſiſſimè exciperetur, curaretnrque copiosè: quamquàm ille contumacia ſe involvens ſua, & in concepta ſemel adverſus Auguſtum ira animum, ut apparebat, obſirmans, oblata ejus uti liberalitate noluit. Sed de his hactenus. Ad Imperatorem enim redeundum eſt, qui recens appulſos milites (multi ſiquidem ad eum, ut ſalvum eſſe conſtitit, confluxere) ſedulò exercebat ad omnes partes funtionis militaris: docens, equum ſcitè regere, collimare arcu, quem certiſſimè vadere exertia armis in adverſos, rurſuſque tempeſtivè ſubſidere in inſidiis. Miſerat verò denuò Legatos ad Regem Alamaniæ, ſub quodam Methymne dicto, quem legationis eſſe principem juſſerat. His & litteras, & mandata dederat, quibus magnoperè inſtigare Henricum conabitur ad rumpendas omnes moras invadendæ Longobardiæ, juxta pacta conventa inter ipſos antea tranſacta. Iret ergo quamprimùm, moveretque Infeſta ſigna in Roberti ditionem, quo ejus viribus ad neceſſariam rerum ſuarum defenſionem à Romano Imperio tantiſper averſis, reſpirare interim à clade Alexius poſſet, & conductis iterùm auxiliaribus copiis comparare ſe ad Robertum toto Illyrico pellendum. In eo ſi Rex Alamaniæ operam commodare ipſi facillimam vellet, maximam ab ſe initurum gratiam, quam omnibus officiis, & beneficiis rependere, ac remunerari paratiſſimus eſſet Imperator Alexius. In primis verò connectenda quamprimùm affinitate, quam Henrici Legati Regem ipſorum cupere ſignificaverant, cujuſque ipſis ſpes facta fuerat. His ita diſpoſitis Auguſtus Pacurianum magnum domeſticum ibi relinquens, ipſe in urbem regiam revertitur, auxiliares illuc undecumque copias commodiùs convocaturus, & alie quædam pro tempore, ac rerum præſentium ſtatu diſpoſiturus. At Manichæi Xantas & Culeo, cum iis, quos ductabant, numerum æquantibus quingentorum ſupre duo millia, temerè atque injuſſu domum revertuntur; ſæpiùſque ab Imperatore revocati, promittebant quidem, ſed nullo morarum fine differebant reditum. Quare in id ſedulò incumbebat Imperator donis, & honoribus per litteras pollicendis, ut eos reduceret. In quo tamen fruſtrà fuit, illis ne ſic quidem reverti curantibus. Dum hæc ita Imperator adverſus Robertum comparat, venit ad eumdem Robertum trepidus nuncius: Regem Alamaniæ in procinctu eſſe ad invadendam Longobar-

bardiam. Ea ille re in curam verſus, poſtquam in contrarias ſententias alternavit animum aliquandiù, acri attentione diſquirens, quid in tali articulo rerum factu eſſet optimum? Tandem reputans ſe Rogerio filio dictionem Italicam attribuiſſe, jam tum cùm in iſtam expeditionem versùs Illyricum ſolveret, Baimundo verò alteri filio nullam adhuc aſſignaſſe regionem, cui præeſſet ſummo jure, Comitibus & lectis ex toto exercitu viris in conſilium vocatis, accerſitoque Baimundo, ipſe ad orandum altiori loco conſidens, ſic locutus eſt: Scitis, Comites, chariſſimum filium meum primogenitum Rogerium à me cùm Illyricum trajicerem conſtitutum fuiſſe dominum dictionis Italicæ meæ. Non enim oportebant me illic ad tantæ aleæ, ac periculi negotium ſolventem, ſolum proprium, ac quaſi natale meum, ſine cuſtode, ac Principe cujuſvis expoſitum cupiditati relinquere, velut paratam prædam omni tollere auſuro. Quoniam verò Rex Alamaniæ, ut certis indicibus comperimus, in eam ſpem ſe accingit: & magno exercitu invadere noſtras domos, ac terram parat; utique faciendum nobis eſt, ut ejus conatibus obviam eatur. Quæ enim ratio ſinit, ut qui alienis acquirendis inſiſtimus, propriorum jacturam ignava deſidia feramus? Ego igitur hanc ſpiſſiſſimam operæ partem ultrò depoſco mihi, & ſumo: bellum, inquam, cum Rege Alamaniæ ego ipſe geſturus, toleraturuſque propero; huic verò juniori meo filio Dyrrachium, & Aulonem, urbeſque, ac inſulas cæteras, quæ belli hujus, non dum licèt patrati, quaſi anticipata præmia in pignora reliquorum jam habemus, relinquo, addico, commendoque. Quod ut proſperè, feliciterque cedat, oro, obteſtorque vos, ut eum non alio habeatis loco, quam me ipſum: ita ut ſicut pro me feciſtis, ſic pro ejus cauſa, atque capite, toto animo, totoque pectore pugnandum vobis arbitremini. Tibi verò, fili chariſſime, pro jure atque affectu patrio impero, commendoque (hæc dicens, vultum, & orationem ad Baimundum vertit) ut omni honoris, atque obſervantiæ genere, quo par eſt, Comites proſequaris, conſiliiſque ipſorum tantùm tribuas, ut nihil planè rerum prius gerere aggrediaris, quàm eorum ſententiam exquiſieris; quam quidem tanti apud te momenti eſſe volo, ut nunquam ei privatam tuam, quantumvis ea tibi ſcita, callidaque videatur, præferendam putes. Præcipuè autem præ cæteris omnibus etiam atque etiam mando tibi Romanum bellum. Et vide ne nulla unquam hujus tibi curæ remiſſio ſubrepat. In Romanum, inquam, bellum, fili, jam à nobis affectum, ita patrandum incumbe. Res tibi reliqua eſt cum Imperatore magno prælio victo, ab ingenti clade vix incolumi elapſo. Qui hoc ipſum in lucro poſuit, quod cæſis, deletiſque pleriſque omnibus ſuis copiis, ipſe unus tantùm non occiſus, tantùm non captus, è manibus noſtris evaſerit. Tu ne vim, ne impetum remittas: inſtas incumbe in concuſſum ſemel: illud metuens: ne is colligendi ſui ſpatium per te nactus, formidoloſior exiſtat ultor acceptæ cladis, majoreſque ad vehementiores ipſo dolore, ac ſenſu ignominiæ in nos ſpiritus colligat. Non eſt is, mihi crede de vulgo aliquis, & quem impunè poſſis contemnere. Homo à puero in bellis, præliiſque nutritus, qui Orientem, Occidentemque victoriis peragraverit. Audiviſti omnino quàm multos, quàmque potentes tyrannos prioribus Imperatoribus ipſe armis manuque victos, ac vinctos adduxerit. In hoc tali tu hoſte ſi attentionem laxas. Si aliter in eum, quam totis viribus, ſummaque contentione feres, brevi quæ ego molimine, ac labore promovi magno, in nihilum tua culpa, tuoque damno recident omnia. Tuo, inquam, damno. Nam tibi ſi, quod Deus avertat, ſecus quam mando faceres, acerbi fructus tuæ deſidiæ otioſè guſtandi longo tempore obtonderentur. In his verbis, & mandatis vale tibi dico fili, vobiſque Comites, alia hinc ad pericula, aliaque bella ſine mora pergens, decertaturus cum Rege Alamaniæ, ipſumque è noſtris finibus pulſurus, ut chariſſimo meo filio Rogerio poſſeſſionem olim à me datam idem vindicem, atque aſſeram propriam. Hæc locutus monerem conſcendit, & in oppoſitam oram Longobardicam trajecit. (24) Momentoq; Salernum delatus (quæ civitas dudum à pleriſque, qui ei terrarum tractui imperitare affectaverant, in Ducalis curiæ, ac Comitatus ſedem, totiuſque principatus quaſi metropolim delecta fuerat) ibi per otium delectibus habendis, convocandiſque magno undique ſtudio, ac ſumptu copiis, tunc ex civibus, atque indigenis, tum ex aliis etiam remotis gentibus, quàm plurimis, quàmque firmiſſimis, vacavit. Interim Rex Alamaniæ, juxta ea quæ Auguſto promiſerat, ſe ad invadendam Longobardiam accingebat. Qua re comperta Robertus feſtinavit Romam, ut ibi conjunctis cum Papa copiis certiori ſpè ſucceſſus ad arcendum ſuis finibus Henricum pergeret. Conſentit in id Papa facilè. Ergo ambo communi impetu adverſus Alamanum vadunt. Qui magnis oſtentatis minis, haud quaquam conſentanea ſubjungens; quippè refrigeratus orientalibus nunciis de Imperatoris prælio adverſo, quo amiſſis maxima ex par-

parte copiis ipse vulneratus multis locis mira generositate invicti animi, conatibusque heroicis Deo, superisque omnibus juvantibus, vix salvus evasisset, tutiora respicere consilia decrevit, nec necesse, aut consultum credidit, magnæ rei aleam tali tempore jacere, nullo idoneo spei pignore, aut opere proposito pretio. Magnis igitur itineribus retrò in Patriam contendit; in victoriæ parte numerans salvum, atq; incolumem reportare domum caput suum. At Robertus ubi castra regis occupavit, insequi ipse quidem fugientem tanti non putavit: cæterùm delectis ex toto exercitu copiis eo negotio dato, ut vestigia Alamani strenuè præmerent, ipse præda potitus omni Romam versus iter intendit, unà cum Papa, quem cùm illic in throno proprio firmasset, vicissim ab eo iterùm Rex appellatus, Salernum se recepit; ibi ex fatigatione tot bellorum modica sese quiete refecturus. Non longum inde tempus, cum patri se sistit Baimundus, indicia successus improsperi in dejecti vultus mæstitia palam ferens. Res ejus ut se habuerint, quaque fortuna bellum gesserit, deinceps narrabimus. Relictus in Illyrico ferox juvenis non magis patris mandatis, quàm proprio impetu in occasionem conferendi cum Imperatore prælii totus imminebat. Ergo assumptis secum tum suis copiis, tum Romania transfugis, qui desperata Imperatoria fortuna victorem secuti, non plebei solùm, sed viri etiam insignes magno numero ad Baimundum accesserant: quibus adjungendi præfecti urbium, ac regionum, quæ nuper ditioni Roberti subjectæ fuerant; cum his omnibus per Bagenetiam profectus Joannina tenuit: ubi adjacentes loco vineas fossa primum circumdedit, exercitumque universum idoneis disposuit stationibus: tum ipse tabernacula intus fixit: exploratisque muris, & castri arce parum firma, ac semidiruta, non modò restituere illam omni ope conatus est: sed aliam quoque in altera murorum parte, loco ad id ipsi viso commodo, firmissimam ædificavit: simul circumjacentes urbes, & regiones assiduis illinc emissis incursionibus prædatorum vastans. His Imperator auditis confestim summa diligentia collectis copiis Constantinopoli erumpit mense Majo: citòque ad Joannina perlatus, cum hostis pugnæ copiam affatim faceret, non tamen prius experiundum decretorio certamine de rerum summa putavit, quàm velitationibus specimen cœpisset virtutis Baimundi, peritiæque militaris: Id adeò consilii probavit illi primùm conscientia paucitatis suorum (constabat enim satis multis partibus numerosiorem esse Baimundi exercitum) deinde quod nupero cum Roberto conflictu expertus fuerat, primum impetum (25) æquitatus Gallici planè ineluctabilem esse; delibatos igitur ex universa acie lectorum militum globos, subinde missitare instituit, qui hostem eminus jaculando lacesserent; ut ex successibus singularium manipulorum minimo periculo velitantium, augurium de spe tota, ac fortuna universi prælii capere posset: posteaque securius, & prudentius pugnam committere. Sic igitur in conspectu mutuo positis, & certare utrimque gestientibus exercitibus, reputans semper animo Alexius primam illam quavis resistendi constantiam majorem latinorum ruentium vim, tale quiddam ad eam sistendam, frustrandamve commentus est. Leviores quoidam paravit currus, quibus pauciores, quam vulgò solet, hoc est quatuor dumtaxat infixit contos. His pedites imposuit loricatos, quos jussit ubi primum irruentes fusis habenis Latinos cerneret, currus in occursum propellere: quæ res necessariò contestum phalangis, & contesseratum aciei nexum perruptura erat. Adest ecce hora prælii commodum exorto sole, perque sudum ab ortu renidente. Struit Imperator aciem, eaque sibi locum in media sumit. Baimundus promptus ad prælium, nec imparatus adversus insidias, sic tam planè compertum haberet quid contra machinatus esset Alexius, ordinem aciei suæ mutat, prout præsens poscebat usus. Divisit enim bifariam copias, terribusque in medio relictis, utrimque magno impetu in Romanam invehitur aciem. Miscentur phalangibus phalanges, viri cum viris cominus congrediuntur: multi utrimque cadunt: tandem vincente Baimundo, stabat tamen Imperator imperterritus, turris instar inconcussæ, ab omni licèt parte telis, ac jaculis petitus. Ac nunc eques infestus in adversos irruebat Gallos, manum conferens, cædensque, & vicissim vapulans: nunc fugientes suos crebris clamoribus revocans. Ut autem phalanges suas in partes plurimas dissectas, discerptasque vidit, tandem decrevit se sibi consulere oportere: non ullo ille quidem degeneri correptus metu mortis, aut, quod in tantis malis pronum suspicari sit, perturbatione ulla rationem non sequentis animi, sed consilio sapienti, & generoso statuens servare se spei, ac periculo majori. Quippè si se modo subduxisset, futurum videbat ut iterum aggredi Gallos posset, ultionemque ex ipsis hodiernæ cladis sumere. Fugiens igitur cum oppido paucis, subitò conspicatus Gallos aliquot, oblitus fortunam, ex cedente in audacem aggressorem vertitur. Suos breviter admonet, secumque in hostem ut mox morituros, aut splendidè superaturos rapit.

Tum ipse prævolans Gallorum unum cædit, ac sternit. Comitum ipsius quantum quisque virtutis habuit varie in hostes objectos exprompsit, multis eorum vulneratis, fugatisque. In hunc modum innumerabilibus, & maximis periculis defunctus iterum servatus Imperator est, per strugès in Achridas perveniens. Ibi sat multis suorum è fuga collectis, eos ibi omnes sub magni Domestici cura reliquit. Ipse ad Bardarem pergit, non cessandi causa, quietisve gustandæ, homo qui fructum imperii in otii usura, deliciisque non poneret; sed reparandarum virium, exercitusque novis delectibus supplendi è civibus, sociisque, ut deinde quamprimùm instructior contra Baimundum pergeret: quod & fecit: ibique in procinctu pugnæ tale quid excogitavit ad vincendos Gallos, vimque ineluctabilem equitatus Latini frangendam. Nocte, quæ prælium præcessit, campum, in quo concurrendum erat, præoccupavit, ferreis muricibus spargere. Unde futurum sperabat, ut immittentibus se solito impetu Gallis equitibus, pedes equorum implicarentur, & vulnerarentur; interim dum præmoniti Romani sese continentes intra eos fines, à quibus ea tribulorum pernicies abesset, parea hostibus inopinato malo perculsis profligandis se contra offerrent. Quos etiam si occasio vocaret ultra signatas metas invadendi hostis Imperator dividere aciem jusserat, & duobus lateribus campo muricibus strato in medio relicto in hostes ruere. Porrò Cetratis mandaverat, ut quàm densissimam possent telorum nubem procul in Gallos jacularentur, interim dum dextrum, levumque cornu ex sua quoque parte, vehementissimo impetu in eosdem incumberet. Hæc quid profuit tam sapienter excogitasse patri meo, quorum judicium statim ad Baimundum deferebatur: in quo versabatur cæca proditorum frana, cujus perfidiosa diligentia quidquid vesperi decrevisset, primo manè compertissimum Gallo erat. Nec surdo dictum, aut parum prompto ad præcavendum subita mutatione aciei. Explicat ergo suas copias ad prælium. At non que parte, quoque modo solebat, certamen invadit. Odoratus videlicet consilium Imperatoris, exercitum & ipse suum bifariam scissum irruere ab gemino latere in Romanos jubet, aciem ipsam mediam, & frontem exercitus stare immotam, quasi expectantem donec hostes per infestam planitiem per ipsos tenderent. Hæc ita facta sunt. Nec verò Romani Lasinorum impetum diù sustinuerunt. Terga statim vertunt: nec ferè occursum contre ruentium nupera velut clade adhuc attoniti audent. Turbatur Romana acies, frustrà Imperatore consuetam exhibente constantiam, & manu, menteque strenuè rem gerente. Nec enim stabat solùm imperterritus, sed lacessebat ultrò adversos, vulnera inferens, vicissimque accipiens. Tandem cùm exercitum dilapsum cerneret, seque desertum cum paucis, officii sui credidit non temerè diutiùs nullo operæ pretio periclitari. Quæ enim ratio sit defatigatum, & solùm contra victorem exercitum niti pertinacia pugnandi, projicereque salutem in discrimen nulla spe vacante. Postquàm igitur aliquandiù dextro, lævoque cornu suorum fugato, totum exercitus Baimundi pondus, atque impetum unus stitisset, sustinuissetque Alexius, demum persuaderi sibi sinit à sua prudentia, ut se à præsenti periculo, in quo frustrà tentari fortunam palam esset, ad aliam aciem, aliudve periculum se servaret. Agitabat enim vel in illa calamitosa fuga, homo infracti animi, magnifica consilia resumendi meliore sorte contra Baimundum belli, reponendiq; illi clades omnes istas ita quodammodo dum vincebatur, vincens, & dum fugiebat, persequens. Nunquam verò infringi sibi generosam fiduciam, aut desperationis laqueis se constringi patiens. Erat quippè fide præditus in Deum maxima: ejusque numen quasi præsens assidue in omnibus cogitatione circumferebat: juramentoque abstinebat omnino. Cùm igitur desperate, ut modo dixi, victoria, impetu retrò verso cæderet, insequente Baimundo, cum lectissimis quibusque Comitum, conversus ad Gulem (paternus hic illi ex longo fidus erat famulus tum fugæ comes) & ad paucissimos, qui cum eo erant. Quonam, inquit, usque fugiemus? Et simul cum dicto flexis habenis, ac stricto gladio, eum in facie vulnerat, qui fortè primus ex sequentibus se obtulit. Id Galli cùm vidissent, & ex eo intelligerent desperatam ab illo salutem, memores vinci non posse, qui tales sunt, remissa sequendi cura, quievere. Sic spatium recedendi Augustus habuit: quo usus est ille quidem; cæterùm ita soluto, securoque animo, ut illi vacaret, quos obiter cerneret fugere, partim revocare, partim increpare, quamquàm plurumque audire dissimulantes; tanto periculo defunctus in urbem regiem se recipit, animo reparandi exercitus, moxque denuò in Baimundum movendi. Qui quidem tanquam jam abundè satisfecisset patris Longobardiam repetentis mandato, quo præceperat urgere bello Alexium, & prælium cum illo committere; maturum putavit oppugnationi ercium operam dare. Duobus ergo Ducibus, Petro Allphæ, & Puntesi, attributis idoneo numero copiis, negotium

dedit

dedit capiendarum urbium: eos in diversas partes ad res uno tempore plures gerendas mittens. Petrus Aliphæ duos Poleobos statim cæpit. Scopia verò Punteses. Ipse Baimundus ultrò accersitus ab Achridiotis Achridas occupavit. Verùm arce, cui Ariebes præerat deditionem abnuente, postquàm ad eam spem tentandam brevem illi moram fecit, re infecta Ostrobum adiit: unde similiter repulsus per Soscum, & Servios, Berrhæam petiit: ubi multis successu nullo tentatis locis, tandem per Bodinos pervenit Moglenam, ubi castellulum quoddam olim dirutum restauravit: Comitemque ibi quendam Saracenum nomine, cum idoneo præsidio reliquit, qui regionem tueretur usque ad Bardaren. Ipse in locum Aspras Ecclesias vocatum se contulit, totisque in eo mansit tribus mensibus. Quo tempore detecta conjuratio est trium insignium Comitum, Putensis, Reboldi, & Guillielmi; qui communicato invicem consilio, decreverant ad Imperatorem transfugere. Ex his Putensis rem proditam odoratus, maturà fuga se subduxit, ad Imperatorem se recipiens. Alii duo more Francis usitato singulari certamine se purgare jussi sunt. Victus Guillelmus pro convicto est habitus, quem idcircò Baimundus excæcavit. Reboldum suspicione laborantem ad Robertum patrem suum in Longobardiam misit, à quo & oculis privatus est. Post hæc Baimundus ab Aspris Ecclesiis movens, Castoriam se contulit: qua re magnus Domesticus cognita, Moglenam occupat, Saracenoque occiso, castellum omnino destruit. Tunc Baimundus Castoria egressus, propè Larissam venit, hyemare illic in animo habens. At Imperator simul in urbem regiam, ut diximus, pervenit, nulla parte quietis capta pro sua vigili, strenuaque indole, statim in opus incubuit, cujus causa venerat congregandarum copiarum. Ad eam rem milites à Sultano petiit, cum ductoribus militiæ peritis, & longa belli experientia subactis. Tunc ille ad Augustum misit septem millia Turcorum sub disciplina experientissimorum Ducum: inter quos Camyres ætate, ac usu supra omnes eminebat. Interim dum ea tractat, paratque Imperator, Baimundus parte copiarum a suo exercitu divulsa, excursione Gallorum cataphractorum quotquot habebat Pelagoniam occupavit. Ipseque iterum junctis copiis cum universo exercitu cæpit Tricala. Rursusque emissa manu lectissimorum ex universo numero militum impressione subita Tzibiscum subjecit sibi. Inde jam Larissæ copias admovens, ad ipsam Magni Martyris Divi Georgii memoriam, junctis omnibus copiis castra posuit: moxque muris vallo cinctis obsidere aggressus est civitatem. Erat ibi præfectus Leo Cephalas, cujus pater dudum patria Imperatoris Alexii fidem, atque industriam probaverat, in familiare ministerium adhibitus; a quo hic filius neutiquam degener, adversus impetus, machinasque Baimundi Larissam totis sex mensibus fortissimè defendit. Is à principio missis nunciis, diligenter edocuit Imperatorem per literas de adventu, impetuque Barbari. Ac gestiebat quidem jam tum Augustus rectà in Baimundum vadere: tamen consilio impetum regens, satius judicavit supplere primum exercitum otioso mercenarii undique militis delectu: qui ubi satis magnus est visus, omnibus quique olim, quique nuper nomen dederant, copiosè armatis, instructisque, prodit Imperator cum renovato exercitu, & movens à Constantinopoli in loca Larissæ vicina venit. Iter ejus tale fuit: Per collem Celliorum dictum via publica à dextris relicta, & colle vulgari indigenarum lingua vocato Cissabo Exeban descendit. (Oppidum id Blachium est proximè Androniam situm.) Hinc cùm rursus in alterum transisset pagum, quam Plabitzam consueverunt appellare, propè cognominem præterfluentem amnem castra ibi posuit, & fossa, valloque munivit, quantum opus fuit. Hinc surgens in hortos Delphinæ se transtulit, indeque Tricala. Quo loco litteras ei quidam reddidit Leonis Cephalæ, cujus est superius facta mentio, liberiùs in hunc modum scriptas: Scis, Auguste, me summa ope, summoque conatu incolumem hactenus, quam mihi credideras, arcem conservasse. Nunc in extrema quædam ventum est. Nam cibis, quibus vesci Christianos fas est, deficientibus, ad feros, insuetosque versi, horum quoque jam copia destituimur. Si ergo nec voluntas, nec facultas tibi deest auxiliandi quamprimùm nobis, erit cur magnas Deo agamus gratias: sin minus, ego quidem quòd meum erat præstiti: quod restat, æquum est, ut nobis per te quoque liceat, id quod ultima necessitate adacti cogitamus, exequi. (quid enim oportet diutiùs adversus naturæ vim, atque imperium obniti?) Decrevimus autem arcem hostibus dedere, qui non jam oppugnant, sed præfocant palam nos. Me miserum! si enim hoc cladis, ac dedecoris suspicio diris devovebor, scilicet infortunii magnitudine usque ad invidiam flagitii progressa. Verùm quo me vertam igitur? nisi si das veniam audaciæ, qua in majestatem tuam istius mali causam confero: & te, nisi nos tuos tua causa, tui spe, belli, famisque longis incommodis ad extremam jam imbellicitatis exhaustos, maturo properas auxilio eripere, siqui-

siquidem id potes, vix effugere posse ajo proditionis notam. Hæc Augustum, quamquàm valdè movebant, perpellere tamen nequiverunt ad præcipitandum prælium. Expertus erat sæpiùs plus satis Latinorum vim, nec satis ad victoriam spei ponebat in recto, & simplici conatu aperti Martis. Ergo post imploratum Dei numen, animo in acrem, & longam, per unum totum diem, meditationem merso, exquisivit secum attentissimè, num qua stratagematis, & insidiarum occasio esset. Accersiverat Larissæum hominem, cujus indicio ad descriptionem locorum, quorum situm procul explorantes oculi minus exactè discernerent, utebatur. Cùm hoc satis locutus, intentoque in loca, quæ simul ambo cernerent, digito curiosè percontatus, ubi valles, ac voragines, profundique in iis, ac inopinati recessus essent; sola demum occaso, in altum, & placidum, quippè diurna contentione fatigatus, compositus soporem est, per quem oblato sibi somnio faustum victoriæ augurium accepit. Visus enim sibi est stare intra templum magni Martyris Demetrii, vocemque hujusmodi audire Ne angaris, neve gemas, cras vinces. Ferri autem in ejus aures videbatur ea vox ex una in templo altè suspensarum imaginum, in qua magnus Martyr Demetrius erat pictus. Somno solutus cum gaudio ingenti ob tam lætum omen, attenta religione supplicat Divo Martyri, ritèque vovet, si spei compos de hostibus vincendis conceptæ fieret, sese statim peregrè profecturum ad memoriam ejus; stadiisque aliquot antequam Thessalonicam pervenisset, equo rejecto, processurum peditem ad venerationem Sancti Patroni. Sub hæc convocatis Ducibus, Tribunis, cognatisque suis universis ipsorum sententiam de re præsenti quæsivit, audivitque primum, tum quod sibi visum erat protulit. Nempè bonum factu videri, atque ad victoriam utile, si totius aciei regimen cognatis suis ipse permitteret, omnibusque iis Melissenum præficeret Nicephorum, & Curticium Basilium, qui & Joannaces vocabatur, virque erat è numero illustrium, fortitudine, & peritia rei bellicæ latè inclytus, Adrianopoli oriundus. Nec verò legiones tantùm istis tradidit, sed insignia quoque Imperii, atq; Imperatoris: mandavitque ut aciem dirigerent, eademque prorsus forma, & modo, quibus in prioribus præliis usus ipse fuerat; priusque jaculationibus eminus pugnæ proluderent, sic demum classicis insonantibus universam in Latinos aciem moverent. Ubi porrò scutis admotis, consertisque manibus certari certum foret, terga repente Latinis darent, fugamque effusam tanquam versus Lycostomium simularent. Hæc ita Imperatore præscribente, concors omnium equorum, qui erant in exercitu repentè exauditus hinnitus est: mirantibus cunctis, Imperatore verò, & ingeniosioribus quibusque, felix statim augurium agnoscentibus. Cum his mandatis suos reliquit ad dexteram arcis Larissæ. Ipse expectato solis occasu sumit secum generosos viros ad id ipsum segregatos, & angustiis Libotanini penetratis, effractoque Rebenico, per Allagen, sic dictum locum, ad sinistrum se contulit Larissæ latus. Inde circumspecto locorum situ, depressioreque observata quadam quasi valle, in eam se cum suis abdit. Ea ut tuto pater meus, & sine sensu Latinorum faceret, jam tum à prima discessione ejus, quando Libotanini saltum cœpit ingredi ad insidiarum locum tendens, Duces exercitus Romani cohortes quasdam in Latinos immiserunt; qui prodeuntes illis obviam pugnam imiserunt in planitie; quo ad nox ingruens recedere utrosque ad sua coegit. At Imperator ubi designatum locum tenuit, desilire comites suos omnes ex equis jussit, genuque posito habenas frænorum tenere manibus. Quod ipse similiter fecit, admovens se humili, quem fortè reperit, Trissaginis fructici, ubi fræno manu correpto, genibusque positis, deinde per noctem reliquam procubuit in faciem. Oriente verò sole cùm vidisset Baimundus instructam Romanam aciem, ac signa ea producta, quæ nonnisi Imperatore præsente, & in ea loci parte, ubi ipse est, erigi consuevere, hastas quoque argenteis distinctas clavis, proprium insigne militum Imperatorem proximè stipantium; equos denique purpureis tapetibus instratos, nihil dubitans quin ibi esset Augustus, aciem & ipse contra suam dirigit, copiis bifariam divisis, partem alteram sibi ipse ductandam sumpsit, alteri Bryenium præfecit. Latinus hic erat ex illustribus, quem & Conostablum vocabant. Sic distributis Baimundus copiis, ipse in aciei Romanæ frontem, ubi esse Imperatorem ex signis autumabat, repentè pro more suo, solemni ritu ignei turbinis invehitur, vana specie mendacium tunc signorum in spem irritam optimorum spoliorum elatus. Romani, ut constitutum erat, terga statim vertunt: eos ille acer insequitur, eodem illo impetu ipsi usitato, quo in ipsos in acie stantes irruerat. Hæc Imperator cernens, & ex contentione cursus, ac spatio temporis in persequendo posito conjectans lato jam intervallo abesse Baimundum à castris suis, equo ipse conscenso, jussisque suis idem facere, castra Gallorum invadit, multisq; necatis, qui illic reperti sunt præda om-

ni,

ni, ac spoliis potitur. Tum cura, obtutuque in acins versis, fugere adhuc suos videt; instare impigrè Baimundum. Post hunc & Bryenium eodem ferri. Accersit properè Pyrrhum Georgium sagittandi arte celebrem; assignat ipsi selectum Manipulum Cetratorum, ac jubet celeriter Bryenium insequi: ea tamen cautione ut neutiquam accederent ad Gallos, copiamque iis conferendæ cominus pugnæ facerent: sed longè tantùm jacularentur densos telorum imbres in equos maximè. Ut igitur intra jactum ventum est, equos Gallorum creberrimis sagittis fodiunt, magno equitum periculo, damnoque. Nam sanè ut homine Gallo equum agitante generosum, & vegetum nihil, vel terribiliùs ad aspectum, vel ad impetum impugnandi ineluctabiliùs est, ita si subducatur equus, nihil infirmiùs, atque impeditiùs: pondere siquidem ipso gravium armorum, clypeique immanis, affligitur, ut stare satis, aut tueri locum nequeat: ne verò fuga saltem sibi consulat, obliat moles militarium ocrearum, & ipsi si nihil aliud, extantes aculei calcarium cursum impediunt, paratamque, ac certam hosti prædam exponunt dejectum equitem. Quin etiam non idem ille martius, & ferox perseverare in excussis animus dicitur: & calamitas casus usque ad pectus, ac robur mentis infringendum valet, fortitudine quasi claudicante ab offensione lapsus. Id, credo equidem, perspectum Imperator habens collineare sagittarios in equos potiùs, quàm in equites jussit. Multis igitur equis cadentibus ex agmine Bryenii, reliqui scilicet efferati exurgebant, seseque vertebant, multa jactatione pulveris, quo in auras, & usque ad nubes excitato, vario strepitu, jactationeq; tot quadrupedum, genus quoddam Ægyptiarum illarum palpabilium tenebrarum totum latè circa cœlum obsedit, ita ut ne se quidem mutuo videre possent, multoque minus explorare, unde & à quibus sagittæ in ipsos ingruerent. Hic Bryenius tres Latinos ad Baimundum mittit properè indicatum, quo loco res essent. Reperiunt illum cum paucis suorum in parva insula fluminis, cui nomen Salabria, comedentem uvas, simulque insolentiùs gloriantem, verbis illis, quæ deinde in vulgarem abierunt irrisa cantilenam. Repetebat enim sæpiùs, notionem nominis Lycostomii alludens, festivitate parum decente Barbarum os, sese Alexium in lupi fauces conjecisse. En ut cæca superbia est, abscondens multis, quamvis alioqui callidis, quæ præ oculis, & ante pedes habent! Auditis verò Baimundus nunciis Bryenii, doloque intellecto, ac victoria Imperatoris fraude parta, commotus est quidem, ut par erat; tamen animo non concidit; tam forti, atque ad sperandum pertinaci vir hic erat indole. Raptim ergo electi ab eo cataphracti quidam Galli conscendunt tumulum è regione Larissæ situm. Eos ibi simul Romanus exercitus vidit, concordi omnes alacritate poscebant in ipsos duci. Verùm id Imperator fieri vetuit. Delecti tantùm ex variis cohortibus varii idoneo numero adversus eos missi, in quos repente tanto impetu invecti Latini sunt, ut ex iis ad quingentos occiderint. Tùm Imperator animo providens locum, qua transiturus Baimundus videbatur, misit qui eum præoccuparent milites fortissimos cum Turcis, duce omnibus præfecto Migideno, quos ut propè fuerunt Baimundus primo impetu percellens vicit, fudit, fugavit, & usque ad fluvium insecutus est. Postridiè prima luce fluvium idem cum Comitibus, & ipso Bryenio transgressus, cùm observasset palustrem quendam locum propè Larissam, inter duos colles jacentem, ad eum recta tetendit, iter faciens per nemorosam planitiem in angustias valdè arctas desinentem. Clisuræ, sive Claustra, dici solent id genus loca. Hæc autem proprio nomine Domenici palatium vocabatur. Per eam ingressus Baimundus vallum illic fixit, munivitque castra. Eum ibi postera die sub diluculum aggreditur cum exercitu universo Dux phalangis Michael Ducas, avunculus meus, vir prudentiæ laude celeberrimus, forma verò, & magnitudine corporis excellens non supra omnes modo, qui tum erant, sed & qui unquam fuerant: miraculo enim erat ictuentibus. Jam qui futurum provideret certissimè, qui, quod instabat, animadverteret, introspiceretque statim penitùs, qui, quid opus, consuleret idem optimè, dexterrimèque exequeretur, unus is erat; neminem in his partibus habens comparabilem. Illi præceperat Imperator ne omnes suos in claustri fauces introduceret. Sed legiones quidem stare juberet extra, continua serie dispositas. Paucos tantùm è Turcis ferè, ac Sarmatis delectos, qui sagittandi arte præstarent, penetrare intra fauces pateretur: hisque ipsis ediceret, ne alio ullo genere armorum, quam telis procul, ac missilibus uterentur. Verùm hi cum ingressi excursiones equestres in Latinos facerent, qui foris stabant magna pugnandi libidine præcepti reverentiam vincente, pro se quisque in saltum ingredi, nec sine muto prævertendi studio, cæperunt. Videbatur ad exploratam victoriam tendere, quod Latinos præter morem in loco stantes, cecidisse animis, & fugam cogitare temere crediderant. At ars erat illa versutissimi Baimundi; qui ad primas velita-

 tiones

tiones stare suos objectis modo scutis, nec in hostes ferri, quo ad plures affluerent, jusserat. Protostrator verò Michael cum suos per hunc modum paulatim intra saltum effluentes cerneret, ingressus cum illis & ipse est. Quem jam cum toto agmine penetrasse angustias ubi vidit, gaudet ut occursu prædæ Leo raptor optimæ, diceret aliquis Homerice; videns, inquam, & vix oculis præ gaudio credens Baimundus, Protostratorem cum exercitu clausum loco, sibique expositum, toto in Romanos suo, suorumque simul incubuit impetu. At illi non ferentes terga vertetunt. Uzas tamen, appellationem à genere sortitus, vir fortitudinis laude inclytus, & clypeum, destraque sciens, lævaque vibrare, item ut Hector ille Homericus, in ipso angustiarum egressu cùm à dextris, quo fortè pronus erat currentium impetus, inopinato declinasset paululùm, in Latinum proximè sequentem insurrexit vasto ictu, ex quo ille in caput præceps statim afflictus in terram est. At Baimundus insecutus Romanos est usque ad flumen Salabriam. Cæterùm idem, cujus meminimus, Uzas inter fugiendum signiferum Baimundi hasta percussit, signumque ipsi de manibus extortum circumduxit, inclinavitque terram versus. Turbavit ea res Latinos, quibus vexillum peculiare summi ducis è recto inclinatum infortunii ipsi oblati signum esse solet. De regione institutæ vix ea illos perturbatio dimovit: omissis ergo Romanis alio itinere Tricala contendunt, locum jam præoccupatum à quibusdam Baimundi militibus, Lycostomium versus fugientibus. Illic igitur obiter diversati Castoriam se recipiunt. Imperator verò cùm è Larissa Thessalonicam se contulisset, ut erat excogitator prudentibus artium nocendi hostibus, missis qui clam agerent cum Comitibus exercitua Latiei, suasit illis promissione quantorum vellent præmiorum, ut stipendia sibi à Baimundo promissa repræsentari modò flagitarent, cogerentque ipsum, si excusaret inopiam præsentem, ire ad patrem suum Robertum, & ab eo, trajecto mari, pecunias petere. Hæc si facerent omnes honores, omnia beneficia, sperare ipsos à se jubebat, quod si qui eorum Romanæ militiæ dare nomen vellent, amplissima ipsis stipendia se numeraturum; sin redire in domos suas mallent, tutom illis iter per Hungariam daturum. Arrigunt aurem ad ea Comites, & conspiratione facta in Baimundum conriuntur, armatis precibus stipendia proximè lapsorum annorum quatuor sibi sine ulla mora persolvi contendentes. Frustrà ille diffundere quærebat diem, aut spem eludendæ petitionis in cunctandi arte reponebat. Illi obnixi, & à proposito immobiles ne horam quidem indulgebant. Quid faceret? Nam æqua, & verè sibi debita petebant. Cùm aliud non posset, Bryennio commendata Castoria, Arce verò Poloborum Petri Aliphæ custodiæ commissa, ipse Aulonem petiit: Quod cùm Imperator certò comperisset, in urbem regiam victor invectus est. Ibi verò cùm perturbatam offendisset Ecclesiam factionibus Itali cujusdam novam hæresim spargentis, vir, qui apostolicum pectus augustali purpura tegeret, nulla, quamvis necessaria post tot militares labores, quiete gustata, bellicis quin etiam, utcumque urgerent, in aliud tempus dilatis curis, expellendi Castoria Bryennii, totum se impendit novo dogmati refutando, Ecclesiæque pacificandæ. Haud modicus hic tumultus fuit. De cujus Auctore paulò diligentiùs, repetita ex ipsis principiis memoria, differendum est. Fuit is ut nomine, sic & origine Italus: diù tamen commoratus in Sicilia. Insula ea est Italiæ juxta objacens. Cujus Incolæ Romani Imperii jugum excutere conantes magnum in se bellum concitarunt, per quod opus habuerunt auxilia ex vicina Ipsis, & favente accersere Italia. Tali occasione miles eo aspiravit Itali pater, filiolum secum ducens, sarcinam veriùs, quàm socium militiæ, quippè infra ætatem, militarem puerum, meditantem tamen jam tum pro captu bellicas res, assultantemque vestigiis paternis, atque assuescentem duris à tenero, ut mos Italicorum est; & sub parente magistro tyrocinium ponentem. Hæc prima institutio pueritiæ Itali fuit; hoc fundamentum literarum, & doctrinæ; non Athenis, aut in schola, sed in Sicilia, & castris positum. Cùm verò exinde inclytus ille Georgius Maniaces, Imperante Monomacho, tyrannide assumpta, Siciliam occupasset, ægrè illinc Itali pater trepida fuga cum filio se recepit in Longobardiam, Romania subjectam adhuc. Hinc jam nescio quo casu, quave fortuna iste Italus Constantinopolim venit, in urbem eruditionis, & artis ratiocinandi nequaquàm tam egenam. Quamquàm enim inde usque à principato Basilii Porphyrogeniti, ad prius memoratum Imperium Monomachi, melioris doctrinæ studium à plerisq; neglectum jacuerat, Non tamen ut extinctum, planèque sepultum esset. Extitit ergo, atque emersit illustrius, excitatum ingeniis excellentibus, qualium circa tempora Imperatoris Alexii magnus proventus apparuit, ii seriò veram eruditionem arripuerunt; nugante ante hac ferè juventute, otiosisque aucupiis cothurnicum, aut aliis exprobrabilioribus ludicris ætatem discendi per inertem lasciviam conte-

rente,

rente, in summo contemptu elegantium literarum, atque eruditarum artium. Cæterùm quando Italus in urbem venit, excussus hic torpor fuerat; magnusque vigebat in studia liberalia cursus ingeniorum; cum quibus & ipse conflictatus, quotidianis concertationibus scholasticorum contentiosorum, & agresti pertinacia cedere nesciorum hominum (cujusmodi haud pauci Constantinopoli tum erant) Logicam didicit. Deinde etiam Michaeli Psello dedit operam, illi latè inclyto homini, non tam cura Magistrorum sapientum, quorum limina non multum triverat, quàm indolis præstantia, & velocitate mentis divinitùs adjutæ (id videlicet impetrantibus ardentissimis per crebras vigilias continuatis matris ejus precibus, in Templo Cyri ad sanctam imaginem Dei Matris, haud sine ferventibus lacrymis fundi solitis) in eminentissimum sapientiæ, atque eruditionis omnis apicem evecto; quippè qui ad Græcorum literas, atque artes omnes, quas perfectè norat, etiam Chaldæorum disciplinas adjunxerat, famamque meruerat doctissimi omnium, qui tunc essent. Huic se Italus in disciplinam dedit, longè dispari vir ingenio, immiti acerbaque natura. Itaque nec per hebetudinem mentis penetrare in adyta potuit Philosophiæ, nec per contumaciam sustinere in institutione Magistri; quem loci, atque offici auctoritate utentem, iste prætumidus, & stolida ferox arrogantia, jurgiis impotentibus ipso primo congressu lacessere cæpit; jam à rudimentis ipsis, longè se omnibus eruditione antecellere superbissimè autumans. Magnoperè autem dialectica nitebatur, cui se arti penitùs immerserat. Et ex ea meridianos tumultus in foro, ac circulis concurrentis vulgi concitabat; sophisticis cavillationibus rabiosas rixas conserens, & de quavis re proposita primum illud magno clamore jactans: si hoc tale est. Deinde inferens aliud quippiam ex eo connexum, aut ei simile. Hic ille turbis admirationem sibi, & plausum pararit, non plebis solùm, sed Magnatum quoque; atque adeò ipsius Michaelis Ducæ tum imperantis, & fratrum ipsius. Hi enim licèt primum doctrinæ, & extimationis locum Psello reservarent, Italo tamen isto delectabantur, & ejus opera utebantur in Logicis concertationibus. Erant enim literarum, & eruditarum artium studiosissimi Ducæ cùm omnes, tum fratres Imperatoris, & Augustus ipse Michael. Quorum Italus favore alens confidantiam, ardenti Psellum semper in congressibus, & furioso figebat oculo, facilè se extricantem ex ejus laqueis, & aquilina celeritate volucris mentis perplexas captiunculus odiosi sophistæ altè supervolantem. Qua ille re utebatur primùm intimè, ac ringebatur, tum stomachum erumpebat in jactationes corporis, ac clamores impotentes. Paulò post ea tempora eruperunt Italici motus: quando illarum gentium hostilitate Romani lacessiti, occasionem arbitrabantur Longobardiæ, atque adeò Italiæ totius, Imperio rursus adjungendæ. Ea spe, ac voto plenus Imperator, simul ingentem in Italo fiduciam collocatam habens, homino sibi, ut putabat, devinctissimo, & præterquàm fideli, ac strenuo, etiam res Italiæ callente, illum ipsum Epidamnum mittit. Incidam narrationem secutarum hinc rerum. In summa, certò deprehensum est: proditas res nostras ab hoc Italo. Missusque est statim qui eum Epidamno exturbaret. Sensit non incautus rabula; & supplicium fuga matura lucrifecit; Romam se recipiens. Ibi animus versatilis, vel simulat, vel concipit pœnitentiam facti. Mittit supplices ad Imperatorem literas, deprecatores adhibet. Quid multa? jussu Augusti revocatur Constantinopolim: eique illis ad diversandum attribuitur monasterium Pege, sive Fons, dictum, cum Ecclesia Sanctorum Quadraginta; ubi Psello tandem post detontionem Byzantio egresso, principi Philosophicæ Cathedræ Magister impositus Italus idem est, summusq; Philosophorum declaratus: quam ad loci, & honoris possessionem obtinendam Aristotelicos, & Platonicos libros mox suscepit enarrandos; magnam in eo negotio curam adhibens: & offerebant dissertationes ejus auditoribus speciem hominis varia eruditione instructissimi. Interpretandi porrò genere utebatur tam acri, subtilique, ut facilè fidem faceret se cum ceteræ totius quantumvis abstrusæ peripatetices, tum dialectices præsertim esse consultissimum. Ad alias literas artes non ità feliciter à natura fictus erat. Nam circa Grammaticam quidem claudicabat: Rhetoricum verò nectar non gustaverat. Oratio nulla concinnitate collocationis partium, nullo delectu verborum, aut elocutionis elegantia polita, horrita, & squallens semperque involuta, & sibi velut ab hoste cavens. Atq; hæc tristitia genuinus character sermonis ejus fuit, supercilium cum ipso philosopho tollentis, & perpetuam spirantis acerbitatem. Ac quamquam ejus scriptio si quando stylum sumeret, incursionibus dialecticis stomacosa, & tumultuans efferebatur: lingua tamen erat multò dicentia promptior, in Epicherematis conglobandis r paucique reperiebantur, qui vim ejus in congressibus sustinerent contra incurrentis torrentis impetu argumentationis ineluctabilis, qua ultrò ad silentium, atque ad incitas propugnare aliquid contrarium

ausi

ausi redigebantur. Iis enim interrogationes proponebat gemina utrimque munitas fovea; ut quidquid responderetur, alterutrum in puteum inextricabilium perplexitatum necessariò defensor caderet. Adeò Dialecticæ subtilitates omnes in promptu, atque in digitis habebat, ad usum semper paratas expeditissimum. Præsertim verò terribilis erat in mutua commissione verborum, quæ rogando, responsandoque conseritur. Prævocabat enim adversarium, & quasi strangulabat, intortis crebrarum, & callidarum interrogatiuncularum laqueis; nec erat qui cum eo compositus labyrinthis se illius expedire posset. Cætera imperitissimus erat, & iræ perquam impotens: quod extans in ipso, ac dominans vitium omnes ejus laudes obterebat, si quas doctrina, & ingenio assequutus erat. Mos enim erat viro disputandi non lingua magis, quàm manu: nec illi sufficiebat oppressisse os adversario, silereque ipsum coegisse; sed manus ad barbam statim, atque ad pilos vellendos involabat: cumulabatque vis contumeliam. Usque eo impos sui, manuque juxta, ac lingua indomitus, indeque planè importunus, ac intolerabilis homo erat. Unum habebat à Philosophia non abhorrens, quod iram in plaga consumebat; statimque ubi percusserat adversarium, lacrymis abortis rogabat veniam; & pœnitentiam profitebatur. Quod si cui præterea tanti sit figuram hominis nosse: magnum ipsi caput, projectissima frons, conspicua facies, nasus largum aerem liberè spirans, barba quasi circinatæ rotunditatis, pectus latum, membra corporis firma, plenaque succi statura procerissimis minor, vocis sonus qualem expectari oportuit ab eo, qui jam adultus è Latinis translatus in Græciam, multum præstiterit si linguam utcumque arripiat; munditias quidem, & ingenuam proprietatem nativæ pronunciationis, non si se ruperit, exprimat. Non ergo mirum si curtas vitioso accentu non raro syllabas efferret. Neque verò incondita vastitas, infantiaque oris barbari fallebat homines; quin apud omnes artis dicendi non planè rudes pro agresti traduceretur. Scripta porrò ejus constipabantur illa quidem cumulatis acervatim dialecticis locis; cæterùm vitiosæ compositionis, strabiliginum, ac solæcismorum haud parcè inspersis deformata maculis, offendebant oculos eruditos. Ad hunc ergo redacta unum Philosophiæ professione universa frequentabatur ejus ludus magno concursu juventutis, cujus incendebat studium, quod is Procli, & Platonis, amborumque Philosophorum Porphyrii, & Jamblici, (maximè verò Aristotelis tum cæteras artes, ac libros, tum illum præsertim, quem Inscripsit organum, quo se potissimùm jactabat Italus, ut in cujus meditatione plus otii triverat) clarissimè se dogmata expositurum profitebatur. Id ille utcumque conatus est exequi, haud multum tamen prodesse discipulis valuit; iracundia credo, & importunitate morum obstante perceptioni doctrinæ, rei natura lenis, ac clementis. Ejus sanè rei fidem faciat recordatio ipsa, ac mentio auditorum Itali. Vide mihi Salomonem, & Joannem illos, tum Jasitas quosdam, & Serblias, & alios istorum temporum doctrinæ studiosos. Equidem plerosque post ea memini videre me frequentantes aulam regiam, in quibus nihil unquam elegans, nihil politum, ne exactè quidem, ac solidè scitum, animadverti. Imitationem tantùm incondi tam Dialectici Præceptoris sui, cujus gestus efferos, vasta jactatione membrorum truces, & inhumani repræsentabant: sani quidem sentiebant, proferebantve nihil. Quin Ideas loquebantur, & nescio quid de Transanimatione mussitabant subobscurè, ejusdemque alia faricinæ Christiano dogmate proscripta delirabant. Nec mirabitur, quod dixi, frequentatam ab his aulam, qui reputaverit quanta & quam professa benevolentia sacrum illud par conjugum (Parentes meos Augustos dico) literas, & literatos amplecteretur. Qua re satis vulgata nullus omninò, qui literis initiatus esset, non ad eos itabat confidenter. Porrò studia non aliis fovere magis quàm in se ipsis exercere cura erat. Consumebantur dies, vigilabantur noctes ab utroque, in meditatione sacrorum librorum. Atque hic libet uti facultate, quam Rethorica indulget, breviter digrediendi. Memini Augustam matrem meam nec cum mensa posita ad cœnam vocaretur potuisse deponere de manibus, quos avidissimè lectitabat libros, cum aliorum Sanctorum Patrum, qui de sacris dogmatibus egerunt, tum præsertim Sancti Maximi Philosophi, & Martyris. Delectabat enim illam non tam quæstionum explicatio naturalium, quàm divinorum dogmatum perscrutatio, in quorum intelligentia verum germanæ sapientiæ fructum, & sciebat situm, & quærebat. Mirabar eam cernens ego, & aliquando ausa quid sentirem dicere: quomodo, inquam, è plano in tantam altitudinem suspicere te juvat? tremo ego equidem intuens, ac ne summis quidem auribus admittere mentionem audeo arcanorum tam sublimium. Stylus enim, ut ajunt, Sancti Maximi evectus altissimè supra usum, & captum humanorum sensuum, & inaccessis contemplationibus assiduè volitans, vertiginem quandam affert legentibus. Ad hæc arridens illa. Laudabilem istum, ait, metum scio. Ne-

que

que ego sine tremore ad sacros hos accedo libros; tamen avelli ab eis nequeo. Quin tu mihi paulisper expecta: & ubi alia, in quibus formare ingenium prius par est, satis scripta cognoris, horum deinde suavitatem degustabis. Percussit mihi cor horum memoria dictorum; & quasi in aliud narrandarum rerum pelagus incidi. Sed cohibet, & revocat me lex Historiæ. Hinc igitur ad Italum recurrat sermo. Is fretus illa, quam diximus, turba discipulorum, despiciebat per se cunctos, & insanos ad rebelliones concitabat: adeò ut non pauci ex ejus schola Tyranni eruperint: quos concitare nominatim poteram, nisi longinquitas temporis ignorabilia alioqui nomina memoriæ subtraheret; haud magno narrationis hujus damno, quæ in Imperio mei Parentis professam expromit operam. Cætera, quæ illud antecessere qualia ista sunt, non sequitur anxia. Pater ergo meus Imperium capessens pro suo in literas amore, quas coli videbat a perpaucis, veramque ratiocinandi artem exulare à sermone, ubique scrutabatur si quas eruditionis scintillas sub cinere uspiam latentes excitare in lucem publico urbis, atque orbis bono posset. Quæ ergo apta ad doctrinas, & ad studium prona ingenia notabat (erant ea non multa, nec magnis commendata progressibus, quippè non ultra vestibulum Aristotelicæ provecta Philosophiæ) omni ratione ad discendi contentionem adhortari, atque incitare non desistebat. Suadebat porrò magnoperè, ut primum inter doctrinas honoris, & extimationis, locum sacrorum librorum meditatio haberet: post eam deinde censeretur Græca eruditio. Cùm autem comperisset hunc Italum cuncta turbis, & tumultibus miscere, multosque decipere, explorandi curam hominis Isaacio fratri, ac Sebastocratori commendavit, viro ad hæc peridoneo: quippè qui & amantissimus, & nequaquàm expers literarum animo esset præditus ingenti, & ubi suscepisset quippiam, cuncta ejus perpetrandi obstacula certò rumpere. Is talem re ipsa esse deprehendit Italum qualem erat suspicatus Imperator, indicio famæ publicæ. Palàm ergo convincit nebulonem, apparere se coram in corona multorum jussum. Deinde idipsum jubente Augusto fratre, illum, ejusque causam ad Tribunal Ecclesiasticum remisit. Ubi cum tanto magis homo amens rueret, & imperitiam occultare amplius suam non valens, dogmata effutiret canoni fidei contraria: ac præterea coram venerabili cœtu Patrum, ac Præsidum Ecclesiæ multa nugatoriè, acerbè, maledicè, ac petulanter declamare non desinerat; aliaque edere in humanæ, importunæque documenta indolis, Eustratio Garidæ Synodi tum ejus cœtus, & sedis Præsuli dedocendus, atque ad frugem reducendus est traditus. Verùm contra evenit. Nam paucis diebus, quibus fuit cum Eustratio in superioribus ædificiis magni Templi, ita illum Patriarcham, hominem non doctissimum, verbis, ac sophismatis obruit, ut è censore suo, ac judice, in suffragatorem errorum suorum, suique ac malæ causæ patronum verteret, ac vindicem. His populus auditis, indignatus universus, tumultuoso concursu coit in Ecclesiam, magnis ibi clamoribus Italum deposcens. Nihilque fuit propius quàm ut è summo fornice in pavimentum præceps dejiceretur; verùm se ipse ad id quæri sciens, conscenso ædis sacræ altissimo fastigio se in quoddam gurgustium abdidit, quod scrutari nemini venit in mentem. Serpebant porrò per civitatem prava illa dogmata, & non paucos ex comitatu ipso Imperatoris Magnates viros jam corrupisse ferebantur. Quæ res molestum religioso principis animo injiciebat scrupulum. Dedit igitur operam ut nefariorum istorum dogmatum cathalogus ad se deferretur. In capita undecim redacta sunt; quæ Imperator retractare ipsum, ac condemnare, anathematique subjicere, productum ex ambone nudo capite ad concionem universi populi jussit. Ingeminabatur à multitudine anathema singulis sententiis prolatis. His ita factis indignari Italus, ignominiæque impatientia furere. Quin eadem, quæ palam damnaverat, iterum docere in circulis. Admonuit Augustus hominem. At is ruere pergens impotentiùs efferebatur. Igitur anathemati, cui subjecta prava ejus doctrina fuerat, ipsum jam quoque nomen ejus, ac caput est subjectum. Postea tamen pœnitentiam iterum profitente ipso, anathematismus magna acerbitatis parte levatus est. Ac dogmata quidem ipsa pleno confixa anathemate manserunt: nomen verò Itali obscurè dumtaxat, atque obliquè, paucis modò consciis, Ecclesiastico anathemate deformatum est. Nam, ut dixi, secutis temporibus recepit se hic vir in bonam mentem, sententiasque priores revocavit, negans animarum transitus ex uno in aliud corpus, contemnere ac damnare desinens venerabiles imagines sanctorum, & quæ perperam de ideis docuerat ad doctrinæ orthodoxæ regulam corrigens: denique omnibus indiciis demonstrans se planè condemnare, quæ prius fidei adversa protulerat, & longè mutatum ab illo esse, qui tot illas conciverat turbas.

EX LIBRO VI. ALEXIADOS.

OCcupari Castoriam à Gallis, præsidioque ipsorum obtineri à Bryenio, ut diximus, ægrè ferebat Imperator. Ergo eos inde pellere, arcemque suam recipere constituens cogit exercitum, armatque; omnibus eum, quæ vel ad congressiones cum hostibus, vel ad murorum oppugnationem erant apta muniens. Sic paratis iter pronunciat, capessitque Castoriam versus. Hujus loci talis ferè forma est. Stagnat latè palus, quæ Castoriæ dicitur: in eam terræ tractus excurrit à continenti, primùm angustus, in summo sese latiùs explicans, atque in scopulosos desinens tumulos. In angustiis Isthmi, quem diximus, ædificata munitio visitur in castri speciem, excitatis per intervalla turribus, & corona mœnium intercapediaem turrium explente. Arx ea Castoria vocatur. In qua Bryenium conclusum Imperator obsidens, virum experiri ad extremum Martis aleam certum, sibi primum omnium putavit faciendum, ut muros, turresque tentaret machinis. Quoniam verò stationem esse oportebat militibus paratam quampiam, unde admovere se muris, & quo tutum, cùm opus esset, habere receptum possent: in eam rem vallum figi, aggeraríque circum jubet, tum per dimensa spatia turres attollit ligneas ferreis per articulos structuræ, commissurasque nexuum, devinctasque laminis, & clavis. Hinc velut ex urbe, arceve quadam ad omnes belli gerendi cum Francis usus, & occasiones prodibatur. Tunc machinis admotis, diplosiisque, ac laxatis Balistis quassi nocte, dieq; continuis Castoriæ muri sunt: nec dubiè labefactati ruinam minabantur: nihil tamen eo periculo de constantia, fiduciave propugnandi remittentibus Gallis. Qui etiam ne mox quidem prolapsa mœnium parte ad ullam deditionis cogitationem inflecti visi sunt. Parvam ergo successus spem in vi aperta sitam Imperator intelligens, ad consilium se vertit, simul generosum, & callidum. Decrevit enim circumducere clam hostibus per stagnum suorum manum, qui Gallos à tergo, à qua parte securi erant, eodem tempore adorirentur, quo ipse cum aliis è continenti à fronte ipsos urgeret. Tale machinanti perincommodè accidit, quod nulla toto eo stagno navis fuit. Scaphas igitur advectas curribus trahi per crepidinem paludis, deponique in eam jussit. Observarat autem jam ante Gallos facilè, ac brevi tempore ascendere ex una parte in fastigia tumulorum illorum, qui, ut diximus, istud quasi promontorium versus stagnum terminabant; per aliam verò exteriorem si qui moliri descensum vellent, id nonnisi longa mora conficere. Unde conjecit scopulos istos interius miti clivo superabiles, ab latere opposito, quod stagnum spectabat præruptos esse, atque obvios, ac propterea verisimiliter malè custoditos, præsidiariis, ut fit, in situ loci nimium fiduciæ ponentibus. Palæologum ergo Georgium cum lecta manu fortium virorum scaphis imponit, cum mandato ut eas ad oram stagni propè radices tumulorum istorum rupicum clam appellerent: ibique ascensione facta expectarent à se condictum signum: quo conspecto confestim per asperos scopulos sursum perreptando niterentur usque ad juga colliculorum; unde postea prono cursu per purum campum, nulloque ædificio interruptum adorirentur à tergo hostes toto impetu, quo tempore viderent ipsum Imperatorem cum reliquo exercitu ipsis negotium à fronte facessere: sic enim haud dubiè fore, ut cum pari robore utrobique obsistere hostes nequirent, ea parte, in qua remissior vis ipsorum esset, superarentur. Horum memor Palæologus ad pedes collium appellit, ibique mussat interea dum speculator, quem edito loco stare jusserat intentis in castra oculis, viso Imperatoris signo significaret tempus esse surgendi. Luce interim prima Romani, qui cum Augusto in castris erant magno tubarum, classicorumque sonitu hostes admonent impressionis mox futuræ: ad quam illi sustinendam dum toto animo se obfirmant, speculator constitutum signum editum indicat Palæologo, qui statim cum suis impigrè juga superata, ibi se in armis ostentat, cum manipulo clypeis consertis ad promovendum in hostes parato. Vidit Bryenius: & quamquàm occupatus jam satis muris tuandis, repellendisq; oppugnatoribus belli molem cerneret, paratum ad irruendum in aversos validam manum; nequaquam tamen despondit animum, sed comites hortatus est ad fortissimè resistendum. At illi periculo solventes reverentiam imperii libera eum oratione submovent: licet ne, inquientes, conclamata spe vincendi non prodigere animas. Vides profectò malum malo cumulatum, & insuperabilem magnitudinem periculi. Quin potiùs sibi quisque ut libuerit consulat: & vel ad Imperatoria militiam transeat, vel ab eo reditu in patriam paciscatur. Verba illico conferuntur in rem. Impetratur ab Augusto ut militare signum alterum ad Divi Georgii (erat ibi templum istius Sancti Martyris) constitui juberet, alterum versus Aulonem. Velletque & in eo fidem suam interponeret, ut qui ad templum magni Martyris se conferrent sub Imperio Augusti deinceps viverent: qui ad al-

terum

terum Aloni obversum signum ferrentur, iis liber in patriam permitteretur reditus. His utrinque pactis stipelatis, Comites ad Imperatoris partes accedunt: Id quod Bryennius generositate indignum sua statuens, numquam adduci potuit ut imitaretur. Juravit tantùm Imperatori se nunquam in eum moturum arma, modò se idoneo ad securitatem præsidio deduci juberet ad limites Imperii, unde se recipere domum posset; quod ei prolixè Augustus indulsit: iterque mox versus Byzantium splendidè victoriæ campos arripuit. Digrediar hic paululum ad narrandum quomodò Paulicanos ultus Augustus sit. Defecerant illi, ut priùs dictum est, pudebatque Imperatorem redire in domum regiam priusquam istius perfidiæ supplicio auctorum labem eluisset. Victoriam igitur ex victoria serens, dum gloriæ ejectorum Castoria Gallorum decus ultionis de Manichæorum contumacia sumptæ adjungit facinorum suorum illustrium orbem, ac coronam implet. Nec enim qua erat excelsitate animi, pati poterat trophæis magnificè de occiduis hostibus erectis hanc maculam inultæ Paulicianorum fugæ velut inustam extare, ad interpellandam gratulationem publicam. Cæterùm rem eam ferro, ac Marte aperto transigi noluit, sangini tum suorum, tum ipsorum, nunc hostium, mox reconciliandorum parcens. Norat animos gentis, ac sectæ periclitari promptos, indomitique in præliis impetus, nec cum iis pugnam sine multa utrinq; cæde committi posse compertissimum habebat. Decrevit ergo arte grassari; ac sceleris quidem auctores capere insidiis, & punire; multitudinem servare, ac cæteræ suæ corpori militiæ postmodùm inserere. Sanè mihi fortes tanto numero in criminis sui conscientia quieti tamen adhuc seque domibus suis, ac finibus sine vicinorum mora sine præda continentes temerè lacessendi non erant, & ostentato terrore armorum in desperationem conjiciendi, per quam sinistrum fortè aliquid, & Reipublicæ valdè noxium possent consciscere. Scribit igitur ad eos in ipso versùs Constantinopolim reditu promissis invitans, ut ad se venirent. Jam illos perculerat nuncius reportatæ victoriæ de Gallis. Spes igitur promissionibus excitata novis cùm priùs concepto timore conspirans, homines diù reluctatos, tandem perpulit, ut viam aulam versus capesserent. Substitit interim Mosynopoli Alexius, fictis morarum causis, re vera ut Manichæos illic operiretur. Ii ut adfuerunt privatim, quemque ipsorum cupere se nosse Imperator simulat. Nomina exquirit singulorum, & proscribi jubet. Hinc jam aspacte in severum mutato multitudinem Manichæorum non ad se confertam, sed per decadas digestam introduci jubet. Velle se cum iis sic ad colloquii facilitatem divisis modò agere de privatis rebus, de publica legationis accersitæ causa deindè acturum. Ex hoc decreto admittebantur intra januas. Quorum ex cathalogo nomina recitabantur. Introducti paratis occurrebant qui eos equis, armisque ablatis vinctos in custodias deducerent, cuique constitutas. Vocabantur mox alii omnium, quæ prius ingressis contingerant, quæque sibi ipsis impenderent ignari. Per hunc modum capita ipsa tumultus cæpit: ex eorumque publicatis bonis fortes, & fideles milites, qui constantem in periculis ipsi, ac præliis, & laboriosam navarant operam remuneratus est. Misit etiam qui uxores detentorum domibus ejicerent, bonaque omnia fisco vindicarent: ipsis interim sub tuta munitarum arcium custodia pœnas desertæ militiæ luentibus. Quibus tamen postmodùm suæ naturæ indulgens magnam paulatim remisit pœnæ partem: admissis etiam in Baptismi gratiam quotquot ex ipsis ad eam invitati non renuerunt. Omnibus denique usus artibus ad liquidum explorandæ veritatis, quos ipsorum comperit mali consilii fuisse auctores, eos solos deportatione in insulas punivit, cæteris dimissis potestatem fecit quò mallent eundi. Eo illi arbitrio ita usi sunt, ut nullam terrarum oram præferendam patriæ putarent. Ad eam ergo festinarent universi sua illic pro se quisque curaturi. Revertentem porrò Imperatorem in Urbem regiam nec latuit, nec parum commovit murmur sinistrum malè in ipsum animati vulgi, quo trivia atque angiportus personabant. Enim verò urebat hominem tantis modò periculis pro republica persunctum nihil tot, talibusque rebus gestis lucrari se visum aliud, nisi ut illorum ipsorum, quos servasset ingratissimorum civium tanto plura in ejus contumeliam, ac sugillationam ora paterent. Susurri mussitantium hi ferebantur: spoliatas ab Imperatore sacras ædes, quas ornari ab ipso, cumularique oportuerat. Atqui fatalis impulsus necessitatis, ad frangendos impetus sævissimos procellæ cujusdam ineluctabilis, ex mundi penè totius in unum Romanum nomen conspiratione coorientis ultimo Reipublico periculo vacante, in extrema inopia fisci ad illud ultimum mutui à templis sumendi remedium ventum fuerat. Mutuo enim dumtaxat ad tempus discriminis urgentis illa sumebantur, aliquando cum usura refundenda, non ut maledici obtrectabant, tyrannica grassatione rapiebantur. Ac quamquàm sibi erat conscius recti propositi, quo post primam à bellis requiem decreverat ornamenta sua templis reddere: non neglexit

ta-

tamen in præsens famæ suæ succurrere laboranti: & sermonum, qui tunc ferebantur, causam quo ad licuit curavit tollere. Convocat igitur magnum Conventum in Palatium Blachernarum, coram quo se reum Imperator primùm sistere, denique pro se ipse causam dicere in animo habebat. Convenerat jam Senatus universus, tum militaris omnis nobilitas, postremò totus ordo sacrorum hominum. In magna omnes expectatione, quorsum vocarentur? Id non erat aliud, nisi ut eorum, quæ de Imperatore jactabantur, cognitio deferretur ad talem cœtum liberè de re tota judicaturum. Adsunt sacrarum Domuum curatores. Proferuntur in medium libri (Brevia vulgaris sermo vocare solet) in quibus præscriptus extat exactus cathalogus omnium vasorum, operum, ornamentorum, quæ Templo cuique sunt propria. Sedebat Imperator excelsa in sede totum in speciem judicium moderans ipse, ac gubernans, re autem vera subiens potiùs, seq; examini, atque arbitrio judicum submitteres. Habebatur diligens ratio, numerusque inibatur denariorum, quæ cuique sacro loco multorum olim liberalitate addicta fuerant. Comparabatur alius cathalogus oblatorum, vel ab illis ipsis, qui dederant, vel ab ipso nunc Imperatore. Tanta disquisitione nihil aliud Alexis jussu sublatum deprehensum est, nisi ornatus auri, argentique tumulo Zoes illius Augustæ impositus, & alia quædam per pauca vasa parùm ad sacri ministerii usum necessaria. His itaque disquisitis palàm se Imperator reum profitetur, judiciumque de se permittit cuivis cognoscere parato: tum mutata sensim dicendi forma, & sono vocis. Quantis, inquit, Barbarorum undique oppugnationibus appetitum Imperium invenerim; quamque destitutum necessariis ad se tuendum contra tales hostes præsidiis, scitis profectò ipsi, & ego plus satis expertus sum; coactus ea causa, & cura salutis publicæ objectare caput meum periculis innumeris, & maximis, inter infestos plurimorum hostium gladios, arcusque diù ac sæpè versatus, unde vix incolumis evasi. Persarum, inquam, expeditiones in nos, incursiones Scytharum, illasque cusis, exacutasque in Longobardia in latus nostrum, ac pectus hastas non dum, ut opinor, obliti estis. Pecuniæ cum armis abierant. Orbis Imperii in centrum, ac punctum planè jam individuum evanuerat. In tanta tamen difficultate rerum delectus habitos, auctas, & exercitatas copias, strenuè curatam rem militarem recordamini. Nec profectò prudentiam fugit vestram talia sine pecuniis haud potuisse præstari. Porrò quæ ablata sunt utiliter esse expensa non minus verè confirmare, quàm ille in occasione simili Perides, possum: Nam in vestris, quos alloquor honoris, salutisque adeò, ac libertatis pretium persoluta sunt. Extitisse tamen querulos quosdam, qui hæc à nobis contra veterum Canonum auctoritatem reprehenderent, mirum minimè est. Talium enim censuram nec ipse Rex Propheta David evadere in causa simili valuit. Coactus enim, ut accepimus, extrema necessitate famis, sacros Panes, quibus vesci Sacerdotes solos fas erat, laicus ipse cum commilitonibus gustare non dubitavit Rem ausus minus excusabilem quàm istud est, cujus causam dicimus. Lex enim illa vetus nullum disertè casum exceperat, quo liceret non Sacerdotibus edere panes istos. At iidem illi sacri, qui nobis ad invidiam obtenduntur, Canones clarè permittunt, vasa quæque sacra distrahi, ac venumdari, cùm id necesse erit ad redemptionem captivorum. Magnum ergo nos piaculum contra Canones admisimus, qui ut captivum liberaremus Christianum Orbem, & plerasque Civitates maximas, interque illas Constantinopolim, præsenti servitutis periculo eriperemus, non vasa quidem sacra, sed quosdam ornatus, & accessiones sacrarum rerum, paucas & comparatione relictorum non magni pretii mutuati sumus, ad alioquin inavitabile tantæ miseriæ discrimen removendum. Tanta in hoc facto ego quidem conscientiæ fiducia nitor, ut non dubitem, quamvis iniquos, & malignos, modò non planè cæcos experiri judices: satis certus nullam inde justam posse trahi vituperandæ administrationis nostræ rationem. Hæc locutus mox dejecto vocis sono reum se tamen, & pœnæ obnoxium humiliter professus est sese ipse condemnans. Inde rursus explicare Bravia custodes illorum jubet, inireque extimationem, ac summam ablatarum rerum. Ac statim secretò Antiphonetæ notabilem auri summam in annos singulos pendendam à curatoribus fisci constituit. Quod & in hunc diem perpetua fide prestitum est. In isto enim Templo prius memoratæ Imperatricis erat tumulus, ex quo aliquem ornatum erasum diximus. Chalcoprateis verò annuum vectigal auri suffecturum ad alendos eos omnes, qui in ista Dei Genitricis sacra æde divinas laudes celebrare quotidiè solent, ex ærario regio suppeditari jussit. Subindu ferè tempus detecta conjuratio in Imperatorem est. Consenserant in eam præcipui quique Senatores, ac Duces, Tribunique exercitus, nec obscuris, ac dubitabilibus indiciis vestigata res: sed producti accusatores certi omnes, ad quos quomodocumque contagio cogitati sceleris, aut conscientia percussisset ulla, invictis argumentis

mentis

mentis convictos, fateri crimen coegerunt. Nec tamen Imperator infligi pœnas iis, quas præſcribunt leges, pro ſua clementia, paſſus eſt. Publicatione modò bonorum, & exilio animadvertere in anctores contentus. Hic finis coſpirationis iſtius fuit. Nunc ad Manichæos, de quibus nuper egimus, revocanda narratio eſt. Quando Alexius in Magni Domeſtici dignitatem evectus eſt à Nicephoro Botaniate, Blæſum quendam Manichæum in familiarium miniſtrorum numerum adſcivit, quem ex ſacro baptiſmate dignatum uni ex Imperatricis famulabus matrimonio copulavit. Ei viro quetuor in patria ſorores erant, quas ille, de qua paulò ante diximus, Manichæorum calamitati implicitas cum cæteris in cuſtodias abduci bonis omnibus ſpoliatas cernens, majorem commotus in modum eſt, majuſque id malum eſſe, quàm ut ferri poſſet, ſtatuit. Circumſpiciebat igitur occaſionem elabendi è manibus Imperatoris. Nec fefellit ejus conjugem, haud dubiis deprehenſa ſignis, cogitatio transfugii. Adit eam, cui per id tempus commiſſe gubernatio Manichæorum erat, illique de viro ſuo, quæ norat, aperuit. Senſit Balbus rem proditam, eoque maturandum ratus omnibus quibuſcum conſilia contulerat, quique illi vel conſanguinitate, vel aliis neceſſitudine juncti erant ad ſe raptim convocatis, cum iis erumpit, & Beliatobam occupat. Oppidulum id eſt alto, & munito ſitu, quippè impoſitum montis vertici, & in convallem loco ſubjectam imminens. Invenerunt eas ſedes incolis vacuas, eoque tamquam propriss occupantes, indeque quotidianis excurſionibus loca finitima vaſtentes, interdum uſque ad ſuam ipſorum urbem Philippos latrocinendo provecti, multa onuſti præda revertebantur. Nec his contentus Balbus, fœdus init cum Scytbis Iſtri vicina colentibus. Duces enim illius gentis, qui Glabinitzam, & Dreſtram, adjacenteſque iis regiones obtinent adeò ſibi conciliavit, ut etiam filiam illuſtris inter Scytbas viri magna ipſorum voluntate acceperit conjugem. Hæc magna ira machinabatur fugitivus, tota, quod ajunt, manu ingens Imperatori malum cudens, irruptionem videlicet Scytbarum. Cujus periculi momentum ſolita ſua ſapientia providens, & reputans Auguſtus crebras benevolentiſſimè ſcriptas, & promiſſis plenas ad Balbum revocandum literas miſit. Auream etiam bullam, qua impunitas ipſi, pleniſſiméque libertas ſanciebatur, reddendam ei curavit. Verùm Cancer rectà ingredi non didicit. Idem erat homo poſteà, qui heri & nudiustertius. Scythas in Romanos concitans, armata emiſſariorum manu latè infeſtans viciniam circum omnem.

In cæteris ejus popularibus Manichæis Imperator operam non perdidit: ſed eos obiter ad frugem revocatos, fidei rurſus, atq; obedientiæ Imperii induxit. Interim Baimundus (ejus enim jam tempus reviſendi eſt) Aulone moras trahebat; cum ecce ad ipſum perferuntur quæ Bryenio contigerant: audivit & de aliis Comitibus, partim in partes ipſos Imperatoris tranſiſſe, partim alios aliò diſperſos. His ita compertis æger animi in patriam transfretat, patremque Salerni convenit, ut jam ſuperiùs indicatum eſt, multa congreſſu primo adverſus Imperatorem expoſtulans, quæ inſtigare Robertum in eum poſſent. Robertus vultu jam ex ipſo, mæſtitiaque filii augurio infortunii percepto, ubi ejus oratione diſtinctiùs cognovit in quid recidiſſent ingentes illæ ſpes, quas in Baimundo, ejuſque exercitu rediens ab Illyrico collocaſſet, quam omnia tegulæ inſtar momento in contrarium verſa eſſent, ut aſpectu primo aliquandiù pallidus hæſerat, velut fulmine afflatus; ita poſt auditum tragœdiæ totius, ingenti mæſtitia oppreſſus eſt. Ignavum tamen nihil aut generoſitate indignum conſcivit ſua. Martios potiùs concepit ſpiritus, & in heroicas eſſurrexit minas cladis hoſti reponendæ. Novam igitur verſare, ac parare animo expeditionem cæpit, & in curas, ac ſolicitudines reparandi exercitus prioribus acriores mentem dividere. Erat is natura vehemens, promotor ſemel cæptorum: quæ cogitaſſet quæ decreſſet, ab iis abſiſtere nunquam inducturus in animum, quantævis contra occurſarent malorum moles. Imperterriti planè vir pectoris, fiduciæq; ſui tantæ, ut nihil non expugnabile vel ad primum ſuum impetum duceret. Citò igitur excuſſo torpore, quem illi mœror improſperi ſucceſſus induxerat, dimiſſis in omnes partes ſtrenuè nunciis, ſecundam in Illyricum trajectionem, expeditionemque pronunciat, fortes ad ſe, ac militares viros, juveneſq; gloriæ cupidos convocans. Nec longum in medio tempus, & confluebat undique numerus militum ingens equitum, peditumque. Armati omnes erant ſplendidè, & oculo, ac vultu Martium ſpirabant. Multitudinem ſic Homerus exprimeret.

Crebra ut apum glomerata minuta examina vulgo.

Confluebant autem non ex vicinis magis, quàm ex longinquis, & alio ſub cœlo ſitis regionibus, & urbibus. Et Robertus ad magnitudinem propoſiti apparatus modum exæquans, tam validè ſeſe armabat, quàm putabat neceſſarium ad ulciſcendam filii cladem. Collectis exercitibus filios convocat (26) Rogerium, & qui dicebatur Gidas, quem Imperator Alexius oc-

culta legatione tentaverat offerendis nuptiis è consanguinitate sua: quam affinitatem delatione honorum insignium, & liberalissima largitione pecuniæ immensæ se cumulaturum promittebat: audiente libenter ea juvene, fidemque jam tum, ac consensum dante: quamquàm cogitatæ defectionis indicia cautissima dissimulatione oppressit, ne in notitiam patris, aut fratrum emanarent. Hos ergo Robertus tum ad se vocatos filius equitatui præfecit universo: præfeque ambos misit cum mandatis, ut Aulonem maturè occuparent; quod illi mari trajecto, primo statim incursu fecerunt. Idoneoque illic præsidio relicto Buthrotum cum suis copiis profecti, urbem quoque illam facilè cæperunt. Interim Robertus cum classe universa ad littus Buthroto oppositum provectus, indeque trajicere in Illyricum cogitans. Sed cùm didicisset breviorem esse trajectum, Hydrunte, in eam reversus urbem, Aulonem versus solvit cum exercitu. Mox Aulone tota classe comitante rursus oram legens filiis se Buthroti junxit. Quoniam verò Corypho prius occupata defecerat, filiis Buthroti relictis, ipse cum classe Robertus Corcyram petiit, arcem amissam recuperaturus. (27) Hæc agente Roberto nequaquàm cessabat Imperator, aut ad tantas apparatuum minas despondebat animum. Scripsit primùm omnium ad Venetos omni ratione suadens, ut rursus in Robertum classem armarent: pecunias in sumptum navium, in stipendia militum, largissimas liberalissimè pollicens. Ipse biremes, triremesque, formæque omnis, ac modi, piraticas naves, magno iis numero imposito excitatorum maritimis pugnis militum, in hostem immisit. Nec recusavit, qua erat audacia, certamen Robertus; sed potiùs ultrò occurrere, accersereque periculum generositate dignum sua credidit. Adventu ergo audito ambarum in se classium ipse suam instructam ad pugnam solvens, portum Cassopes insedit. Venetorum prima statio in Passarorum portu fuit: ubi comperto Roberti occursu recta in portum Cassopes infesta classe invehuntur. Vehemens pugna fuit, nec missilibus procul gesta, sed manu conserta cominus: ad extremum victus Robertus est: sed indomitus animus victum se haud fatebatur. Reliquias colligit, majore vi & ope ad alterum prælium priore atrociùs se parat. Non fefellit utriusque classis Duces, qui recenti victoria subnixi ultrò ad tertium diem occurrunt, vehementique prælio commisso Robertum item splendidè superant. Sicque in portum Passarorum revertuntur. Hic sive, ut fit, ex præteritis successibus nimia sui fiducia, sive contemptu hostiem, quasi jam debellatum cum illis esset, solutiùs jam, & securiùs se gerere cæperunt quàm in veterani, & generosissimi Ducis Roberti adhuc armati vicinia par esset; ac præter cæteram negligentiam naves celeres, haud exiguam navalis exercitus partem, Venetias dimittunt, quasi tot opus esset nunciis ad præconium relatæ de Roberto nobilissimæ victoriæ illic faciendum. Didicit ista Robertus à quodam Veneto Petro Contarino recenti ad ipsum transfuga. Itaque quamquàm ex sensu, ac dolore iteratæ cladis, incredibili ægritudine, ac mœrore oppressus, excitavit tamen ad occasionem novæ spei fortem animum, & redintegrato impetu decrevit Venetos rursus aggredi. Eum contravenientem inopinatò audientes non fine admiratione, & perturbatione Veneti, majora sua navigia funibus inter se alligaet è regione portus urbis Corypho, & facto, quem vocant, pelagolimene, sive maris portu, parvas scaphas in medium coegerunt, sicque armati omnes operiebantur hostem. Neque is moram fecit. Conseritur atrociùs longè quàm unquam antea prælium, summis viribus, animisque. Stant utrimque obnixi, seque ubique adversos ferunt: nemine initium præbendi tergi faciente. Quoniam verò Veneti longa militia commeatus absumpserant, quibus fœtas, & gravatas habuerant naves: ex jam nihil præter milites, & arma continentes, leviores innatabant, quàm ut regi possent commodè, aqua ne ad secundum quidem usque circulum pertingente. Ergo cùm eam partem, quæ hostes spectabat, urgerent corporibus fuis milites, naves omnes in illud latus invertebantur sensim donec ad extremum demersæ sunt. Erant in iis ad tredecim hominum millia. Aliæ porrò naves simul cum vectoribus captæ sunt. (28) Robertus illustri ea victoria usus crudelissimè, præteritarum dolorem cladium studuit ulciscendo consolari. Multos eorum, quos cæpit, inhumanè cruciavit, deformavitque. Quibusdam oculos eruit, aliis nares abscidit, nonnullis manus, aut pedes. Fuere quibus utraque illa simul demeret. De reliquis, admonuit dimissis per vicinia loca præconibus, qui suos numerato prætio redimere vellent innoxiè ad se, ac securè venire posse. Simul jussit tentari eorum animos de pace componenda secum. At illi sic responderunt. Scito, Dux Roberte, neque si uxores, & filios nostros à te contrucidari cerneremus, induci posse nos in animum, ut fidem Alexio juratam fallamus, aut in ejus propugnanda causa conatibus, periculisve parcamus ullis. Non longum inde tempus fluxerat cum dromibus, & trietibus Veneti paratis, nonnullisque aliis parvis, & ve-

velocibus navibus exercitu in majorem quàm antea numerum reparato, in Robertum infesti movent, stationem habentem circa Butbrotum, consertoque acri prælio illum planè vincunt, multis ex ejus exercitu cæsis, pluribus demersis. Parùm abfuit quin filium ajus Gidam, & uxotem Gaitam caperent. Cajua splendidæ victoriæ simul Imperator, ipsorum nuntiis indicantibus, certior est factus, multis eos muneribus, magnisque honoribus prosecutus est. Duci Venetiarum Protosabasti dignitatem cum congruo censu annuo contulit: Ecclesiis omnibus, quæ Venetiis funt, satis magaum auri numerum quotannis ex Impariali ærario pendendum constituit. Eximiæ verò Ecclasiæ structæ in nomine Evangelistæ Apostoli Marci vectigales fecit Melphauses (29) omnes, qui officinas Constantinopoli haberent. Omnesquu præteraa officinas, ac tabernas alias, quæ à veteri Hæbraica scala ad Biglam, sic dictam, pertinent; simul & eas scalas, quæ intra istud totum spatium continentur, donavit. Prætar magnas immobilium largitiones tum Constantinopolim, tum Dyrrachii, tum ubicumque alibi illi petierunt. Quodque maximum omnium fuit, mercimonia ipsorum cuncta quovis portorio, aut vectigali decravit immunia in omne tampus esse in cunctis Romanæ dictionis locis, ut quidquid exportarent, importarentva nihil, nè obolum quidem, radamptoribus fisci, aut publicanis, similibusque regiæ pecuniæ collectoribus, commercii, alteriusva tributi nomine pendere cogarentur. Sad planè liberam, cunctæque Romanorum Magistratuum potestati exemptam baberant mercaturam. At Robertus (revartatur enim oratio unde digrassa est, & reliquam pertexat narrationem) nec post hanc quidem cladem quiascere potuit. Sed cùm jam antaa navigia è suis quædam, Duce iis suo filio præfecto, in Cephaleniam misisset, studio civitatis, quæ in aa insula ast, occupandæ; Ipse navigiis, quæ ad manum tum habuit reliqua, in stationa relictis ad Bonlitzam, ubi & castris positis totus axercitus consederat, monare galaa invectus Cephaleniam tanuit. Ubi antaquam & aliis suis post secuturis copiis, & ipsi, qui jam præcesserat, filio suo se conjungerat, cum apud Atheram moraratur (est Ather promontorium quoddam Caphalaniæ) vehamenti correptus febre ust: cujus ardorem non ferans frigidam petiit. Ad quam ejus vocem dispersis, qui circa arant ad inquisitionam fontis, indigenarum qaispiam respondit: Videte hanc Insulam Ithacam. In ea constructa olim fuit magna civitas Jerusalam vocata. Jam vetustate collapsa est. Cœterùm in ejus solo fons perennis est aquæ limpidæ, ac potabilis. His Robertus auditis, magno metu concussus, quippè ex loci, ubi erat nomine, & urbis Jerusalam, vicinam instare sibi mortem intellexit. Etenim olim sibi prædictum meminerat à quibusdam, ex eo quæstuoso vatum genera, qui magnorum Principum gratiam adulatoriis artibus captare solent, se usque ad istum Atherem ditionis suæ cuncta subjecturum. Hinc proficiscentem Jerosolymam debitum naturæ soluturum. Porrò febrisne ardens is morbus fuerit, an, ut alii tradunt, dolor lateris; parùm habeo (30) compertum. Illud constat, sexto (31) die, quam languere cœperat, Robertum ibi esse mortuum. Supramum spirantem assecuta uxor ejus Gaita offendit, & filium ut in tali spectaculo, ac casu flentem. Nunciatur obitus altari filio; quem Robertus Principatus succassorem designaverat adhuc vivens: is incredibiliter eo nuncio consternatus est: sesa tamen ut potuit confirmans, exercitui convocato rem aperit, inconsolabiliter lugens talis ac tanti jacturam patris. Jurata duindè sibi ab omnibus fide, copias in Apuliam deportat. Quo in trajectu, tametsi æstatem agebat annus, fœda tempestate vaxata classis est, adeò quidem ut navigiorum quædam mergerentur, quædam illisa vadis adhærescerent. In iis, quæ mortuum Robertum vehebat navis, cum fracta fuisset media sui parte: quibus cura erat commissa cadaveris arca, in qua id servabatur, ægrè currapta, vix tandem Venusium salvi tenuerunt. Sepultus deindè Robartus est apud Monasterium in nomine Sanctæ Trinitatis olim extructum: (32) ubi & fratres ejus ante ipsum depositi fuarant. Excessit è vivis Anno vicesimo sexto Ducatus sui, ætatis septuagesimo. (33) Hunc inopinatum tam acarbi hostis obitum Imperator audiens sic respiravit, uti si onus ingens à longo tempore impositum ab humaris excussisset tandem. Nac cunctandum tali rerum articulo ratus, machinas intendit omnes, quo inter eos, qui Dyrrachium obtinebant, dissensionum semina spargeret: sic facilè futurum autumans, ut ea Civitas in suam radirat potestatem. Ad eam rem accersit, qui tum fortè Constantinopoli Veneti fuerunt. Agit cum illis, ut dent literas ad Amalphanos Venetos, aliosque advenas, qui Urbem Epidamnum frequentabant, quibus illis suadarant, ut commodare operam Imperatori vellent ad Dyrrachium recipiendum. Incumbebat in idem ipsa per sa insuper Augustus, nullum finem donandi, promittendique faciens. (34) Persuasit facilè. Est enim universum Latinorum venale genus, & ex perdito pecuniæ amora paratum, solitumque, charissima quæq; prodere, ac pacisci, pro spe lucri sordi-

di.

di. Dyrrachienses igitur præsidiarii, Colonique, ingentibus ab Augusto lactati spebus, conjuratione facta, primùm de medio tollunt eos, qui auctores fuerant Arcis Roberto tradendæ, tum & illos, qui adhuc perstabunt in ejus fide. His peractis ipsi ultrò Augustum adeuntes, Arcem ei dedunt: liberalitatemque vicissim ipsius, planè prout speraverant, in donis atque immunitatibus largiendis, experti abundè sunt. Roberti porrò mortem multò ante præviderat, ac prædixerat quidam, cui nomen Sethus, venditare se solitus exquisita cognitione Astrologiæ. Is post Roberti trajectionem in Illyricum, vaticinium istud suum in charta descriptum sigillo munita deposuit in manibus quorumdam familiarissimorum Imperatoris, rogans ut id scriptum ita servarent, usque ad certum tempus. Deindè Roberto mortuo resignata charta est, in qua fore est reperta in hunc modum scripta. Magnus hostis ex occasu multum tumultuatus, repentè cadet. Mirati sunt omnes Viri peritiam. *Deindè digreditur Anna luculenter differere de Genetliacorum prædictionibus differere.*

Roberti Imago, & Character.

ROBERTUS, id quod ex sensu, verbisque eorum constat, quorum in publicam opinionem, famamq; sermo percrebuit, eximius belli Dux fuit. Promptæ ad consilium extemporaneum mentis; decora majestate oris, ac vultus; urbanus, & comis in familiari sermone; acuto vocis sono, sed pleno eodem, ac magno; humanus occursu, & aditu facillimo; proceritate corporis heroica, cui respondentem comæ prolixitatem circum caput undique pendentis, nec non densitatem prolixæ barbæ studiosè adjungebat; tenaci constantia patriorum morum. Cæterùm spirans ex vultu vegetus vigor, totoque è reliquo corpore eminens, idem à prima ætate ad extremam illi permansit diem. Nec id non sentiebat ipse, qui se vel eo nomine formæ, ac roboris dignum Imperio putabat, Honoris porrò ut sui avidus, sic alieni non parcus, infra se positos dignatione multa prosequebatur, præsertim eos, à quibus se amari eximiè existimabat: liberalissimè, atq; honorificentissimè tractans. Auri, & pecuniarum collector cupidus, dispensator parcissimus; præ studio immenso congerendarum opum, nullum quæstum, quantumvis humilem, etiam mercaturæ, à commutationis sordidæ, fastigio suo indignum habuit. Nihilominus super hæc omnia avidissimus gloriæ fuit. Unde, quod tot unus tam variis cupiditatibus simul succumberat, facilè in reprehensiones omnium incurrit. Vituperatum scio Patrem meum Augustum, ut hominem exigui consilii, quod Robertum expeditione prima non vicerit: quod facilè potuisse ajunt, nisi festinatione inconsulta spem certam corrupisset. Si enim sustinere voluisset aliquandiù, conclusurum undique, ac circumventurum Gallos haud dubiè fuisse. Hinc Arbanitis, qui vocantur, illinc Dalmatis, quos Bodinus miserat, ad exploratam victoriam arctantibus. Talia Censores imperiti extra teli jactum securè disputant, in caput, ac famam virorum fortium pericula cominus lacessentium, sudantiumque in acie prælii obtrectationum acerbissimarum tela ex tuto jaculantes. Porrò fortitudinem Roberti, dexteritatemque in administrando bello, præsentiamque imperturbati ad omnes casus animi, res omnibus notas, qui reputaverit, ne is intelliget difficillimè omnium virum talem superari potuisse, qui etiam ex offensionibus belli, si quæ inciderent, animosior, audaciorque exurgere soleret. (*Et hoc eodem Anno fuit Anna Comnena ortus, ut ipsamet enarrare prosequitur*)

Synopsis ex lib. X. Alexiados de Baimundo Roberti filio.

ANNO 1097. Baimundus copiis post se relictis Imperatorem adiit blandè ab Imperatore acceptus. Imperatoris, & Baimundi magna dissimulatione convenitur. Cocta simul, & cruda cibaria Baimundo oblata, qui propterea metuens ne venenum sibi propinetur jussu Imperatoris ab iis abstinet. Jusjurandum attamen Augusto libenter præstat. Pecuniam ingentem, & vestes pretiosas Imperator Baimundo donat, qui primùm libenter se accipere significat, deinde remittit, postremò lætus accipit. Astutia, & fortitudo major in Baimundo, quem in ullo Gallorum.
„ Atque ut nihil divinem de simulatæ si-
„ mulationis causis, acceptandæ quidem
„ pecuniæ consilium ambitio dictavit.
„ Videbat homo vastus animi, spei que
„ immodicus, se innutritum cogitationi
„ Regni, postquàm vivente Patre ma-
„ gnos exercitus ductaverat, magnas res
„ gesserat, & ad extremum eò re actum,
„ ut de Patria exiret prorsus extorris,
„ quippè qui nec terram, nec urbem ul-
„ lam haberet, quæ ipsum Dominum,
„ aut Principem agnosceret...... cæte-
„ rùm per istam occasionem omni modo
„ decreverat Principatum sibi aliquem
„ alicubi parare: nec dubitaturus si se-
„ cunda spiraret aura fortunæ Romanum
„ ipsum cogitare solium, & Alexio ex-
„ truso se Imperatorem facere. Hære-
„ bant illi imis sensibus Patris monita,
bello

„ bello Alexium persequi jubentis, in eo esse, ac morari; nec nisi plena patrata victoria desistere: inde enim rem, inde spem, inde vitæ, ac rationum statum amplum, & commodum ostendi. Porrò istuc aspiranti magnarum opum erat necessarium viaticum .... ambitiosis ejus artibus Augustus occurrit. Domesticatum Orientis petenti Baimundo Imperator, perspecta prius ejus fidelitate, promittit. Imperator de ratione belli Turcici Gallos edocet. Sangeles unus ex copiis Baimundi ab Augusto apud se retentus, à quo plura contra latinos, & Baimundum audit; propterea renuit se adjungere Gallis in Turcos euntibus. Nicæa à Christianis expugnatur.

Ex Libri XI. initio.

NIcæam Imperator præripere Christianis studet: qua astutia potitus, Gallos sibi sacramentum dare jubet, quibus consentientibus, „ ad Tancredum Baimundi Consobrinum ubi ventum est, liberrimi juvenem ingenii, professus est uni se Baimundo debere fidem, & debere velle servareque ad mortem usque. Increpitus verò convicio astantium suorum, & cognatorum Imperatoris, versus quemdam acerbius objurgantem, monstravit illi tabernaculum, in quo tunc residebat Imperator, maximum, & capacissimum, quam quisquam vidisset unquam, tum hæc addidit. Si mihi dederis quantum cumulari pecuniarum in locum ita vastum queat; addiderisque his prætereà eadem omnia, quæ singulis Comitibus dedisti, non tamen vel sic adducar, ut eo quod petis, me sacramento ligem.

„ Non tulit pro eo, quo flagrabat in Imperatorem studio, exageratam Tancredi orationem Palæologus, contemptuque virum ultus est, ad contumeliæ patientiam haudquaquam factum. Itaque is haud dubiè percussurus in Palæologum insiluit, quo Imperator animadverso properè exurgens intervenit medius. Baimundus quoque corripuit, stititque juvenem, non decet, inquiens, in cognatos Imperatoris insurgere. Ad extremum Tancredus pudore concepto suæ in Palæologum insolentiæ; simul etiam Baimundi, aliorumque persuasus monitis, juramentum & ipse præstitit. Tum ad expeditionem in Palæstinam progreditur à Gallis. Baimundus ducit agmen præeuntium. Invaditur à Turcis in Dorylæi campestribus, suppetias ei maturè ferantes Galli cæteri, Turcos vincunt. Altera initur pugna atrox, & diuturna; fortitudo Baimundi causa victoriæ. Tertiò à Gallis Turci vincuntur. Trimestris oppugnatio Antiochiæ describitur. Armenus proditionem Antiochiæ paciscitur. Tatianus, qui pro Imperatore militiæ Græcorum præerat, astutia Baimundi persuasus recedit ab Antiochia: fames in castris Gallorum. Oratio Baimundi ad Gallos comites, ut comiter paciscantur cum Antiocheno præsidio, dolosè ita civitatis dominium sibi prætendebat: quod faustè ipsi evenit, nam expugnata Antiochia, Baimundus Princeps declaratur. Cur Imperator Antiochiam cum Gallis oppugnatum non iverit, distractum ostendit Anna ab incursionibus in Insulas cujusdam Tyachæ, & Tangripermes, contra quos expedire Joannem Ducam sororium suum necesse habuit. Tandem Imperator in auxilium Gallorum Antiochiam procedit, exoptatus, & requisitus à Gallis, sed timore Turcorum Sultanis retrocedit, frustra excusare conante Anna Patris ignaviam, & Gallos intempestivè vituperante. Galli Antiochenses hortatu Episcopi ad pœnitentiam moventur, inventoque mucrone lanceæ, quæ Christi latus pupugit, eo præeunte contra Turcos egrediuntur, magnamque illorum patrata strage triginta dies vix prædæ comportandæ sufficiunt: tunc absolutè Baimundo Antiochia regenda permittitur. Post hæc Jerosolyma oppugnatur à Gallis, & capitur. Tancredus Baimundi nepos Laodicæam expugnat. Maximam Normannorum cladem à Turcis inflictam fingit Anna. Postquam „ Inde idem Augustus audita deditione Laodiceæ Tancredo facta, has ad Baimundum literas scripsit. Scis tutè profectò ipse, ac præclarè recordaris, quod tu, Comitesque vestri nobis jurati promiseritis. Quo magis miror te omnium primum prorupisse in infractionem manifestam fœderis tanti sancti, quo vestra gens, ac natio his in terris militans Romano Imperio devincta solemniter est. Nam & Antiochiam occupasti contra religionem istam, & alias arces quascumque tui juris facere potuisti, pari perfidia hodieque obtines; ipsamque adeò Laodiceam. Resipisce igitur vel serò, & æqui, ac jurisjurandi reverentia concepta, malè invasam Antiochiam, arcesque reliquas contra fas occupatas redde; neque committas ut perseverantia injuriæ nova contra te bella, justasque iras prorites in tuam perniciem. Hæc legens Baimundus veritate deprehensus, & conscientia, reniti subitò non potuit; sed primum ipsi, ac simplicem annutum evidentia rerum ipsa furata, vel invito est; quantum qui vultum ejus spectarunt dum legeret, observare potuerunt. Nec ab ista confessione

„ scripta recesserunt: quibus jurasse se confessus; nec inficiatus detinere sibi- lomicus captas arces, sic tamen excipiebat, culpam in Augustum conferens eorum, quæ ipse perperam egerat. Quod arces non reddimus, non nos, inquit, sed tu in causa es. Pollicitus enim venturum te post nos cum validis copiis, fidem verborum factis præstare noluisti; neglexistique cum periculis extremis, & ærumnis conflictantes, per trimestrem obsidionem Antiochiæ; quo toto tempore præter infestationes nunquam remissas pertinacissimorum hostium, etiam famem substinuimus, quæ & senum memoriam, & juvenum, ac virorum constantiam vinceret. Nam nec nostrorum quisquam similem se aliquando calamitatem ejus generis meminerat expertum: & ex iis plurimi cibis vetitis, atque infandis ora polluere magno malo sunt coacti. Interim sanè dum egregius à te nobis assignatus expeditionis Comes, belli socius, Taticius ille fidissimus Majestati tuæ, tali nos tempore, atque articulo periculi deseruit. At non deseruit Deus; cujus ope admirabili, post vestrorum recessum, supervenientes à Carosane in Antiochenorum auxilium innumerabiles copias prælio vicimus. Quæ cùm ita sint, cui videri æquum possit, nos ea, quæ magnis, ac multis nostris laboribus, sudoribusque comparavimus, abjicere tam facilè, ac eripi nobis sinere? His literis Legatorum reditu ad se perlatis à seque perlectis Imperator, facile agnovit rediisse hominem ad ingenium prius, excussa simulatione: planèque illum ipsum, & eundem esse Baimundum nunc cùm maximè, quem tam atroces olim secum exercuisse inimicitias meminerat. Quò circa necessarium duxit violentis ejus occurrere ausibus, & limites Imperii Romani talibus munire præsidiis, quæ impetum vehementis hostis possent frangere.

Butumites contra Baimundum missus ab Imperatore, qui non prosperè se gerit in Cilicia. Auxiliares ad Baimundum veniunt Pisani cum classe: quæ de pace convenitur, à Ducibus Romanis, & ignominiosè rejiciuntur. Baimundus occupare, & munire urbem Curicum parat, sed prævertitur ab Imperatore. Cantacuzenus Alexii Dux Laodicæam Gallis præripere tentat; urbe, & portu potitur, in arce Galli acriter se defendunt. Baimundus arci Laodicenæ auxilia importat, ejus cum Cantacuseno colloquium. Ille juramento obnoxium improperat. Baimundus contra pecunia an ferro, arces recepturum venisse interrogat? cui Cantacuzenus sit pecuniam impensam esse in conducendos milites ad eum expugnandum, cui exardescens Baimundus: Atqui sic habe, ne unam quidem munitiunculam sine pecunia à nobis recepturum. Tota tamen Cilicia Gallis eripiter, indeque maxima Baimundi sollicitudo, & consilium, ut in Occidentem incolumis revertatur. Spargi curat famam mortis suæ, & effertur pro mortuo, adjuncto sibi corpore Gallinacei fætentis. „ Mirari licet improbam patientiam sentientis mortui (Baimundi) qui graviori è vicino afflatus aura putrescentis volucris, fructum, quos dignus fuit, inventi sui præclari, tacitè obdurans, & immotè sustinens ferebat.

Et sanè valdè admiranda in cæptis urgendis Gallorum, quos Anna iracundè Barbaros vocat, immota constantia fuit.

„ Atque ego, dum hæc reputo, facilè arbitror haud alio ex documento cognosci posse certiùs, quàm sint irrevocabiles impetus Barbarorum quamcumque semel in partem incubuerint. Ecce iste, per quos & quot labores ultrò susceptos vadit certus ad propositum? ut ne redigi quidem in sortem, ac societatem mortuorum corporum recuset, dum quod destinavit, queat exequi. Hæc prima, & summa fuit hujus Barbari in perniciem haud dubiam imperii hujusce designata, compositaque machinatio: cui parem nemo Græcus aut Barbarus tot bellis olim gestis excogitavit unquam, suscepitve: sed nec puto in consequentem ætatem ejus exemplum posterorum ullius imitatione propagandum. Cœterùm simel isto cursu Coryphum tenuit, jam quasi subductus in arcem suam, atque in tuto positus excussit libitinam; & è feralibus emicans latebris securè liber cœlo, luceque hauriendis affatim, interclusi modò spiritus inter angustias feretri, damna pensabat. Indigenæ concurrere, ac mirari hospitem cultus insueti, specie, vesteque peregrina: tum quæritare: quod ei genus? quæ fortuna? quis, unde, quò iret? Ille pro familiari contumacia, neminem obviorum responso dignatus, Ducem urbis dixit se alloqui cupere. Erat tum is Alexius quidam Armeniaci thematis, quæ oblatum fingens oculo superbo, eutuque, ac supercilio planè in quam odiosissimum barbarici fastus specimen deformatis: Fac, inquit, meis verbis Imperatori Alexio nuncies, adesse me illum, notum ipsi profectò, nisi dissimulet, etsi satis meminerit cladium suarum, formidatum Baimundum Roberti filium, Quidquid manu, quid hasta, quid aggrediendi audacia, quid urgendi perse-

ve-

,, verantia valeat, ſatis experiri potuerit
,, priori bello ſibi ſuoque Imperio luctuo-
,, ſo. Atq; illum talem Dei ſingulari be-
,, neficio ex innumeris ejus injuriis, & in-
,, ſidus elapſum, teſtari eundem ipſum
,, Deum; ſeſe neutiquam inulta relictu-
,, rum tot vafrarum Judificationum, falla-
,, cium lactationum, arcanarum cum Bar-
,, baris conſpirationum flagitia, quibus ſe
,, toto tempore quo verſatus ſit in Aſia
,, ſuis armis devicta, deluſum, inductum,
,, in cæca bellorum, ac periculorum pro-
,, jectum ad certam perniciem, recorda-
,, tur. Quare adeſdum Alexi Auguſte,
,, atque ad hunc durum, & illætabilem
,, tibi nuncium firma, ſi potes, mentem,
,, haud dubiè, audito primo conſternan-
,, dam. Ego, inquam, ille, ut putabas,
,, & gratulabaris, tuo, tuorumque bono
,, mortuus, en vivo, valeoque inter ſa-
,, tellitum tuorum malignos oculos, &
,, maleficas innoxius elapſus manus; ſu-
,, ſpicaciſſimis explorantium vigiliis: &
,, ſanguinariis inſidiantium expectationi-
,, bus eluſis. Porrò ne quid interim de
,, Antiochia ſperes proviſum à me ſatis
,, in diſceſſu eſt, relicto ad urbis cuſto-
,, diam nepote meo Tancredo: à quo
,, quantum eſt Ducum veſtrorum nihil
,, poſſe referre niſi clades, & vulnera,
,, priuſquam triſti experientia diſcatis,
,, mea jam nunc veraci, & eventis ſan-
,, cienda denunciatione agnoſcite; faxo
,, autem ut cogitandum magis tibi ſit de
,, tuis defenſandis, quàm de alienis op-
,, pugnandis urbibus. Nimirum non alio
,, conſilio, vel paulò ante vivens inter
,, mortuos me abdidi; vel nunc à mor-
,, tuis rurſus ad vivos redeo, quàm ut
,, tumultu, clade, rapina, ferro, flam-
,, maque Romaniam, quæ tibi paret uni-
,, verſam, agerem, ferremque. Nec mo-
,, ram tibi longam indulgeo malorum.
,, Simul oppoſitam è regione continen-
,, tem, verſus quam modò ſolvo, attigu-
,, ro Longubardos, & omne Latinum
,, nomen, tum præterea Germanos, & no-
,, ſtrates Francos, qualeſquamque bellico-
,, ſos viros in te conjuratos, atque arma-
,, tos ducam: neq; quieſcemus à miſcen-
,, dis, replendiſque cæde, ac ſanguine
,, terris, atque urbibus dictionis tuæ quo
,, ad victricem haſtam in ipſius Regiæ
,, Byzantinæ civitatis foro figamus. Eo
,, uſque inſolentium minarum ventoſiſſimi
,, Barbari amentia proceſſit.

Ex Libro XII.

,, PRimę Baimundi trajectionis in Aſiam,
,, opera, & conſilia, machinationeſq;
,, ambitioſæ ſimul, ac perfidæ, quibus
,, Imperium Romanum ereptum, legitimo
,, Domino, invadere, ſibique aſſerere
,, moliebatur; tum verò etiam receſſus
,, ejuſdem ex Aſia, mira, ſed felici frau-
,, de confectus; illæ, inquam, mendaces
,, exequiæ, & deportatio navalis ſpiran-
,, tis mortui, qua homo in arcto depre-
,, henſus explicavit ſe ex anguſtiis, &
,, Coryphum Inſulam ſalvus tenuit, ha-
,, ctenus narrata ſunto. Quæ conſecuta
,, deinceps ſunt, hiſtoriæ decurrentis ex-
,, ponet tenor. Pervecto in urbem Co-
,, ryphum cadavere fœtenti, prout dictum
,, eſt; idem ſtatim ex ſimulato mortuo
,, furens hoſtis ingens, ſpirantes, & ſu-
,, pra modum audaces illas minas relatas
,, à nobis, quas per illius Urbis Ducem
,, intentandas Auguſto curaverat, ſimul
,, in Longobardiam (Apuliam ſcilicet)
,, nave pervenit, conferre in rem eſt ag-
,, greſſus.

Illicò enim Baimundus expeditionem in Illyricum parat cum Rege Francorũ duplicem cognationē contrahit: duas enim illius filias, Conſtantiam ſibi uxorem accepit: ...... Tancredo nubendam navibus impoſitam in Syriam miſit. Imperator Alexius ad occidentales Principes contra Baimundum ſcribit; qui è contra Alexium Paganum vocat, & Paganorum defenſorem: de qua injuria abſolvi curat miſericordia liberali, quam cum trecentis Gallis à captivitate redemptis, & in patriam dimiſſis, exercet. Imperator Theſſalonicam ſe confert. Copias eò evocat ex Aſia, Tancredus non diſſimulat aggredi ſe Ciliciam velle. Aſpiete Græco connivente Mopſueſtiam, cæpit, moxque Ciliciam cæteram: animo & arte militari erat inſignis. Cometa ingens Gallorum adventum in Græciam prænunciat. Dyrrachium Imperator de novo munit, eiq; Alexium præficit fratris filium: claſſem armat; infortunia, & conjurationes in Imperatorem deſcribuntur. Baymundi cum Romano Pontifice, & Italis in Alexium fœdus. Expeditio in Illyricum magno conſenſu, concurſuque, concurſuque omnium ſuſcepta. Romani Claſſiarii fugantur. Gallis victoria è manibus eripitur. Baimundi in Illyricum adventus, ejuſque claſſis ordo, & inſtructus, cujus ſpecies procul terribilis. Lantulphus fugiens tranſitum liberum relinquit Gallis. Oppugnatio Dyrrachii decreta, ejus regio à Gallis excurritur. Imperator ipſi occurrere parat, & dum illuc cum exercitu tendit iter, Curſor Scytha ab Alexio Duce Dyrrachii ad Auguſtum mittitur. ,, Fortè is Auguſtum offendens
,, modo è venatu reducem, magno, &
,, anhelo ad pedes ejus curſu ruit; ibique
,, adoratione ſolita perfunctus, capite in
,, pavimentum demittendo, alta, & clara
,, voce clamavit: trajeciſſe Baimundum.

De-

„ Defixit omnes, qui erant in loco, quem-
„ que suo quasi attonitos ea vox: & mœ-
„ sto circum stupore, ac silentio constri-
„ ctis, cunctis apparuit quàm formidolosa
„ esset Baimundi, vel ipsa mentio. Unus
„ inter perculsos circum universos stans
„ animo Imperator, generosamque oculo,
„ vultuque iram spirans, & fiduciam,
„ corrigiam calcei securè aggreditur sol-
„ vere: Nunc quidem, inquiens, prandea-
„ mus sanè, de Baimundo viderimus postea.

Ex Libro XIII.

ALexius Imperator ab odiis, insidiisque suorum periclitatur. Interea Baimundus Dyrrachium obsidet per hyemem, oppugnationi in ver differt. Naves proprias incendit, ut suis patriæ spem eriperet, & ne à Græcorum prædæ remanerent. Oppida Dyrrachio vicina capiuntur à Gallis. Baimundus machinas varii generis fabricat, ei rei patientissimè intentus. Difficultas commeatus in castris Gallicis, exinde fames magnas edit strages, adjuncta vi morbi cœliaci, vulgò grassantis, invictus malis Baimundi animus oppugnare urbem incipit, oppugnatio fusè describitur. Fossa subterranea à Gallis ducta, sed alia contrario meatu à Dyrrachiensibus foditur, indeque subterranea pugna inter Gallos, & Græcos, qui illos igne missili per patefactam rimam arcebant: cujus flammæ missilis artificium erat picis, resinæ, & sulphuris pulvere repleti calami, ex adversa parte accensi ignem procul jaculantes, damna ingentia Gallis intulit. Tertia machina molis magnæ, cujus forma, & motus mirabilis describitur. Dyrrachienses contrariam turri Gallicæ machinam comparant, & Gallorum turrim incendunt. Parat Augustus, ut incruentam victoriam obtineret, civiles discordias in Gallorum castris, amicosque intimos Baimundo eripere aggreditur. Gallorum præcipuis Ducibus tanquam sibi fidis scribit, ut eos Baimundo suspectos, imò exosos reddat. Simulatus transfuga missus ab Augusto ad Baimundum, proditionis defert fidissimos ipsi. Dolore percussus Baimundus sex diebus clausus, & inaccessus manet, sollicitudinibus agitatus; Tandem statuit nihil mutare, deluso Imperatoris astu. Alexius diligentissimè hosti aditus obstruit, Gallosque undique obsedit. Baimundus Gidum fratrem versùs Petrulam mittit. Pugnant cum Græcis Galli, victoresq; multos interimunt ad Petrulam primò, secundò ad Castrum Myli: fœdè fugam arripiente novo Duce Cantacuzeno. Tertia pugna Galli vincuntur. Baimundus prædatores versùs Aulonem mittit. Eos vincit Beroites, & Baimundi naves incendit. Nec eum tamen turbat. Sex millia virorum fortium in Cantacuzenum mittit. Eos Cantacuzenus imparatos fudit, magna Gallorum clade. Baimundi patruelis vastæ, ac giganteæ decem pedum molis à pusillo Scytha captus, & ad Imperatorem adductus: qui non longa lætitia de eo gavisus est, successit enim dolor ob magnam Romanorum cladem à Gallis datam. Baimundus auxilia copiosa ex Italia accipit. Armatura Gallorum equitum describitur, eadem Normanni utebantur. Ea erat lorica ferrea contextu quodam, implexuque annulorum, ac squamis velut quibusdam invicem consertis, seseque inscendentibus corpus obiens, & illud arctè simul, aptèque ad facilitatem motus omnis, tunicæ instar intimè applicitæ vestiens. Accedebat ad munimentum impenetrabiliùs obtentu scuti, non rotundi, sed figuræ oculis oblongæ, latiori ab imò ambitu in acutiùs fastigium desinentis; non planæ, & coæquatæ superficiei, sed spatio lento intus in longum cavo, latus amplectentis à parte gemina; cujus exterior lævigata frictu, & tersi nitore metalli resplendens facies, oculis ex ære perlucidi, umbone medio extantis, vivis velut, & vibrantibus fulgurans radiis percellebat intuentes contra. Jam materies non ferri cujuspiam, sed chalybis, quam rigidissimi etiam durata tinctu, & fabrorum arte ad duritiam quantamvis soliditate. Latebat planè tutissimum sub his involucris corpus, & Persici licet, aut Scythici teli acies, vel Giganteis lacertis intorti, ubi ad istud tectorium offenderat, innoxium utique, & hebetatum resiliens redibat ad mittentem. Augustus pugna cum Gallis evitat. Baimundus undique conclusus. Deficit Annona Gallis. Iis Romani instant importunissimè. His coactus malis Baimundus Alexium de Dyrrachii Ducem de pace convenit. Pestis in castria Baimundi. Augustus Baimundi petitionem de pace non repudiat. Baimundus obsides petit. Mittit ad eum Imperator Legatos mox obsides futuros. Eos Baimundus in castra Gallica venire non vult. Eorum orationem abrumpit. Invitatur Baimundus ut ad Imperatorem eat, coram cum illo tractaturus. Annuit Baimundus, sed se illic quàm honorificentissimè vult excipi. Promittuntur ei quædam ex iis, quæ petit, alia negantur. Custodiuntur Baimundi Legati ne castra explorent. Baimundus excipitur honorificè ab Augusto.

Baimundi descriptio.

IS porrò vir erat Baimundus, cui, ut multa paucis colligam, nullum ea tempestate neque Græcum, neque Barbarum

Ro-

Romana terra parem vidit: cujus famæ ingenti, qua latè procul percellebat animos, species præsentis admirabilis rapiens coram oculos exactè respondebat, talia ferè aspectu, ac forma fuit. Longo surgebat excursu statura corporis: adeout procerissimos quosq; uno fermè altior cubito transcenderet. Ventrem & illa contractiora. Latus humeros; Spatioso, & coæquato pectore. Lacertis torosus. Tota corporis habitudine nec strigosa, nec gravata fluxu carnium; sed optimo inter obesitatem, & maciem temperamento, velut Policleti manu cujusdam ex idea præcellentissimæ artis fictus, atque tornatus. Majusculis, & succo vivido solidis manibus. Rectè fundatis pedibus, & robustè vestigium obtinentibus. Cervicis, armorumque apta compages; & tum succi plena, tum dignitatis. Trunci status, si quis attenderet curiosius, errectissimò inclinari paulisper in pronum videbatur. Non ullo vertebrarum, aut spinæ dorsi vitio. Sed, prout apparebat, quòd ab ætate tenera institutis moderantium in istum esset habitum ad specimen modestiæ formatus. Color reliquo corpore caedidissimus. Facies in niveo rubebat. Capilli subflavi, eatenus promissi ut aures tegerent; non etiam more gentis humeros flagellarent. Neque enim insaniebat istam insaniam comæ studentium. Barba cujus coloris esset non possum dicere. Genæ quippè hac mentum ejus aciæ novaculæ ad cutem rasa superficiem habebant quovis gypso læviorem; conjectura tamen est rufam, & hanc fuisse. Glaucus aspectus, iræ, atque acerbitatis non benè latentium vi submixta minax. Nasus liberè aerem ducens meatibus largiusculis. Sic enim erat opus ad commodè inferendam, efferendamque spiritus copiam quantam ad eventilandum cor flagrantissimum pulmo prælargus anhelaret. Unde illa instituto naturæ proportionem, & significationem mutuam habent; magnitudo narium, & vastitas pectoris. Emicabat, fateor, universa ex specie suave quiddam: nisi crebris undecumque simul erumpentibus terroris quasi fulgetris, blandus ille radius frangeretur. Itaque amabilitatem tenuem majori odiositate obruente, tam ille giganteus status, quàm torvitas quædam frontis arduæ, ac quasi ad vim expeditòrum tacita minacitas artuum universo conspectu ferum baud dubiè quippiam, & illætabile spirabat: ut arrisus ejus, mihi quidem nihilo videretur amenior, aut blandior, quàm aliorum irata facies jurgantium. Adeò non mavors solùm ejus, sed qualiscumque amor etiam, militaris in eo, atque armatus apparebat: Ita tamen ut sentires suavitatem existere totam à natura, formaque corporis; vim sævam, atque immanem à Barbaro intus habitante afflari animo; erat is non malignitate solùm cumulatus plurima, verùm artibus quoque ad hanc exercendam omnibus abundans. Nihil eo versutius, nihil promptissima consilii accommodatione magis expeditum ad conversiones omnium temporum. Nunquam illi occasio ansam imparato daret. Nunquam quod cuivis petitioni opponeret scutum deerat. Sermo ejus tractantis accuratus. Responsiones omni undique circumspectione præmunitæ, & adversus vel acerrimam censuræ vigiliam cujusvis, sua, præhentioni locum præbente nulli, prudentia tutissimè. Denique hic talis, ac tantus fuit, ut uni omnium, qui tunc erant hominum, Imperatori Alexio secundus; uni dumtaxat illi fortuna, vi dicendi, consilio, cæterisque naturæ dotibus esset inferior. Planè invictissimus futurus, nisi eum ætas sua, rerumque, ac spei rationes cum patre meo commisissent.

Imperator obliquè vetera Baimundo exprobans. Et utitur ab eo, & mutare sermonem cogitur. Leges pacis Baimundo oblatæ. Ab ipso rejectæ Reditum in castra sua Baimundus petit. Eò se velle deducere ipsum Imperator præsefert. B yenius Baimundo persuadet, ut pacem faciat, & concluditur pax. Iis pactis, quæ in Anna fusè registrantur, In quibus promittit Baimundus contra Tancredum bellum gerere, nisi ille remitteret Urbes Imperii. Quæ pacta conscripta sunt, & jurata anno Græcorum 6517. indictionis secundæ, & subscripta fuerunt à 416. testibus.

Ex Libro XIV.

BAimundus pacem jurejurando firmat. Sebasti dignitate, & pecunia donatur. Sic reversus ad suos Baimundus ubi exercitum iis tradidit, quos Imperator ad ipsum miserat, navi conscensa, Longobardiam tenuit, & sexto hinc mense moriens commune debitum solvit. Baimundo verò, uti diximus, defuncto, cùm Tancredus possessioni Antiochiæ incubare pergeret, teneretque eam mordicus, ac planè imputaret, ut propriam, jure quàm optimo, res enimverò Imperatori visa est ejusmodi, quàm nec tolerare, nec dissimulare posset amplius. Præterquam quod enim jurisjurandi religio, & illa Deo teste à tot illis Francis Ducibus jurata fides vindicando utique ludibrio violabatur; etiam erat iniquissimum interverti sibi fructum tot laborum, totque sumptuum: nec quod innumerabiles tot illos exercitus infinitis incommodis, impensis maximis ex occidente in Asiam deportaverit, quod superbæ

gentis, quod protervæ multitudinis fastus, minas, insolentiam patientia pertulerit, nihil sibi esse repositum mercedis loco, nihil ne solatii quidem causa, ac nomine concedi. Atqui præterea deducendos Gallos per terras hostiles à suis ipse sumptu maximo conscriptis, armatis, longo tempore ad id unum autoratis, exercitibus curaverat. Suos enim ferè semper milites, & Ducis Istinis in Asiam euntibus viæ Comites, belliquæ socios adjunxerat. Primùm Christiana charitate: quo religionis communione unius sibi devinctam gentem ab insidiis, & vi communium hostium defenderet: deinde ut, mixtorum sibi Romanorum non modò auxilio validiores, sed etiam consilio, atque instigatione paratiores essent Franci ad civitates Saracenorum, partim evertendas, delendasque funditus, si penitùs in ipsis infidelium terris essent sitæ, partim, si finitimæ Romanis, & opportunæ forent, imperio veteri laxatis ejus finibus reddendas. Sibine igitur, ac Romanæ se imperante rei tantam illam pecuniam, illos thesauros, atque acervos auri ex sanguine, ac visceribus civium expressos, periisse prorsus oportere? ac quod suis, alienis, ducibus, militibus, dona, honoraria, stipendia, toties tanto tempore numeraverit, nullum beneficentissimæ operæ impensæ ab avarissimis hominibus pretius extare? Itane verò nostris Galli viris, nostris pecuniis, nostro sanguine, ac sudore sibi solis vicerint: bellique fructus uni eunctos in solidum habeant, quo nostra in gerendo, substinendoque periculorum, ac laborum pars virilis fuit? ubi jus, fasque, & societatis fides? ubi aræ illæ, fœderaque? ac polluenda perjurio religio mendacium promissorum? Hæc apud animum suum Augustus magnis irarum, curarumque æstibus versabat. Quibus à ferendæ diutiùs injuriæ patientia deductus citò Legationem ad Tancredum expedit Antiochiæ imperitantem; qua graviter eum æquitatis læsæ, spretæque juramentorum sanctitatis accusabat. Addebat increpans, ecquando à perjurio ab ingratissima in Romanos voluptate ad frugem, ad fidem, ad beneficiorum sensum sese recipere induceret in animum? Sibi quidem grave nimium, & ultra quàm dissimulari queat amplius intolerabile videri, pro innumerabilibus pecuniis, pro florentissimis copiis, quas sociata militia cum Gallis bellis per Syriam, atque apud ipsam Antiochiam bellandis expenderit, nec unam quidem datam esse captæ regionis partem, cujus accessione ad Romanos fines (quod unum illis sumptibus, illis conatibus petierat) Imperii essent limites prolati. Cuncta in sollus jactationem Tancredi profecerint. Fulgeat unus, abundetque damnis alienis; & magnis nostris empto jacturis, parato sudoribus ad suas delicias, ad nostri contemptum, ac contumeliam Regno fruatur. Talia perorantibus legatis furiosiùs ille, ac phanaticus barbarus, qui ne summis quidem auribus pati vim, ac morsum posset liberæ veritatis, intumuit videlicet in familiarem istius generis insolentiam: seseque super astra thronum positurum suum, atque hastæ suæ cuspide muros perfossurum Babylonios, minacissima impotentia jactavit. Narrabat grandia de ineluctabili sua vi, de opibus, armorumque, ac rerum apparatu ceterarum; quibus & ad invadendum cum spe certa victoriæ, quid quemve vellet, & ad refutandum quemlibet acrem cujusvis aggressoris impetum esset instructissimus. Negabat dejici se ulla ratione posse de Antiochiæ possessione, provocansque ad experientiam, addebat: neque si mitterentur contra se milites igneis præditi manibus quidquam profecturos tamen: obstiturum quippè nihilominus se; ac facilè difflaturum irritam vim sese namque esse magnam mentem, insignum Assyrium, Gigantem immanem immensæ molis, invictæ virtutis, cui substinendo vix terra par sit. Romanos omnes dum ex alto despicit vix formicarum, aut animalculorum id genus imbellicia motiunculis turmatim bullientium apud se instar habere. Talibus legatorum reditu auditis Imperator, exarsit, ut par erat, in iram vehementem: nec jam teneri poterat amplius quin expeditionem confestim Antiochenam indiceret. Convocatos ergo præcipuos, è militari ordine, Senatoresque universos ea de re quid sentirent jussit promere. Concors omnium fuit sententia non videri rectè facturum Imperatorem, si contra Tancredum statim duceret. Tentandos prius & nostris, si qua possit, præoccupandos partibus Gallos Comites, ac Regulos, qui circumjacentes Antiochiæ civitates varias varii obtinent. Ipsius quin etiam Regis Jerosolymorum experiundum Balduini animum: ecquid induci pacto ullo queat ad prosequendum exilio Romanum, dum is Antiochiam bello repetet. Si omnes annuant, & contra Tancredum conspirent, eat tum sanè, ac negotium spe optima capessat: sin id deerit; videri Antiochenam controversiam alia ratione transigendam. Acquievit his consiliis Augustus: accersitumque Manuelem Butumiten, & quemdam alium linguæ latinæ peritum, ad Comites, atque ad Regem Jerosolymorum misit; accuratis ambos prius instructos mandatis, monitisque, quibus distinctissimè tradiderat, quid quave ratione cum unoquoque Comitum, quid cum Re-

Rege ipso Balduino agere ipsos oporteret. Ad hæc, quoniam intelligebat cum avara gente nihil sine pecunia posse confici, literas in manus Butumitæ dedit ad Eumathium Philocalen Cypro tunc Præfectum; quibus illi mandabat, ut non tantùm naves, quotquot esset opus, legatis daret; sed pecuniam ipsis quamplurimam omnis metalli, generis, qualitatis, formæ undecumque congestam suppeditaret in largitiones Augusti nomine Gallis Comitibus faciendas. Iisdem insuper Legatis, ac potissimùm Manueli Butumitæ commendavit nominatim, ut cum istis pecuniis, ac navibus à Philocale acceptis, ad Tripolim primum appellerent, visendi causa Pelctrani Comitis, filii Sangelis illius, de quo multa nobis superiùs fuit mentio. Huic refricarent memoriam egregiæ fidei illius, quam usque ad mortem pater ejus Sangeles erga Imperatorem coluisset. Sic ipsi regias ab Augusto epistolis redderent: adderentque ipsius Augusti nomine. „Expectari magnoperè ab „ eo ut famam patris, ejus vestigiis, & „ exemplis affectandis adæquare studeat, „ neve illo minor, inferiorque haberi in „ fidei ad nos officio colendæ, constan„ tiaque patiatur. Adesse tempus, quo „ usurpare palam laudem istam queat. De„ crevisse enim Imperatorem aliquando „ ulcisci intolerabiles injurias, quas ei„ mis jamdudum à Tancredo, Dei pariter, „ hominumque contemptore, ac jam nec „ datæ, obligatæque officium fidei, nec „ temerè appellati solemni jurejurando „ vindictam horribilem numinis, quid„ quam omnino curante, perpessus fue„ rat. Ad eam rem Augustum non solùm „ à Pelctrano petere ne perjurum, & re„ bellem auxilio juvet: sed etiam spera„ re daturum operam, quantùm erit in „ se situm, ut & alii Comites in socie„ tate, & obsequio permaneant, nec cu„ rare Tancredum, aut ejus rebus, ac ra„ tionibus immiscere suas velint. Perveniunt in Cyprum Legati cum his mandatis; sumptis illic pecuniis, & navibus quotquot voluerunt, recta versùs Tripolim navigant. Appulsis in ejus civitatis portam navibus, expositi ipsi Pelctranum, aut potius, Bertranum conveniunt, eique coram exponunt, quæ habebant in mandatis ab Imperatore. Hominem reperiunt ad omnem Augusti nutum, atque imperium paratum; mortem quin etiam in ejus obsequio, si ita sit opus, certum oppetere: affirmantem insuper sese statim atque Imperatorem audierit Antiochiam versùs promovisse haud dubiè ad ipsum venerandi causa profecturum. Ex his non temerè arbitrati fidissimum hunc, fidissimumque Imperatoris esse amicum, ex ejus consensu, ac consilio ipsius pecunias, quas offerebant plurimas custodiendas in arce Tripolis deponunt. Id ita ipsis, ut facerent pro cætera sua providentia mandaverat Augustus. Verebatur enim, ne si, quod vix caveri poterit quin accideret, suboleret Comitibus Gallis pecunia, quam Legati ferrent, ea ipsis erecta sese ac Tancredum armarent, vacuos eos, irrisosque dimitterent. Quare statuit satiùs esse tentamenta prima conventionis cum gente astuta, & ad spem lucri aspera, fieri à vacuis tractatoribus, quorum verba solùm audire, non etiam spolia concupiscere, aut deprædari Galli possent. Spes tantùm illorum suspendi, ac proritari jussit liberali ostentatione præmiorum ingentium, si jurare, ac præstare fidum obsequium, utilemque operam Augusto vellent; sed repræsentandorum tum tantùm, cùm ea ipsi officiis exhibitis, aut promissæ in futurum fidei pignoribus idoneis offerendis meruissent. Quam ea prudenter sic disposuerit Augustus res ipsa declaravit.

Ne successio celeberrimi hujus Herois desideretur, ex Joanne Hofmanno, hanc breviori stylo exaratam, addere libuit.

1. Boemundus I. Princeps Antiochiæ ex Principe Tarentino. Filius Roberti Guiscardi Apuliæ Ducis. Contra Saracenos, Græcosque rebus gestis clarus. Duxit Constantiam Philippi I. Regis Franciæ & ex Berta uxore filiam. Obiit anno 1111.

2. Boemundus II. ejus filius non æquè felix. Ex Adelaide, filia Balduini II. Jerosolymorum Regis, pater fuit Constantiæ, quæ 3. Raymundi Pictaviensis uxor, 4. Boemundum III. genuit.

5. Hujus filius ex Erina, seu Irene, nepte Emmanuelis Imperatoris, fuit Boemundus IV. secundus genitus, qui nepotes ex fratre Antiocheno Principatu exuit, oculumque in Libano amisit. 6 Boemundus V. patris successor, obiit anno 1251. Ex Lucia pater fuit 7. Boemundi VI. qui, ducta Sybilla, filia Haytonis, Armeniæ Regis, obiit anno 1275. relicto 8. filio Boemundo VII. admodum juvene: qui paulò post improlis decessit. Guillelmus Tyrius *lib.* 1. & 2. Sanutus *lib.* 3.



1N

IN ANNÆ COMNENÆ ALEXIADOS

NOTÆ ALIQVOT.

1 DE Normanni Roberti Guiscardi origine. Leo Ostiensis *l.* 3. *c.* 15. Cùm esset admodum pauper. Joan. Brompton, Iste Robertus, licet, probus, & de familia Regis, (Vvillelm. Rufi Angl. Regis) pauper tamen erat, & nullam ditandi gratiam apud Regem illum non potuit invenire. Robertum ex Militum ordine, quos Vavassores vocant, ortum duxisse author est Otho-Frisingensis *lib.* 1. *de gestis Frider. l. cap.* 3. Idem in *Chron. lib* 6. *c.* 33. Ordericus *l.* 5. Hic Tancredi de Altavilla mediocris cujuidam viri filius fuit. His præter Richardum Pictavinum concinit Guntherus *l.* 1. Ligurini:

. . . . Normannia quandam
Ediderat, media rerum seu stirpis agentes
Fortuna, sed mente suis, & pectore longè
Præstantes &c. quem vide in excerptis.

Certè humilis fuit (ut etiam asserit Philippus Mouskes Episcopus Tornacensis in manuscripta Francorum Historia carminibus Gallicis elaborata) ac tenuis Roberti familia, si Ducalem, & Regium spectemus apicem, ad quem postea pervenit, quæ honesta tamen, & præter nobilium vulgarem statum, & conditionem, illustris habita est. Et ut verbis utar Vvillelmi Malmesburiensis *l.* 3. *de Gest. Angl.* quæ nec humi reperet, nec altum quid tumeret. Fuit enim Tancredus, Viscardi pater, ex eorum numero Militum, quos Banneretos appellabant, & in Richardi II. Normanniæ Ducis, cui In primis charus fuit, obsequio militari 15. militibus imperans, meruit, ut ait Malaterra *l.* 7 *c.* 40. Ex Constantini civitate ortum habuit Robertus in Neustria, ut ex Order. Vitali *l.* 1. *c.* 3. *&c.* loco etiamnum nomen manet, *Hautaville la Guiscard*, in celeberrimi viri memoriam.

2 Fuit Robertus animo versutissimus, unde ab Umfrido fratre Guiscardum ob Vafritiem cognominatum tradunt Vvillelmus Gemetic. *l.* 7. *c.* 30. & Robertus de Monte an. 1119. Leo Ost. *l.* 3. *c.* 15. ita appellatum fuisse per jocum narrat à Gerardo, cujus Amitam cōjugem duxerat. Vim vocabuli expressit Guntherus in Ligurino:

Cui propter sensus agiles, animiq; vigorem,
Cognamen Guiscardus erat.

Et Guillelm. Apuliensis *l.* 1. *Rerum Norman.*

Cognomen Guiscardus erat, quia calliditatis
Nō Cicera tantæ fuit, aut versutus Vlysses.

Testatur Joannes Tyremeus, Guillelmi Apul. editor, nostra etiam ætate, vulgò apud Normannos, cautos, & astutos viros, *Guiscards*, appellari.

3 Solemne est omnibus penè Scriptoribus proceram corporis staturam viris heroicis tribuere, cujusmodi Nicephoro Brienio, supra, & Boimundo *lib.* 13. affingit Anna, & cunctis Normannis Italicis Leo Ost. *l.* 2. *c.* 38. quos tamen ut pusillos, & breviores ab Alamannis, & Theutonicis, qui in Italiam cum Henrico Imperatore venerant, ludibrio habitos Guillelm. Apul. ait *lib.* 2. *Teutonici, quia Cæsaries, &c.*

4 Guibertus *lib.* 3. *Hist. Jerosol.* c. e. non equitem, sed peditem à patria digressum tradit. v. Malater. *l.* 1. *c.* 5. *&* 6.

5 Longobardiæ nomen olim tam latè patuit, ut universa Italia hoc vocabulo intelligeretur. Charta Caroli Magni pro divisione Imperii: Italia verò, quæ & Longobardia dicitur, &c. Postmodùm Græcis ea potissimùm pars, quæ in Calabria, & Apulia eorum Imperio paruit. Sic in *Themat. Constit. Porphyr. l.* 2. *c.* 11. Demum Aemilia & Liguria hoc nomine appellatur ab Alberto Mussato *l.* 6. *de Gestis Henrici VII. c.* 14.

6 Robertus, Alberada priore uxore, ex qua Boemundum susceperat, repudiata, seu, ut vult Scylitzas, extincta, filiam Salernitani Principis in conjugium ascivit. Hunc Gaimarum, vel Gaimarium vocant Malater. *l.* 1. *c.* 30. Leo IX. PP. *in Epist.* & Leo Ost. quem Vvillelm. Gemetic. *l.* 7. *c.* 30. & Order. Vital. *l.* 3. *&* 12. Vailmachum, & Guailmachum vocant, vocabulo, ut videtur magis ad Vvillelmum Mascabelem accedente, uti ab Anna indigitatur. Sed fallitur illa, cùm scribit superstite Gaimario Roberti initas cum ejus nata nuptias: cùm longè ante Gaimarius à suis per insidias sublatus esset. Leone IX. Ecclesiam Dei gubernante. v. Guillelm. Apul. *l.* 1. *Hoc Normannorum Drago, Gaymariusque priores, &c.* Et *lib.* e. ait disertè à Gisulpho Gaymarii filio, Sigelgaitam in uxorem obtinuisse Robertum: quod etiam tradit Leo Ost. *l.* 3. *c.* 15. *Cumque potentatus cœpisset crescere nomen &c.* Gisulphus igitur, seu Siconulphus sororem Roberto tradidit. Gaitam nuncupant Anna, & Scylitaes. Malaterra verò *l.* 1. *c.* 3. & Guill. Gemet. *l.* 7. *c.* 43. Sigelgaitam. Order. Vital. *l.* 7. Siguelgundam. Leo Ost. *l.* 3. *c.* 5. Sicelgaitam. Guill. Apul. *l.* 1. Sichelgatam. Vetus Diploma Rogerii Ducis, & Boemundi apud Baron. *an.* 1090. *n.* 19. Sihulgaitam nuncupat. Obiit illa an. 1090. ex Pet. Diac. *Chron. Casin. l.* 4. *c.* 8. 17. Kal. Maii, ut ex Kalendario S. Mau-

S. Mauritii Andegavensis. Roberto nupsit anno 1058. ut conjicit Malaterra *l.* 1. *c.* 31.

7 Falli constat de morte Mascabelis, Annam, quæ posteris imposuit, dum quod auditu de quodam Bisinianensi Principe Petro de Turra, receperat, hoc Salernitano adscripsit. Illud factum narrat Malater. *l.* 1. *c.* 17. & Leo Ost. *l.* 3. *c.* 15. Gaimarum à suis occisum narrat Leo Ost. *l.* 2. *c.* 86. *&* *l.* 3. *c.* 3. Petr. Damian. *l.* 1. *ep.* 9. & Guill. Apul. *l.* 9.

8 Obtinuit à Nicolao PP. Ducis titulum an. 1060. quod testatur Greg. VII. *l.* 2. *ep.* 9. *l.* 8. *ep.* 1. Malater. *l.* 1. *c.* 25. *&* 36. & Leo Ost. *lib.* 3. *c.* 15. denique Guillelm. Apul. *l.* 2. *Finita Synodo, multorum Papa rogatu, &c.*

9 Helenam postmodùm ad patrem remissam scribit Scylitzes, verùm id seriùs accidit, si qua fides Order. Vit. *Filia quoque Vviscardi, &c.*

10 Cùm Normanni ie Apulia, impallente, ac stimulante Hardoino Mediolanensi, sedem figere, & cùm Græcis decertare decrevissent, primores 11. ex suis, quibus parerent, elegerunt; iisque Comitum iediderunt nomen, & dignitatem. Guillelm. Apul. *l.* 1. *Normanni quamvis Danaum, &c.*

11 Alia ab Amalphi est Malpha, seu Melphis in Apulia prima Normannorum sedes; fallit Anna cùm ait in Salernitana Provincia sitam. v. Guil. Ap. *l.* 3. *Apula Normannis.*

12 De Roberti filiabus 5. & earum nuptiis v. Car. Du-fresne notas ad Annam pag. 13.

13 Lucas Holstenius ait, quod Anna Gregorio VII. imponit, sæviisse contra Sacerdotes Legatos, ut & Hoeschelius ad Annam Comnenam de Gregorio VII. Pont. Verùm fatendum, nihil ejusmodi lectum: Ne hostes quidem, quos infensissimos expertus est, objecere: non Brenno, non Venericus Vercellensis, non alii, non ipse Henricus Epist. ad Annonem, qua hujus legationis meminit, factum profectò non dissimulaturus. Neque enim (ut ait Cæsar apud Sallustium) cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur. Verisimile est rumorem amphibologiæ errore Græciam pervasisse, quod Gregorius cœlibatum à Sacerdotibus severè exigeret.

14 Annuit Anna Gregorium VII. in colloquio Beneventi habito cum Guiscardo, Regis nomen, ac dignitatem Duci pollicitam fuisse. Imperatoriam scilicet dignitatem, non nudum Regis titulum, cum ipsa, sicut cæteri Græci, Imperatorem Occidentis, non Basileos, sed Reges nuncupare, ex invidia, & astu, maluerint. Scripsit Gretzerus S. J. librum Refutationum Alogiarum Annæ Comnenæ contra Gregorium VII. editus est cum Gerbodo Reichirsberg.

15 Rogerium Roberti filium, vivo parente, Apuliæ Principatum obtinuisse refert eadem Anna *l.* 5. *&* 6. eo scilicet tempore, quo Robertus in Dalmatiam primùm transire statuit: & Guill. Apul. *l.* 4. *Advenit interea Conjux, Comitesque rogati, &c.* Adde Malaterram *l.* 3. *c.* 42. & Order. Vital. *l.* 7.

16 Robertus is fuit Comes Loritelli Vviscardi ex fratre Gaufrido nepos, & in præliis individuus Comes, cui cùm in Dalmatiam expeditionem iniret, & filio Rogerio mandavit, ut Romano Pontifici Gregorio adversum Henricum IV. Imperatorem auxilium præstarent.

17 Anna perperam Boamundum postremum filiorum Roberti facit, manifesto errore, cùm unicus ex Albarede, priora Roberti uxore prodierit; ut Malaterra *l.* 1. *c.* 30. Annam & cæteros scriptores in errorem induxit, quod ejus nomen subscriptum Rogerio reperitur, id ægrè tulit Boemundus propter Ducalem Apuliæ dignitatem jam Rogerio collatam, ut supra dictum est.

18 Cum multo pauciore navium, & militum numero in Illyricum trajecisse Robertum scribit Malaterra, qui expeditionem istam refert *l.* 3. *c.* 24. 25. *&* 26. neque in plusquàm 15. naves, aut armatæ militiæ plusquàm 1300. milites habuisse testatur. Malaterræ consentit Guill. Apul. *l.* 4.

...... Quod cuperat ipse subire
Acceleravit iter, decies & quinque Liburnis
Adria sulcatur, Coryphi tremit Insula, tanti
Principis accessu electo milite fulti.

Mensis apud mediæ ætatis scriptores dividebatur, sicut & apud Græcos, in intrantis usque ad 13. aut 14. diem instantis, à 13. ad 16. aut 17. diem, exeuntis, partes: usque ad finem, & in hac postrema parte ab ultimo mensis die numerari incipiebaet, ut pluribus exemplis eruditè dusserit Car. Du-fresne *in notis ad lib.* 1. *Alexiados Annæ Comnenæ*, ubi de Corcyræ per Robertum Guiscardum expugnatione.

19 Habuit ista tempestate varios Monarchas Dalmatia, binos præsertim Regio titulo donatos. Alii enim Serviæ imperabant, & sese Reges inscribebant Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atq; Ochlomiæ: ut ex Innoc. III. Papa Epist. & aliunde constat. Alii verò Croatiæ, Dalmatiæque Reges dicebantur. Priorum Regia fuit Dioclia, posteriorum Salona. Priori Dalmatiæ imperabat Alexii ævo-

Bodinus: Posteriori Demetrius, cognomento Suinimir, Regio titulo donatus à Gregorio VII. Papa anno Christi 1076. ut ex Greg. Regesto discere est *l. 7. ep. 4.* apud quem pro Suinmiur, Zuilimir legendum monet, ex Thvvroczio, Bonfinio, & aliis, ut Car. Du-fresne *de Familiis Orientalibus*.

Nota in Librum III. propè finem.

20 De Epidamni, seu Dyrrachii nomine, & situ, adeundi Thucidides *l.* 1. Appian. *l.* 2. *de Bello Civili*. Xiphilinus *in Pompejo Mela c.* 3. Constant. *de Themat. l.* 2. c. 9.

In Librum IV. Nota.

21 *De effícto Michaele Duca per Monachum Rectorem*. Cœterùm quandoquidem erant non pauci, qui non larvam, sed genuinum Michaelem esse existimabant, & affirmabant, jure in dubium vocari potest, fuerit ne in vivis Michael, cùm Dyrrachinam obsidionem aggressus est Robertus. Nam si etiamnum superstes fuisset, vix est ut credatur Rectorem hunc Monachum eò venisse impudentiæ, ut Michaelem nedum extinctum, effingere voluerit. Deinde id saltem indicasset, vel certè non siluisset Anna. Scio Scylitzen referre Michaelem à Botaniata exactum in Monasterio Manuelis vitam produxisse usque ad Alexii tempora, à quo benig è habitus est, eoque imperante vitam obiisse. Verùm hac in re fidem mereatur Scylitzes aliorum esto judicium.

22 De Vestiariis, & Vestararils, apud Græcos & Latinos, præclaræ dignitatis viris, multa ibi affert Car. Dufresne *pag.* 285.

23 Testatur etiam Guill. Apul. *l.* 4. in hoc prælio Amasonis instar pugnasse Roberti uxorem; & in eo vulneratam: *Uxor in hoc bello Roberti forte sagitta*.

24 Robertus, relicto Illyrico, in Italiam Gregorio VII. Papæ opem laturus trajicit anno Dñi 1082. Ita Malat. *l.* 3. *c.* 23. Vide super hoc Ugonem Flaviniacensem in Chronico.

25 Primum Gallorum impetum atrocissimum semper fuisse, ut nec sustineri posset, testantur passim scriptores; Memnon, Polyb. *lib.* 2. Liv. *lib.* 27 34. & 38. Silius Ital *l.* 8. Frontinus *l* 2. Vide præterea Annam variis locis. Petr. Diac. *l.* 4. *Chron. Casin c.* 41. & Joann. Saresberiensl. *lib.* 6. Polycrat. c. 16.

26 Tres extitere Vviseardo ex Sigelgaita filii, Rogerius Dux Apuliæ. Robertus, qui subscribit diploma Rogerii fratris Ducis Calabriæ pro Ecclesia Cosentina an. 1093. apud Ughell. *t.* 9. *p.* 257. nec multò post obiit, tertius Guido. Is navali pralio cum Venetis inito interfuit, uti Anna commemorat. Fratrem deinde Boemundum in expeditionem sacram comitatus, fortiter ille in bellis se gessit, eoque nomine celebratur à Tudebado *l.* 4. Roberto Mon. *l.* 6. Baldrico *l.* 3. Guiberto *l.* 5. *c.* 26. & 27. Vvillelm. Tyrio *l.* 6. c. 11. Periit tandem ex febri, Boemundo fratre Dyrrachium obsidente, anno 1107. ex Script. Historiæ Jerosolymitanæ *pag.* 608. apud Bongarsium: tamen probabilius, ut ex Anna colligitur, soluta jam obsidione, & pace inter Alexium, & Baimundum inita.

27 Trajecit iterum Robertus in Illyricum mense Septembri anno 1084. ex Malater. *l.* 3. *c.* 4. Gesta ejus multis narrat Guill Apul. *l.* 5. *His ita completis animos ad illum &c.*

28 Hanc Roberti in Venetos navalem victoriam Rom. Salernitanus in mense Novembris conjicit. Anonymus verò Barensis mense Jan. 1085. De tertio hoc prælio, vel saltem Venetorum ista victoria, silent prorsus scriptores. Sabellicus ipse *dec.* 1. *l.* 5. ait ter Venetos cum Roberto mari dimicasse, ac primo quidem prælio Roberti classem debellasse, aliis cladem passos.

29 De Melphitanorum, seu Amalphitanorum mercatura illo sæculo, quod primi peregrinas, & quas Oriens non noverat merces in remotiores Orbis plagas inferre tentaverint, præter Annam hoc loco testantur Vvillelmus Tyrius *l.* 18. *c.* 4. Alex Ab. Celes. *l.* 3. Leander Alber. *Ital. descr.* Guill. Apul. *l.* 3. *Urbs hæc dives opum, populoque referta, &c.*

30 Robertum ex veneno ab uxore, Alexii Imp. persuasione propinato extinctum narrant Order. Vitalis *l.* 7. Guibert. *l.* 3. Gestor. Dei *c.* 2. Vvillelm. Malmesbur. *l.* 3. & 4. *de Gest. Anglor. Regum*. Rogerus Hovedenus. Richardus Pictavinus: Albericus an. 1085. Ganfridus Vosiensis. Bromptonus, & aliquot alii. Romualdus verò, & Guillelm. Apul. *l.* 5. morte communi defunctum probabiliter asserunt, cum Anna, quæ ex pleuritide, vel febri, è vivis sublatum refert. Apud Insulam Cassiopem mortuum scribit Romualdus, contra quem Anna, & Alexander Monachus *l.* 3. *Chron. Monast. S. Barthol. de Carpineto*, in Cephalenia Insula extinctum ajunt.

31 Nec minor de anno, quo è vita excessit dissensio. Malater. *l.* 3. *c.* 4. Roberti mortem ponit an. 1094. mense Julio, ab insigni Solis ecclypsi prænotatam, ut & Greg. VII., & Guillelmi Regis Anglorum. Atqui Greg. VII. 24. . . . . . 1085. obiit, & Vvillelmus 1097. mense Septembri, ut est apud Ordericum *l.* 8. & alios. Robertus verò mortuus an. 1085. mense Julii, ut ajunt Ordericus *l.* 7. Leo Ost. *l.* 3. *c.* 56. Anonymus Barensis, Alberi-

bericus, & alii. Perperàm Chronicon Amalphitanum Kal. Aug. 1086., Matthæus Paris 1087., Vvilleimus Malmesbur. & Ptolem. de Luca 1088., cùm constet ex Anna, & Romualdo, Robertum 26. Ducatus anno mortuum esse. At diem, quo excessit, notat Kalendarium S. Mauricii Andegavensis, 16. Kal. Aug. obiit Robertus fortissimus Dux Calabriæ, & Apuliæ. In sequentem verò rejicit Necrologium Molismense diem scilicet 15. Kal. Aug. In ipsas Kal. Aug. Chronicon Amalphitanum.

32 Roberti cadaver Venusium translatum scribunt pariter Malaterra, Leo Ost. Ordericus, Ptolemeus de Luca, & alii sepeliturque apud Venusium in Apulia in Monasterio Monachorum SS. Trinitatis, quod nunc est Hospitaliorum, quod quidem Monasterium ædificaverat ipse Guillelmus. Ab ipso Roberto extructum Venusinum Monasterium tradit Order. Vit. *l.* 3. *p.* 484. ejusque curam demandatam Roberto de Greutemaisnil Uticensi, postea S. Euphemiæ in Calabria Abbati, qui tum exul in eas terras secesserat.

33 Extinctum Robertum anno ætatis 70. Anna, & Alex. Monachus *l.* 3. *Hist. S. Barthol. de Carpineto*. Sexagesimo majorem Romualdus tradunt: uterque Ducatus 26. idque rectè.

34 Non semel Francorum, seu Latinorum avaritiam, & inexplebilem auri cupiditatem perstringunt Græci scriptores, & ipsa pluribus locis Anna. Leo Aug. *in Tact. c.* 18. §. 90. Scylitzas *in Romano Diogene*, Nicetus *in Isaacio Angelo*, & *Alex. n.* 1. *de Latinis*. Idem *in Bald. n.* 2. & de nostris Erchempertus *c.* 17. Pro cupiditate tamen pecuniarum, quibus maximè Francorum subjicitur genus. Udalricus *in præfat. ad consuetud. Cluniac.* Quid enim Francigenas aliud dixerim, cùm sint tam inquieti, raptores, & de candore virtutum nihil habentes. Sed Normannis præsertim, seu Normanno Italis hanc Philocardean ascribunt scriptores alii. Leo Ost. *l.* 2. *c.* 77. *Genus infidum, & avaritiæ inexplicabilis* Guillelm. Apul. *l.* 1. *Est acquirendi simul omnibus una libido.* & infra: *Sed quia mundanæ mentis &c.* Item *l.* 2. *Audit. n. quia gens*, &c.

EX NICETÆ ACOMINATI CONIATÆ HISTORIA EXCERPTA.

DE EODEM.

Nicetas Acominatus, à Patria dictus Choniates, floruit anno 1206. Magnis muneribus sub Imperatoribus Græcis defunctus, capta à latinis Constantinopoli anno 1204. Nicæam Bithiniæ concessit, ducta ibi Puella, quam hostibus eripuerat. Libris 21. complexus Historiam annorum 85. ab obitu Alexii Comneni, ubi desinit. Zonaras, usque ad annum 1205. Homo schismatis Græcorum studiosissimus, amarissime eas res scribens, totus est in evomendo acerbitatis suæ veneno in omnes latinos, & in juniorem Alexium, qui thesauros Imperii in eos effundere, & Ecclesiam Græcam Romanæ subjicere in animum induxisset. Neque hic Auctor contra Rogerium, & suos, quàm Anna Comnena adversùs Robertum Guiscardum, & Normannos, utpotè formidabiles hostes, mitiùs in scribendo, & infamando eorum facinora, se gerit.

DE REBUS EMANUELIS COMNENI Libro II. qui Imperium tenuit annis 38. ad annum 1180.

ANno 1147. Ac Itali huiusmodi certaminibus exercitati, Cælesyriam occuparunt. Dum verò versùs Hierosolymam pergebant, & Romanorum finibus superatis, Phrygiam superiorem, Lycaoniam, & Pisidiam attigerant, olim Romanæ ditionis, tum à Barbaris, superiorum Imperatorum ignavia, & desidia, bello subactas: ut quibus parùm cordi erat, labores, & pericula pro eorum salute, quibus præerant, adire: Manuel Imperator animo agitabat, quo pacto injurias Siculorum Romanis inhumaniter factas ulcisceretur: & Corcyreorum promontorio, quod nunc Corypho appellatur, præsidium eorum depelleret. Nam Rogerius, qui in Sicilia tum regnabat, sive ex fœdere cum Alemannorum rege icto, ut ferebatur; sive sua sponte, unà cum motu Alemannorum, & ipse navibus expeditis Romanorum oram maritimam incursabat. Classis igitur Brundusio provecta, Corcyram appellit, eamque citra dimicationem primo impetu capit. Causa ejus rei fuerunt Insulares, ii præsertim, qui omnis prudentiæ expertes, Gymni cognominantur. Causati enim, se gravem, & intolerabilem exactorem, ejusque injurias diutiùs ferre non posse, improbum consilium capiunt. Quod cùm suo Marte non possent exequi, occasione cupidè arrepta, classis Præfectum adeunt, ejusque blandiloquentia illecti, Siculum præsidium mille armatorum, certis conditionibus accipiunt. Ita dum fumum tributi fugiunt temerè se in servitutis ignem præcipitarunt:

runt; ac Romanis, homines lenissimi, & diuturnum, & gravissimum bellum concitarunt. Ille verò castello pro virili munito, ut nec capi, nec oppugnari facilè posset, Monembasiam trajicit: id quoque promontorium citra sanguinem, quemadmodum paulò ante Corcyram, occupaturus, Sed cùm in viros cordatos, & libertatis dulcedinem expertos incidisset: ita repulsus est, ac si in petram immobilem impegisset. Infectaque re, remis dissimulandæ fugæ causa ad puppim conversis, discessit; vitatoque Maleensi trajecto, ventorum contrariis procellis infesto, de quo proverbium usurpatur, ad Maleam cùm accesseris, eorum quæ domi habes obliviscere: fretum interius ingreditur. Et latus ejus utrumque pervagatus, non aperta loca dumtaxat populatus est, sed opportuna etiam, & munita partim in deditionem accepit, partim vi subegit: atque Arcanania, Ætolia, quæ nunc Artinia dicitur, totaque ora maritima vastata, Corinthiacum sinum intrat. Et in Crissæum portum invectus, in mediterranea impressionem facere ausus est, cùm neminem adversarium parem haberet. Præterea classis Præfectus, gravi, & levi armatura in aciem è navibus educta, cetorum instar, qui pabulum utrinque petunt, in Bœotiam irrupit: & interjectis oppidis obiter direptis, Thebas cæpit, & cives inhumaniter tractavit. Qui cùm ex antiquo rumore divites haberentur, homo insatiabilis, qui nullum cupiditati statuerat modum, nisi eum, ut naves omnes, aut saltem plurimas, pecuniæ pondere ad tertium usque cingulum demergeret: & opifices exhausit, & sordidi oboli curiosus indagator, potentes, illustri genere natos, ætate venerabiles, & dignitate præstantes viros, variis afflixit modis, nullius verecundia, aut misericordia motus, homo prorsùs inexorabilis, non vindictam inevitabilem, non Cadmeam victoriam timens. Denique sacris libris propositis, singulos cinctis lumbis ingressos, inspectisque libris, cum jurejurando suam rem declarare, eàque abjurata discedere coegit, Sic omni auro, omni argento, omni pretiosa veste navibus imposita, ne corporibus quidem eorum pepercit, quos spoliarat: sed primoribus, delectu ex optimatibus habito, comprehensis, & matronis pulcherrimis, ac ditissimis, & texendi peritissimis selectis, inde discessit. Ita rebus prosperè succedentibus, neque terra, neque mari ullo resistente: Corinthum tendit urbem divitem, in Isthmo sitam, duobusque commodissimis ad exportationem, & importationem, ac commutationem mercium portubus nobilem: in portuum alterum ex Asia, alterum ex Italia appellitur. Cùm autem mercatum, quæ inferior urbs est, vacuum reperisset: Acrocorinthum etiam (omnes enim esculenta omnia, omnes opes sacras, sive profanas eò contulerant) tentandum censuit, & si fieri posset expugnandum. Fuit autem Acrocorinthus veteris urbis arx, nunc verò Castellum munitum est, monti alto impositum, in acutum cacumen fastigiato: ipsum verò fastigium, planiciem habet mensæ forma, firmis mœnibus circumdatum. Intus non pauci sunt aquæ pellucidæ, & potabilis puteoli, & fons Pirene, cujus etiam Homerus in Odyssea meminit. Id castellum, quamvis & natura, & manu adeò munitum, adeò tutum, ac penè inexpugnabile, Siculi, Franci citra laborem ferè sunt ingressi, exiguo tempore ad dedictionem coactum. Neque verò novum hoc est, aut mirandum. Neque enim ipsum castellum sine justo præsidio se ipsum defendere, aut hostes propulsare potuit, quamvis enim multi custodes in eo essent, nullus tamen inter illos fuit vir fortis, cui rectè civitatis custodia crederetur. Nam Imperatoris milites cum suo Duce Nicephoro Chaluphe, & Corinthiorum Proceres ibi desidebant: & ex vicinis oppidis non pauci eò, tanquam in certissimum asylum, se receperant. Classis autem Præfectus, munitione potitus, ejusque natura considerata, ad quam oppugnandam nusquam pateret aditus: Deo Duce, inquit, pugnavimus, Deus nobis hunc locum occupandum præbuit. Eos verò, qui intus erant, derisit, & ut imbelles exagitavit, Chaluphem in primis, ut fœmina molliorem, & ad colum, & lanam tractandam aptiorem. Illius quoque loci opibus in triremes impositis, Corinthiorum nobilissimos, & matronas famosissimas, & ditissimas in servitutam abduxit. Ac ne Theodori quidem martyris, miraculis clari, imagine abstinuit: sed ea quoque ex templo abrepta, secunda navigatione usus, in reditu Corcyræorum arcem firmavit. Tum si quis Siculas triremes multis pulchris rebus onustas, & ad summum usque remigium depressas, vidisset: rectissimè dixisset non naves esse pyraticas, sed onerarias, mercium omne genus vehentes.

2. Quo nuncio turbatus Manuel Imperator, non secus ac Homericus ille Juppiter, aut Themistocles insomnes noctes ob Miltiadis trophæum agens, solicitè quid agendum esset animo agitabat. Igitur viris, & rei militaris peritis, & eloquentia claris, accersitis: unum è multis consilium approbavit, Siculos terra marique bello petendos, eoque majore apparatu, quod id bellum spe non optima niteretur, & multa impedimenta habiturum videretur: quip-

quippè de quo ex sententia conficiendo, veteres quoque Imperatores desperassent. Convocantur orientales, & occidentales legiones, triremes partim reficiuntur, partim novæ ædificantur. In certas ignis græcus imponitur, qui longo jam tempore abditus latuerat: omnis generis navigia circiter mille, tam ad viros, & equos, quàm ad commeatum vehendum contrahuntur, & in mare deducuntur. Sunt & pedestres copiæ ex omni imperio conscriptæ, armis, viribus, atque animis florentissimæ, & hostibus meritò formidabiles. Nam Joannes, Manuelis pater, optimus, & bellicosissimus Imperator, nec cæteris in rebus, quæ ad publicam utilitatem spectarent, negligens, & in cathalogos militum in primis intentus fuit: eosque tum congiariis liberalibus excitavit, tum bellicis exercitationibus firmavit. Sic igitur optimè ad bellum Siculum, ut putabat instructus, Stephano Contostephano Sororio, Magno Duce designato, classem jubet solvere: pedites quoque, præter cæteros Duces Joanne Axucho Magno Domestico adjuncto, cujus supra sæpè mentionem fecimus, oblegat. Triremes ad Pheacum littus appulsæ, ita distributæ sunt, ut & Romanæ, & Venetorum sociæ seorsim stationes haberent, ne ex promiscuo congressu contentiones orirentur. Paulò post & ipse Imperator cum exercitu egreditur: & Scythis primo congressu profligatis, qui Istro superato loca Hæmo monti vicina populabantur: relictà Philippopoli, rectà ad Corcyram pergit. Cujus Insulæ promontorium altissimum, in nubes assurgit, anfractibus inflexum, & in mare profundissimum prominens, præruptis petris septum: tota Urbs mœnibus firmissimis circumdata, atque altissimis turribus adornata est: quo mirabilior fuit ejus expugnatio. At navales copiæ corona promontorium cingentes, ferro totæ collucebant. Sed ante oppugnationem Imperator per ejus linguæ peritos, hostium animos periclitandos censuit, an citra pugnam castello vellent cedere. Qui, cùm ejus postulatis rejectis, portisque clausis; ac vectibus firmatis, & sagittariis, funditoribus, & omnis generis machinis in mœnibus dispositis, pugnam cierent: tum suis quoque legionibus idem facere, & quovis modo ulcisci hostes jussit. Ex eo Romani tela velut in cœlum ejaculantur: hostes verò sagittas tanquam nivem dejiciunt. Illi saxa tormentis vi adigere in altum conantur: hi grandinis instar saxa deiiciunt, quorum tela, ut ex superiore loco, citra laborem missa, efficacia erant, cum Romanorum telis ex inferiore loco aut nihil, aut parum admodum lædetentur. Quæ cùm crebriùs repetita Romanis præsens exitium denuntiarent, obsessis verò sine ullo incommodo optabilia essent: Romani cladibus excitati, subinde novi aliquid in conspectu Imperatoris excogitant, fortia facinora edunt, tolerantiam ærumnarum declarant, rationibus in re dubia inventis. Unde quanta calliditate, & rei militaris usu valerent, elucebat. Verùm illa omnia frustrà erant, & vani conatus earum rerum, quæ fieri non poterant. Imò gratissimam rem hostibus, & optabilem planè faciebant, haud secus, ac si cœlum oppugnarent, aut nidos avium in sublimi specula positos, ipsasve nubes sagittis peterent. Tandem ipse quoque Magnus Dux fragmine saxi machina excussi, lumbos ictus, & semianimis caput jactans, vulneri non diù superstes mansit.....

Sed Contostephano, ut diximus, occiso, Magnus Dux Domesticus Joannes præfecturam classis, sine tamen magni Ducis cognomento, suscipit, atque omnia administrat, ut homo rei militaris peritissimus, & manu promptus, & ingenio ad principatum aptissimo. Imperator verò frustrà se tempus terere ægrè ferens, & dies, ut olim Cephalenum rex Ulysses, solis boves frustrà consumere nolens, navi conscensa, & Corcyra undique perlustrata, diligenter considerat, qua parte oppugnari posset. Nam obsidio tertium mensem jam durabat. Neque enim Ossam revellere, aut Athon advolvere, & montes montibus imponere poterat, quò arcem faciliùs expugnaret, ut poetica magniloquentia fabulatur.

4. Ut verò omni consilio destituebatur, visum est in valle, qua ad interiora facilis patebat aditus, ligneam scalam turria forma in orbem fabrefactam, mœnibus admovere. Proinde trabes nauticæ, & magni mali coagmentantur, & qui tantæ altitudini erant impares, commissuris aliorum lignorum æquantur cæteris. Ea scala cùm tandem attolleretur, & ad arcem applicaretur, fastigium ejus asperam cautem attingebat, in qua mœnia urbis incipientia, aditum è scala descensuris præbebant, ubi vestigia figere, & hostes aggredi possent. Basis verò scalæ probè compacta, itaque defixa, ut minimè agitaretur, navigiis incumbebat. Deliguntur fortissimi, quique, & bellis celeberrimi: & ipse Imperator proclamat, qui Imperatorem diligit, & pericula non reformidat, ascendat. Nec tamen eo præconio quisquam evocabatur, sed periculi magnitudine territi, ascensum detrectabant omnes: donec quatuor fratres Petraliphæ, ex Francica gente oriundi, qui Didymotœchi habitabant, dictum Imperatoris audientes, primi scalam conscende-

runt. Quorum audacia incitati alii non pauci, & ante eos Pupaces, Magni Domestici Satelles, quasi numine afflatus prosiliens, consequuti sunt. Quibus omnibus Imperator ob alacritatem, & celeritatem collaudatis, selectisque ad cccc eorum, quos sæpè in acie, stetisse, & viros esse fortes compertum habebat, eos ascendere jussit: prolixè priùs cohortatus ad rem fortiter gerendam, & ipsis eorumque liberis ampla præmia, & mutuam benevolentiam pollicitus. Sive enim vitam periculo evitato servaveritis, inquit, certamine illo feliciter superato, me supra opinionem vestram pro Domino, & Imperatore, patrem fidelissimum habebitis: sive pro patriæ honore, vestrâque gloria mortem oppetieritis, etiam sic ea, quæ ad ornandum obitum vestrum pertinebunt, non negligam: sed vestræ familiæ uxorum, & liberum eam rationem habebo, ut beati, & felices sint judicandi: & ipsi magnum sitis mortis solatium habituri, si quis modò sensus defunctis superest, nec omnium ante actarum rerum oblivio obrepit, ac præclusa est rerum post actarum cognitio. Primus igitur Pupaces, ut dixi, cum se cruce signasset, ascensum auspicatur. Sequuntur Patraliphæ fratres: deinde alii, donec in scalis omnes constiterunt. Nemo fuit, qui in insuetato isto, & horrendo spectaculo consternatus, ejulatu, & lacrymis oppletus, percusso pectore Deum invocarit. Illi clypeis, quo tutiores essent, supra capita elatis, strictisque gladiis, cùm ad hostes appropinquassent, acriter dimicant. Qui quamvis omnis generis telis, & grandibus saxis eos peterent, nihil proficiebant. Nam cùm ut incudes malleis, ita ipsi crebris talis ferirentur, indefessi, immobiles, & in periculis imperterriti perseverabant. Atque id certamen exitum pulcherrimum habuisset, magnamque Romanis gloriam peperisset, nisi casus quidam inauspicatus, & nimiis successibus invidens, optimum principium, & spem initio bonam infelici exitu terminasset. Nam cùm Pupaces jam de scala descendisset, & gradu in rupe firmato, cum hostibus dimicaret: scala confracta, cæteri miserabiliter in fluctus, in saxa, & in navium tabulata præcipitati, supernè etiam saxis obruti; plerique perierunt, ac pauci ex multis illis evaserunt incolumes. At Pupaces cum hostes mœnibus pepulisset, ac parvam portam apertam reperisset, per eam in castra rediit: quæ res non Romanis tantùm, & Imperatori, sed hostibus etiam stupori, & admirationi fuit. Quibus cum inhumanitas, & animi feritas objiceretur, quòd de scala dejectos, saxis obruerent, destiterunt, fortitudinem eorum admirati.

Tum autem reconciliatus exercitibus, ad oppugnationem educit legiones: & Urbe, quà res ferebat, mari circumsessa, nihil intentatum reliquit: quasi secum ipse certans, an eam vel ad deditionem compellere, vel per vim excindere posset. Igitur ex machinis grandia saxa crebrò torquebantur, & sagittarii summa contentione sagittas, hybernis nivibus crebriores, in mœnia conjiciebant. Quidam etiam in multis munitionis partibus per valles instar caprearum arrepserant. Sed id unum proficiebatur, ne ignavus esset exercitus. Nam obsessi, & ipsi fortiter se defendebant, ac in campum descendendum, & comminus cum Romanis pugnandum minimè censebant: sed de mœnibus vim propulsabant, & saxis, omnique telorum genere hostes obruebant. Ut igitur animadvertit, ea se conari, quæ ad exitum perducere non posset: inde recedere, & obsidionem affectam relinquere noluit: ignominiosum sibi fore ratus, si post multos labores, nec paucis cohortibus amissis, unum castellum, idque non ita pridem Romanis obnoxium, expugnare non posset: atque in sua ditione mille prædones aleret, Corcyra relicta, quæ Siculis triremibus navale ac receptum præberet. Obsidionem igitur, quoniam nulla spes melior affulgebat, ducendam esse statuit, & diuturnitate temporis præsidiarios ad deditionem compellendos. Nec eum fefellit hæc opinio, neque spes frustrata est. Hostes enim, aliquot diebus post, per legatos petunt, spacium sibi dari, cum armis, cæterisque rebus suis discedendi. Ut enim videbant se per Imperatorem ibi manere non posse, atque inani spe subsidii regii lactari, famis præsertim periculo paulatim instante: id consilii ceperunt, Theodori Capellani potissimùm impulsu, præsidii Præfecti, viri non sanguinarii; sed pro grege Christi soliciti: cui pax dissensione antiquior, & Romani chari erant, ut postea demonstravit. Imperator igitur arrectis auribus eo nuncio audito, statim etiam rei exitum videre cupiebat: sed priusquam lætum responsum daret, asperitatem simulat, & nescio quid minatur, nisi ea facerent, quæ legati pollicerentur. Ut igitur tandem accedebant, ac ne tum quidem universi, sed pauci principio, iis etiam qui remanserant, ostendebant, Imperatorem non superbum esse, neque quicquam graviùs in dediticios consulere, sed eos humaniter excipere: postquàm eos porrecta dextera salutatos satis diu comiter tractarat, hortatur, ut id amplectantur, quod è re sua esse putent. Sui enim moris non esse, atque adeò nec regale, nec liberale videri, vel manere volentes repellere, vel discedere cupientibus obsistere,

ſtere. Multi igitur apud Imperatorem manſerunt, atque in primis Theodorus Capellanus. Cæteri in patriam Siciliam redierunt.

6. Imperator verò urbem ingreſſus, & caſtellum admiratus, ut armis prorſus inexpugnabile, firmiſſimo Germanorum præſidio impoſito, cum omni exercitu Aulonem tranſit. Ibique per aliquot dies commoratus, navigationem in Siciliam decernit: quod eum demum tranquillum putabat, qui pugnaret, & bellum pacis ſequeſtrum: atque eas Urbes felices judicabat, quæ non mœnibus, ſed enſibus munirentur. Nam qui bellum pacis amore fugiant, eos non animadvertere, plures ſibi: ut pulverem è terra friabili hoſtes exiſtere: qui, & imperium eorum accidant, nec in tuta pace ipſos frui patiantur. Cæterùm, ut Salomon affirmat, irritæ ſunt hominum conſilia, & lubricæ cogitationes. At Domini propoſitum firmum eſt, atque immutabile, neque quiſquam omnium id evitare queat. Ita etiam Manuelis inſtitutum quum in Siciliam iter intendiſſet, & ad Æroneſiam Inſulam appuliſſet, procellæ ventorum mare exagitantus, horrendaque tonitrua, & terribilia, prodigioſaque fulmina toto cœlo collucentia interruperunt. Secundò trajecere egreſſus; tempeſtatibus æquè repulſus eſt: & claſſe disjecta, multiſque navibus demerſis, ægrè aliquot in denſa caligine terram tenuerunt, atque ipſe Imperator ſerò periculum evaſit. Omiſſa igitur navigatione, quam ſuis auſpiciis parùm ſuccedere videbat, ex Aulone cum omnibus copiis diſcedit; ac Pelagoniæ rebus ex ſententia ordinatis, Servios invadere ſtatuit. Vere appetente, Pelagoniam denuò occupat. Et quia de Sicilienſi expeditione ipſe deſperarat; Michaelem Palæologum, virum acrem, illuſtrem, & ab antiqua ſtirpe nobilem, magna pecunia, & juſtis militum copiis inſtructum, eò ablegat. Qui ex ſententia Imperatoris prius Venetias profectus, ibique milite conducto, & ex Italicis provinciis magna lanceariorum manu collecta, jam magnis viribus auctus, in Longobardiam appellit: ibique Regias copias illuſtribus victoriis ſuperat, ſtrenuam operam in rebus omnibus navante Comite quodam Alexandro Regis cognato, qui ob injurias ab illo ſibi illatas recens ad Romanos defecerat. Ac Palæologi opes ſubinde augebantur: qui cùm pecuniam liberaliter diſtribueret, Regi permoleſtus erat, & maximas clades illaturus putabatur, plurimas urbes, partim deditione, partim vi capiundo: ac ſaxis inde tranſlatis, & captivis aliquot ad Imperatorem miſſis, in ora Ægei maris urbem, quæ etiam nunc Bare, & Aulonia nominatur, munit.

Interea Palæologus, cui ingenium inquietum, & inutiles pecuniæ profuſiones crimini dabantur: ubi primùm Calabriam attigit, Imperio abire jubetur, ſucceſſore miſſo Alexio Comneno, Bryennii Cæſaris filio, conſobrino Manuelis, Magni Ducis honore nuper aucto. Unà cum eo etiam Ducas Joannes mittitur, vir & Martialis, & Mercurialis: qui liberales diſciplinas non primoribus labiis attigerat, nobili ortus genere, & diſciplinæ militaris non ignarus. Hi igitur in Siciliam cùm veniſſent, copias Regis adorti, claſſem ejus ſæpè devicerunt, adeò ut naves diriperentur, & ipſum penè Brunduſium obſideretur. Sed fortuna illuſtribus certaminibus non planè favit: neque Imperator pulcherrimorum nunciorum eum, quem oportebat, fructum cæpit. Nam Rex majoribus copiis coactis, conductoque peregrino milite, detrimenta acceptæ reſarcire ſtudnit: eoſque adortus vincit, capit, in vincula conjicit: paulò momento everſis iis omnibus, quæ Romani maximis laboribus, & impenſis conſequuti fuerant: Manuel verò iis rumoribus, & nunciis excuſſæ priſtina lætitia, & in mœrorem converſa: etſi caſum illum non ſanè leviter, ac moderatè tulit, ſed luctui non parùm indulſit: tamen ut homo conſtans, qui nec adverſæ fortunæ cederet, nec rebus proſperis lætitia efferretur: quaſi cum illa calamitatu pugnare inſtitit, aliaque claſſe comparata, Ducem deſignat Conſtantinum Angelum Philadelphienſem. Qui cùm genere non admodum nobili eſſet ortus, ſed procera ſtatura, & inſigni forma præditus: Theodoram Alexii, avi Manuelis, filiam, pulchritudine pronuba uxorem duxerat. Quia verò potentibus ferè omnibus tum noſtræ, tum ſuperioris ætatis placitum eſt, ſtellarum progreſſiones, & retroceſſiones, certoſque poſitus, configurationes, acceſſus, receſſus, cæteraque (quæ nugatores iſti in divinæ providentiæ fraudem affirmant, ac diſſimulanter fatalem omnium rerum neceſſitatem ſtatuunt) ad felicitatem, humanoſque caſus multùm valere: Manuel idoneum exeundi tempus inquirit, idque Conſtantino denunciat. Sed quid fit? nondum ad Occaſum urgebat Sol: Manuelis juſſu homo revocatur, ob incommodum exitum, minus fauſto ſyderum poſitu, nec ſubtiliter, & accuratè perquiſito. Rurſus igitur thema conſtituitur, regulæ conſuluntur. Poſt longam aſtrorum indagationem, & contemplationem, Angelus exit cum beneficorum ſyderum comitatu. Sed illa horæ obſervatio tantùm Romanis profuit, priorumque Ducum errata ita correxit, & accepta detrimenta reſarſit, ut Conſtantinus ſtatim hoſtium manibus caperetur.

Nam

Nam cùm incircumspectè navigaret, à Siculis triremibus, quæ mare tuebantur, comprehensus ad Regem perducitur: qui ea pulcherrima præda delectatus, suis collaudatis, eum quoque vinctum in custodiam dedit.

8. Imperator verò hac quoque plaga accepta, cùm quid facto esset opus deliberans, à bello difficili, atque inutili magnitudine perpetuorum sumptuum deterretur, fiscum instar cancri paulatim depascentium: (nam ad 300. auri centenarios impenderat) pacem cum Rege faciendam esse statuit. Itaque legatos veteris Romæ Pontificia ea de causa missos, haud invitus, ac potiùs cupidè suscepit: & ut nuncios rectissimè consulentes amplexus, Protostratorem Alexium, (is erat Magni Domestici filius natu maximus) Anconam misit, bifariam suum consilium partitus, videlicet ad arma, & militem conductitium in Occidente parandum, si res posceret: & ad amicitiam Regis, si pacificatio successisset, conciliandam. Alexius eò profectus, homo acer, & in re bellica exercitatissimus, & lingua mentis æmulatrice præditus, & dignitate formæ conspicuus: in exequendis Imperatoris consiliis haud segnis: statim scribere milites instituit, ut ea fama Regis animum perculleret. Ac magnum equitatum coegit, quasi in Calabriam impressionem facturus. Interim tamen ea quoque curavit, quæ ad belli compositionem, & pacem inter Imperatorem, & Regem constituendam pertinebant, ultrò citròque ad Majum classis Regiæ Præfectum mittendis, recipiendisque literis. Legatos igitur ex Sicilia ad se missos ad Imperatorem ire jubet, petitque, ut eorum orationem audiat (eos enim, quantum intellexit, nihil iniquum, aut immodicum postulare) & si pacificatio successerit, id sibi priusquàm vulgo innotescat, ut indicet: ne per imprudentiam aliquid perperàm agat, qui apud viros sit, quos ipse ex provinciis Regi Alemannorum sociis spe bona quasi furto quodam ad se attraxerit: quorumque animos, olim Romanis infestissimos, contra Siciliæ Regem, ut potuerit, concitarit. Ut autem quidam ab Imperatore ad Alexium venit, qui pacificationis nuncium afferebat, clam civibus pecunia per fidissimos aliò translata, capsas inanes obsignatas procerum fidei mandat, jubetque caveri, ne quid inde auferatur, neve quæratur quid in iis sit: aut signa, ante suum ab Imperatore reditum aperiantur. Alexio ad hunc modum Ancona digresso, & inter Imperatorem, ac Regem pace, ac fœdere constituto (quamquàm, si vera dicenda sunt, non vera illa concordia fuit, sed temporis causa dumtaxat simulata) fructum illius qualiscumque pacificationis tulerunt captivi, gratis soluti, non tantùm nobiles, & regia stirpe orti, sed etiam gregarii milites: Corinthiis tantùm, & Thebanis ignobilioribus exceptis, & iis, qui subtilem telam texebant, formosisque, & locupletibus mulieribus ejusdem artificii peritis. Ac hodie quoque Thebanos, & Corinthios in Sicilia texendi preciosis, auratisque incumbere videas, quemadmodum Eretrienses olim apud Persas, quòd Principes Dario Regi Græciæ bellum inferenti restitissent. Cæterùm non multùm temporis intercessit, cùm ambo rursùs magno impetu bellum repetiverunt. Nam Imperator regulos finitimos potentiores, pollicitatione pecuniæ impulsos, cum Rege committit. Rex verò Majum Comitem, classis Præfectum, 40. naves celeres in mare deducere: iisque nova ratione constratis, Constantinopolim appellere: atque audiente urbana multitudine, se proclamare Siciliæ, Aquilejæ, Capuæ, Calabriæ, atque earum regionum, insularumque, quæ interjacent, Dominum, & Regem: Romanorum verò Imperatorem contemnere: eique ubi maledixerit, reverti jussit. Majus igitur Malea declinata, Ægæoque sinu prætereito, per Hellespontum urbem Imperatricem, uti jussus erat, contendit: fretumque emensus, ad regiam Blachernam appulit: Sagittisque, quarum cuspides argenteæ erant, aurataeque, in eam conjectis, in reditu, è regione magni palatii remis inhibitis, Regem suum laudibus evehit, navalibus sociis magna voce, magnoque cum tumultu acclamantibus. Ita navigatione summa celeritate confecta, per Sesti & Abydi angustias evasit. In urbe autem, quippè Imperatore absente, magnus tumultus est excitatus: eaque re Siciliæ Rex non parùm gloriatus, magnum se triumphum esse adeptum putavit. Manuel verò id factum ludum, & jocum interpretatus, quod Rex tales honores consectaretur, ac potiùs latrocinio quodam venaretur: eum gloriari inaniter, & nullius momenti successum jactare passus est.

9. At Comnenus Alexius, Manuelis Imperatoris ex fratre nepos, & pocillator, ab Andronico in Scythiam relegatus: atque inde profugus, draconis volantis instar, in Siciliam pervectus, Gilielmo insulæ tyranno, quis esset, aperuit: atque unà cum ipso ex Philippica provincia oriundus Maleinus, vir non illustri genere, non splendida fortuna, non rebus gestis clarus. Hi quam bilem ambo contra Andronicum conceptam longo tempore parturierant, alter fortasse non sine causa, alter verò in Comneni gratiam, & ut aliquo nomine dignus videretur iis, à quibus

bus ignorabatur; eam tandem contra patriam pepererunt, illa non in aurem regis loquuti, sed palàm, multis audientibus, ferè plantas ejus demulcentes, & linguis suis canino more deosculantes, non quæ Andronico nocitura erant, sed per quæ tyrannum Siculum, ad Romanarum provinciarum vastationem, tanquam ad paratam prædam, concitarent. Is verò iis verbis incitatus, eòque magis, quòd cum popularium suorum oratione consentirent, qui cùm olim in aula Constantinopolitana stipendia mererent, tum Andronici metu, & neglectu sui, alii aliò dispersi, eadem sæpè dixerant: & copias, quas habebat, coegit: & magnis stipendiis, majoribus promissis, tam pedestrium, quàm equestrium auxiliorum multa millia accivit. Peditatu Dyrrachium trajecto, urbem primo impetu capit. Navalibus copiis rectà in Thessalonicensium portum delatis, interjectas regiones in deditionem accepit: Thessalonicam verò illustrem urbem terra marique obsessam, corona cæpit: ac post dies aliquot obsidionis exercitum introduxit; eo successu non tam ob defensorum timiditatem, & imperitiam rei militaris, quàm ob Davidis Comneni, Præfecti urbis, ignaviam usus, qui cum Thessalonicensibus nihil commodaret, sed metuendo Andronico; & crudelibus ejus manibus cavendis ingeniosissimus esset: aut fluctus marinos subire, aut de summis rupibus se præcipitem dare, aut in montibus, & speluncis abdere, aut fugitivi illius Prophetæ exemplo à cœto deglutiri debuisset. Verùm illi horum nihil fecit, sed malo Thessalonicensium fato urbis præfecturam parùm honestè adeptus, vir muliere corruptior, & cervis timidior, tantùm non eos, à quibus & ipse, & urbs caperetur, longè adhuc remotos accersivit: atque in id operam ultrò dedit, ut in eorum manus perveniret. Nam cùm pugnandum esset, & omnis generis arma, & machinæ contra urbem expedirentur, se pro spectatore hostium, non pro bellatore gessit. Nunquam certè totius obsidionis tempore ullam eruptionem fecit, quamvis non paucis, qui in præsidio erant, exhortantibus, neque id ipsos facere passus est, sed civium alacritatem, ut ignavus venator, eanum impetum cunctando suffocavit. Neque armatum quisquam eum, aut galeatum vidit: sed galeam, thoracem, ocreas ita vitavit, ut delicata muliercula, quæ præter umbram conclavis sui nihil novit. Mulo quidem per urbem vehebatur, cum pallio, quod à tergo nodus astringebat, & elegantibus ulceolis auro usque ad talos interpunctis. Cùm autem machinæ muros quaterent, & saxa humi deciderent, excussorum saxorum bombos, & mœnium cùm ferirentur mugitum, & ruinas ridebat; & familiaribus suis nequam hominibus sub tuta crepidine muri stans, audite inquit, aniculæ mugitum. Sic autem machinam maximam vocabat, qua saxa compage sua elidebantur, homo ipse adhuc nutricis egens. Igitur Thessalonicam talem proditorem pro duce, piratam pro gubernatore, veneficum pro medico sortita, hostibus non diù restitit. Deditionem ingens malorum pelagus est consequutum. Omnes ædes sunt desertæ, nulla fuit domus, quæ servaret, nullus angiportus ab homicidis defendebat; nulla caverna erat, quæ diù celaret: nullæ preces, nulli gestus miserabiles, misericordiam impetrabant; grassatur ubique ferrum, ira nonnisi lethali ictu lenitur; frustrà vulgus in templum concurrit, frustrà sacris imaginibus fidit. Nam Barbaris divinis, humanisque rebus confusis, nulla religione movebantur, neque in sacras ædes confugientibus parcebant. Illud saltem proficiebant miseri, ut aut statim gladio caderent, aut bonis omnibus ereptis dimitterentur: quod vastatores illi summum beneficium judicabant. Idem exitus manebat eis, qui in fana se conferebant. Et accedebat malum gravius, quòd infinitæ multitudinis concursu multi, & ex compressione exanimabantur, & ab hostibus in sacra irruentibus trucidabantur, & obvii quique pro hostiis crudeliter mactabantur. Et qui pepercissent hominibus, qui divinis rebus insultabant, & Deum planè contemnebant? Neque verò tam illud erat novum, quòd sacra donaria rapiebant, & profanis manibus non tangenda contrectabant: ac caninis oculis ea intuebantur, quæ aspicienda non sunt: quàm hoc nefarium, quòd sacrosanctas Christi, & famulorum ejus imagines terræ allidebant, & pedibus insistentes, si quid ornatus ex materia pretiosa inerat, eo utcumque direpto, ipsas in trivia efferebant, ut à prætereuntibus conculcarentur, aut ad cibum coquendum foco apponebant. Illud autem maximè nefarium est, & piorum auribus detestabile, quòd in sacra & ipsis angelis venerabili mensa indecorè saltabant, & barbarica quædam cantica psallebant. Deinde pudendis apertis sacrum pavimentum in orbem permingebant, aspersione illa, & calidis balneis, noxiis dæmonibus utique gratificantes, ut in iis, fatigati cladibus hominum innatarent. Sed cùm tandem malorum finis instare, & pugna quietura videretur: Siculi Duces intervenerunt, & turbæ in cædes ruentis impetum represserunt: quorum unus cataphractus, equo insidens, Theodori martyria, è cujus sepulchro unguentum ebullit, templum ingreditur: &

alios obliquo ense verberando, vix militum intemperias cohibere potuit.

8. Verùm ne sic quidem tolerabilis fuit Thessalonicensium conditio. Etsi enim postridie expugnatæ urbis, à cædibus civium temperatum est: tantæ tamen grassationes in superstites fuerunt, mille modis ad eundem vitæ exitum tendentibus, ut cùm mortuis benè actum videretur: & ut apud Jobum tolerantissimum est, multi frustrà mortem exoptarent. Nam etsi alii ferè in omnes bello victos hostes, ut victoriæ superbia dictat, sæviunt: Latinus tamen superatis adversariis, intolerabile malum est, & verbis inenarrabile. Quòd si Romanus sit comprehensus, & is latinæ linguæ rudis, & à peregrinatione ita abhorrens, ut in vestitu nihil cum eis commune habeat: is vero Deo invisus habetur, & quovis supplicio dignus. Quæ vipera, quis leo, præda vetere omissa, & calidum adhuc venatum devorans, ita sævit, ut Latina immanitas in captivos? non flectitur precibus, non blanda lenitur verbis: quamvis suavis cantus, strepitus anserum, aut clangor milviorum habebitur. Si Orphæum cithara, cygnos moribundos cantus dulcedine superes, nihil profeceris. Et ut paulisper barbarica feritas mulceatur, mox tamen ad ingenium redit, in cædes ruit: nec supplicum vocibus plus movetur, quàm incus ictu malleorum. Ea gens tantùm iracundiæ indulgere novit, & imperatis ejus obtemperare. Quid verò malorum prætermittat homo Romanis infestus, eorumque inveterato odio ita flagrans, ut nec vetus ille serpens, humani generis insidiator, unquam tantùm virus acerbitatis in terras evomuerit? Nam execrabiles Latini provincias nostras Paradiso comparant, nostrorumque bonorum desiderio genti nostræ perpetuò sunt infesti, & subinde mala machinantur: quod si quando temporibus adducti, amicitiam simulant, tamen acerrimas inimicitias clam alunt. Si blandis verbis, & oleo mollioribus utuntur, jacula, & ancipites gladii in iis delitescunt. Tanto discordiæ vallo invicem dirempti sumus, nec ullo modo animi conjungentur, etsi corporibus conjuncti in iisdem ædibus habitemus. Illi plerumque erecta cervice, elatoque vultu incedentes, morum nostrorum levitatem, & ex modestia humilitatem cavillari, & despicere solent. Nos verò eorum supercilium, jactantiam, fastum, insolentiam, Christo auspice conculcamus, qui potestatem dat super serpentes, & scorpios citra noxam ambulandi. Verùm ut ad historiæ ordinem redeamus, Siculus exercitus Thessalonica potitus, hoc modo grassatus est sine ullo respectu Dei. Urbem oppugnare cæpit sexto die mensis Augusti, indictione tertia, anno sexies millesimo, sexcentesimo nonagesimo tertio: eamque cæpit sine ullo suo detrimento, ejusdem mensis die 25. Neque verò durante bello dumtaxat Thessalonicenses gravissimè sunt afflicti, sed nec eo finito fortunam æquiorem habuerunt, aut victores clementiores sunt experti: qui non contenti, expulsis dominis, ædes, & omnia, quæ in iis erant, sibi vendicare, etiam vestes eis rapuerunt, ne internis quidem relictis, quibus ea tegerentur, quæ natura tegi voluit: nec frustum panis dominis impertiebant, quorum bona occuparant. Sed Barbari sedentes in ædibus commessabantur, & per luxum ea absumebant, quæ possessores veteres magnis laboribus comportarant: ac tum in triviis jejuni, & nudi oberrabant, qui dudum lautis vestibus induti fuerant: lectum habebant terram: tegemen cœlum, simeta pro stragulis: & quod hæc omnia superat, & ad ipsum usque cor penetrat, non licebat prioribus dominis ædes ingredi. Quòd si quis fecerat, aut saltem introspexerat: statim inclementer in eam pertrahebatur, & subinde causam rogabatur, cur eò ingressus esset, aut introspexisset, aut limen atrii calcasset? ac multis plagis acceptis, pecuniam dare cogebatur, quam illic occultasse putabatur, eaque de causa perlustrasse domum, metuens, ne sublata, aut ea parte ædium in qua lateret, accuratiùs perquisita, ab hostibus inventa esset, aut ipse diligentiùs eam occultare vellet. Sæpè autem factum est, qui id dederat, quod provisa migratione sua abdiderat: nihilo minus flagris cæderetur, & gravioribus tormentis cruciaretur, ut plura recondita indicaret. Alius, qui nihil dabat, sed se, ut nunc, ita prius etiam fuisse pauperem, patriæque domus, aut magnis suis sumptibus extructæ desiderio à proposita via, vel invitum abstractum esse affirmabat, ut suas possessiones simul, & spectaret, & deploraret, ne is quidem misericordiam inveniebat: sed in cruciatum abreptus, & pede suspensus, subjectis paleis incensis fumo torrebatur, concavabatur, verubus latera pungebatur: & aliis sexcentis pœnis exagitatus, aut in ipsa excarnificatione animam exhalabat: aut semianimis pede extra ædes tanquam purgamentum extractus, sub dio in plateia jacebat.

9. Quid? tali benignitate Siculi veteres ædium dominos tractabant: cæteris verò, qui ædes suas, ut inferni fauces, aut Creticum Labyrinthum, aut Ceadam Laconicum præteribant, humanitatis aliquid tribuebant? Minimè verò. Nam unde illis talis effectus, qui feris immaniores,

igno-

ignorset quid ſit miſericordia, & cladibus hominum delectantur? Canes quidem invenias, qui captis parcant, ultro hyatu oris, morſu, & letratu repreſſo, ſi ii, quos perſequuntur, in genua procubuerint. Iſti autem, tantùm aberat, ut eorum miſereſcent, quos omnibus opibus ſpoliarant, & quorem rem familiarem cum ſcortis conſumebant, quæ conſectabantur, maximique faciebant, ut penè e lepidibus ab eis cædi ſe paterentur ii, qui ſe omne Romanorum imperium, ut deſertum nidum occupaturos, & ut ova derelicta ſublaturos jactabant, Nuditatem verò hominum ridebant, & cachinnis concutiebantur, ſi quis præ fame, macie confectus, aut tumefacto ventre, pallida, & livida facie ex holerum, aut avarum victu, ex proximis vineis cum periculo collecto, prætenbat. Ite porrò miſerebantur eos, qui laceris veſtibus utebantur, aut arborum corticibus pudende velabant, aut è viminibus contextis pileolis capite tegebant, ut cum riſu, & ludrico geſtu, obviorum barbas, & capillos embabus manibue comprehenderent, ac hirtas, & promiſſas illas barbas malas eſſe, capillis verò opus eſſe dicerent, ut ipſorum more in orbem tonderentur, Aliquando in equis forum perembulantes, fraxineis hallis miſeros proſternebant, in fimum: aut lutum potiſſimùm, ſi quod in via jacebet, ſeu occurſum eorum, ut ominoſum deteſtantes, ſive eadem via illos incedere moleſtè ferentes. Quòd ſi in Romanos incidebant, pane ſilingenio, aut elio quopiem cibo veſcentes, patellas per ludibrium evertabant: impulſaque menſe, convivium perturbabant; neque ſuo tempore, acerbo pane frui ſinebant, aut veppam, vel aquam immundem tranquillis animis bibere. Ad hæc, impudentiſſimi ſannionea, ac Dei contemptores inclinati, attrectis veſtibus podices in comedentes convertebent, & cibis proximi oppedebant: quidam etiam tamquam per ſiphonem recrementa ventris in cibos, & facies exultantium ejaculabantur. In puteos mingebant, unde poſtea equabantur; eodemque vaſe, nulla lotionn adhibita, nunc pro matula, nunc pro calice utebantur. Chriſti miniſtros in primogenitorum album relatos, adeò non, ut decuit, venerabantur; nec editis per eos miraculis movebantur, quibus Chriſtus eos remuneratur, qui ſuis membris ipſi honorem habuerunt: ut unguentum, quod ex celeberrimi martyris Demetrii monumento ebullit, cadis, & labetibus enſtum, patellis piſcium infunderent, eo calceamente ungerent: & ad cætere miniſteria, quibus oleum uſui eſt, temerè, & nequiter abuterentur, Id verò ut è fonte inexhauſto prodiens, aut ex abyſſo ſcaturiens, copioſiùs effluebat, & nove ratione exundabat, ut Barbari unum id mirarentur, & gratia Martyri divinitùs conceſſe obſtupeſcerent. Quòd ſi Romani ed canendas Dei laudes in templis conveniebant, ne tum quidem à militari inſolentia immunes erant. Nam importuniores ex iis, per ſpeciem unà canendi, & laudandi Dei ingreſſi, vociferabentur inter ſeſe, & confuſis clamoribus rumpebantur, eut obtorto collo Romanis eliquibus ob fortuitum aliquem ceſum arreptis, centiones turbabant, ut centores planè in eliena terra canerent, non ut in templo Dei. Multi quoque ex adverſo meretriciis canticis, & caninis latretibus hymnos turbabant, & Dei celebratores clamoribus ſuperabant. Atque hæc pauca de multis, quæ Theſſalonicenſes in urbis expugnetione ſunt perpeſſi, à nonnullis peculiari ſcripto prolixè commemorate, exponere viſum eſt, Poſtquàm verò, is, qui in excelſo habitat, & humilia intuetur, è cœlo proſpexit, neque illum hoſtem, & victorem Romanorum intelligere, aut quærere Deum vidit, ſed omnes inutiles eſſe factos, & nefariis rebus deditos; Subſannere eos inſtituit, ac perturbare, & excindere, juſte indignatione commotus, & tam crudeliter efflictis clementer libertatem reſtituere, mœſti ſpiritus, & contriti cordis miſertus. Propter electos igitur, ut arbitror, ecerbitates illes diutiùe graſſari non paſſus; & quæ Babyloniis minatus erat olim, quòd Sionis nihil miſerti, filios ejus delicatos, & filias in ſervitutem abduxiſſent, momento temporis iſtis intulit, ut miſericordie ejus miſerabilia, tum ſi unquam alias celebraretur, martyrum ut arbitror precibus, & Theſſalonicenſis Pontificis exorati. Is erat eloquentia, & virtute celeberrimus Euſtachius, qui & prudentia, & uſu rerum mirabili præditus, & doctrina profanerum, & ſacrerum literarum uberrime cæteris omnibus antecellebat, eaque velut inſigni, & peculieri nota prædicabatur. Qui cùm mallet cum grege ſuo affligi, quàm mercenarios imitari, qui lupis advententibus grege deſerto eufugiunt; quamvis dum hoſtes adhuc expectabantur, nec dum urbem circumſederant, diſcedere licuiſſet; id ſibi minimè faciendam cenſuit, quòd ſua præſentie nimirùm multos conſervaturus erat; ſed ultrò in urbe tamquam carcere incluſus, ærumnas omnes unà tolerare non deſtitit, tum ſuo exemplo perſuadendo, tum monendo, Dei verbera, ut benigni patris caſtigationem, æquis animis ferende, & ab eodem medicinam expectendam eſſe; nam ſi ſæpè, ut ait, percutere, at ſæpiſſimè etiam mederi conſuevit: præſertim ſi quis leniter, & cum gra-

gratiarum actione molestias perfert, neque ob acerbitatem earum, eum, à quo proficiscuntur, odio persequitur, nec cum providentia expostulat: nec judicii divini profunditate rejecta, in secundis dumtaxat rebus, & prospero fortunæ statu bonum se præbere didicit. Is igitur Duces exercitus, qui latinè Conti dicuntur, adiens, edicta impetrabat, quibus ærumnæ leniebantur, neque quicquam prætermittebat, quod ad consolationem suorum pertineret. Nam ejus oratione, vel horridæ cautes moveri potuissent; & solo conspectu alienigenis ita erat venerabilis, ut venienti assurgerent, & orationem libenter audirent, & ejus monitis ad humanitatem, & æquitatem flecterentur: veluti vulnus inflammatum, quod levi manu aqua mollitur. Qui alites etsi propè in nubibus volitabant, & in obvios quosque Romanos magno impetu ruebant, abductionem in Siciliam eis minitantes; Ille tamen cives perterritos, & urgentibus malis graviora metuentes, veluti gallina pullos, sub alas suas alliciebat, & victorum acerbitatem verbis, ut Moses aquam Merranam ligno injecto, diluebat. Quæ verò liberationis eorum ratio fuerit, mirabiliter à Deo provisa, suo loco referetur.

Andronico Comneno Imperante.

HOc urbis imperatricis statu Siciliensis exercitus in tres partes est divisus: quarum una Thessalonicæ mansit, altera in Seranum agrum impressionem fecit, ut loca illa omnia vastatura, & subactura. Tertia quasi plana via processit: neque ullo hoste apparente, ad ipsam Mosynopolim tentoria fixit, & circumjacentia loca omnia subegit. Andronico verò principiò curæ fuit præsidium mittere Epidamnum. Sed paucis diebus post, quàm Branas Joannes eò pervenisset, Itali veluti volatu per aerem advecti, citra laborem, & quasi per otium mœnium pinnacula transcenderunt. Joannes Branas captivus in Siciliam est abductus. Deinde Thessalonicæ præsidi Davidi per literas mandavit, ut urbis custodiæ intentus esset, nec calcearios Latinos quicquam formidaret; utque saltaret, morderet, & pungeret, ut ipsa verba Andronici apponam: quæ cur usurparit, solus auctor novit Andronicus. Sed cives facetiores verba illa ridebant, & ad quædam vulgaria, & obscena detorquebant, quæ silentio prætereunda sunt. Post hæc Romanis copiis tam Occidentalibus, quàm Orientalibus coactis, & in legiones descriptis partem unam Joanni filio, Imperatori designato, tum in Philippica provincia degenti, aliam Chumno Chartulario, aliam Andronico Palæologo, aliam Nicephoro spadoni dedit, cui Accubitoris dignitatem tribuerat. Alexium quoque Branam cum alio exercitu ablegavit. Cæterùm filius ejus circa Philippopolim venationibus deditus, de excidio Thessalonicæ non magis cogitabat, quàm de laudium partis, aut Bacchi columnis evertendis. Cæteri verò dum ea obsideretur, propius accedere, & opem ferre nullo modo ausi, castris longè ab urbe positis, per speculatores, & expeditos equites castra hostium furtim ingressos, Thessalonicæ statum explorabant. Solus omnium Chumnus Theodorus accedere non dubitavit, ut civibus in aciem contra hostes egressis opem ferret: aut si liceret, ipsam urbem ingrederetur. Sed utroque consilio frustratus turpissimè pedem retulit, quod milites eminus, ne galeam quidem hostilem intueri ausi, tergis obversis effusè fugiebant. In eo dumtaxat cæteris popularibus suis præstantiores, quòd non semper ignavi desederant, sed hostes, quos speculatores adesse nunciarant coram aspexerant, & re ipsa impetum eorum cognorant. Capta Thessalonica, & Siculo exercitu diviso, ut dictum est, quem alii prius instar Chimæræ conjunctum, tam separatum esse dicerent: fortissima ejus pars tamquam leo recta ad urbem imperatricem contendebat: media Serranum, & Amphipolitanum agrum pervagabatur: postrema classis videlicet, quæ in modum serpentis in aquis volvitur, principem Thessalorum urbem custodiebat. Verùm Romanis, quamvis conjuncti iisdem auspiciis militarent, ne sic quidem cum una parte dimicare ausis, hostes qui Mosynopolim occuparant, cùm nullum hostem viderent: longius progredi statuerunt. Romani verò montium verticibus insessis, in planiciem descendere, & hostibus ire obviam non audebant. Itaque Siculi nihil cunctandum esse rati, coactis in unum copiis, Constantinopolim petendam, & occupandam esse censuerunt. Hanc etiam spem Comnenus Alexius eis fecerat, qui cum eos ne Ducis quidem loco comitaretur, tamen irrita spe concepta, homo stultissimus, ac ne ovibus quidem pascendis aptus, Siculorum regem sua causa laborare putabat: nec minus supercilii præ se ferebat, quàm si jam Imperator designatus, insignia Imperii gestaret, & apud peregrinum militem se à Constantinopolitanis non minus quàm patruem magnificum Imperatorem Manuelem desiderari, & æquè, ac matutini Solis jucundissimos radios expectari ineptè jactabat.

2. Andronicus verò ipse mœnia urbis circumiit: & si quid vetustate ruinosum erat, id suffulciri, & instaurari jussit. Nec mo-

mora, jussis alacriter obtemperatur: aedificia extrinsecus moenibus contigua, quae facilem in urbem ascensum praebebant, diruuntur: naves longae circiter 100. in littoribus fluctuant, ad navigandum, si opus esset, & opem urbibus, quas Sicula classis infestaret, & ipsis civibus ferendam paratae, (nam hi quoque hostis adventum imminere putabant) & ad marinum sinum, qui fluminis instar Blachernium littus alluit, per tempus occupandum. Hactenùs reipublicae navata opera quievit, quasi jam abundè ad defensionem, & hostium paratus. Audita verò Thessalonicae expugnatione, Davidis custodis ejus urbis propinquos in carcerem conjicit, ac pro concione casum illum extenuat: nihil magni gessisse Siculos, neque nunc primùm, sed saepè alias progressu temporis urbes esse expugnatas, & victoriae vicissitudinem esse. Sed cùm alias alius adversis nunciis percelleretur, & crebrò adessent, qui nunc Amphipolim esse captam, nunc finitimis illis provinciis vastatis, hostes juxta Mosynopolim castra habere asserebant: iis quoque rumoribus elevatis, se ulturum hostes, & funditus deleturum dicebat, quemadmodum venatores singulares apros. Eos enim paulatim à saltu recedentes, & escam persequentes, in insidias, & decipulam pellici, ac venabulo transfigi, aut profundum vulnus in visceribus accipere. Italos eodem modo, quasi resistente nemine securos, & subinde majoris praedae cupiditate progredientes, in extremum, & improvisum interitum delapsuros, & scelerum suorum poenas daturos. Quae verba nihil erant aliud, nisi futiles rationes viri, qui apertè naturae rerum repugnabat, & concitatum contra se populum lenire studebat: non autem eò pertinebant, ut ex viri fortis officio nihil intentatum relinqueret, quo Barbaros profligaret.

Isaacio Angelo Imperante.

IS eos, qui ex Oriente concurrebant, cùm ad Siculos propulsandos satis esse multos cerneret, & cupidè suscepit: & pro virili muneribus, & armis ornatos, in Branae castra misit. Ac caeteras enim Romanas legiones, quae contra hostes in procinctu erant, stipendiis missis, quae ad 40. centenarios auri conficiebant, ad instans discrimen alacriores fecit. Caeterùm hostes Siculi non dum audito casu Andronici, confidentes pergebant, praestituto fine laborum itineris, ipsa Constantinopoli. Classis quoque ad Insulas urbi proximas appulit. Sed is, qui gigantes ingentibus viribus, curribus, & equis salvos esse non sinit, & humilibus gratiam instillat, homines elatos labefecit: & ut olim contra turris aedificatores, ita contra hos etiam descendit, ac linguas eorum haud sanè confudit, sed exercitum in tres partes divisit, quarum una ad Thessalonicae custodiam cum expeditis navibus relicta est: altera Serranum agrum impunè vastavit. Tertia, quae ulterius pergebat, ne ipsa quidem planè indivulsa, partim juxta Strymonem versabatur, & Amphipolitanum agrum vastabat: partim alacriter antecedens, & urbis ingressum anticipans, juxta Mosynopolim castra habebat. Et quia perpetuò victores neminem habebant, qui resisteret, temerè excurrebant: & turmatim divisi alius aliò, pro sua quisque libidine vagabantur, si quando Mosynopoli praedatum exeundum erat, & commeatus importandus.

6. Branas igitur Dux, Barbarorum negligentia animadversa, per occasionem adducit exercitum, aegrè persuasis militibus, ut paulum è montibus, in planiciem descenderent. Qui cùm primo congressu aliquot cohortes hostium feliciter propulsassent, Myrmidonum fabulam re ipsa confirmarunt, statim viri fortes facti, subinde iis, qui terga dabant, occisis, & hostes ad ipsam usque Mosynopolim persecuti. Ut autem cum caeteris quoque feliciter dimicarunt, etiam oppidum invadere statuerunt: & partis incensis (quas hostes jam territi custodiebant) Barbarorum caedibus post diuturnam rei bellicae famem sunt expleti. Eòque successu non contenti, ad eos, qui Amphipolim tenebant, properarunt: & hostium armis, atque equis instructi, partem, quae adhuc ad Strymonem versabatur, sunt adhorti. Ibi rerum facie divinitùs mutata, pridem feroces, & insolentes, qui se tantùm non montes hastis eversuros minabantur, fama de suorum ad Mosynopolim clade consternati, quasi fulmine icti, aut attoniti, pugnam differebant, & segnius in aciem descendebant. Romani verò repudiata ignavia, ut sublimes aquilae in humiles aviculas, impetum in eos facere avebant, & cum iis congredi, à quibus contumeliosis verbis spreti fuerant. Cùm autem in Demetrizae campo uterque exercitus convenisset, Siculi metum suum magis etiam declararunt, legatis ad Branam de pace missis. Quorum postulata cum principio Romanis placerent, deinde vel insidias subesse, vel evidens timoris id signum esse rati, motatis animis, non belli signo, non tubae sonitu, non ullo Ducis monitu expectato, strictis ensibus in hostes ruunt. Qui cùm eorum impetum ad tempus fidenter, & fortiter tolerassent, aliquandiù vario eventu pugnatum est. Sed tandem summo Romanorum ardore

loco pulsi, effusè fugerunt; in eaque fuga partim capti, partim occisi, partim in Strymonem flumen acti sunt: nostri spolia legerunt. Accidit hoc vesperi, 7. die Novembris mensis: capti sunt & duo Duces exercitus Richardus frater uxoris Tangri, qui classi præerat: & Balduinus Contus, non ille quidem nobili, & illustri genere ortus, sed ob fortitudinem, & rei militaris solertiam Regi charus, & totius exercitus Dux delectus. Qui superioribus victoriis elatus, se Alexandro Magno comparabat; ac tantùm non ut ille in pectore plumas rostri, alarum imaginem repræsentantes, ostentabat: sed & majora illo facinora se exiguo tempore citra sanguinem edidisse gloriabatur. Qui verò ex iis Italorum cohortibus effugerant, & qui Serranum agrum populabantur, rectà Thessalonicam contendunt: & longis navibus statim à fuga conscensis, non commodam navigationem repererunt, sed ventorum procellis, & fluctibus obruti perierunt, & morte in terra divinitùs decreta, paulò post in mari oppetiverunt. Multi verò, qui triremes non adepti erant, adhuc circa Thessalonicam oberrantes deprehensi, multis modis perierunt, ab auxiliariis Alanis potissimùm interfecti: qui ea facinora illorum imitati, quæ capta Thessalonica perpessi erant, nulli hostium pepercerunt, sed bivia, & sacellorum vestibula cadaveribus impleverunt. Rogitabant enim comprehensos Siculos, ubi frater ipsorum, videlicet popularis Alanus esset, quem urbe capta occiderant? ac statim enses in iis defigebant, & in templa confugientes mactabant, ubi Papa esset rogitantes? hoc est, sacerdotes, quos in templis occiderant, Tum mirum quiddam accidit. Capta enim Thessalonica, nullum Romanum cadaver canes gustasse, aut dentibus lacerasse ferunt. Latinorum verò cadavera rabie quadam insatiabiliter devorasse, & sepulchris etiam eruta laniasse. Cum duobus illis Ducibus etiam væcors ille, & pestilens, & omnium malorum actor Alexius Comnenus captus est, & excæcatus homo inferorum sede dignus. Quidam ex Latinis Epidamnum confugerunt, quàm omnis generis armis instructam Siciliæ Rex, post suarum legionum interitum, Romanis non reddebat: sed gloriæ ineptè cupidus, post illustrem illam cladem, & celebre dedecus amenter retinebat. Cæterùm paulò post, sumptibus deterritus, ultrò omisit. Ac terrestre bellum tam felici exitu est terminatum, qui nemini in mentem venisset. Sed Deus, qui curat omnia, & res humanas clementer moderatur, is res nostras omni bona spe firmavit; & nobis leniter castigatis, flagris nostros hostes longè pluribus affecit. . . . . Nam longè naves amplius 200. nec ipsæ malorum expertes retrò vela dederunt. Et cùm ad Astacenum sinum descensum fecissent, multi à Romanis copiis cæsi sunt, quæ passim in littoribus prohibebant, quo minus appellerent, nec usquam eos continentem attingere patiebantur, quod si quando Siculi aut terram spectabant, aut scalas proferebant, statim telis tanquam fluctibus obruti, non aliter quàm testudines conchas, navium tabulata subibant. Etsi autem tantùm numerum navium habebant, tamen nostræ non amplius 100. cum eis confligere cupiebant. Neque verò classici duntaxat fervebant, sed multi etiam ex urbis incolis, naviculis conscensis, & armis obiter arreptis instructi, ad hostes invadendos parati erant. Sed is ab Imperatore, & Senatu eis concessum non est, qui non tantùm alacritatem civium spectabant, sed etiam hostilium navium multitudinem considerabant: eaque de causa nostræ naves ad Cionicum littus non progrediebantur. Classis verò hostilis, cùm ad dies septendecim in insulis consedisset, nec popularium quemquam terra accedere vidisset, moram illam nihil boni portendere arbitrati, de reditu cogitarunt. Incensâque Calonymo insula, & finitimis in sinu Hellespontio locis, domum versùs perrexerunt. Ferunt autem multas naves cum vectoribus adversis ventis, & turbinibus demersas esse, alias morbo, & fame exhaustas. Ita decem millibus haud pauciores his bellis perierunt, ultra quatuor millia utroque bello in carceres inclusa, cùm nihil ab Imperatore aut aliundè suppeditaretur, præter panem, qui pietatis ergo à nonnullis subministrabatur, malè perierunt. Quo rex Siciliæ illius belli auctor audito, Imperatori per literas immanitatem exprobavit, qui fame, & frigore tot viros perire pateretur: qui etsi more belli apertè arma intulissent, tamen Christiani essent, & à Deo in manus ejus traditi. Esse autem à victore aut statim capitis damnandos captivos, omnis humanitatis, ob insperatos successus oblito, & in feram converso: aut, si id nolis, saltem frustum panis captivis impertiendum. si ita sordidus sit, ut eos alere nolit. Etsi enim eos gladio non trajiciat, nec telum cruentum è visceribus eorum extrahat: tamen cùm eos frigore, & fame crudeliter conficiat, nihilominus cædis esse reum. Neque enim interesse, utrum ipse occidas, an cædis causam præbeas. Verùm Imperator istis literis parum motus, miseros Siculos æquè, ut antea, perire sinebat; quasi verò liceret, quicquid libuisset. Sæpè igitur eodem die bini, & terni, sine inferiis, sine

extre-

extrema lotione, in cœmiteria, & cavernas conjiciebantur. Imperator verò sella aurea occupata, & gemmata purpura indutus, coactâque maxima hominum frequentia, ut non peregrinis tantùm, sed Romanis etiam maximè formidabilis esset: Siculi exercitus Duces Balduinum, & Richardum adduci jubet. Qui pileis depositis, servilem in modum eo adorato, rogati ab eo sunt, cur se unctum Domini, suis literis insectati essent, cùm nullam justam quærimoniam haberent, tantùm fortunæ successibus, & victoria contra officium inflati? Nam Isacius Imperio recens suscepto, cùm Latinorum exercitus adhuc esset integer, per legatos nihil quod ad pacificationem attineret, cum Ducibus hostium egerat, neque muneribus missis, neq; benevolentia simulata: sed quamvis incerto adhuc suarum rerum statu, pro imperio interitum, & internecionem eis minatus fuerat: nisi mutatis consiliis eò redirent, unde venissent. Verùm Balduinus cum alioqui ferox, ut res declaravit, tum successibus utris instar inflatus, iis literis irritatus insolenti responso gladium Imperatoris irridebat, ut in effœminata corpora acutum (quibus verbis Hagiochristophoritæ cædem innuebat) & ipsum Isaacium ut imbellem subsannabat, qui nunquam sub dio in clypeo dormisset, nunquam galeam substinuisset, neq; thoracis sordes tolerasset: sed fumo lucubrationum sorderet, à teneris annis ludos frequentare solitus, & membranam, tabellam, & graphium tenens, subinde virgam, & manibus, & natibus imminentem timuerit, ejusque solius strepitum & noverit, & metuerit, sed Martis minas nunquam tolerarit, neque unquam sonitum jaculorum audiverit. Neque verò hæc ludibria dumtaxat scribebat: sed admonitionem quoque subjungebat: & cùm hostis esset, consiliarii munus subibat, suadebatque, ut imperatoriam coronam, cæteraque omnia imperii insignia deponeret, eaque potentiori, & victori diligenter asservaret (quibus verbis dominum suum innuebat) & multo ante supplex, de vita impetranda laboraret. Ac his de causa Imperator in judicium adducebat Duces, Davidicum illud non serens: Lingua nostra penès non est? & scripta illa ultimo supplicio multabat. Verùm Balduinus, ut secundis rebus ad objurgandum paratus, sic mutata fortuna adulandi etiam summus artifex, quæ res omnia arma, omnes machinas ferè vincit: Imperatoriam iracundia depulit, & indignationem mitigavit, gladium ejus ut summo imperio dignissimum, & exquisita acie præditum extollendo: & quæ scripsisset, non levia, & inania verba, sed veritate suffulta, & manu Dei omnino consignata fuisse, affirmando. Neque verò se, quòd acerbiùs rescripsisset, propterea contemnendum judicari orabat. Nam hostile odium jure naturæ omni vacare crimine.

4. Ad ea verba conticuit Imperator, haud scio an adulatione effœminatus, an verò defectione motus: & illis in eamdem custodiam reductis, aliis rebus occupatus, iis, qui aderant omnibus, & iis, qui aberant tam civibus, quàm peregrinis declarare instituit, se ab eo die, quamvis mortalium omnium inimicissimus sit, suoque imperio, & vitæ insidietur, occisurum, aut mutilaturum esse neminem. Nam Alemannorum rex Ammericus, Friderici filius, qui in expeditione Palæstina submersus est, ut in Isaacii Angeli Imperio diximus, paterno principatu suscepto, Sicilia, & Italia subactis, Romanos ipsos lacessebat, novarum rerum importunè cupidus, & grassator inevitabilis. Neque tamen statim Romanos invasit, rei difficultate deterritus. Positis adhuc ob oculos nostrorum contra Siculos fortibus facinoribus, cùm pridem in provincias nostras impetum fecissent, & à veteris Romæ Papa ab instituto retraheretur. Missis igitur ad Isaacium legatis (nondum enim is imperio exciderat) causam dissensionis inanem quæritans, Romanas provincias omnes ab Epidamno usque ad inclytam urbem Thessalonicam, sibi ut Siciliæ regi vindicabat, ut belli jure nuper à Siculo exercitu subactas. Nam quòd is tandem à Romanis profligatus esset, id fraude factum asserebat, in suis cupiditatibus fucandis fabulator insignis. Commemorabat etiam, & iniquis lancibus ponderabat, paternas offensas: nec eas recentes dumtaxat, sed veteres etiam, Manuelis solertia veteris Romæ Papa contra illum concitato, cujus Manuelis opera etiam Italia exactus esset pater. Ita obsoletis criminibus perfricta fronte renovandis, Romanis aut pacem maxima pecunia redimendam, aut bellum statim tolerandum arbitrabatur. Præterea tamquam Rex Regum, & Imperator Imperatorum postulabat, ut Romanis suis in Palæstina popularibus navalia auxilia mitterent. Ad quæ cùm Imperator rescripsisset, & virum non obscurum ad eum ablegasset: legati ab eo venerunt, quorum alter homo superciliosus erat, & eo nomine superbus, quod regis in pueritia curam gessisset. Ejus legationis summa erat, plurimorum talentorum postulatio, arrogantia, & insolentia verba, rerum ab Alemannis gestarum gloriosa commemoratio, quibus auditores decipi solent.

8. Imperator igitur (potiebatur autem rerum is, cujus nunc historiam contexi-

teximus) cùm legatos infectâ re dimittere non posset, annuit se pacem pecuniæ redempturum, quæ res ad id usque tempus non erat. Et ut Imperii Romani opes ostentaret exageraret, rem aggressus est temporibus minimè consentaneam, sed ab officio, & decore alienissimam, & Romanis propè ridiculam. Nam in festo natalis Christi, & ipse gemmatam vestem induit, & reliquos omnes auratas, & laticlavi vestes induere jussit. Quo spectaculo Alemanni adeò non obstupuerunt, ut eorum cupiditas illo splendore Romanorum magis etiam inflammaretur: & Græcos ut ignavos homines, & servilibus deliciis deditos, quàm primum oppugnandi occasionem optarent. Cùm autem astantes Romani eos hortarentur, & gemmarum splendorem, quibus Imperator instar prati nitebat, aspicerent, & media bruma veris suavitatem oculis perciperent: negabant Alemannos talia spectacula desiderare, neque muliebria ornamenta admirari solere, quæ fucis flammeis, in auribus radiantibus viris impensè placere studeant, ac ut Romanis terrorem incuterent, nunc tempus instare ajunt, ut muliebribus ornamentis sepositis, aurum ferro commutent. Nam si legatio foret irrita, nec Imperator regis sui, & domini postulantis annueret: necesse eos habituros pugnare cum hominibus, qui non gemmis ut prata niteant, neque rotundis margaritis intumescant, aut amethystis purpuræ, & auro intertextis pavonis instar glorientur: sed qui Martis alumni, ita flamma oculos suffusi non secus quàm gemmæ radient: & totos dies sudorem fundant, margaritis splendidiorem. Recensebant etiam pecuniam, quæ pro pace postularetur, esse auri centenarios 50. quotannis pendendos. Quam summam cùm se Imperator solvere posse diffideret, Eumathium Philocalem præfectum urbis, legatum ad regem mittit: qui cum opibus cæteros superaret, ultrò id munus subiit, Imperatore exorato, ut sibi cum præfecturæ insignibus legationem obire concederetur. Imperator verò viatico quantùm postularat libenter dato, suis cum sumptibus propositum iter conficere passus est. Ita ille insolitus, ac potiùs insolens legatus, non modò non majore quàm cæteri honore affectus est, sed derisus etiam ob vestitus inusitati novitatem. Cœterùm pecunia, quæ pacis causa danda esset, ad 16. auri talenta redacta: Philocales in Sicilia, ubi Regem convenerat, expectabat, dum ea mitteretur. Imperator verò pecuniæ inopiam causatus, à provinciis tributum exigebat, quod Alemannicum appellatur, tum primùm institutum, & urbano populo, Senatu, & cœtu ecclesiastico; opificibus item, & artificibus omnis generis convocatis, petebat ut quisque de facultatibus suis partem aliquam stipis nomine conferret. Sed cùm se nihil proficere, ac frustrà talibus rebus niti, & inania verba fundere cerneret: plerisque etiam vociferantibus, & tumultuantibus ob inusitata ista, & iniqua tributa, nonnullis verò censoriam ei notam inurentibus, quod rempublicam per luxum perderet, inter cognatos provincias partitus, qui extinctis oculis omnes essent inutiles: ab eo quidem instituto toto impetu resiliit, ac propè modum eam postulationem à se profectam esse negavit: & aliam ingressus viam, aurea, & argentea donaria, quæ extra sacrarium essent, neque corpori, & sanguini Christi suscipiendo servirent, postulavit. Ab ea quoque petitione multis abhorrentibus, quasi sacra profanaturus esset, surda, & muta Imperatorum monumenta, quæ nullum advocatum haberent, invadenda esse censuit. Itaque sepulchra effodiuntur: nec ullis Romanorum Imperatoribus, quantumvis ob res gestas claris, quicquam præter saxeas tunicas, frigidum, & extremum illud propugnaculum, relinquitur omni pretioso ornatu spoliatis. Ac ne magni quidem Constantini loculus intactus, & inviolatus mansisset, nisi fures Imperatoris decretum antevertissent, & aurea illius ornamenta abstulissent. Unde cùm ad 70. centenarios argenti, & auri non nihil corrasisset, conflari ea tamquam profanam materiam jussit. Ejus muneris ministri duo paulò post obierunt, alter ardenti febre, alter aqua interacta sublatus.

Sed quis Domini potentiam pro dignitate celebret, aut laudes ejus divulget? Antequam pecunia mitteretur, Alemaniæ rex moritur, cujus obitus non Romanis dumtaxat optatissimus, sed occidentalibus etiam gentibus gratissimus fuit, tum iis, quas vi magis quàm benevolentia secum conjunxerat, tum iis, quas invadere decreverat, semper solicitus, & omnium voluptatum contemptor, ut monarchiam constitueret, & circumjacentibus regnis omnibus dominaretur. Antonios, & Augustos Cæsares subinde somnians, & ad eorum principatum cupiditatem extendens, & tantùm ut non Alexander dictitans, & hæc & illa mea sunt. Pallidus, & severus. Cùm autem serò cibum caperet, & moneretur, cavendum esse ne ea re valetudinem læderet: respondit, Homini privato quodvis tempus ad cibum capiendum esse idoneum, id præsertim, cui assueverit. Regi verò tot curis distracto, nomini suo respondere vellet, satis esse, si vesperi curare corpus liceret. Verùm quod dixi, regis Alemaniæ mors cum omni-

omnibus aliis gentibus optata fuerit, tum Siculi ea tantò magis sunt exhilarati, quod, insule capte, gravissimis ab eo malis affecti fuerant, quæ vix satis describi possunt. Non enim tantùm cædibus rapinis, exiliis, cruditatibus intolerabilibus, & morte gravioribus afflicti fuerant, sed multæ etiam urbes eversæ, multa opportune castella diruta erant. Metuebat etiam rebellionem eorum, & quo libertatis cupiditatem opprimeret, omnem fortunæ melioris spem, quam vel pecunia, vel currus, & equi, vel munitæ urbes, vel vici nobiles, vel tuta castella suppeditare queunt, eis ademit. Dum autem futurum periculum tamquam jam urgens reformidat, & id quod non dum ederat, propulsat, quorumdam insidiis est appetitus: quorum conatus cùm antevertisset, insidiatores non gladio punivit, sed variis modis miserabiliter excruciatos interfecit. Nam alium ferventi equa excoctum in canistro, pro missu ad suos remisit: alium in ingentem rogum conjecit, alium culeo insutum in fundum maris ebjecit. Fectionis verò principem, & regem dilectum graviori supplicio destinavit. Jussit enim coronam æneam fieri cum quatuor foraminibus, quam ejus capiti totidem magnis clavis affixit, atque ita hominem abire jussit, his verbis: Habes homo coronam, quam venatus es: nemo tibi invidet: fruere usque adeò desiderata re. Is verò vertigine oborta humi prolapsus, paulò post in miserabili illo diademate expiravit. Capte Sicilie, unà cum cæteris Irene Isaacii Imperatoris filia captiva est abducta, & desponsa notho fratri regis Alemaniæ Philippo, emisso priore conjuge, qui post obitum Tancredi Petris Siciliæ imperarat.

EX JOANNIS CINNAMI HISTORIA EXCERPTA.

DE EODEM.

Carolus Dufresnius in Prolegomeno ad ejus editionem.

Joannes Cinnamus, Imperatoris Notarius, claruit Anno 1160. In vivis adhuc erat Anno 1183. Scripsit Historiam Joannis Comneni compendio; diffusè verò Emanuelis Comneni illius filii res gestas depingit. Certè, ut in enarrandis Græcorum gestis nimiùm sibi videtur indulsisse, dum ea longè majora, quàm erant, facit; ita in Pontifices Romanos, in Imperatores Germanicos, atque adeò in Latinos omnes, ex innato Græcorum ingeniis odio, seu potiùs invidia, parum æquus, imò semper, & acriter intemperans est.

EX LIBRO II.

IV. ROgerium Cæsarem ferunt, mortuo Joanne Imperatore, nec dum Byzantium ullo obtinente Principe, Imperium cogitantem, collectos plurimos ad suas partes allexisse, atque in his gentilem quendam Italum, ipsique à teneris annis familiarem, qui numero ad summum quadringenti. Erat autem & ille gente per inde Italus, natalium splendore illustris, & conspicuus, Capuæ Civitatis in Italia potentissimè, clarissimèque Dominus, cui Byzantii commorandi id causæ potissimùm fuit. Rogerius tunc temporis Siciliæ tyrannus, de quo multa deinceps memoranda occurrent, Capuano inhians Principatui, acri bello hominem impetiit: cui cùm ille resistendo non esset, Byzantium se contulit. Hic igitur à Cæsare tentatis, ut eum conjux post multas admonitiones obstinatiorem vidit, Imperiumque validiùs affectantem, ni provideretur, nequisquam à proposito posse dimoveri, accersitis, quibus tum summe rerum erat, quæ agebantur prodens, aut mihi, inquit, virum tradite, aut urbis curæ sit Imperatoris filiam fratri meo reservare. Hi modis omnibus Cæsarem adorti, in propinquum Byzantio suburbanum adduxerunt, quasi res quæpiam illic agenda instaret, tum ubi eò accessere, ibi dimisso illo, in Urbem rediere. Ejusmodi ingenii fuit Maria filia natu maxima Joannis Imperatoris, quæ Emanuele imperante defuncta est.

In notis Caroli Dufresne Rogerius iste putatur ille, qui Rogerius de Surrento dicitur Alexandro Abbati Celesino lib. 2. cap. 60. de quo vide ibi.

EX LIBRO III.

I. FLorebat ea ætate Rogerius, dignitate primò Comes, vir cæteroquin in rebus gerendis strenuus, & impiger, texendis dolis perquam idoneus, quique ritè ordinata permiscere in primis nosset. Ille, Gulielmo Longobardiæ Duci, cui erat subditus, in Palæstinam eunti, pecunie fœnori data, Longobardiæ Principatum eo nomine sibi oppignoratam retinuit. Postmodùm autem Romanum Pontificem hoc, quem dicam, modo coegit, ut ab illo Rex renunciaretur. Ut enim Longobardiam in Rogerii potestatem venisse, qui tum Romanæ sedi

præerat Pontifex (*Innocentius II.*) intellexit, id facinus ægrè tulit, quod ad Ecclesiam suam jampridem illam pertinere contenderet. Lotharius pariter eo non modicè commotus, nec ferens Papæ auctoritatem imminui, ingentibus copiis in Longobardiam irrupit, magna agrorum parte exuit Rugerium: propeq; erat, ut is universâ ditione pelleretur, ni prout consuevérat, ad dolos iterum conversus absque ullo certamine Lotharium inde abegisset: quo autem pacto id contigerit, à nobis deinceps dicetur. Erat Lothario affinis quidam maximæ apud illum auctoritatis, quemque Alemannorum gens post ipsum Lotharium potissimùm suspiciebat. Hunc Rogerius convenit, pecuniisque datis sibi conciliavit; tum homini persuasit, ut signum receptui, inscio Lothario, exercitui Alemannico dari imperaret. Id porrò signum non est tubæ sonitus, aut aliud quippiam simile, sed nescio quid barbarum, & insolens, quodve percipi vix potest. Quidam enim vocum concentus pro more editus in castris, haud amplius permanere sinit exercitum: sed statim atque auditur, dilabitur quisque, & ad reditum sese comparat. Itaque hujusmodi carmen per legiones Alemannicas, Lotharii affinis dolo passim pronunciatum, effecit ut universus continuò recederet exercitus. Quam rem graviter ferens Lotharius, quo impetum multitudinis sisteret, quingentos circiter milites palo affixit, neque tamen hac ratione quicquam confecit. Alemanni nulla pœnæ, ac supplicii habita cura, nihilominus dilabebantur. Tum verò Lotharius mœrore confectus, in gravissimam incidit febrem, nec multò post diem clausit extremum. Principatum, ut diximus, postea Conradus adeptus est.

II. His ita confectis, Longobardiam recepit rursus Rogerius. Quod cùm ferre haud posset Romanus Pontifex, Alemannis in auxilium adscitis, summo animi ardore in Rugerium proficiscitur. At is castrametantem inopinatè invadens, cæteris in fugam conjectis, ipsum etiam vivum capit. Cùm jam illum in manibus haberet, expanso ex linteis tabernaculo, in eo sedentem Pontificem collocat, ipse humi prostratus, ac manibus, pedibusque, pronus incumbens ad illum adrepit, partim delicti implorans veniam, partim ut regium sibi nomen vellet impertiri deprecatus. Accedentem excepit Pontifex (quid enim egisset aliud?) & Regem insuper appellavit. Atque inde Longobardiæ Princeps Rex vocari consuevit. Rogerius igitur cùm ex voto successissent omnia, Legatos misit ad Imperatorem Joannem, qui adhuc erat in vivis, qui ex Imperatorio sanguine uxorem pro filio suo expeterent. Sed nec dum expedita erat legatio, cùm Joannes vita functus est. Interjecto deinde aliquo tempore, cùm jam Manuel Imperium esset adeptus, eadem per Legatos iterum postulavit. Eumque in finem Basilius cognomento Xetus in Siciliam trajecit, ut iis de rebus cum Rogerio sermones conferret. At Xetus auro ab illo corruptus, ineptas nescio quas conventiones pepigit, quarum caput erat æquali in posterùm majestate Imperatorem, & Rogerium futuros. Atque inde ingentia exarsere bella. Reverso quippè Byzantium Xeto, & antequam suæ dedisset pœnas audaciæ demortuo, posthabitis, neglectisque pœnitùs, quæ in hac Legatione peregerat, Rogerium valere jussit. Ille verò totus Martem spirans, illusum se ab Imperatore ratus, classem ædificat, paratamque habet, occasionem captans, qua illatam sibi à Romania injuriam quavis ratione vindicaret. Nec aberravit à scopo Barbarus. Quo enim tempore in Provincias Romanas fervebat occidentalium nationum irruptio, Corinthum, Eubœam, & Thebas Bœoticas deprædatus est. Iis quippè temporibus, dum rebus præsentibus detineretur Romanorum exercitus, oppida illa, obsistente nemine, oppugnantes Barbari, naves præda impleverunt. Inde Corcyram digressi, totis viribus expugnatam, ut propriam deinceps munivere. His auditis consternatus Imperator, multa secum animo volvebat, quo pacto Rogerium ulcisceretur, & dignas delictis pœnas rependeret. Instructa itaque quingentarum triremium classe, hippogogurum verò, & onerariarum mille, ipse quidem per continentem iter instituit, interea dum immensa, & formidanda classis per maria fertur.

III. Ad Philippopolim cùm pervenisset Imperator, fama percrebuit Scythicas copias Istrum trajecisse, & obvia quæque rapere, ac depopulari......

IV. Hac subitanea parta victoria inde recessit Imperator, ad bellum contra Siciliam sese comparans. Tantùm enim in illo erat ardoris, & animi ad bellicos labores, quantùm ut arbitror, ne ulli quidem adfuit, vel vulgarium in exercitu militum, nedum Imperatorum, vel Ducum. Ibat igitur non Siciliam modò, sed universam Italiam animo complexus. At veram, ut videtur, aversatur gloriam fortuna, imperandique artem, militari scientiæ conjunctam, labore nullo vertere in contrarium probè novit. Ille quidem etsi à rebus Scythicis interea vocaretur, nihilominus tamen ad Carotum, locum sic dictum, venit, ex quo navigationem institui oportebat. Tum quoque accidit, ut classis, sive reflantibus detenta

ta ventis, sive Ducis imperitia, secius, nae opportuno advenerit. Quippè circa vernum tempus Byzantino egressa portu, exacta jam æstate, ad Imperatorem dalata est. Atque inde excidere res Romanæ. Biramem enim conscenderat Imperator, totaqua classis, velue statim discessura, remos expediverat, cùm tempestas valida, visque repente suboriens ventorum, illius præpedivera consilia. Vasta quippè hic porriguntur maria, eoque periculis magis est obnoxia navigatio, maximè hyeme; unde in locum haud procul Berrhœa concessit Princeps, ibique hyemavit. Sororium verò Stephanum, quem diminucndi ergo Contostephanum vocabant (erat namque statura axigua) ad Corcyram, quæ tunc temporis, ut diximus, parebat Siculis, cum omni navium apparatu dimisit, quo hana Romano rursum Imperio assereret. Verùm ille, ut ad Civitatem appulit, oppugnatis, & tentatis undequaque mœnibus, vitam istic finivit, rebus adhuc infectis, ac dubiis, eo, quem nunc dicturus sum, modo. Extructa perquam altissima scala, murisque axterioribus longà excelsiora, per eam transmittere militem in urbem statuit. Lapis autem ingentis magnitudinis ex machina quadam emissus, & ad scalam allisus, præ vehementi, quo impulsus est impetu, in varia frustula dissectus est, quorum unum ad Ducem perlatum læthali eum vulnere percussit. Ille verò etsi mortem sibi videret imminere, maximè tamen in id incubuit, ne utrimque cognito quod acciderat, metus, ut erat verosimile, Romanis, animus antem Siculis, jamjam deficientibus, adderetur. Quapropter ut se in navigii tabulatis clam deposito, denuò insisterant, præcepit. Andronicum verò, qui filiorum arat ultimus, & Bipenniferorum Præfectum, advocatos, multis est cohortatus, ut id efficerent, ne à priori audacia remitterent Romani, sed operè potissimùm instarent, cùm capiendæ mox Urbis spes adesset. Verùm fuerunt hæc virilis, ut arbitror, & martii, patriæque amantis animi argumenta. Quippè statim ac cæpit res in vulgus disseminari, omnia in contrarium cessere. Nam & Romanos, qui mœnia jam ascenderant, Siculi exegerunt, tumultuque, & consternatione omnia repleta sunt. Atque iste fuit rei Romanæ status.

V. His cognitis, non modicè, ut par erat, commotus Imperator, classis Præfecto, qui in defuncti locum designatus fuerat, præcepit, ut Urbem absque ulla remissione oppugnaret. Sed & ab illo nulla memorabili re gesta (quippè Romanos inter & Venetos, qui tum iis merebant, exorta præter opinionem contentio, Romano exercitui felicitatem ademerat.) Coactus tandem est ipsemet Princeps eò se conferre, & ad oppugnationem aggredi. Diremptis Romani, Venctique exercitus simultatibus, atque utrimque iis, qui causam præbuerant, mulctatis, magno impetu mœnia impugnavit. His rebus occupato Principe, Rogerius Siciliæ Tyrannus, ut ad Corcyram Imperatorem agere intellexit, classem mittit in fines Romanorum, eo animo, ut videlicet hac belli translatione solvendæ obsidionis necessitatem imponerat. At Imperator, divisa classe, partem alteram misit Duce Churupo, quæ Siculis Romanas terras incursantibus continuò occurreret, resisteretque. Ille autem in oppugnanda pertinacissimè Corcyra magis institit. Per scalas namque magnitudinis immensæ è navigiis non sine difficultate ad mœnia applicatas, milites eduxit; quarum una conscendentium pondere effracta, in mare complures dajecit, qui misarandum in modum effusa anima egregiam virtutis suæ memoriam Romanis reliquerunt. Verùm Siculi, etiamsi intra mœnia jam Romanos conspicerent, non ideò tamen urbem Imperatori tradere voluerunt: sed in arcem quanta potuerunt celeritate contendentes, inde se tuiti sunt; lapidibus, telisque, ac rebus aliis, qua ad manus occurrebant, imbria de cœlo fusi instar, in oppugnantas projectis. Tanta enim in altitudinem assurgit Acropolis, ut ne oculis quidam illius structura comprehendi facilè possit. Ajunt eo tunc tempore propter reluctantem fortunam graviter succensum Imperatorem, rectum in biremi, qua vehebatur constitisse, ac mandasse remigibus, ut appellerent navem ad mœnia, qua ipse ascenderet. Verùm Ducum aliqui, præsertim consanguinei, totis hoc viribus prohibuere, etsi pertinaciùs in his incumberet. Nam propter quam quod animi generositate præstabat, erat etiam imperterritus. Nonnullos audivi, qui & temeritatis illi crimen affingerent, siquidem divinum propè, & humano majorem animum semper præ se tulit: adeò ut cùm annum agerct decimumsextum sua unius manu captos sæpè Barbaros adduxerit. Unde uxor, quæ ex Alemannia ortum ducebat, præclaro illa, & bellicosissimo genere prognata, in medio aliquando Senatu, in hæc verba prorupit: Neminem unquam auditum à se fuisse, qui tot egregiis facinoribus anno uno editis claruerit. Cùm fortè ad Corcyreorum muros è classe Romana navis, non ex levium genere, aut earum, quæ planæ sunt, & oblongæ, sed altitudine idonea perinde, ac latitudine, plena equis, armisque refertissima, vi ventorum ad murorum

torum partem quamdam esset adacta, ubi rupes subinde prominentes locum aditu planè difficilem efficiunt, graviter affligebatur. Quippè planstra lapidum, & tela, & quidquid occurrebat, simul in eam conjiciebantur. Adeò ut ex tali casu desponderent animum, qui in ea erant, trepidi, ac pavidi subirent tabulata. Quod ubi rescivit Imperator altera quidem manu scutum arripuit, non ex iis, quæ gestari consueta sunt, aut ex quibus unicum tegitur corpus, sed amplum, & quod erigere haud facilè homini esset, altera verò prehendit armamenta, quæ in Imperatoria biremi intendi solent, & aptè convoluit, ut iis non resistentibus, telorum è moto ictus propelleret, ac deinde ad navem fertur. Mox funibus colligatam, detrahere inde, & periculo eximere summa ope annixus est. Tum verò, cui demandatum à Rogerio fuerat Corcyræ præsidium, oppidanis crebrò in Imperatorem lapides conjicientibus dixisse fertur: Ne per vestram salutem, ne quæso commilitones, ullum à vobis adversus tale corpus vibretur telum. Quod si hæc improbari contingat, ipse solus indignationem sustinebo, Ex tunc quidem istic agebantur. Classis autem Siculorum congressa cum iis, qui sub Churupo erant, majorem partem devicta est. Quadraginta autem naves eorum vitato periculo, versus Byzantium pervenere, ac re nulla alia memorabili gesta, ædificiis, quæ in continenti circa Damalim adjacent, ignem injicere conati, turpiter inde recesserunt, multis suorum amissis. Neque tamen quotquot discrimen evaserant, incolumes omnino rediere. Quippè incidentes in naves, quæ publicum è Crete apportabant vectigal, maximam partem prælio devicti capti sunt. Imperator interea fame, & oppugnatione Corcyram adeptus, inde abscessit. In Siciliam, & Italiam oppugnationem animo volvens, quo utramque Provinciam Romano rursum Imperio asscereret.

Ad numerum usque XII. prosequitur enarrare expeditiones Imperatoris in Dalmatiam, Bossinam, & Ungariæ confines. Demum Anno 1154.

XII. Mortuo autem Rogerio Siciliæ Tyranno, (*Gloriosissimo Rege*) Gulielmus filius Regnum excepit. Multa illa in Imperium Romanum à parente delicta esse conscius, necessum putavit ad dirimendas simultates Legatos ad Principem mittere. Venerunt ergo viri Episcopali dignitate insignes, eratque ea ferè Legationis sententia. Res omnes, captivos, quæque Rogerius ex Eubœa, & Thebis Helladicis, urbeque Coryntho, sicut ante narravimus, erepta navibus avexerat, redditurum, quæque vellet Imperatori libentissimè suppeditaturum se pollicebatur. At Princeps, rejectis Legatis, classe apparate, idoneoque in eam immisso exercitu, Constantinum cognomento Angelum, avunculum suum Ducem ei præficit, datque in mandatis, ut circa Laconicam appelleret, ibique reliquam classem jamjam adventuram opperiretur. Ille igitur Byzantio solvens, vento usus secundo, ad Laconicæ promontorium defertur, quod vulgò ob situm Monembas jam vocant . . . . *Pacem cum Geiza Hungariæ Rege initam enarrat.*

XIII. Sic in continenti sese res habuere: at maritimæ, Ducis improbitate non eumdem sortitæ suet exitum. Quippè Angelus, ubi agnovit Gulielmi classem ex Ægypto, & Nilo flumine prædis onustam adnavigare, opes inde ingentes paraturum se statim in animum inducit. Hinc non expectata Byzantio alia classis parte, avidus pugnæ, vela in hostem, quam celerrimè contrahit, licèt vetante id Principe, literisque monente, ne cum tam exigua manu cum multo majoribus copiis congrederetur. Dictitabat enim nihil impedimento fore, quo minus à Barbaris caperetur Angelus, at ne, ut vulgò dicitur, nuntius inde reverteret. At ille ista hæc non curans, cum obvia Siculorum classe manus conserit: Siculi primùm inhibuere retrò naves, & ordinatè cessere. Ubi verò ferri incompositè Romanos conspexerunt, tum demum quàm exigua eorum esset classis apparuit. Itaque repentè conversi eam invadunt, vento, quem primùm à puppe habuerant Romani, nescio qua fortuna mutato, & in proram spirante. Quare aliæ Romanorum naves, præeunte Angelo classis Præfecti fratre, qui paucis navibus, & ipse præerat turpi fuga abscendunt. Constantinus in medio hostium relictus, in eorum venit potestatem, hocce temeritatis suæ relato compendio: Hæc eo anno gesta sunt. Imperator autem ut accepit rursum novare Hungarorum Regem, cùm eam ferre injuriam nequaquam posset, iter denuò versus Istrum capessit. Sed ille audito Principis adventu, de pace rursum per legatos agit: solutoque tandem bello, pacis apparuit serenitas. Nec multò post, causam præbente Andronico Principis Patruale, bellum iterum adversus Romanos concivit. Sed de eo postea.

EX LIBRO IV.

II. BAssavilla Rogerii Siciliæ Tyranni ex sorore nepos, avunculo superstite, rerum summam in Italia obtinuerat, Sed mortuo illo, translataque ad Gulієl-

licimum regia dignitate, cum alter Italiæ adminiſtrationem obtinuiſſet, ipſe lecundum ab eo locum obtinere coactua eſt. Hanc ille non paſſus iejuriam ad defectionem ſeſe comparavit, miſſiſque ad Imperatorem Legatis, Italiam univerſam, Siciliamque ipſam in manus ſeſe traditurum pollicitus eſt. Sedenim Baſſavillæ Legati, qui Friderico ie re ardua, ac difficili adhuc pigritante, re infecta redibant, in Alexaudrum iocideruet, qui nihil pariter eorum, quorum cauſa venerat ad Fridericum, executus, unà cum Duca revertebatur. (*Fuerat Alexander, Gravinæ Dominus; qui ob rebellionem à Rogerio Rege expulſus, ad Imperatorem Conſtantinopolitanum confugerat. Et tunc cum Legatis ipſis Græci imperatoris Manuelis Comneni in Italiam transfrctaverat, ad paciſcendum matrimonium Mariæ Iſaacii Sebaſtocratoris filiæ cum Imperatore Friderico Ænobarbo; ca conditione, ut Italiæ Provinciæ Græco Imperio reſtituerentur*) Ubi igitur in colloquium venere Alexander, & Baſſavillæ Legati, Alexander qui quorſum ad Fridericum veniſſent, probè noverat; Propè eſt, inquit, Amici, qui Legationi veſtræ extremam manum imponet. Quis ille eſſet, rogantibus iis, Imperator Romanorum ſubdit Alexander: moxque rerum enarrato ſtatu, addit, Palæologum, virum quidem ex Curiæ Magnatibus, inſuperque Sebaſti inſignitum dignitate, cum immenſa pecuniarum vi propè adeſſe, ut Italiam Imperatori denuò aſſereret. Quibus intellectis, Legati per literas, quæ audiverant, Baſſavillæ ſignificarent. Ille verò ut ſibi liceret cum Romanis in Civitate Peſchara colloqui per eoſdem expetiit. Quod ubi accepit Palæologus, navibus decem Peſcharam adnavigavit, Voſcia interea Urbe, quæ ad Principem defecerat, communita. Sed cùm rurſum Baſſavilla ad Voſciam cum illo ſeſe collocuturum nuntiaſſet, eo ſe contulit; congreſſuque habito, ac de rebus præſentibus data, acceptaque viciſſim fide, operi ſeſe accinxit. Contracto deinde exercitu, caſtrum validum, cui Brantaua Italua præerat: oppugnare aggreſſus eſt Ducas. Commiſſo ſibi certamine, hoſtes fuderunt Romani, qui fugientes inſecuti unà cum iis mœnia ſubiere. At illi in arcem ſeſe primùm recepere. Verùm ut ædificia ſua igne conſumi, vaſtarique, & auferri omnia à Romanis conſpiciunt, tum verò deſcendunt, dominumque ſuum Magnum Imperatorem proclamant: atque hoc modo caſtro illi potiuntur. Cùm inde ad Civitatem, cui à divo quodam, qui in ea colitur, Flavianæ nomen inditum eſt, pergerent, populares omnes obviam effuſi pro agris ſuis illos rogant, ac ne quid in ſe gravius inſoleſcat miles obteſtantur, ſervos ſe futuros deinceps Imperatoris, & quæcumque vellent Romani ſe facturos polliciti. Dux ejuſmodi benevolentiæ illorum gratiam rependens, per eorum agros amicè, ac pacatè iter fecit. Cùm inde excederet Gulielmus Baſſavillæ frater, qui & ipſe in Romanorum amicitiam conceſſerat, cum fratris literis venit, quibus, ut confidenter Dux accederet, hortabatur, utpotè circumjacente regione jam Romanis parente.

III. Palæologus autem Voſcia, ut dictum eſt, per conditiones potitua, ad Tranim venit: cujus incolæ ſimul, ac Romanum exercitum conſpexere, cùm nequaquam urbem dedere vellent, miſſis ad Ducem Legatis, ut finibus ſuis abſcederet, rogavere: neque enim priuſquàm Barim cæpiſſet, Tram poſſe ab illo expugnari. Quare collectis decem non amplius navibus, diſceſſit inde, & ad urbem Barim venit, non tam militum ſecutua conſilium (quippè ſolers erat admodum, & rei militaris experientia nemine inferior) ſed quod Tranim expugnari re vera non poſſe ſciret, proindeque tempus ibi terere parum conſultum arbitraretur. Sed & ad ipſam Barim copias admovere, haud tam facilè videbatur: cùm præterquamquod validis cingeretur muris, idoneo Barbarorum præſidio eſſet munita: quorum alii in turribus armati ſtabant, alii ante portas infinito propè numero effuſi pedites, equiteſque perinde cum armis conſiſtebant. Ad hæc æſtu inſolito fervens, ac intumeſcens mare, jamjam navibus interitum minitabatur. Cùm igitur ardua omnia undique, ac difficilia prorſus viderentur, non ideò tamen ſpem ille omnem abiecerat. Sedata igitur tempeſtate, rem aggredi conſtituit. At cùm nihil ferè ex animi ſententia ſuccederet (hoſtium enim alii lapides, & ligna, & quodcumque occurrebat ad manum, nivis inſtar è turribus emittebant; alii, qui infra ſtabant, frequentibus telis obſcurabant aerem) extra teli jactum continuò receſſit, multa interim iis bona pollicitua, quæ ſæpè partim daturum confeſtim ſpondebat, ſi urbem citra prælium magno dederent Imperatori, partim ſubinde ſperanda ingerebat. Oppidani ſimul, atque id accepere, alii equites excedunt, alii ſcaphas ingrediuntur, eumque invitant, ut in urbem, cujus recluſas oſtendebant portas, veniret. At ille ne dolus eſſet, quod agebatur, veritus. Juſſit itaque navem ex ſuis unam ad littua agi, quaſi eo appulſuram: quam ubi hoſtes vident accedere, numero circiter quingenti, turres conſcendunt. Id conſpicatua Alexander, cùm nec dum ii arma induiſſent, aurum, quod præ ſi-

nu effusum gestabat, accipiens, statim one egreditur: ostensoque eo oppidanis, qui supra muros stabant, in hæc verba exclamat: Qui divitiarum, & libertatis desiderio tangitur, huc accedat, iis extemplo fruiturus. His dictis, ingens è civitate advolat multitudo, ac Imperatori continuò adjungitur; moxque Dux fide ab iis accepta, cum multa celeritate exercitum in civitate introducit. Adeò nihil est ad inescandos, inliciendosque mortalium animos, auro validius, quibus videlicet quæ facta fuerant haud placebant, in arcem confestim sese proripiunt: atque intra mœnia jam recepti, de summa rerum decertant. Hic porrò rem admiratione dignam erat intueri, eos nempè, qui & natura, & voluntate invicem nuper cohærebant, nunc auro, velut muro disjunctos, hostiliter inter se agere, diversaque prorsus moliri, & sentire. Atque hic fuit in urbe rerum status. Erat præterea in superiori civitatis parte arx altera, in qua extructum erat Divo Nicolao dicatum templum, quam cùm occupare statueret Palæologus, talia commiscitur. Armatos aliquot, nigris superindutos palliis, summo mane ad templum ire jubet, datque iis in mandatis, ut simul atque ingressi illud essent, tam demum strictis gladiis rem aggrederentur. Illi ergo sub auroram accedentes ad arcem, portam pulsant. Qui intus erant, Monachos quosdam esse arbitrati, apertis januis illos intromisere: atque ita deinceps à Romanis captum est castellum. Verùm id etsi expugnatum nihilominus, qui Acropolim tenebant, obstinatiori sese tuebantur animo, adeout per septem continuos dies certamen perduraret. At postquam eo accessit cum ingentibus copiis Bassavilla, tum & illam Romanis dediderunt: atque odio quo in Rogerium flagrabant, quod nimirum inhumanè, crudeliterque (ut solent tyranni) in eos sævisset, arce diruta, soloque æquata, discessere, licèt è contra Dux obsisteret, eamque magno voluisset emere.

IV. Hæc tum ad Barim contigere, qua capta Palæologus versùm Tranim adnavigat. Ea civitate similiter certis conditionibus in deditionem accepta, Juvenantium non contemnendam Urbem fœdere sibi adjungit. Erat iis in locis Richardus quidam scelerum vindex severus. Quippè hominem, à quo levissimè etiam esset offensus, quasi victimam cædere, manibus, pedibusque truncare, visceraque illius avellere, levissima ei videbatur animadversio. Antro hic Castello præerat: qui ubi Juvenantium in Romanorum potestatem jamjam venturum accepit, vi ab incepto desisterent oppidanis comminatus est. Sed spretis ejusmodi minis, Juvenantio in fidem recepto, quid deinceps agendum esset deliberant Romani, ulteriusque pergunt. At ille comitibus aliis adjunctus, atque adeò ipsi Gulielmi Cancellario, quem Logothætam Græci vocant, cum iis versus Tranim tendit, urbem primo impetu expugnaturus. Hos subsequebatur exercitus, equitum quidem duorum millium, peditum verò, aliorumque armatorum infinitæ multitudinis. Qui in civitate cum exiguis admodum copiis relicti fuerant Romani, tum sibi, tum civitati metuentes, celeriter Ducam advocant, & fortunam illi præsentem per literas exponunt. Quas ubi ille accepit, motis eodem die castris, ad Tranim ire pergit. Cùm ad locum quendam, cui nomen Buno, venisset, egressi obviam incolæ, ut civitatem citra certamen reciperet Romanus exercitus, cohortabantur. Sed Ducas longius ibi immorari haud è re sua fore arbitratus, ne Richardo aliquem in bello progressum faciendi occasionem præberet, id in præsens quidem omisit, tum etiam quòd eas in posterùm opportuniori fortè tempore rursum recuperare se posse non diffideret. In Richardum igitur toto impetu contendit, qui in maritimo quodam oppido tum agebat, cui Barleti nomen, ubi etiam aderat Cancellarius, cùm proximè ad urbem accessisset Ducas, de exercitu Richardi trecenti equites cùm peditum phalange, irruptione facta, obviam improviso venerunt. Verùm re inopinata haudquaquam perculsus Ducas, in densam se aciem collegit, totisque viribus in hostes irruit; qui vix sustinentes impetum, versi sunt in fugam. Eo in certamine ut cæteri sese gesserint Romani, ac eorum unusquisque præclarum ediderit facinus, haud equidem dicere possim. Id fama constat, Ducam hasta invectum triginta prostrasse, donec multis suorum amissis intra portas sese receperunt. Fugientes insecuti Romani, appetente jam nocte, in castra reversi sunt, nullo alio, præterquàm uno ex conductitiis equitibus interempto. Nocte illa ibi castramentati sunt: sed ubi illuxit dies, itineri sese accinxere. His acceptis, Richardus, veritus ne si undique circumveniretur à Romanis, damnum haud facilè farciendum incurreret, inde ocius pedem retulit, ac in antro sese continuit. Ducas autem acceptis Palæologi copiis, in Richardum procedit, licet illius exercitus bellatorum numero Romanum longè superaret. Neque enim ampliùs erant quàm sexcenti in Ducæ acie, præter pedites, qui & ipsi pedestribus Richardi copiis multò erant inferiores. Is autem mille octingentorum equitum, peditum verò

inna-

innumeræ multitudinis habebat exercitum. Ut igitur adventare Romanos rescivit Richardus, ipse perinde suas eduxit copias; cùmque jam propè essent, trifariam Romani exercitum divisere, acie in hunc modum instructa, Scythæ, & quotquot erant sagittarii pedites turmatim in fronte stabant; Ducas cum dimidia equitum parte, & aliquot Scythis postremum: Bassavilla verò cum Comitum nonnullis aliis, & cætero equitatu medium obtinuere locum. At Richardus cum summo pugnandi ardore deflagraret, nec curaret ordinare aciem, cum equitibus suis in hostes fortiter invehitur, usque dum mediis eorum copiis obviam factus, collato pede prælium conserit, ei ne leviter quidem obsistentibus in fronte locatis sagittariis. Mox & ipse validiùs propulsatus Bassavilla, funditur, ac fugatur, donec in eos, qui cum Duca erant, impetum facit. Tum verò acre ibi instituitur certamen, caduntque ex Richardi militibus quamplures: & quod in magnis evenire solet multitudine, vix tanta cædes ab exercitu percipiebatur. Fit igitur crebra utrimque propulsio, & hastarum in clypeos impulsarum fragor exauditur: spissa volant tela, & validus ubique fit conflictus; donec vehementiori cum impetu sese inferens Richardus, hos quoque terga vertere adegit: quo tum tempore quin hasta vulneratus & ipse Ducas caperetur, parum abfuit. Sed enim divina, quocumque demum vult res humanas agit, vertitque providentia. Licèt itaque ad eam redacti fuissent fortunam Romani, nihilominus tandem evasere. Quippè cum Ducas intra quosdam ex lapidibus compactos muros è periculo se exemisset, cujusmodi absque calce, aut materia simili, prata quæ urbium portis observantur circumvallari solent; nacti ibi locum idoneum Romani pedites, lapides conjiciebant in Richardi militem, adeò ut ex iis plurimi, qui fugæ se dederant, eò se reciperent. Ubi id vidit Richardus, cum equitibus sex & triginta eos rursum adoritur. Sed Tranita quidam Sacerdos majoris molis lapidem è loco superiore dejiciens, tibiam illius alteram assecutus, ad terram hominem prostravit, qui præ dolore sese subinde dilacerabat, ac vellicabat. At iterato ictu collum illius cùm attigisset Sacerdos, victum tandem, & nequicquam supplicem supinat, adactoque in ventrem pugione, intestina eximit omnia, eaque jacentis ori, veluti cibum aliquem, admovet, ut qui in alios ejusmodi crudelitatem exercuerat, in se tandem illius experiretur exemplum. Tum & antrum, & quæ circum erant copiæ, Romanis sese adjunxere: & qui se neutiquam evasuros periculum crediderant, cum trophæis Barim venerunt: ubi inventis affatim rebus necessariis, fessa militaribus laboribus corpora refecere.

V. Paucis itaque diebus intermissis, copias bifariam partiri visum operæ pretium, quarum pars alia istic cum Duce uno maneret, alia cum altero ad circumjacentia castella diripienda exiret. Atque hujus postremæ curæ in Ducam sors recidit. Cùm ergo propè adesset oppidum, cui Castrus, ex primatibus vir, præerat illud obsidione cingit, fortiterque oppugnat. At cùm tentatis crebrò mœnibus, frustrà se insumere operam advertit, (nam etsi bellicis machinis sæpius pulsasset muros, vix unum inde lapidem abstulerat motis sub vesperum castris, ad Monopolim tendit, ut urbem nec opinantem opprimeret. Sed circa idem tempus copias aliquot emiserant Monopolitæ, tum ut Romanos explorarent, tum etiamsi ad id daret occasio, cum iis dimicarent. Hi fortè fortuna in primam Romanorum incidentis aciem, manus cum iis conserunt. Quod simul ac advertere, qui in postremo stabant ordine, universi fermè eorum equites terga vertunt, cursuque effuso, cæteris civibus jamjam adfuturum Romanorum exercitum annuntiant. Peditum autem plerique capti sunt. Eo nuntio conterrita civitas, extemplo resistendum hosti censuit. Equites itaque ducenti, & supra mille pedites, & præter hos ingens funditorum multitudo sese pro portis collocarunt. Orto jam die, Ducas cum dimidia exercitus parte succedit, reliqua ad incursandos circumjacentes agros dimissa. Venit igitur divisis bifariam copiis, neque tamen Monopolitas continuò est aggressus, verùm tamquam mœnia speculaturus lento primùm incedebat gressu, & velut oppidum per partes exploraturus. Deinde eorum, quæ in mente erant, nihil prodens, assumptis ex suis triginta, in medios hostes invehitur. Illi re subita perturbati, fugam ineunt: nec persequi ante destitit Ducas, donec ad urbis usque portas fugientibus progressus, unum ex hostibus hasta transfixum ad terram dejecit. Inde collectis captivis abscessit. Ad hæc pars exercitus alia in circumjacentes agros aliquot facta excursione, cum non modicis inde avectis prædis, unà cum Duca, Barim rediit. Interea Legati à Romano Pontifice, quem Papam appellare solent Latini, ad Romanorum Duces missi pervenere. Mens legationis erat, ut vel uterque, vel eorum alter Romam veniret, quo de rebus majoris momenti invicem agerent. Ajebant quippè ingentibus coactis copiis, ad socianda cum Romanis arma esse jam paratum.

tum. Id quidem scriptis ad Pontificem literis recusarunt Duces: Basilicum verò quemdam ex Imperatoris Scribis, qui tum ipsis aderat, eò cum pecuniis ad conducendos mercede equites misere. Ipsi interim se ad oppugnandam Monopolim comparant. At oppidani neutiquam Romanis obsistere ausi, aliquot dierum inducias sibi dari petunt, quibus elapsis si nullum aliunde submitteretur auxilium, urbem citra certamen dedituros se pollicentur. Quod & factum est, mensisque unius conceduntur induciæ.

VI. Dum hæc ibi geruntur, cùm Siculorum instare copias adverteret Bassavilla, Romanos Duces ad ferendam sibi quantocius opem per literas sollicitat. Cùmque cunctarentur ii, nec postulata curarent, missis rursum Legatis, eadem ab iis efflagitat. At primo quidem id prorsus abnuerunt Romani, non se ab Imperatore, dicentes, missos esse, ut Bassavillæ auxiliarentur (neque enim illum inter, & Romanos pactum fœdus ejusmodi præferre conditiones) sed ut conjunctis videlicet viribus Italiam Principi rursum asserere conniterentur. Hæc etsi ad Bassavillam responsa misissent, nihilominus instabat ille, seseque in extrema adductum pericula Ducibus significabat. Habita ergo deliberatione, Bari ad Butotum, quantum vir armatus die una conficere potest itinere distantem, venere. At cùm nescio quis jam percrebuisset rumor, Richardo adhuc superstite, in Romanos proditionem instituisse Bassavillam, necessarium putarunt ii secundo hominem jurejurando obstringere; quod ubi factum est, omnem deinceps ab illo suspicionem amovit. Inter hæc classem ex Massagetis, Germanisque equitibus, necnon etiam Romanis conflatam in Italiam misit Imperator. Massagetis præerat Joannacius, cognomento Critoples; Germanis Alexander, gente quidem Longobardus, cæteroquin fidissimus Principi, Romanorumque rebus addictissimus. Omnibus autem imperabat Joannes Angelus. Hæc ubi rescivit is qui Gulielmi copiis præfectus erat, & ut obsesso antro, direptisque agris adjacentibus, in se Romanus contenderet exercitus, inde versus Malphetum, oppidum satis validum, cum universa acie proficiscitur. Romani autem Boscum, quod Richardo illi paruerat, castellum firmum, ac munitum, si quodpiam aliud, & accessu difficile, expugnare constituunt. Hic ille ostentandæ magnificentiæ causa, omne genus animalium alebat, distinctis vivariis, in quibus illi, cùm lubebat, parata erat sine labore venatio. Ducas igitur, suorum aliquot assumptis, ad contemplandum castrum accedit: cumque eò se admonisset propriùs, confestim irruptione facta, qui intus erant hostes, summo animi ardore in medios irruunt Romanos; ex iis cedunt quatuor, cùm vicissim ex suis duos amisissent. Prælio itaque recandescente, jamjam cominùs pugnabatur. Sed Romani tandem propria freti virtute, verterunt hostes in fugam. Eo in discrimine operam præclarè navarunt tum plures alii, tum duo in primis ex Massagetis. Ita solutum est prælium. Ducas autem postquàm alter accessit exercitus, positis castris primùm consedit, ac denique postero die processit, ordinata perturmas acie. Facta igitur oppugnatione, Romani telis, & jactibus Machinarum infestant obsessos: atque hi vicissim fortiter se ex propugnaculis tuentur. Quo tum tempore res miranda accidit. Cùm enim duo Ducæ satellites, quassatis licèt lapidum emissione muris, nequaquam tamen ad deditionem inclinare cernerent castrum, clypeo operientes caput, altera manu faces ferentes, ad portas, ut iis ignem admoverent, contendunt. Sed flammam non concipiente ligno, re infecta rediere, vitatis præter opinionem, quæ grandinis instar de mœnibus emittebantur, telis. Tum verò Romani, postquam protracto ad solis usque occasum certamine, nihil profecere, in castra reversi sunt. Quæ cum Gulielmi Ducibus comperta essent, coacto concilio, an cum Romanis manus consererent, deliberant. Cùm omnium in id convenirent sententiæ, assumptis copiis, versus Romanorum castra iter intendunt. Romani è contra, his auditis, ad resistendum sese comparant. Italis quidem novem præfuere Duces, quibus omnibus præpositus est Cancellarius. Omnis autem exercitus armis, generosis othertereà equis, longisque hastis quàm optimè instructus erat. Ex quibus non modicus Romanos incessit pavor animi; dubius an cum tanto, & tam benè armato exercitu exiguis admodum copiis decertarent. Ordinata nihilominus acie, eaque per turmas distributa, Dux multa oratione ad magnanimitatem milites cohortatur. Manibus aliquandiù ab utraque parte temperatum. At postquam classicum utrimque insonuit, & signum pugnæ datum est, cominùs prælium ineunt universi. Nec solem dixisses, nec diem conspici, adeò omnes caligo invaserat, pulvisque creber in cœlum ferebatur. Strepitus, & clamor horribilis exaudiebatur. Usque ad medium diem æquo pugnatum est Marte. Sed numerosis se copiis inferentes Itali, Ducæ aciem tandem inclinarunt. Quod ubi is animadvertit, phalangem suam in medios dimittit hostes, cæsisque, ac prostratis subinde aliis, ut se sequeretur invitat. Rursum

igi-

igitur committuntur utrimque acies, acriusque recrudescit prælium, usque dum propria animati virtute Romani, hostes fundunt, fugantque. Cecidere inter fugiendum equites ferè tercentum, peditum autem innumera multitudo: alii fuga dilapsi sunt. His prosperè gestis rediere ad Castellum Romani; eoque, non multo interjecto tempore, potiti, commeatusque, cæterarumque rerum necessariarum copia ibi inventa, Barim se receperunt.

VII. Neque ita multò post Montem pelosum, Urbem celebrem, in deditionem accepere: & Gravinam, cui primùm Alexander præfuerat, & Oppida alia, Arcesque, insuper etiam vicos majores ultra quinquaginta expugnavere. Ita res augebatur Imperatoris, aliis, atque aliis in dies partis victoriis; Gulielmi verò sensim dilabebantur vires, & in arctum redigebantur, adeò ut vulgata per totam Siciliam fama, invictam passim virtutem Romanam prædicaret. Videreque tum Itali à Romanis, quorum à multis retrò sæculis arma non fuerant experti, sua omnia ubique diripi, & auferri. Huc usque ex voto quidem Romanis omnia cessere: sed mox invidit tot prosperis successibus fortuna. Morbus namque Palæologum corripiens, valida hominem febre decoxit: nec prius destitit humores naturales consumere, quàm primò quidem comam deponere eum coegisset, ac paulò post rebus humanis exemisset. Cilicinam enim vestem (*Monachalem scilicet*) jam induerat, ac cùm melius habere videretur, Ducam, ut ad cæteras iret Civitates, quas non dum cæperant Romani, hortatus erat. Sedenim tertio post die recrudui morbus. Id ubi accepit Ducas, Barim reversus est, atque illo jam defuncto, corpus sepulchro mandavit, aliaque omnia procuravit, quæ ex Christianorum lege sacris exequiis debentur. His rebus Bari peractis, summam rerum solus obtinuit. Hunc exitum habuit Palæologus, acri vir ingenio, & rei militaris peritissimus.

VIII. Ducas verò accepto exercitu, versùs Brundusium proficiscitur, quo Bassavillam sibi confestim conciliaret; qui hac de causa defecerat. Ille, seu quod lucri, ut opinor, captaret occasionem, vel quod re vera pecuniis indigeret, aureorum millia decem fœnori sibi dari a Palæologo adhuc superstite popoſcerat. Quatuor hic promiserat se statim daturum, non quidem in fœnus, sed ut Principis largitionem: de reliquis prorsus abnuerat se quicquam posse præstare. Cùm ægrè tulisset repulsam Bassavilla, castris continuò Romanis excesserat. Defuncto autem Palæologo, & translata ad Ducam potestate, ad eum venit, acceptisque quas petierat pecuniis, arma iterùm cum Romanis conjunxit. Tum unà illum adducens Ducas, cum omnibus copiis ad Masafram pergit. Ibi Civitas quædam adjacet, Polymilium nuncupata, in qua unus de Gulielmi Ducibus erat, nomine Flamingus. Sed ubi Romanum adventare exercitum accepit, discessit inde, & Tarentum concessit. Romani Polymilio capto, & circumjacentibus agris direptis, rebus necessariis castra instruunt. Inde ad Molissam contendunt, oppidum in editiore quidem, sed æquali, ac plano situm loco, validum cæteroquin, ac turribus utraque parte instructum, cujus alterum latus cingunt confragosæ, & inaccessæ valles, alterum navigabiles fluvii ambiunt. Sed nihil videtur obstare secundo vento navigantibus. Molissa enim quantumvis munita, à Romanis tamen, nec multum laborantibus, eo quem exponam modo, expugnata est. Ii quippè prioribus fortunæ elati successibus, cum oppidanos ingenio loci confisos stare extra portas viderent, qua parte faciliùs oppugnari poterat Civitas, cursu per ardua feruntur, tantaque eorum audacia perculsi hostes, fuga se intra portas recipiunt. Quibus adhuc reseratis, Romanorum unà incidit exercitus, & Urbe per vim potitur. His rebus confectis excessere inde Romani. Sed vix multùm erant remensi iter, cum obviam fit cum numerosis copiis Flamingus. Tum verò Romani aliquot ex ordinibus prosilientes, cum hoste confligunt, mirandaque eo in certamine edunt facinora. Sed cùm hostes numero prævalerent, retrò cessere. Inter hæc Ducas cum universo exercitu Flamingum adoritur, eoque in fugam compulso, Mafram venit. Qua primo quoque impetu expugnata, incredibilem commeatus, & necessariarum rerum reconditam in arce copiam invenit; & arma insuper multa, equosque non minus ducentos. Id ubi viderunt Tarentini, maledictis propalam Flamingum insectantur, incusantque, quod illius timiditas, & ignavia audaciæ materiam dedisset Romanis. Quam ille contumeliam non ferens, assumptis iterum copiis, Romanorum expectat exercitum. Sed vix in illius conspectum venit, cùm prioris fortitudinis immemor, pavore subito corripitur. Fugientes itaque nonnullos pauci è Romanis insecuti, prostravere. Ut verò proximè ad Tarentum accesserunt, expugnari Civitatem haud posse rati, ab illa quidem digressi sunt. Sed cùm ad Monopolim copias admovere cogitarent, nullæque sibi eo tum temporo adessent bellicæ machinæ, classem quæ Bari stabat, ut omnia ista celerrimè adveheret, per literas arcessiverunt. Interim Romani, dum iter faciunt per re-

gionem opulentem admodum, & immensa bonorum copie affluentem, multipliciter ditaetur. Ajunt enim tum militem uno euri ſlatere boves decem ermentales vendidiſſe, alia autem pecora centum & triginta. Multos ed hæc Romanos diuturnis carceribue maceratos, compedibus exuerunt,

IX. Poſtea quàm quinto inde die ad Monopolim venerunt, nemo iis occurrit hoſtium. Ipſa enim jam ente fama conſternati, intra ſe mœnia continebant. In turribus autem armeti conſiſtere, ut ſi quis in vallum fieret impetus, contre iis obſiſterent. Romani itaque poſitis idoneo loco haud procul inde caſtris, conſedere, Sed ubi, quam Bari acciverant, claſſis, quæ ad oppugnationem neceſſaria erant, advexit, eum omnibus copiis mœnia adoriuntur. At Monopolitæ emiſſis ex alto in hoſtes telis ſubeuntes repellunt Romanos, nonnulloſque cædunt. Incepto manè prælio in noctem uſque protracto, Romani, cùm jam advelperaſceret, in caſtra revertuntur. Monopolitæ verò in turribus cuſtodias locant, eaſque per vicea ſemper mutant, eè ſi quid Romani nocte attentarent, eos lateret. Utrimque præterea accendebantur ignes, tibiæque, ac tubæ perſtrepebant. Jamque exortam prætervectus auroram ſuum terris jubar Sol inferebat, cum egreſſi è vallo Romani, oppugnetionem denuò aggrediuntur. Monopolitæ è contra curſu ſe in propugnacula proripientes, viciſſim capeſſunt arma. Rurſum igitur inſtruitur certamen, clamorque ingens ettollitur; Romanis eimirum vi aſcendere muros ennitentibus, ſubeuntes verò repellientibus Monopolitis. Sic quidem aliquandiù in iis laboratum. Exercitus inde Romanus igni injecto, ubi navigia ſubduxerant Monopolitæ, ingentem flammam excitarunt. Quo tum tempore Romanus quidam miles, Hicenetus nomine, rem dictu, audituque dignam geſſit. Monopolim quippè murus circumcingit duplex, ſed interior altius eductus, hoſtilem nequequam haſtam veretur: alter autem tertia parte minor illius fundamenta circumambit. Spatium illud, quod utrumque ſuperjacet murum, ſubeentes Monopolitæ duo, telis inde hoſtes laceſſebant, cæteroſque ut idem agerent, hortabantur. Quod ubi conſpicit Hicanatus, errepta haſta eò perveniens, alterum ex iis feriit, proſternitque. Mox ingens tollitur à Romeno exercitu clemor, tantuſque plauſus, ut nihil quicquam exaudiri poſſet. Unde conterriti qui in turribus ſtabant Oppidani, captam jam Urbem rati, relictis turribus ipſis in mediam Civitatem confugiunt: & ni continuò, re cognita, in propugnacula ſeſe rurſum tecepiſſent, Urbs à Romanis illicò fuiſſet capta. Sic tum altera in Monopolim deſiit oppugnatio. Oppidani verò ubi ſe anguſtiis undique præmi vident, per literae Flamingum enixiùs rogant, ut quentociùs cum auxilio accederet. Ille brevi ſe affuturum cum magno exercitu, Romanoſque inde depulſurum renunciat, ſedenim rurſum invaſit enimum illius metus, pavorque immenſus, cum ſubiit cogiratio, quibuſcum certaturus eſſet, ac contra quos ſibi bellum foret. Ubi verò ſeptimus inde effluxit dies, & nuſquam conſpectus eſt Flamingus, deſperato hactenus auxilio, in caſtra Romane miſere Legatos Monopolitæ, ut & Civitatem, & ſeipſos magno dederent Imperatori. Duces autem negavit aliter ſe fidem eorum deditioni habiturum, niſi præſidium Imperatoris nomine ſibi imponi ſinerent. His ad ea annuentibus, pactioni faciendæ dies eſt præfinitus. Verùm è popularibus Monopolitanis nonnulli, quibus quæ agebantur haud placebant, inſciis aliis, rem omnem Flamingo ſignificant. Quo ille nuntio conſternatus, delectos è ſuis centum cataphractos equites continuò ad eos miſit, ſeque peulò poſt ſequuturum, & majores copiis adducturum pollicetur. Igitur ii, quibus ea incumbebat cure, noctem obſerventes, qua magna imbrium vis de cœlo cadebat, equites illos per minorem portam in urbem admiſere. Quod ubi comperit Ducas impoſuiſſe ſibi Monopolitanorum Legatos ratus, confeſtim è vallo milites educit. Sed cùm haud ſibi ſatis eſſe centum illos equites viderent Oppidani, Romanis præſertim acriori quàm ante animo decertaturis; miſſis rurſum Legatis, Ducem in Civitatem evocant, translata in alios culpa, qui citra commune conſilium ea perpetrere auſi fuerant. Id primùm admittere renuit Ducas, & Legatos utcumque aſpernatus, rem ermis dirimere velle ſe dixit. Sed tandem acrius illis inſtantibus, & ut hoc ſibi delictum remitteretur obſecrantibus, tandem aliquando placatus, exercitum in Urbem introduxit. Vix Urbe potiti ſunt Romani, cum viginti ab ea ſtadiis adeſſe Flemingum nuntiatur. Id ubi accepit Ducas, delectos expertæ generoſitatis equites, qui Flamingo occurrerent, emittit: interea dum ipſe in Civitate manet, & res ibi componeret. At Flamingus ubi à longinquo Imperatoria in turribus erecta conſpexit ſigna, priuſquam cum equitibus Romanis jam proximis manus conſereret, retrò ceſſit. Romani à tergo inſequentes, multos ex eis cecidere, & centum cataphractos equites vivos cæpere. Flamingum verò, qui & ipſe ferè ceptus eſt, equi pernicitas à periculo exemit. Hic pro-

prosperè gestis rebus, Romani Monopolim redeunt.

X. Ducas autem etsi quotidiè arridere sibi adverteret fortunam, nequaquam tamen totum se illi committendum censuit; instabilitatem illius non sine causa veritus, ne quemadmodum improbi, & insidi comites solent, ipsos in media via relictos deleraret. Mittit itaque literas ad Imperatorem, quarum hoc fuit argumentum. Si nullum aliud in Italia nobis superesset bellum, Maxime Imperator, neque exercitu alio, neque cæterarum subsidio rerum opus foret. Omnia enim in hunc usque diem ex voto nobis successisse scias. Urbes fermè omnes quotquot sunt in Italia ad sinum usque Jonium, in ditionem nos accepisse, magnaque bella ad Majestatis tuæ, Romanorumque gloriam nos confecisse. Sed cùm longè graviùs nobis immineat certamen (Gulielmus quippè Siciliæ prædo, ob suorum jacturam haud dubiè indignatus, contractis undique copiis, classeque valida in mare immissa, & mari, & terra nos aggredi meditatur,) non contemnendus est nobis iste Insulani apparatus, neque bellum hoc segnius gerendum, ne parta nobis in præsens gloria, vertatur in ignominiam. Ut enim ille, qui cum parvis viribus res magnas aggreditur, si rem prosperè confecerit, majorem, quàm si cum maximis, gloriam comparat; ita è contra si perperàm res cesserit, multiplex indè contrahit dedecus, cùm præter ipsam cladem in eo insuper militari perpetrata, culpa lapsos affictare soleat, uti sæpenumerò tua nos docuit Majestas. Hæc ille. Rebus Monopoli ordinatis, cum omnibus inde copiis excessit; & Ostunio, valido in primis Oppido, per conditiones potitus, versùs Brundusium iter intendit. Temessam Civitatem illam vocarunt veteres. Longum quippè succedens ævum, pleraque apud posteros novat nomina, atque in alia, aut dissimilis omnino, aut parùm discrepantia immutat. Ut ad hanc Urbem pervenere Romani, otiosi permansere, Pascha enim Christianorum postridiè futurum erat. Ejusmodi otium ignaviæ, & timiditati adscribentes Oppidani, plurima facta eruptione, ad ipsum usque vallum excurrunt, donec Romani aliquot invicti penè erumpunt, qui iis tandem propulsatis, in castra revertuntur. Cæteri quidem Romani, ut antea, diebus festis debitum impendebant cultum. Thomas autem gente Antiochenus, qui jamdudum ad Imperatorem transfugerat, sumptis armis, vallo excedit, campumque perequitat. Ubi accessit ad Urbem, fortiorem ad singulare provocat certamen. Erat autem ibi præcellentis fortitudinis quidam, nomine Enchelys. Is ut Thomam ciere pugnam audivit, sumpto thorace descendit in campum, lentoque obviam gradu Thomæ procedit. Pavor inde defixit utrimque spectatores, dum cataphractos generosos istos eo se in loco ad certamen accingere conspiciunt. Simul igitur ac proximi fuere, admissis equis, hastis concurrunt. Ac hasta quidem Thomas per hostis clypeum, & thoracem ad cutem usque adigit. Enchelys verò impulsa in clypeum hasta, qua parte capiti elatus ab adversario, ut quæ circum erant tegeret, prætendebatur, ipsius galeam perforavit, camemque attigit. Ita ab invicem digressi, alter in castra Romana, alter in Urbem concessere. Romani, exacta jam festivitate, ordinata acie in Urbem contendunt. Sed cùm crebris machinarum bellicarum ictibus murum tentassent, nequicquam se laborare advertentes (quippè veteres, ut in cæteris quidem operibus multam impenderunt curam, majorem tamen in extruendis urbibus, nec injuria diligentiam adhibuerunt) ab incæpto desistunt. Longiùs verò, & ita, ut ultra muros evolarent, lapides, qui intra Urbem recidérent, dirigebant. Vixque primus emissus est lapis, cum in civitate iter faciens muliercula, eo sic percutitur in vertice, ut diffinderetur caput, omniumque ossa membrorum dissolverentur. Inde orta ejulatio, & veluti Urbs esset capta, consternati Oppidani, ne ad conspectum quidem istius infelicis mulieris in publicum egredi audebant. Ut autem jactus alter, mox quæ crebri alii à Romanis iterantur, confestim turbatur plebs, ac supra caput imminere lapidem sibi quisquam credit, aliter planè, ac de Tantalo loquuntur fabulæ. Inde cùm de recipiendis in urbem Romani deliberarent Oppidani, ut rem adverterunt præsidiarii Milites, & quotquot tuebantur Turres, celeriter in Acropolim confugerunt, moxque plebs apertis portis, Romanas copias introduxit. Hac itaque potitus etiam Civitate Ducas, exercitu bifariam diviso, partem aliam, quæ Arcem oppugnaret in Urbe continuit, aliam emisit ad depopulandos agros. Dum hæc ibi gererentur, regio quædam fertilis, incolisque copiosa, quam Alitaium vocant, cum ea, quæ Brundusio evenerant revolveret, ad Imperatorem defecit. Hostium ibi exiguæ copiæ (Celtæ autem erant) saltibus abditæ, & iis, qui Romanorum equos pascebant insidiantes, somno sopitis illis, equitatum omnem inde abduxere. Illud simul atque perceperunt Romani, ex iis, qui à pabulatione revertebantur, hostes quam citissimè insecuti, & equos recipiunt, & hostium, plerosque vivos capiunt, atque in his illustrem maximè inter

ter Italos virum, nomine Sicherem. Sed is priusquam quis esset agnosceretur, numerata illi, à quo captus fuerat, pecunia, sese redemit.

XI. Non multo interiecto tempore ad Romanos fama pertulit Gulielmum cum ingentibus terra marique contractis copiis adventare. Quamobrem cunctis ad bellum paratis, stutere quieti. Vix quintus inde effluxerat dies, cùm ab hostili exercitu adveniens transfuga, propè esse Gulielmum nuntiavit, Romanos veluti inter retia conclusurum. His peractis, Romanorum Duces ita ordinavere aciem, ut Bassavilla, & Joannes Angelus cum stipendiariis copiis, atque iis, qui ex Italis sese adjunxerant Imperatori, terræ belli molem sustinerent: Ducas verò maritimis hostium copiis sese opponeret. Sic enim ajebant fore, ut sibi vicissim auxiliarentur. Itaque prima luce Ducas cum cataphractis equitibus lento ad littus gradu proficiscitur. Ab altera parte adnavigante classe: cæteri verò ad terrestre prælium parati, ordinata acie procedebant. At Siculæ naves, postquam Urbi appropinquarunt, cùm portum subire confertim non possent, (nam in medio amplus satis, sensim in exitum angustiorem desinit) decem simul per vices divisis ordinibus ingrediuntur. Tum verò Ducam ajunt, cum navium hostilium multitudine exterritam classem Romanam videret, utpotè exiguam admodum (vix enim quatuor illi supra decem naves erant) talia excogitasse. Literas velut ab Imperatore jamjam missas militibus ostendit, traditque in manus, quibus terra marique circa medium diem ad futuras copias nunciabat. Qua spe erectis iis: sed nos, inquit, potiùs, Commilitones victoriam nobis ipsis expetamus, ne cùm totam laborum molem in præsentia sustinuerimus, qui seriùs ad prælium venient, victoriæ gloriam, fructusque nobiscum partiantur. His dictis, Ducas, ubi jam portum subiisse hostium classem vidit, suos occipere opus jubet. Prælio itaque navale inito, Siculi cum terra marique missa ab utraque parte à Romanis tela ferre non possent, retrocessere. Cæduntur interea à Romanis, qui à terra insistebant complures, captæque quatuor cum viris ipsis naves, quæ ad vadum offenderant. Quippè acrius, quam par erat, remis impulsæ, facilè in terrestris exercitus potestatem venerunt. Eo in certamine duo hostium millia desiderata sunt: Romani verò non pauci præclara edidere facinora. Maximè tamen in iis emicuit unius ex Ducæ acie virtus, cui nomen Scaramancas. Fugere etenim jam incipientibus hostibus, ipse adacto equo puppim altera præhendit manu, & evadere volentem vi tenuit: vir generosus, factum repetens illius Cynægyri multis scriptorum laudibus celebratum. Sed illata a vectoribus plaga, navem quidem necessitate compulsus dimisit, occasione tamen aufugiendi intercisa, ut ab accurrentibus aliis Romanis caperetur effecit. His prosperè gestis Romani, Brundusium redierunt. Dein machinam, quam vulgò testudinem vocant, Arci admovent. Quod ubi viderunt, qui in mœnibus stabant, effusum in risum se dedere, quod murum hoc modo convelli posse Romani putarent, licèt id nequaquam fieri posset. Ita enim lapides invicem cohærent, ut murus ipse totus unicus videatur lapis. Ubi verò mœnibus machinam admoverunt Romani, eam nocte subeuntes, murum in ipsis fundamentis suffodiunt, egestaque inde rudera in aliam transferunt partem, donec ablatis ultimis fundamentorum lapidibus ad imam devenere humum, quam eruta, locum quemdam confecere vacuum, eumque suppositis lignis replevere; quibus ea, quæ hac parte prominebant, mœnia sustentarent. Ad extremum, ut obstinato adhuc animo perstare oppidanos vident, ignem loco injiciunt, qui assumptis celeriter lignis, murum disjecit funditus, unaque ex iis complures, qui in ipsis stabant propugnaculis, præcipites dedit: cæteris interius, qui in interiorem murum refugerant, nihilominus obsistentibus.

XII. Dum in eo essent statu res Romanorum, Imperator comparatam classem, terrestresque copias in Italiam misit: utrique exercitui præposito Alexio, Imperatoris Alexii ex filia nepote, qui tum magni Ducis fungebatur dignitate: hoc ei dato in mandatis, ut alium præterea contraheret exercitum, sicque Italiam invaderet. Sed nihil horum ille executus, Brundusium venit, tum quod plurimi ipsam tam gravem pertimescerent navigationem, tum quod alii pericula ab hoste imminentia vererentur. Atque inde manifestius cæpit fortuna deinceps Romanis invidere. Robertus enim, qui hactenùs arma cum illis conjunxerat, ut Gulielmum cum validis copiis adventare percepit, viditque necdum Brundusii Arce potitos Romanos, à commilitio recessit; eam obtendens causam, quasi excederet inde, ut copias, quæ in laboris partem venirent, contraheret. Equites præterea ex Marca civitate duplicari sibi stipendium postulantes, re non obtenta, recessere. His compertis, Gulielmus, assumpto exercitu, rectà contra Romanos progreditur. Illis verò deliberantibus, quemadmodum bellum id ordinari oporteret, quidam Bari redeundum censuerunt, valloque Urbem muniendam: aliis

ejus-

ejusmodi consilium non arrisit, metum fore manifestum dicentibus, si omissis iis, quæ in manibus erant, retrocederent. Itaque quibus ea placuit sententia, tempus interea nequicquam teri haud passi, iterum aggrediuntur mœnia, magnamque partem machinis subruunt. Neque tamen Barbaros ex iis depellere potuere; è contra audaciores illi effecti invadunt Romanos; sed mox rursum illis irruentibus, intra mœnia sese recipiunt: quo tum tempore, nisi Romanis nescio qua obstitisset fortuna, venisset haud dubiè Brundusium in eorum potestetem, vique expugnatum fuisset; jam enim vallum superaverant, atque è turribus cum iis, qui intra urbem erant, dimicabant: sed major eorum pars, crebris oppugnationibus quassata, in terrem decidit, & ex iis quamplurimos secum traxit, sicque re infecta rediere. Siculi autem, cùm necdum adesset Gulielmus, iniere consilium Arcis per conditiones Romanis dadendæ. Verùm fortuna certo quodam quasi temporis spatio se Romanos secuturam esse pacta, idque jem elapsum sensisset, illis in media Civitete relictis, recessit. Dum enim hæc Siculi deliberant, nuntiatur oppidanis Gulielmum magno cum exercitu propè adesse. Quibus auditis, consilium id intermisere; ac in muros prodeuntes, frequenti plausu, quasi depulsis jam inde Romanis, festum egerunt diem. Hæc tum ibi gerebantur.

XIII. Movens autem ex Mysia (*fortè ex Sicilia*) Gulielmus cum universo exercitu versùm Brundusium contendit, dum classis Sicula ad parvulam Insulam Brundusio pancis ad hinc stadiis obversam, appellit; ita enim ab utraque parte Romanos adoriri statueret. Sed illos, quo minus extemplo navale committerent prælium priusquam à Gulielmo impeterentur, nescio quod pravum consilium, & quod iis impendebat damnum, avertit. Dum enim contra utrumque certamen ineunt, res Imperatoris pessumdedere. Novum quippè Byzantio exercitum expectantes, & quousque adesset ille (quod brevi futurum arbitrabantur) hostes aggredi distulerunt. Ubi verò Gulielmum propè adesse affertur, tum verò etiam inviti utrumque ineunt prælium. Duos itaque spectatæ in bello virtutis delectos viros, Joannicium quemdam Critoplem, & Pæramem netione Persam, cum Iberis, & Massagetis ad velitandum cum hostibus præmittunt. Ubi se iis statim immiscuere, utpotè ad quintum & quadragesimum stedium castra habentibus; fugientes, quorum brevis ad suos fueret reditus, à tergo invaduut, multos de extreme cædunt acie, plurimosque farcinarios capiunt equos, tandemque erepto ad hæc militari signo, Brundusium revertuntur. Verùm à Siculis ea clades in levi habita, cùm in tante multitudine vix perciperetur. Simuletque verò jam proximè Romanos castre ii admovere, ita ut partis utriusque pabulatores miscerentur, ordinaverunt acies: sed & nec procul e portu aberat illorum classis. Talis erat rerum apud Siculos status. Tum verò maximè à Romanis, qui jam entea militum numero longè inferiores hostili erant exercitu, defluxit robur, & audacia. Nem & aliorum sociorum quamplures sunt dilapsi, & Celtarum non ignobilis turma, quæ sub Romanis stipendie mœrebat, ad Gulielmum occultissimè transivit. Ea ubi is vidit, utendum occasione temporis putavit, ne interlapso tempore Robertus, quem contractis copiis adventare timor erat, auxilia iis ferret, aut terrestres, maritimæve copiæ ab Imperatore missæ subvenirent. Instructa itaque per turmas acie processit. Romani autem, vel non repugnante, vel fortè tergiversante Roberto, copiis pariter instructis, & ordinata prout potuere acie, adversa fronte constitere. Horrendum quid tum erat, exiguam Romanorum vim cum universis Siculorum copiis depugnaturam intueri. Aliquandiù à congressu utraque pars abstinuit. Sed mox quidam eques stipendiarius, è Romanorum phalange procurrens in medium, hostem qui singulari certamine secum vellet congredi, evocat. Sicque invicem concurrentes, prælium ineunt: quod manè inceptum, ancipiti aliquandiù Marte protractum est, Romanis fortissimè dimicantibus; verùm Siculis deinceps multitudine sua eos circumfundentibus, tandem illi fugantur. Fugientium multi cecidere, multi vivi capti sunt, alii crebra impulsione, summoque impetu in urbem sese recepere, atque in his Dux ipse Alexius. Ducas verò extra mœnia relictus, non prius & ferire, & feriri abstitit, quàm circumclusus ab hostibus, post longam, & pertinacem pugnam, captus est. Postquàm illum cæpere Siculi, alios, qui in urbe erant, sine labore velut reti conclusos habuerunt. Sic partam antea à Comneno, & Duca gloriam extinxit eorum imprudentia. Ita igitur eorum, qui nunc vivunt; alii cùm in rebus militaribus operam, studiumque non contulerint, publicam rem evertunt: alii autem, qui hanc fortè quidem Imperatoriæ artis partem attigerunt, in pluribus peccant. Ars enim etiam quædam est exercitus Præfectura: & qui ad eam accedit, veris, ac multiplici scientia sit instructus necesse est, & quoslibet ejusdem usus, cùm id tempus postulaverit, accommodatus. Fuga enim, si cùm oportet, inea-

Nnnnnnnn tur.

tur, idque dederit occasio, probro caret: vicissim hostes effusè insequi utile interdum est. Ubi verò consilio magis quàm manu videtur res gerenda, ad extrema descendere, rerumque summam experiri, tum maximè detrectandum. Multis etenim iisque diversis rebus ad unum victoriæ finem tendentibus, nil refert quibus quis usus ad eum pervenerit. Si Romani itaque, cùm careret iis copiis Alexius, quas adducendas jusserat Imperator, Siculis sese viribus impares, exercitum in navea transduxissent, cùmque illorum classe confixissent primùm, proculdubio tum debellassent hostes, & recessum è continenti partis mari resarcivissent victoriis: & sic postmodum, cùm id postulasset occasio, in continentem iterum egressi, cùm majoribus in Italia viribus bellum confecissent. Sed enim illi, non sine dedecore recedi posse rati, amissi totius perditique exercitus ignominiam incurrerunt. Ita tum ibi res gerebantur.

XIV. Postquàm hæc Principi comperta sunt, graviter, ut par erat, est indignatus, eo maximè quòd post tot prosperos fortunæ successus acciderant. Interveniente quippè post partam gloriam calamitate, etsi infamia sit minor, eo tamen major suboriri solet tristitia, quod cùm propè abfueris à summa re conficienda, totam perdideris. Verùm etsi eapropter doluerit Imperator, nequaquàm tamen fregit illius animum conceptus ex hac clade mœror. Alexium itaque, qui tum Protostatoris dignitate auctus fuerat, Anconam, Italiæ urbem, misit, ut inde, quasi ex belli sede, bellum instauraret. Fidem enim Principi dederant oppidani non se quidem ultrò contra Alemannorum Regem arma sumpturos, sed pecunias, quæ ab Imperatore, & Romanis, atque adeò qui ab iis submitterentur viros, ut seipsos servaturos. Quæ verò ad id Principem causa impulerit, nunc dicam. Cùm bellum ad Corcyram gereret, Venetorumque populos sibi infensos, morososque adverteret, id maximè curavit, ut vindicata sibi Ancona, Venetorum fastum retunderet & superbiam, bellaque inde Italica faciliùs exequeretur. Ea igitur propter magna cùm pecuniarum vi Anconam venit Alexius: atque inde dimissis in Italiam Constantino Oro, & Andrea Comite Civitatis Italicæ, viro manu impigro, & fortitudine insigni, auxiliares aliquot contraxit copias, urbesque quamplures Romanis asseruit: interea Pontifex Romanus, inito cum Gulielmo fœdere, ubi viros illos per Romanum agrum transire audivit, id quidem maximè prohibuit. Sed ex illustrioribus nonnulli, qui benevolentiam Principi suam spoponderant (Manueli quippè Imperatori solemne semper fuit plurimos ex iis, qui ibi degunt sibi conciliare) concitata adversùs Pontificem multitudine, vexillum Imperatorium summo cum honore, necnon & veneratione suscepere, & Contostephano pro libitu, quos vellet, conducendi milites potestatem fecere. Ob ea indignatus Summus Pontifex, quod unum poterat, populum anathemate ferit; nihil attinere, inquiens, Romam inter Novam, & Veterem, quæ jam olim scissa essent. Quin potiùs Siciliæ Domino opem ferendam esse, qui illorum membrum esset, cùm præterea impietatis species sit, eum non adjuvare, qui à multo fortiori opprimitur. Ejusmodi excommunicationem veritùs quidam ex iis, qui Imperatoris partes sequebantur, abscessit, & ad Summum Pontificem, mutata sententia, venit. Sed qui tum ibi Romanis favebant, magna eum inde vi expulere: utque omnibus innotesceret hominis perfidia, modo quodam barbarico, & inventasio, illius armaturam, & equum in altum quoddam lignum extollunt, moxque laxatis funibus ad terram ferri sinunt. Ità palàm insurgentes in Pontificem, ut anathematum vinculis homines solveret persuasere. Atque inde major rursum Romanis creavit audacia. Itaque & Civitatem, quæ à Divo Germano nomen sortita est, expugnarunt, & alias circiter trecentas in Imperatoris potestatem redegerunt, quarum qui volet cognoscere nomina, in eo, quod in veteribus Palatiis, quæ ad meridiem vergunt, ab Imperatore extructum est, triclinio poterit perlegere. Ubi quidem etsi plures his describantur, in iis tamen adulatio quædam immensior; & eorum, qui gesta altius evehere conantur, quales multi esse solent, illiberale studium deprehenditur. Et sanè ipsum etiam ex iis indignantem Principem non semel audivi. An verò hæc inde modò ablata sint, non ausim asseverare.

XV. Ita denuò parùm abfuit quin omnibus Italorum Regio subderetur Romanis. Sed Alexius Comnenus, & Ducas, cæterique Romanorum Duces, qui à Siciliæ Principe capti fuerant, res iterum pessumdedere. Quippè cùm ob ea, quibus constrictabantur, mala & incommoda multa Siculis sacramento interposito promisissent, tot victoriarum fructus Romanis abstulere. Quibus enim pactis, ac conditionibus non subscribet ille, qui compedibus vinctus, antrisque inclusus subterraneis detinetur? Hæc autem fecere Siculi, ut qui hic tum detinebantur, interea dum pacisceretur cum Gulielmo Imperator, ab eo deficerent, urbesque ante hoc tempus

sibi

sibi contraderent. Quòd ut accepit Imperator, quæque agebantur rescivit, missis in Siciliam literis, Romanis captivis in huac modum rescripsit. Mirari subit qua ratione factum sit, viri, ut in rebus gerendis vobis semper defuerit animi fortitudo. Præclaras quippè jam ante partas victorias deflorastis, & in qua estis modo, vobismetipsis comparastis fortunam. Nunc autem ea, quæ à vobis jam perperam gesta sunt instaurare, Deo volente, satagentibus obsistitis. Nonne advertitis hæc excogitasse Siculos, ut nostros in futurum successus retardarent? Quis enim Italorum erit, qui ubi regionem, quam jam possidemus, Gulielmo à nobis rursum tradendam esse perceperit, non continuò à nobis deficiat, statimque Gulielmi partes amplectatur? Erit utique nemo, nisi stolidus ille sit, & planè demens, cujusmodi esse multi solent. Rogo vos, dicite per Deum, an vos unquam jucundiùs patria conspexerit, cum universa jam Italia, & Siciliæ Insula in nostram redactis potestatem, præclari præclarè inde a conterraneis liberati, illustres Romani nominis vindices, gratissimum æqualibus vestria spectaculum exhibituri, Byzantium veneritis: an verò si nil aut dantes, aut accipientes, ut à vobis jurejurando sancita volunt, vos inde revocaverimus? Hæc quidem rescripsit Romanis. Gulielmo autem in hæc verba. Ne latere nos putes, ò generose vir, quorsum hæc à vobis struantur, & ut iis, quæ per vim fiunt, indulgere soleat necessitas. Non itaque omninò tibi arrideant quæ à captivis illis viris sacramento firmata sunt. Neque enim ab incessenda Italia prius desistent Romani, quàm & illam, & Insulam universam, ut prius, potestati nostræ subjecerint. His acceptis literis, in hanc fermè sententiam rescripsit Gulielmus. Si tibi in animo est, Maxime Imperator, irrogare nobis ob ea, quæ adversus Majestatem tuam antehac commisimus, jam certè etiam, supra quàm oportuit, Italiam ultus es. Civitates enim in media illa non minus trecentas expugnasti, quod prioribus Imperii Romani temporibus nunquam hactenus factum: tibique comparasti gloriam, qualis post veterem illum Justinianum Romanorum Imperatorem nulli alii, præterquàm Majestati tuæ contigit. Confer igitur, obsecro te, delictum nostrum, cùm nimirùm Corinthum, Eubœamque tuam incursavimus, & partas in Italia victorias à Romanis, qui longo illic jam tempore commorantur, omniaque inde auferunt, rapiuntque, & sanguine, tertia plus parte, imò amplius, terram istam impleverunt. Qui urbes denique non spoliarunt modò, sed & easdem fecerunt sibi obnoxias. Utrum tibi videtur majus? Quod si hæc à nobis, utpotè qui Majestati longè inferiores sumus, non pateris comparari, saltem ad priores recurre Principes, & retroacta Romanorum revolve facinora, & an non etiam tum aliquis Romanum aggressus est Imperium. Multæ utique gentes & Persæ, & Hungari, & si non indignetur Majestas tua, Robertus ille, qui Epidamnum ex Italia trajiciens, magna ibi certamina cum Avo tuo instituit. Sed vix ægrèque ex finibus Romanis illum incolumem is abire permisit. Tu verò regionem nostram ferè omnem occupasti. Si itaque nostri ulciscendi causa ea aggressus es, satis sibi victoriarum, plus satis nos ultus es. Dum nostras calcas terras, pacem amplecti, non modò non ignobile, quin potiùs maximè gloriosum. Viros autem illustres Romanos, quos sic volente fortuna, captivos fecimus, sine mora recipies, itaut espropter amplius nobis non irascaris. Neque enim succensendum homini, qui bello impetitur, si hostibus suis resistat. Ita planè liquidum sit, te ob id unum, quod in Eubœa deliquimus, bellum justè te gerere: cujus quidem delicti, ultra quàm par est pœnas, ut diximus, exegisti. Si igitur ex iis, quæ in tuas commisisse terras deprehendimur, mulctam irrogare statuisti, ea ipsa apud Majestatem tuam excusavimus. Si verò tibi adversus genus nostrum bellum gerendi causa superest, id in primis attendere te oportet, ne præter Jus Gentium, id fiat. Bella quippè prætextibus, & occasionibus metiri, hominis est; ulteriùs verò tendere, erit qui ferarum esse proprium dixerit: nobis autem tacendum. Te igitur obsecramus, ut hocce bellum sancto fœdere diramatur.

Nimias sanè nugas agit Cinnamus, dum, ut Principi suo ridiculè adblandiatur, declamatoriam potiùs actionem, quàm epistolam, missam à Vuillelmo II. fingit, ut jam victor pacem deprecaretur: condecoratum colorem sic præbens ignominioso receptui Græcorum, si non dicamus, expulsioni ex Italia. Scriptas quidem ultrò citròque epistolas existimamus, sed quales dexteræ gladio armatæ exarare possunt, cùm Pacem, quæ finis est belli, postulant. Audi Falcandum hujus temporis scriptorem, quem simpliciter, sine ullo fuco hæc enarrat: Per idem tempus, *ait*, cum Imperatore Græcorum fœdus initum, paxque firmata: Græci Constantinopolim dimissi, qui post Brundusinum bellum in vinculis tenebantur. *Nec diù stetit pax illa, ut Auctor est Nicetas lib. 2. num. 8.*

His sæpiùs perlectis literis, tandem dictis annuit Imperator, receptisque Romanis

nis captivis, aliaque belli præda restituta, fide ad hæc data Gulielmo, se sociali cum exercitu versus Occidentem sequuturum, bellum solvit. Nec multo interiecto tumporu Regem renuntiavit Gulielmum, cum antea hac dignitate non gauderet.

Insanire hujus Auctor Græco fastu non cessat. Regem Vvillelmum non creavit, sed agnovit Manuel: cùm ante hoc fœdus pro Tyranno, & Provinciarum usurpatore ab . . . . Græcis haberetur.

Tanta verò erga illum usus est benevolantis, ut eo mortuo, accedentem fratrem, opemque ad invadendum Siculorum Principem implorantem, haudquaquam admiserit. Hunc finem habuere bella Romanorum Italica.

Simonem Rogerii Regis filium nothum innuere videtur Cinnamus, qui, quòd Tarentinus Principatus, sibi a Parente testamento concessus, ablatus fuisset a Vvillelmo fratre, in eum conjuravit cum Matthæo Bonello, sedatisque illis post hæc tumultibus, dataque Bonello impunitate, cæteri, quos inter fuit Simon, galeis seu triremibus, qui sufficerent ad id assignati, extra Regni fines salvi, & incolumes perducti sunt, uti narrat idem Falcandus: qua tempestate, Anno scilicet 1161. Simon, ut est simile vero, Constantinopolim concessit.

NOTÆ IN CINNAMUM:

OBiit Boemundus II. Princeps Antiochenus Anno Christi 1130.

Hanc Joannis Imperatoris in Siciliam expeditionem pluribus exequitur Vvillelmus Tyr. *lib.* 14. *c.* 24. attigit etiam Odo de Diogilo *de profectu Ludov. VII. Reg. Franc. in Orient. l.* 4.

Joannem Rogerium, maritum Mariæ Comnenæ existimat Carolus Dufresnius, illum Rogerium de Sorrento, cujus memorat Alexander Abbas Celesinus *l.* 2. *cap* 60. qui Nuceriam Roberti oppidum aliquandiù tutatus, tandem reddere compulsus est Rogerio Regi, pacta impunitate. Constantinopolim transgressus, Primas obtinuit in Imperiali Aula; in Synodo enim, in qua Cosmas Atticus Patriarcha C. P. abdicatus fuit Anno 1144. primus post Manuelem Imperatorem assedit. Hujus filius fuit Rogerius alter, quam Manuel in Dalmatiam misit sub titulo Ducis Sclavoniæ, qua gaudebat dignitate anno 1180.

Alexander Gravinæ in Italis Comes à Rogerio Siciliæ Rege propter rebellionem possessionibus exutus, in Dalmatiam primùm, mox Constantinopolim ad Imperatorem Manuelem profectus, ubi deinceps militavit: ex Niceta *l.* 1. *n.* 6. *in Man.* Alexander Abbas Celesinus *l.* 1. *c.* 14. *l.* 1. *c.* 11. Graviuæ Comitatus post hæc à Rogerio datus Adæ nobili, & strenuo adolescenti, filiæ suæ marito.

Ludovicus VII. cùm a Palæstina regrederetur anno 1149. ut ait Cinnamus *l.* 3. *propè fin.* parùm abfuit quin venerit in potestatem Græcorum, qui tum flagrante bello Siculo, maria cum valida classe obibant, Siculis ipse admixtus. De hoc facto Vincentius Bellavac. *p.* 3. *l.* 26. *c.* 126. Ludovicus Rex Francorum à Palæstina navigans, ut in patriam rediret, Græcorum naves incurrit. Cùm ab eis Imperatori Curfolium obsidenti præsentandus deducitur, Gregorius (*lege Georgius*) Dux navium Regni Siciliæ eos aggreditur. Siquidem vastatis, & spoliatis Græcorum Provinciis, usque ad ipsam Urbem Regiam Constantinopolim accedens, sagittas aureas in Palatium Imperatoris jecerat, & incensis suburbanis, de fructibus hortorum Regis violenter tulerat. Unde rediens naves Græcorum incurrit, captum Ludovicum Regem eripuit, sed captos, Regis obtentu, dimittit. Interim Manual recepto in deditionem Curfolio, Siculorum naves insequitur, & captis nonnullis navibus, Rex fuga liberatur, & à Rogerio Rege Siciliæ, & a Papa Eugenio II. honoratur. Inde refellitur Thomas Fazellus, qui *dec.* 2. *lib.* 7. *c.* 3. scripsit Ludovicum Regem ab ingenti Saracenorum classe fortè interceptum, & captum à Rogerio, qui tum cum classe occurrit, liberatum, & ab interitu vindicatum.

Nulla apud scriptores ejus ævi usurpatæ ab Rogerio, Vvillelmo adhuc superstiti, Apuliæ mentio, sed eo defuncto Ducatu potitum fuisse Rogerium, reluctante primùm, postea annuente Honorio Pontifice, scribit Alexander Celesinus *l.* 1. *c.* 2. & 5.

Non silendum, quòd Rogerius non Siciliæ dumtaxat, sed & Italiæ Rex acclamatus fuit, quod testantur caracteres in ære campano, quod Guza dicitur, Panormi. Anno ab Incarnatione 1136. Ind. 14. fusa Panormi, Rogerius Siciliæ, Italiæque Rex, magni Comitis Rogerii filius. Mu dextra Bionis fundi, ac Divæ Mariæ dicari jussit. Extant diplomata ejusdem Rogerii Anno 1133. & 1137. apud Ughellum in Archiepiscopis Salernitanis, Brundusinis, & Beneventanis, quorum initium sic concipitur: *Ego Rogerius D. G. Siciliæ, & Italiæ Rex, Christianorum adjutor, & cly-*

clypeus, Rogerii primi Comitis filius. Ita pariter Vuillelmus II. apud eumdem Ughellum in alio diplomate anni 1170. Siciliæ, & Italiæ Rex inscribitur. *to.* 7. *pag.* 565. 581. 982. Chronicon Monasterii S. Sophiæ Benevent. *pag.* 779. Ptolemæum de Luce anno 1126.

Belli Siculi caussam solus, quod sciam, profert Cinnamus. Vide Othonem Frisingensem *l.* 1. *Gest. Frid. Oenob. c.* 33.

De sericorum pannorum opificibus in Siciliam translatis agunt Nicetas *l.* 2. *n.* 8. Falcandus *in Præfat.*

De Bassavillæ Comite Roberto vide Tyrium *l.* 18. *c.* 2. Comites Bassavillæ, seu Loritelli, non modò Comites Palatini, sed Comites Comitum (æmulantibus Francorum, & Germanorum Regum consuetudinem Siculis Regibus) sic Robertus I. anno 1095. apud Ughellum *in Theatinis Episcopis n.* 16. *& n.* 21. & Robertus II. eodem anno *in Chronico Monasterii S. Sophiæ, & tom.* 8. *pag.* 375. Comes Comitum de Lauritello, & Comes Palatinus appellatur.

Expeditionem Græcorum Italicam, quã obiter attingit Nicetas *lib.* 2. *cap.* 8. fusiùs prosecuti sunt Falcandus, Otho Frisingensis *lib.* 2. *cap.* 29. Vuill. Tyrius l. 18. *c.* 2. 7. *&* 8. Robertus de Monte An. 1155. & 1156. Chronicon Ceccanense, & Chronicon Pisanum An. 1156. & 1157. Radulphus de Diceto *in Imag. Hist. An.* 1156. Addit Stero in ea cæsa 40. millia Græcorũ.

Vescia, non Voscia. Urbs in confinibus Campaniæ, & Hirpinorum, inter Abellam, & Vesuvium. Basti Urbs apud Leonem Ostiensem *l.* 3 *c.* 13.

Atque id caussæ fuit, cur Vuillelmus I. recepta Bari, Castelli sui, quod à Barensibus dirutum fuerat, ruinas intuitus, Barenses sic allocutus sit: *Justo*, inquit, *vobiscum agam judicio: & quia domui meæ parcere noluistis, certè nec ego vestris sum domibus parciturus.* Quod & factum est: muris enim primùm æquatis solo, totus insecutus est excidium Civitatis. Barim porrò Græcis ademerat jam olim Guiscardus, ut *in Chron. Casin. l.* 3. *c* 44. Fuit hic Richardus Andriæ Comes, Vuillelmi partibus addictus. Perperàm à Roberto de Monte existimatur An. 1155. Richardus de Linges, nam is Robertum de Bassaville secutus est; & non Andriæ, seu Andri Insulæ Comes fuit, si qua fides eidem, hæc ad An. 1145. scribenti. Rex Siciliæ Rogerius Tripolitanam Provinciam in Africa super Paganos cæpit. In hac expeditione fuit, & multùm profuit Richardus de Linghene, Miles optimus, qui nuper de Bajocensi Comitatu illuc perrexerat, & à Rege Rogerio Comitatum Andri Insulæ, quam nuper idem Rex super Imperatorem Constantinopolitanum cæperat, dono acceperat. Andria verò oppidum est in Salentinis.

Ansquetino, Vuillelmi Regis Cancellario, qui Beneventum ab Adriano Papa occupatum obsedit, uti narrat Tyrius, & Chronicon Ceccanense, & Fossænovæ An. 1155. Anscotinum vocat Falcandus.

Pro Temesa Brundusium accipit solus Cinnamus, aliter existimant Leander Albertus *in descript. Ital.* Cluverius *l.* 4. *Ital. c.* 15. Falcandus de *Siculorum victoria* sic scribit: *Multiplicato dehinc exercitu* (Rex Vuillelmus) *Brundusium venit, ubi cum Græcis conflicturus, ad pugnam jubet milites expediri. Græci verò ubi Comitis Roberti, cujus præstolabantur adventum, vident se defraudatos auxilio, quod unicum restabat consilium, fortunam eligunt experiri. Anceps in principio pugna fuit: inde Græci non valentes amplius hostiles impetus sustinere, fusi cæsique sunt, magna pars eorum cum Ducibus suis Panormum transvecti sunt.*

Andream Comitem Rupis Caninæ, qui tandem concessis Constantinopolim possessionibus suis exutus. v. Tyrium, & Chronicon Ceccanense An. 1161.

De inita Adrianum inter, & Vuillelmum pace, fusè Baronius.

Epitimium, pœna ecclesiastica, differt ab excommunicatione.

Epixilon. Videtur id militaria supplicii innuere hoc loco Cinnamus, quod vulgò *Estrapade* vocant Franchi, Itali *Strappata.*

In Blacherniano Palatio Manuel bella à se gesta summo cum artificio depingi curavit: uti narrat Nicetas *l.* 7. *n.* 3. & Beniamin Tudelensis *in Itiner.*

EX NICEPHORI GREGORÆ HISTORIA EXCERPTA.

DE EODEM.

Nicephorus Gregoras, Philosophus, Historicus, & Orator peritissimus, claruit Anno 1345. Scripsit libris XI. Historiam Byzantinam, à capta per Latinos Constantinopoli, usque ad Andronici junioris obitum: scilicet ab Anno 1204. ad 1341. Magnam sibi, ac Andronico Juniori Imperatori injuriam à Gregora fieri, veritatemque rerum gestarum mendaciis, plerumque, ac calumniis offuscatam venire, acerbè satis conqueritur Joannes Cantacuzenus, in Historia rerum à duobus Andronicis, & à se-

à seipse gestarum. Caeco profectò affectu eum in Andronici Senioris acta, & furenti odio in Latinos omnes, ut Graecorum invidia solemne est, passim abreptum, nullus non agnoscit.

EX LIBRI II. CAPITE VII.

III. INterim Irene Imperatrice mortua, Imperator, atque idem maritus, obitum illius longo tempore molestè tulit. Tandem solitudinis pertaesus, secundam uxorem duxit Annam Alemanam admodum adolescentulam, Manfredi Siciliae Regis sororem. Quam inde educatricis, & magistrae loco cum multis aliis mulieribus comitabatur foemina pulcherrimo vultu, cujus oculi quaedam quasi retia inevitabilia erant, nomine Marcesina. Haec philtris, & illecebris amatoriis, ac morum urbanitate paulatim etiam Imperatoris oculos in se convertit, amoreque sui sic incendit, ut jam haud dissimulanter Imperatrix Anna prae ea negligeretur. Nam tandem eo dementiae redactus est Marcesinae amoribus, ut eam Imperatoriis insignibus ornari pateretur. Quamobrem ea mulier hac in parte Imperatrici Annae nihil cedebat; amore autem, & propensione Imperatoris, & subditorum observantia, ac reverentia, si non sola fruebatur, certè legitimam uxorem, & Imperatricem Annam longè superabat.

IV. Propter quod Imperator conscientiae stimulis urgetur, Monachi Marcesinam templo excludunt jussu praepositi Blemmyde, qui Marcesinam semper infectatus est. Unde mulier irata, & aulici assentatores Blemmydam criminantur. Imperator seipsum damnat, & culpam suam deplorat.

EX LIBRI III. CAP. V.

I. MIchael Angelus Aetoliae, & Epiri Princeps, cùm audisset mortem Theodori Imperatoris sui soceri nullo relicto successore, speravit se facili labore magno Imperio potiturum. Igitur magnum è suis Provinciis exercitum contrahit, & longè majorem aliunde à foederatis accipit. Etenim celerrimè adsunt Peloponnesi, & Acajae Princeps ejus gener; & qui tum in Sicilia regnabat Manfredus, gener ipse quoque, Helena ejusdem filia uxore ducta: uterque copias secum adducens, ut ferebatur propè innumerabiles. Nec enim tam adjuvandi Michaelis, quàm suas ditiones amplificandi causa, & alienas urbes occupandi, aderant. Sperabant scilicet Romanas Provincias omnes, ab Jonio sinu Byzantium usque se statim absque labore occupaturos: & haud secus ac si jam earum possessionem firmam habe-rent, forte illas, priusquam bellum inchoassent, distribuebant.

Malè verò in ista expeditione fortiti sunt, Michael enim Angelus per transfugam deceptus, proditum se à sociis putat, eosque noctu deserit. Socii, cognito Michaelis discessu, ipsi se proditos putant. Turbati, & trepidantes à Romanis ceduntur. Princeps Peloponnesi capitur. Siciliae verò Rex cum perpaucis suorum clam effugit.

EX LIBRI IV. CAP. III.

Michaele Palaeologo Imperante.

ALexius Caesar post magnas victorias, & triumphos, iterùm missus ab Imperatore pergit bellum illaturus Michaeli Despotae, Epiri, & Aetoliae Principi, & post multas belli vicissitudines Romani vincuntur, Caesarque vivus capitur, qui victoriarum, & triumphorum fama Aquilonem, & Austrum novissimè in admirationem converterat. . . . .

III. Porrò Caesarem ita captum Michael petenti Manfredo Siciliae Regi, genero suo, statim misit, ut is suam sororem cum illo permutatam redimeret. Nam eam Joannes Ducas Imperator post Irenes obitum alteram uxorem duxerat à Theodorico Patre (scilicet Friderico Secundo Imperatore) Siciliae Rege acceptam, quae cùm post conjugis obitum redire domum haud posset, apud Romanos vivebat pudicitiae laude commendabilis, ac morum honestate vultus sui splendorem illustrabat.

EX CAPITE V.

AT Balduinus Balduini secundi Constantinopolitani Imperatoris filius è carcere Constantinopolitano elapsus, in Italiam navigavit, ubi cum Rege Italiae Carolo affinitatem junxit, ejus filia suo filio desponsa; sperans se illius opibus Constantinopolim recuperaturum; inani utique spe, & cupiditate; Palaeologus enim, maxima classe instructa, ejus spes frustratur.

EX LIBRI V. CAP. I.

SUpra diximus Balduinum, Constantinopolitanis periculis elapsum, venisse in Italiam, ibique socium sibi adjunxisse Regem Carolum, atque ejus filiam suo filio despondisse, ac dotis compensandae causa daturum se ei promisisse, quam perdidisset Constantinopolim, si illius opibus in bello adjuvaretur.

II. Ille igitur, cùm hoc promissum velut semen quoddam animo concepisset, nihil

nihil jam exiguum de summa rerum agitabat, sed totam Julii Cæsaris, & Augusti Monarchiam somniabat, si Constantinopoli potiretur. Erat enim vir ejusmodi, ut non solùm quæ opus esset deliberando provideret, sed etiam deliberata strenuè exequeretur. Et, ut paucis dicam, naturæ excellentia, & solertis ingenii vi majores suos longè superabat. Quare ea quę diximus quàm animo parturiret brevi perducturum se ad exitum sperabat. Ad eam porrò expeditionem suscipiendam eum excitabat cum ipsius Constantinopolis passim divulsæ, & ruinis abruptæ, quæ multum temporis ad restaurationem, & confirmationem postularet, tum Imperatoris in rebus novis excogitandis solertia, & summa in negotiis conficiendis celeritas. Quæ sanè permolesta illi erant, ejusque rationes turbabant, ac magnum illi terrorem incutiebant. Atque ob hæc ipsa eum opprimere festinabat, priusquam is majoribus copiis terra, & mari instructus, in extremas angustias hunc adduceret.

II. Ac primùm statuit justo exercitu comparato, & transmare Jonium misso, jubere in Romanos fines impressionem fieri, & ab obviis quibusque subigendis non prius absisti, quàm ipsa Imperii sedes ad deditionem compulsa esset: deinde magna classe instructa, Imperatorem duplici periculo distractum circumvenire. Sed spe sua frustratus est, cùm Imperator eo solertior Dux extitisset. Namque hic statim summa celeritate illius conatus pervertere, & irritos reddere studuit, Imperatricemque urbem præsidiis, & structuris ab omni parte munit, firmumque murum intra maritima mœnia extendit. Nec his contentus magna pecunia finitimos Reges, nempè Siciliæ Principem, & illum etiam, qui apud Venetos imperabat, ad bellum illi faciendum concitavit.....

IV. Cæterùm quamvis Carolus Imperatoris artibus ita eluderetur, ac per istas quasi velitationes repelleretur; tamen palàm erat eum non esse quieturum, tum viribus exercitus sui, tum pecuniæ copia fretum. Proinde tot difficultatibus circumventus Imperator, ac penè ad desperationem compulsus, Legatos ad Papam mittit, acturos de Ecclesiarum concordia, & communione, nempè veteris, & novæ Romæ, modò ille Caroli expeditionem averteret.

EX CAP. II.

EAm legationem Papa cupidè accipit, promittitque se facilè, quæ Imperator petiisset confecturum. &c.

EX CAP. VI.

SUpra ostendimus, Carolum Italiæ Regem virum fuisse magnis rebus gerendis intentum, & singulari ingenii vi cùm in excogitandis, & deliberandis, tùm in administrandis negotiis uti solitum. Verùm ei prorsus obstabat efficacior, & vividior Imperatoris virtus, ac velut è superiore loco illi repugnabat. Ita fiebat, ut neque huic sui contra Romanos conatus, nec illi, quæ contra Latinos moliebatur, succederent. Sed amborum vires longo tempore adeo pares, & quasi æquilibres fuerunt, ut illud à viris prudentibus vulgò diceretur, nisi Respublica Romana talem Imperatorem habuisset, facilè Romanum Imperium ab Italiæ Rege Carolo potuisse invadi; & contra, nisi talis Rex eo tempore italicis rebus præfuisset, Italiæ principatum facilè ab Imperatore occupari potuisse......

II. Nimirùm Rex Carolus per omne vitæ suæ tempus, Romanos & insidiis, & armis appetere nunquam destitit: nec tamen quidquam profecit, Imperatore summa celeritate, ac pari contentione conatus illius evertente. Ac cætera quidem singula suis locis supra commemoravimus: nunc, quod postremò actum est, id dicam. Carolus Imperatori perpetuas struebat insidias, easque perducendi ad exitum occasionem captabat. Cùm autem hinc Joannem Sebastocratorem Thessaliæ Principem, inde Illyrios bellum inferre illi cerneret; sibi quoque opportunitatem dari ratus est oppugnandi terra, & mari rem Romanam ita turbatam, & ea, quæ jampridem animo destinasset, exequendi. Itaque magna classe instructa, terrestres copias majores parat: quibus virum fortem Rossonsulem præponit. Hic exercitum terrestrem secum ducens, Jonio mari trajecto, nihil spectabat magis quàm ut Castello Bellegrado, & opportunioribus Macedoniæ locis expugnatis, impunè Byssantium usque progrederetur. Neque enim fore quemquam, qui contra hunc tantùm, & tam gravi armatura instructum exercitum oculos ausus attollere sine malo discederet.

III. Quod cùm Imperatori nunciatum esset, non cunctandum ratus, sed armis, & pecuniis, & prudentibus consiliis resistendum illi, atque eminùs cum eo velitandum censuit, unde apparet quantò prudentia sit armis potentior, & ingenii solertia milite numeroso. Primùm itaque omnis generis opibus missis, Siciliæ Regem Fridericum ad bellum Carolo faciendum concitavit (*veriùs cum Petro Aragonia Rege Friderici Patre de invadenda Sicilia pactus est*) ut si aliud curas præcipuas, à longinquis expeditionibus abstractas, ad negotia circumstantia revocaret. Id, quod maximum, & efficacissimum visum est. Ac navales copias Caroli,

belli

bellis viciuis occupatas, Imperatoris prudentia hoc modo inutiles reddidit.

IV. Deinde supplicationibus per omnes Ecclesias indictis, Romanas copias, quæ tum erant, contra Rosonsulem mittit. Quibus profectis, nequu consultum, neque tutum visum est aperto Marte congredi cum hoste numerosissimo, firmissimis armis instructo, & optimè munito: sed dolis, & insidiis, & velitationibus è loco superiore lacessendos esse, & cùm superbi, atque impatientes essent, concitandos, ut per indignationem nullo ordine, solutaque acie erumperent. Nam Italorum à multis sæculis ea disciplina est, ut cum ordine conservato invadunt hostem, firmus sint murus, & ineapugnabilis: sin à consueto ordine non nihil recesserint, nihil prohibeat, quo minus statim ab hostibus capti abducantur. Neque rarò insitus illos fastus, & stolida arrogantia multum læsit, intempestivo animi impetu facilè abreptos. Quæ cùm Romanis olim nota essent, talibus eos dolis, ac machinis circumveniebant. Flumentarios mulos ex insidiis cædebant, & mercatum, qui illos sequebatur, impediebant. Velitationibus autem eos, qui aquabantur ex edictioribus locis occidebant.

V. Rosonsules verò copias suas à Belgradi obsidione statim ad tutiorem locum reducere suo spiritu indignum judicabat: prætereaque turpissimum ducebat: mansisse diù, vacuamque reverti (*Homer. Iliad. lib.* 2. Sed ira inflammatus, cùm perpaucis suorum invadit eos, qui aquationem infestam reddebant. Quod nostri cùm vidissent, promptissimè descenderunt, & hostibus circumdatis, equos sagittis confixerunt; equites verò omnes in Romana castra vivos perduxerunt. Quæ res Latinos vehementer perturbavit, & maximum apud eos tumultum excitavit; Romanos autem impulit, ut statim in eos turbatos impetum facerent. Ita Romani insignem, & omni spe majorem victoriam de Latinis facilè, & minimo labore reportarunt. Carolus verò artibus Imperatoris ita superatus: & uno bello facili, & expedito, quod terra marique parsverat, præter spem in duo diviso: ac altero exercitu, qui Jonium transierat, prorsus perdito: altero verò, qui cum Siculis pugnarat, non quidem planè deleto, sed filio per illud bellum amisso, acribus doloris stimulis animum subinde pungentibus, æger, & afflictus sedebat, ut eum his malis fractum vitæ tæderet. Nec longo post è vivis excessit, confectus eo mœrore, quem multiplicem, & levatu difficilem, concoquere ad extremum non potuit.

EX NICEPHORO GREGORA HISTORIÆ BYZANTINÆ lib. 7. cap. 2.

De rebus Aragonensium Regum in Sicilia.

His temporibus Carolus Italiæ, & Theodoricus (*legendum Fridericus*) Siciliæ Rex, bellum inter se gesserunt. Est autem Sicilia magna, & populosa Insula, milliaribus non amplius triginta à continente distans: si quis fretrum, quod inter Scylleum Italiæ promontorium, & Messanam Siciliæ maritimam urbem interfluit, metiatur. Carolus igitur, qui jampridem Siciliæ potiri cupiebat, & id consilium animo agitabat, clam naves longas ædificat: cæteraque ad bellum tam mari, quàm terra gerendum necessaria pro virili comparat. Tandem cùm inimicitiæ in apertum erupsissent, Carolus Theodorico (*Friderico*) adhuc imparato formidabilis erat, & valdè eum premebat, è continente subinde in Insulam trajiciendo cum omni & peditatu, & equitatu suo: ac per biennium damnis illatis, hyeme domum se recipiebat; verno autem tempore majoribus semper copiis bellum redintegrabat.

Illis porrò temporibus accidit, ut Latinus quidam Rogerius nomine, ex inferiore Iberia, & ex Gallia, quæ sita ultra alpes magis versus occidentem vergit (*Catalaunia*) collecto exercitu sordidorum hominum, bellis tam marinis, quàm terrestribus assuetorum, non minus quatuor triremibus inde compleret; atque ita Piraticam, cujus erat omnium, qui unquam fuarunt peritissimus, impunè exerceret. Non enim naves onerarias tantùm, quæ à Septentrione, & Austro profectæ ascenderent, & descenderent, invadebat: sed magnas etiam insulas, præter & circum navigando infestabat, & mari infero metuendus evaserat. Cùm igitur Sicilia jam ab omni parte Caroli exercitu obsepta esset, ac Theodoricus (*Fridericus*) eò redactus foret, ut externa auxilia petere cogeretur, Rogerium illum, quem diximus, accersit, hortaturque, ut etiam alios undecumqua fortissimos asciscat, circiter mille equites, ut æquatis viribus strenuè, & fortiter dimicent adversus Caroli exercitum suo oppositum. Cùm autem ille advenisset, & mille pedites, quibus classis con-

constabat, ac totidem, quos inter equites retulerat, secum adduxisset, statim omnes Siciliæ Urbes, quascumque Carolus captas subegerat, texera veluti conversa, ad Theodoricum (*Fridericum*) redierunt alienum jugum tolerare haud assuetæ.

Id Carolus cùm audisset ægerrimè tulit, ut quodam quasi furore percitus videretur, quod diuturnas spes suas ad exitum jam perductas, & omni laborum fructu tantum non cumulatas, in ipso portu cerneret effusas. Igitur exeunte verè cum magnis copiis adventat. Sed cum Theodorico (*Friderico*) jam & numero & viribus firmiore congressus, aliter quam volebat discessit. Eo anno sic exacto, sub veris initium totam Italiam, ut ita dicam, Carolus in Siciliam traducit: ut ultima hæc disceptatio esset quæ diuturnis bellis finem imponeret. Sed denuò longè pluribus amissis, victus domum redit, malorum gravissimorum numerosum veluti agmen secum trahens. Rebus ergo ex omni parte desperatis legatos ad Theodoricum (*Fridericum*) de pace, & affinitate inter liberos jungenda mittit.

EX CAP. III.
Synopsis n. 1.

ROgerius miles, rebus Siciliæ tranquillis, incerti quò se vertant. Byzantium eunt ab Andronico acciti; Catalauni mille, Almugavari (idest viri fortes) totidem *n.* 2. honores Rogerio delati, item Berengario Entenze titulo Cæsaris uni, & magnæ Ducis alteri. Catalauni in Asiam missi, hospites & socios vexant. *n.* 3. Philadelphiam obsessam liberant. Asiæ recuperandæ occasio cur amissa. *n.* 4. Romani, & Alani domum revertuntur. Catalauni stipendiis fraudati Romanas Urbes hostili more pervadunt. Eorum crudelitas. *n.* 5. Imperator ut hæc tulerit. Rogerius ex Asia in Thraciam redit. Juniorem Imperatorem adit. Stipendia persolvi postulat. Obtruncatur.

EX CAP. IV.
Synopsis n. 1.

MIlites Romani occiso Rogerio, cum Catalaunis debellatum putant. *n.* 2. Malorum consiliorum malus exitus. *n.* 3. Romanorum cladium causæ. *n.* 4. Catalauni Calliopolim, cæsis oppidanis muniunt. Terra & mari bellum apparant. Mari vincuntur à Genuensibus. Berengarius Navarchus captus, deinde redemptus. *n.* 5. Catalaunorum consternatio. Omnia ipsis infesta. Tolerandæ obsidioni se accingunt. Turcos auxilio accersunt. Prædas agunt. *n.* 6. Michael Imperator in eos movet. Turcopulos & Massagetas secum ducit. Juxtà apros castrametatur. Exercitum instruit. *n.* 7. A Massagetis & Turcopolis deseritur. *n.* 8. Turbatam aciem frustrà conatur restituere. In hostes temerè invectus vix evadit. Equitis fidelis virtus. *n.* 9. Andronicus filium objurgat, ut vitæ prodigum. Romanorum fuga, & clades. Turcopulorum ad Catalanos transitio. *n.* 10. Catalanorum Duces inter se diffident. Berengarius occiditur. Ximenes Byzantium se recipit. Ornatur. Magni Ducis titulo, & affinitate Imperatoris. *n.* 11. Massagetæ in Scythiam transituri à Turcopulis & Catalanis profligantur.

EX CAP. VI.
Synopsis n. 1.

CAtalani Thraciam vastant. Locum quærunt in quo consistant. Quantæ eorum copiæ fuerint nempè quinque millia. *n.* 2. In Macedonia apud Cassandriam hybernant. Urbibus Macedonicis instant; In primis Thessalonicæ. *n.* 3. Andronicus Chrisliopolitanas angustias munit. Milites conscribi curat qui Urbes defendant. *n.* 4. Hostes commeatu destituti reditum in Thraciam parant. Audiunt præclusum sibi iter. *n.* 5. In magno metu versantur. Thessaliam petunt. Juxtà Olympum castrametantur. Agros finitimos populantur. *n.* 6. Qui & quot Turci nempè 3. m. fuerint in exercitu Catalaunorum. Et quos Duces habuerint. Ut in Itinere Thessalonico prædam partiti discesserint à Catalanis.

EX CAP. VII.
Synopsis n. 1.

CAtalani Turcis dimissis in Thessaliam rumpunt. Principum Sebastocratorum hæres ultimus morti vicinus & Thessali Catalanos sibi conciliari amicitia statuunt. *n.* 2. Catalani Thessalorum pecuniam, & societatem incertæ spei præferunt. *n.* 3. Superatis Thermopylis, juxtà Cephisum castra ponunt. *n.* 4. Athenarum Princeps Catalanis transitum negat, eosdem contemnit. *n.* 5. Catalanorum vires, callidum stratagema. *n.* 6. Atheniensium exercitus numerosum in limum impingit. Internecione deletur. Catalani Thebas, & Athenas capiunt. In iis locis consiidunt.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

nullis

Asi-

Panor-

D

Dia-

E

Epi-

Guil.

subi-

I

M

Mi-

N

O

P

Pau-

S

Stel-

T

V

Visu-

FINIS INDICIS.



